JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA

JUXTA EDITIONEM WADDINGI XII TOMOS CONTINENTEM A PATRIBUS FRANCISCANIS DE OBSERVANTIA ACCURATE RECOGNITA

TOMUS PRIMUS

DE MODIS SIGNIFICANDI, SIVE GRAMMATICA SPECULATIVA

QUÆSTIONES Super Universalia
Super Prædicamenta
Super lib. I Perihermenias Aristotelis
In II librum Perihermenias
Secundi Operis Perihermenias.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCI

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

ORDINIS MINORUM, OPERA OMNIA

AD LECTOREM (1)

Quanta prævaluit auctoritate inter nostri Instituti Magistros Joannes Scotus, tanto ferebantur omnes desiderio universas ejus lucubrationes habendi. Idem mihi cum reliquis ardor ab eo tempore, quo primum pedem in Urbem intuli, et patuit aditus ad Bibliothecam Vaticanam, totius Europæ instructissimam. Ante annos ferme viginti aliud agens, incidi in aliquot Doctoris opera, antehac minime excusa, quæ magis animum acuerunt et firmarunt, ut aliquid in hac re tentarem. Ad alia studia distractus, et molestis Curiæ, Religionisque exercitationibus frequenter in diversa raptus, defluentibus annis, præter bonum conatum nihil promebam. Consilium aperui primariis nostri Instituti viris : laudabant, non promovebant. Ardua hæc provincia, et vasta moles, qualem animo concipiebam, ne ipsi aggrederentur, neque aggredienti opitularentur, omnes perterrebat. Unus occurrit Doctoris disciplina apprime imbutus, in Magistrum summe propensus Reverendiss. Pater, Fr. Joannes Baptista, Campanea, vetusta Regni Neapolitani urbe, oriundus, vir religiosissimus, nostri Ordinis Primicerius; cujus studium, uti perpetuum in doctrina explicanda, ita summum erat in viro ipso extollendo. Dicentem avide excepit, conantem impigre laudavit, facturo prompte auxilium promisit. Ut primum ad apicem nostri regiminis ascendit, de his cogitare, loqui, agere, nihil illi frequentius. Demum se totum parat operi; qui fieri possit, cœtus cogit gravissimorum virorum, et postremo, ut ego, dimissis reliquis studiis, etsi rei nostræ necessariis, huic soli incumberem, injunxit. Qui Commentarios, ubi opus erant, adhiberent nobilissimæ operis parti, designavit primarios hujus nostri Collegii Professores, qui scriberent, qui editioni et correctioni præsiderent, alios præscripsit; in necessarios sumptus collectis, et abunde collatis subsidiis.

His auxiliis operam ante quadriennium aggressus, congregatis omnibus operibus hucusque editis, perlustratis Urbis Bibliothecis, præsertim Vaticana; consultis in longinquis regionibus amicis, id tandem effeci, ut opera omnia scholastica consequeremur. Quæ prius erant impressa, sed fœdis erroribus respersa, cum MSS. codicibus conferri curavi, Notis et Scholiis, ubi deerant, adjunctis, eadem adhibita diligentia in reliquis operibus, quæ nunc primum ab oblivione vindicamus. Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, et Doctorum loca, amanuensium socordia mutila, vel vitio corrupta, suæ veritati

(1) Præmittere liceat Waldingi præfationem generalem approbationesque.

restituimus, et juxta recentiores editiones citavimus. Aristotelis, Commentatorisque Averrois textus, Doctori familiares, breviori compendio indicavimus, depravatos correximus, et quæstionum omnium principiis alios præmisimus discussores. Ad singulos libros, et minutissimos quosque tractatus, censuram et judicium nostrum adhibuimus circa auctorem, enarratis, ex quibus accepimus, Bibliothecis.

Duo Archiepiscopi Hiberni plurimum illustrarunt potiora Doctoris opera. Primus, Mauritius a Portu Archiepiscopus Tuamensis, in Patavina universitate celebris per multos annos Professor. Secundus, Hugo Cavellus Archiepiscopus Armacanus, Hiberni Primas, prius Lovaniensis, mox Romanus Professor, Generalis sui Ordinis Definitor, vir notæ pietatis, et ingenui candoris, quem ego peramanter suspiciebam. Ille in omnes ferme Scoti elucubrationes, strictiores, vel largiores, uti ferebat occasio, notas edidit, sed quæstiones dumtaxat in opus Scoti Porphyrianum, et adnotationes in tractatum de primo Principio, in Theoremata, et in Metaphysicam nobis licuit habere. Hic libros de Anima Scholiis, varioque ornatu illustravit, et supplemento perfecit, utrumque opus Metaphysicæ, scriptum Oxoniense, et Parisiense, Quodlibeta, et Collationes similibus notis, et cura dilucidavit. Nihil horum prætermittendum duximus, ne tantos viros sua laude fraudare, aut lectori percipiendæ doctrinæ subsidia videamur invidere.

Commentarios Oxonienses in Magistrum Sententiarum, Doctoris opus potissimum, et ab asseclis magis receptum, amplissime, sed non integre interpretatus est Franciscus Lychetus Brixiensis, olim totius Ordinis generalis Minister, Thomæ Cajetano coævus : atque uti ille quatuor partibus Summæ Theologicæ D. Thomæ commentarios adhibuit, ita hic conatus est quatuor libros Scoti dilucidare. At commisso sibi Ordinis regimine impeditus, et immatura morte præventus, magnam partem libri tertii, et quartum integre intacta reliquit. Visum est quæ in hos libros, et Quodlibeta scripsit, simul emittere : neque enim alius quispiam accuratius perpetuos commentarios ad singula ferme verba Scoti edidit, neque fidelius ad litteræ sensum, ejus mentem percepit.

Ne vero reliquis partibus suæ commentationes deessent, injunctum est R. P. Fr. Joanni Poncio Corcagiensi, S. Theologiæ primario Professori, viro non minus erudito, quam religioso, ut quæstiones omnes, quas in tribus prioribus libris Lychetus non explicavit, et postremam tertii partem commentaretur. Id præstitit ingeniose quidem et prompte, breviori quam sperabatur, tempore, diffuse satis, et juxta recentiorum Theologorum methodum Doctoris stabiliens sententias, et adversariorum refellens objectiones.

Librum quartum doctissime, et gravissime interpretatus est R. P. Fr. Antonius Hiquæus Tuomoniensis, sacræ Theologiæ Lector emeritus, vir spectabilis, virtute et doctrina maxime commendabilis, aliisque editis operibus notissimus. Brevius et minori librorum mole id se præstiturum judicabat, sed immensum hoc Theologiæ moralis, et Sacramentorum pelagus ingresso, non adeo facile licuit cymbam reducere. Produxisse opus longius, quam oporteret, fortasse scioli aliqui, vel brevitatis studiosi, judicabunt : sed varia, diffusa, et controversa rerum materia, per quam latissime alii exspatiati sunt Doctori in plurimis adversantes, totam hanc scriptionem expostulabant. Syrtes in terra Africana esse dicuntur, in quibus homines obruuntur æstu reciprocantium arenarum; illæ hîc sunt, et scholasticum hunc pulverem qui semel ingressus, cum poterit, exibit, non cum volet.

Plura hîc circa singulos Tomos, peculiares tractatus, et novam Commentariorum, sive Reportatorum Parisiensium editionem, prælibanda essent, nisi opportunius ea dicenda forent in limine cujusque. Ut omnia correcta, et emaculato prodirent prælo, diligenter curarunt P. F. Ludovicus Cavalli Gallus Boloniensis, vir doctus, et humanioris litte-

JOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS, ORDINIS MINORUM

OPERA OMNIA.

raturæ eruditus Professor, et P. F. Joannes Tyrellus Hibernus Westmedensis, Theologus, ex hoc Collegio in id munus Lugdunum amandati, quibus vel hoc gratitudinis aliquale specimen, et diuturni, molestique laboris memoria debebatur.

Illud in vastissimo conatu nos male habuit, quod integrum non fuerit omnes viri doctissimi elucubrationes una hac editione producere. Quæ ad rem speculativam, seu dissertationes scholasticas spectant, hic damus universa. Positivæ, seu Scripturæ Sacræ commentarii adhuc desiderantur. Ad hanc classem reducunt aliqui tractatum de *Perfectione statuum*, ita inscriptum, quod totus in eo versetur examine: An status Prælatorum præferendus sit Regularium? Opusculum hoc ex Anglia amici ope summo gaudio recepi, sed dum lego, hæreo, et judicium suspendo an Scoto sit asserendus. Aliqua continet, quæ multorum conflent invidiam, prudentissimi viri doctrinæ, et modestiæ penitus adversa. Si aliquando, Deo propitiante, licuerit secundam hanc classem Scoti operum in lucem proferre, tunc integrum de hoc opusculo judicium adjungam. Quæ vero adhuc desunt hujus generis Scoti elucubrationes, in illa classe sub hunc ordinem redigentur.

Lectura in Genesim.

Commentarii in Evangelia.

Commentarii in Epistolas Pauli.

Sermones de Tempore.

Sermones de Sanctis.

Tractatus de perfectione statuum...

Distributis ita per duas classes universis operibus, postremus Tomus dabit totius operis Indices varios, et tabulas copiosas. Interim, mi lector, placuit in tui gratiam e tenebris isthæc eruere, et res mortuas sepultasque in lucem protrahere. Fruere, et nostris conatibus benignus adspira, dum plura tibi paramus nostra, alienaque monumenta. Quæ nunc exhibemus tertia abhinc dicet pagella. Vale. Romæ ex Collegio S. Isidori Ordinis Minorum Fratrum Hibernorum. Kalendis Septembris anno M.DC.XXXVIII.

Fr. Lucas Waddingus.

Facultas Reverendissimi Patris Generalis

Frater Joannes Baptista a Campanea totius Ordinis Minorum Minister Generalis et servus, P. Fr. Lucæ Waddingo Lectori emerito, Ordinis Patri, et S. Romanæ, universalisque Inquisitionis Censori, Salutem.

Est cur gratulemur Tuæ Paternitati quod omnia opera Scholastica nostri Magistri Doctoris Subtilis, Joannis Scoti, ingenti studio, et assiduo labore collegerit, et ad nostrum votum simul cum Professoribus, et viris nostri Collegii Romani S. Isidori, Notis, Scholiis, amplissimis Commentariis illustrata ad eum statum perduxerit, ut in omnium conspectum, et ad communem rei Philosophicæ, et Theologicæ utilitatem possint prodire. Ut autem nostrum desiderium sit plenum, et gaudium nostrum perfectum, hortamur, ut quamprimum typis omnia committat, et quæ Doctor omnibus scripsit, Tua Paternitas omnibus exhibeat. Ut ita faciat, per has nostras patentes litteras facultatem concedimus, et ad meriti cumulum salutaris obedientiæ virtute jubemus, servatis semper Sacrosancti Tridentini Concilii, Apostolicis, et nostris constitutionibus. Romæ ad Aram-cœli, III. Idus Februarii, anno 1638.

Fr. JOANNES BAPTISTA A CAMPANEA,
Minister Generalis.

APPROBATIONES

Nos infra signati Doctores Almæ Facultatis Parisiensis fidem facimus adamussim examinasse Commentaria et Scholia in opera Scoti, in quibus non nisi sufficientem fide et laude dignam doctrinam vidimus, in quorum testimonium subsignavimus. Lugduni die decima quinta Martii 1639.

Fr. STEPHANUS MOLIN, *Carmelita.*

Joannis Duns Scoti Doctoris Subtilis, Doctorum institutoris opera quis non probet ? imo ipsa tot annorum centuriis probata, quis approbet, ac examinare jam audeat? nam ad hujus viri doctrinam velut ad Lydium lapidem recentiorum Doctorum doctrina probanda est. Quidquid ergo dixit, ratum esto, ejusque dictorum ratio sit αὐτὸς ἔφα. Doctorum autem virorum Commentaria et Scholia in hac editione jussu Reverendissimi Patris Fratris Joannis Baptistæ a Campanea Ordinis nostri merito Primicerii apposita, et quæ a Scoto nostro του σκοτεινοῦ dicterium ablatura sint, prœlo dignissima, (utpote doctrinæ Scoti consona,) judicamus. Datum Lugduni die vicesima Martii 1639.

Fr. MICHAEL MICARD, *Doctor Parisiensis, et Guardianus Conventus S. Bonaventuræ.*

INDICULUS OPERUM QUÆ SINGULIS TOMIS

WADDINGI CONTINENTUR

TOMO PRIMO HABENTUR

Grammatica speculativa Scoti.
In universam Logicam quæstiones.
Mauritii a Portu expositio super quæstiones Scoti in Porphyrium.

TOMO SECUNDO

Commentaria in octo libros Physicorum cum adnotationibus Francisci a Pitigianis Aretini.
Quæstiones in libros de Anima imperfectæ cum Scholiis, et supplemento Hugonis Cavelli.

TOMO TERTIO

Tractatus de rerum principio, cum Scholiis et notis Lucæ Waddingi.
Tractatus de primo principio, cum Scholiis Cavelli, et adnotationibus Mauritio
Tractatus Theorematum cum eorumdem Scholiis, et adnotationibus.
Collationes triginta quinque, cum Scholiis Cavelli.
Collationes quatuor noviter additæ.
Tractatus de cognitione Dei.
Quæstiones Miscellaneæ.
Meteorologicorum libri quatuor.
} Cum Scholiis et notis Waddingi.

TOMO QUARTO

Expositio in Metaphysicam, cum Summariis, et notis Cavelli.
conclusiones Metaphysicæ cum notis ejusdem.
Quæstiones in Metaphysicam, cum adnotationibus Mauritii, Scholiis, et notis Cavelli.

TOMO QUINTO, PARTE PRIMA

Libri primi sententiarum distinctiones septem, cum commentariis Lychety, supplemento R. P. Fr. Joannis Poncii, Scholiis, et notis Cavelli.

PARTE SECUNDA

Reliquæ distinctiones ejusdem libri primi Sentententiarum, cum eisdem commentariis, Scholiis, et notis.

TOMO SEXTO, PARTE PRIMA

Libri secundi Sentiarum distinctiones sex, cum eisdem commentariis supplemento, Scholiis, et notis.

PARTE SECUNDA

Reliquæ distinctiones ejusdem libri secundi cum eisdem commentariis, etc.

TOMO SEPTIMO, PARTE PRIMA

Libri tertii Sententiarum distinctiones viginti quinque, cum eisdem commentariis, etc.

PARTE SECUNDA

Reliquæ distinctiones ejusdem libri cum eisdem etc. et integris commentariis R. P. Poncii a distinctione 34. usque ad finem.

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

TRACTATUS

DE MODIS SIGNIFICANDI, SIVE GRAMMATICA SPECULATIVA

PROŒMIUM AUCTORIS

1. ...di ratio. QUONIAM *quidem intelligere et scire contingit in omni scientia, ex cognitione principiorum*, ut scribitur primo Physicorum *text. comment.* 1, nos ergo, volentes habere scientiæ Grammaticæ notitiam, circa omnia ejus principia, cujusmodi sunt Modi significandi per se primo oportet insistere. Sed antequam eorum inquiratur notitia in speciali, præmittenda sunt quædam in generali, sine quibus plenarius ipsorum intellectus haberi non potest. Quorum

2. ...da sex præ...tur. Unum et primum est, quomodo Modus significandi partiatur, et describatur. Secundum est, a quo Modus significandi radicaliter oriatur. Tertium est, a quo Modus significandi immediate sumatur. Quartum est, quomodo Modus significandi, a modo intelligendi, et a modo essendi, distinguatur. Quintum est, in quo Modus significandi, tanquam in suo subjecto inveniatur. Sextum est, quem ordinem habeant ad invicem isti termini, *Signum, Dictio, Pars orationis, et Terminus*.

CAPUT I.

Quomodo Modus significandi dividatur, et describatur?

3. CIRCA primum est sciendum, quod Modus significandi duo importat æquivoce. Dicitur enim de modo significandi activo, et passivo. *Modus significandi activus*, est modus, sive proprietas vocis, ab intellectu sibi concessa, mediante qua, vox proprietatem rei significat. *Modus significandi passivus*, est modus, sive proprietas rei, prout est per vocem significata. Et quia significare, et consignificare est * quodammodo agere, et significari, et consignificari, est * quodammodo pati; inde est, quod modus, vel proprietas vocis, mediante qua, vox proprietatem rei active significat, modus significandi activus nominatur. Modus vero, vel proprietas rei, prout per vocem passive significatur, Modus significandi passivus nuncupatur.

4. Juxta quod notandum, quod cum intellectus vocem ad significandum, et consignificandum imponit, duplicem ei rationem tribuit; scilicet rationem significandi, quæ vocatur *significatio*, per quam efficitur signum, vel significans, et sic for-

maliter est Dictio ; et rationem consignificandi, quæ vocatur *Modus significandi activus*, per quam vox significans, fit consignum, vel consignificans ; et sic formaliter est pars orationis ; ita quod pars est pars secundum se, per hanc rationem consignificandi, seu modum significandi activum, tanquam per principium formale, sed est pars relata ad aliam per eamdem rationem consignificandi activam, tanquam per principium efficiens intrinsecum.

5. *Modi significandi activi, per se primo ad Grammaticam pertinent. Passivi non nisi per accidens.*

Ex hoc patet, quod rationes consignificandi active, seu modi significandi activi, per se, et primo, ad Grammaticam pertinent, tanquam principia considerata in Grammatica. Sed rationes consignificandi passivæ, seu modi significandi passivi, ad Grammaticam non pertinent, nisi per accidens, quia non sunt principium partis orationis, nec formale, nec efficiens, cum sint rerum proprietates, nisi quantum ad illud, quod est formale in eis, cum in hoc etiam forte a modis significandi activis non discrepent.

CAPUT II

A quo modus significandi radicaliter oriatur

6. *Omnis modus significandi activus est ab aliqua rei proprietate.*

Circa secundum notandum, quod cum hujusmodi rationes, sive modi significandi activi non sint figmenta, oportet omnem modum significandi activum, ab aliqua rei proprietate radicaliter oriri ; quod sic patet ; quia cum intellectus vocem ad significandum sub aliquo modo significandi activo imponit, ad ipsam rei proprietatem aspicit, a qua modum significandi activum originaliter trahit ; quia intellectus cum sit virtus passiva, de se indeterminata, ad actum determinatum non vadit, nisi aliunde determinetur : unde cum imponit vocem ad significandum sub determinato modo significandi activo, a determinata rei proprietate necessario movetur : ergo cuilibet modo significandi activo correspondet aliqua proprietas rei, seu modus essendi rei.

7. *Objectio.*

Sed si contra hoc objiciatur quia hæc vox significativa, scilicet *deitas*, habet femininum genus, quod est modus significandi*; tamen in re significata sibi proprietas non correspondet, quia est proprietas patientis, a qua sumitur femininum genus.

* passivus.

8. Item privationes, et figmenta sub nullis proprietatibus cadunt, cum non sint entia, et tamen voces significativæ privationum et figmentorum modos significandi activos habent, ut *cæcitas, Chimæra*, et similia.

9. *Solutio.* *Substantias separatas ex sensibilibus intelligimus. In Deo non proprietas passiva.*

Dicendum, quod non oportet, quod semper modus significandi activus dictionis trahatur a proprietate rei illius dictionis, cujus est modus significandi, sed potest accipi a proprietate rei alterius dictionis, et rei illius dictionis tribui, et sufficit quod ipsi non repugnet : et quia substantias separatas non intelligimus, nisi ex istis sensibilibus, ideo sub proprietatibus sensibilium eis nomina imponimus : et nominibus eorum modos significandi activos attribuimus. Unde licet in Deo, secundum veritatem, non sit proprietas passiva, tamen imaginamur ipsum tanquam patientem a nostris precibus.

10. *Privationes ex suis habitibus intelligimus.*

Similiter privationes intelligimus, ex suis habitibus, ideo sub proprietatibus habituum eis nomina imponimus, et nominibus eorum modos significandi activos attribuimus. Similiter in nominibus figmentorum, sumuntur modi significandi activi ex proprietatibus partium, ex quibus imaginamur *Chimæram* componi, quam imaginamur ex *capite Leonis, cauda Draconis*, et sic de aliis.

11. *Instantia.*

Et si instetur ; si modi significandi activi, in nominibus privationum, sumuntur a modis essendi habituum, tunc nomina privationum essendi habitus, et non privationis designabunt, et hoc posito nomina privationum per suos modos significandi activos erunt* consignificativa falsa.

* consigna[...]

12. *Solutio.*

Dicendum, quod non est verum ; imo nomina privationum, per suos modos significandi activos designant circa privationes modos intelligendi privationum

qui sunt eorum modi essendi. Juxta quod sciendum, quod licet privationes non sint entia positiva extra animam, sunt tamen entia positiva in anima,* ut patet 4. *Met. text.* 9. et sunt entia secundum animam, et quia eorum intelligi est eorum esse, ideo eorum modi intelligendi erunt eorum modi essendi : unde nomina privationum, per suos modos significandi activos, non erunt † consignificativa falsa, quia cum modi intelligendi privationum reducantur ad modos intelligendi habitus (nam privatio non cognoscitur nisi per habitum) ideo modi essendi privationum, tandem ad modos essendi habitus reducuntur.

a Doct. 1. q. 11. §. icitur, et §. ationes in tum.

† signa.

CAPUT III

A quo modus significandi immediate sumatur

13. *us signifi. et intelli- uplex.*

Circa tertium notandum, quod modi significandi activi immediate a modis intelligendi passivis sumuntur. Juxta quod sciendum est, quod sicut duplex est modus significandi ; scilicet activus et passivus : ita duplex est modus intelligendi : scilicet activus et passivus. *Modus universalis intelligendi activus* est ratio concipiendi, quo mediante, intellectus rei proprietates significat, concipit, vel apprehendit : *Modus autem intelligendi passivus* est proprietas rei, prout ab intellectu apprehensa.

his vide . q. 87. r. ad 4. ipale.

14. *us pro- tibus su- r modi si- ndi acti*

Dicatur ergo, quod modi significandi activi sumuntur immediate a modis intelligendi passivis ; quia modi significandi activi non sumuntur a modis essendi : nisi ut hi modi essendi ab intellectu apprehenduntur : modi autem essendi, prout ab intellectu apprehensi, dicuntur modi intelligendi passivi ; ergo modi significandi activi sumuntur a modis essendi, mediantibus modis intelligendi passivis, et ideo immediate modi significandi activi a modis intelligendi passivis sumuntur.

Doct. 1. . q. 2 partem m Me- xtuali 1. mar. 2. 40. et ream. q. 1 d. 23. 3. et d. 4. In 2. 2. in 4.

CAPUT IV

Quomodo modus significandi a modo intelligendi et a modo essendi distinguatur

Circa quartum notandum quod modi essendi, et modi intelligendi passivi, et modi significandi passivi, sunt idem materialiter, et realiter ; sed differunt formaliter : quia modus essendi est rei proprietas absolute ; modus intelligendi passivus, est ipsa proprietas rei, prout ab intellectu apprehensa. Modus significandi passivus est ejusdem rei proprietas prout per vocem * consignificatur, et sunt eadem materialiter, et realiter (quia quod dicit modus essendi absolute dicit modus intelligendi passivus prout refertur ad intellectum, et quod dicit modus intelligendi passivus, dicit modus significandi passivus, prout refertur ad vocem.) ergo sunt eadem materialiter, sed differunt formaliter, quod sic patet, quia qui dicit modum essendi, dicit proprietatem rei absolute sive sub ratione * existentiae ; sed qui dicit modum intelligendi passivum, dicit eamdem rei proprietatem, ut materiale, et rationem intelligendi, sive concipiendi, ut formale ; sed qui dicit modum significandi passivum dicit eamdem rei proprietatem, ut materiale, et rationem intelligendi, sive concipiendi, ut formale ; sed qui dicit modum significandi passivum, dicit eamdem rei proprietatem ut materiale ; et dicit rationem consignificandi, ut formale. Et cum alia sit ratio essendi, alia intelligendi, alia significandi, differunt secundum formales rationes.

* significatur.

In hoc MS Cod. Trans.

Nam modus essendi dicit absolute proprietatem rei, et modus intelligendi passivus dicit proprietatem rei sub modo intelligendi : et modus significandi passivus dicit proprietatem rei sub ratione consignificandi. Sed eadem est proprietas rei, ut absolute accipitur, et sub modo intelligendi, et sub modo consignificandi. 2

Item sciendum, quod modus essendi et modus intelligendi activus, et modus si- 3

gnificandi activus differunt formaliter, et materialiter : quia modus essendi dicit proprietatem rei absolute sive sub ratione existentiæ, ut dictum est supra : sed modus intelligendi activus dicit proprietatem intellectus, quæ est ratio intelligendi, sive concipiendi. Modus significandi activus dicit proprietatem vocis, quæ est ratio consignificandi, sed alia est proprietas rei ad extra animam, et alia intellectus, et alia vocis; ita alia est ratio essendi, alia intelligendi, alia consignificandi : ergo modus essendi, et modus intelligendi activus differunt in utroque.

4. Item sciendum, quod modus intelligendi activus, et modus intelligendi passivus differunt materialiter, et conveniunt formaliter. Nam modus intelligendi passivus dicit rei proprietatem sub ratione intelligendi passiva : sed modus intelligendi activus, dicit proprietatem intellectus, quæ est ratio intelligendi activa : sed eadem est ratio intelligendi, per quam intellectus proprietatem rei intelligit active, et per quam rei proprietas intelligitur passive; ergo proprietates sunt diversæ, et ratio est eadem ; ergo materialiter differunt, et sunt formaliter idem.

5. Item sciendum, quod modus significandi activus, et passivus differunt materialiter, et sunt idem formaliter, quia modus significandi passivus, dicit proprietatem rei sub ratione consignificandi passiva ; sed modus significandi activus dicit proprietatem vocis, quæ est ratio consignificandi activa, sed eadem est ratio, per quam vox est significans active ; et per quam proprietas rei significatur passive : ergo materialiter sunt differentes, sed sunt idem formaliter.

CAPUT V

In quo modus significandi, tanquam in subjecto inveniatur

6. *Modus significandi passivus in quo est.* Circa quintum est notandum, quod modus significandi passivus materialiter est in re, ut in subjecto : quia materialiter est proprietas rei ; Rei autem proprietas est in eo, cujus est, ut in subjecto ; formaliter autem est in eo subjecto, in quo est modus significandi activus, quia formaliter a modo significandi activo non discrepat. Modus autem significandi activus, cum sit proprietas vocis significativæ, materialiter est in voce significativa, ut in subjecto[a] : in proprietate autem rei, sicut causatum in causa efficienti radicali, et remota ; et in intellectu sicut causatum in sua causa efficienti proxima ; et in constructione, ut causa efficiens in suo effectu proprio. *Activus i[n quo] est.*

[a] Idem Doctor Elench. ... §. sed cont...

CAPUT VI

Qualem ordinem habeant ad invicem isti termini, scilicet, Signum, Dictio, Pars orationis, et Terminus

Est notandum, quod *signum*, *dictio*, *pars orationis et terminus* conveniunt, et differunt : conveniunt enim in subjecto, et in objecto; quia in eodem subjecto reperiri possunt, sicut signum, et signatum. Differunt tamen penes rationes ; quia dicitur *signum* per rationem signandi, vel repræsentandi aliquid absolute : sed dicitur *dictio* formaliter per rationem signandi, voci superadditam, quia *dictio* est vox significativa, sed *pars orationis* formaliter est per modum significandi activum, dictioni superadditum, quia *pars orationis* est dictio, ut habet modum significandi activum. *Terminus* vero dicit rationem terminandi resolutiones Syllogismi, quia dialecticus resolvit Syllogismum in Propositiones, et Propositiones in Subjectum, et Prædicatum ; quæ dicuntur *termini* secundum Logicum. 7.

Item sciendum est, quod *vox* inquantum *vox*, non consideratur a Grammatico ; sed inquantum *signum*, quia Grammatica est de signis rerum ; et quia *vox* est habilissimum signum inter alia signa, ideo *vox* inquantum *signum*[*] prius consideratur a Grammatico, quam alia signa rerum. Sed quia esse signum accidit voci : ideo Grammaticus considerans vocem, considerat eam per accidens. 8.

[*] al. poti...

CAPUT VII

De modis significandi activis in speciali

1\. His visis, dicendum est de modis significandi activis in speciali. Juxta quod notandum est, quod modus significandi activus, qui est principium in Grammatica, dividitur in modum significandi essentialem, et accidentalem. *Modus significandi essentialis* est, per quem pars orationis habet simpliciter esse, vel secundum genus, vel secundum speciem. *Modus significandi accidentalis* est, qui advenit parti post ejus esse completum, non dans esse simpliciter parti, nec secundum genus, nec secundum speciem. Modus significandi essentialis subdividitur in modum significandi essentialem generalissimum, subalternum, et specialissimum. *Modus significandi essentialis generalissimus* est, qui est de essentia partis orationis, et cujuslibet suppositi sub* se contenti. *Modus significandi essentialis specialissimus* est, qui est de essentia quorumdam suppositorum illius partis. *Modus significandi essentialis subalternus est*, qui est de essentia suppositorum illius partis, nec generalissime, nec specialissime, sed medio modo se habens; et possumus imaginari in istis modis significandi essentialibus coordinationem similem coordinationi prædicamentali. Nam sicut in linea prædicamentali est dare genus generalissimum, cujus prædicatio generalissime se extendit* ad omnia, quæ sunt illius coordinationis; et specialissimum, cujus prædicatio medio modo se habet : sic est in istis modis significandi essentialibus. Est enim dare quemdam modum generalissimum, cujus natura generalissime participatur ab omnibus suppositis illius partis; et modum specialissimum, cujus natura specialissime, et parcissime participatur a suppositis illius partis; et quemdam subalternum, cujus natura medio modo participatur.

*[Margin:] ...dus essentialis ...ccidentalis. — ...di essentialis ...divisio. — * eo. — * ad res il... coordinatio...*

2\. Item modus significandi accidentalis dividitur in modum significandi accidentalem absolutum, et respectivum. *Modus significandi accidentalis absolutus* dicitur ille, per quem unum constructibile non habet respectum ad alterum, sed solum ad rei proprietatem. *Modus significandi accidentalis respectivus est*, per quem unum constructibile habet respectum non solum ad rei proprietatem, sed etiam per quem unum constructibile habet respectum ad alterum, et hoc dupliciter, vel tanquam ad ipsum dependens, vel tanquam ad ejus dependentiam* terminans.

[Margin:] ...i significan... accidentalis ...solutus, et ...pectivus.

3\. De his ergo modis omnibus videamus, et primo prout sunt principium formale partis orationis absolutæ, secundum quem modum pertinent ad etymologiam : deinde prout sunt principium intrinsecum constructionis unius partis cum alia, secundum quem pertinent ad Diasyntheticam. Determinantes autem de his prout sunt forma partis, primo videamus de modo significandi Nominis. Secundo de modo significandi Pronominis, et sic de cæteris secundum ordinem Donati¹.

CAPUT VIII

De modo significandi essentiali generalissimo Nominis

1\. Modus significandi essentialis generalissimus Nominis, est modus significandi per modum entis, determinatæ apprehensionis. Juxta* quod notandum est, quod licet uterque istorum modorum significandi, sit forma Nominis absolute sumpti, tamen comparando Nomen ad alias partes orationis, modus entis habet rationem materiæ, quæ est facere convenire : facit enim Nomen convenire cum Pronomine. Sed modus determinatæ apprehensionis habet rationem formæ, quia facit Nomen ab aliis partibus orationis differre, et ideo comparando hos modos significandi ad invicem, ex utroque unus resultat modus per viam compositionis.

[Margin:] Modus significandi essentialis generalissimus Nominis.

2\. Et ut sciamus a qua rei proprietate iste modus significandi sumatur, notandum est, quod in rebus invenimus quasdam pro-

prietates communissimas, sive modos essendi communissimos, scilicet *modum entis*, et *modum esse*. *Modus entis* est modus habitus, et permanentis, rei inhærens, ex hoc quod habet essentiam*. *Modus esse*, est modus fluxus, et successionis, rei inhærens ex hoc quod habet fieri.

Modus entis.

* al. esse.

Modus esse.

Tunc dico, quod modus significandi activus per modum entis, qui est modus generalissimus Nominis, trahitur a modo essendi entis, qui est modus habitus, et permanentis. Sed modus significandi activus per modum esse, qui est modus essentialis generalissimus Verbi, trahitur a modo* essendi ipsius esse, qui est modus fluxus, et successionis, ut postea patebit.

* consequendi ipsius qui.

7. Ad hanc intentionem Commentator 4. *Phys. cap.* 14. dicit quod duo sunt modi principales entium, scilicet *modus entis*, et *modus esse*, a quibus sumpserunt Grammatici duas partes orationis principales, scilicet *Nomen*, et *Verbum*. Sub Nomine comprehenditur Pronomen, sub Verbo participium. Item modus determinatæ apprehensionis accipitur a proprietate formæ, et qualitatis, quæ est proprietas determinantis ; quoniam forma determinat, et distinguit.

8. Hos modos significandi expresserunt Grammatici antiqui in definitione Nominis, cum dixerunt *Nomen significare substantiam, cum qualitate,* dantes intelligere per *significare substantiam* modum substantiæ, qui est modus entis sumptus a proprietate rei, quæ est proprietas habitus, et permanentis, quæ primo,et principaliter in substantia reperitur. Per *qualitatem* vero, modum qualitatis,qui est modus* determinatæ apprehensionis, sumptus a proprietate formæ, et qualitatis, qui est modus determinationis. Nomen ergo *est pars orationis significans per modum entis, vel determinatæ apprehensionis*.

* al. modus et proprietas.

Nomen quid ?

9. Et si dicat aliquis ; multa sunt nomina, quæ privationes significant, ut *nihil, cæcitas*, et hujusmodi ; cum ergo omnes privationes, et negationes, non sint entia,videtur quod sub proprietate stare non possint, et ideo modus significandi activus per modum entis, in talibus a proprietate rei significatæ, oriri non potest.

Objectio.

Dicendum, ut dictum est prius*, quod licet privationes, et negationes non sint entia positiva extra animam posita ; sunt tamen entia positiva secundum animam,ut patet ex intentione Philosophi 4. *Meta. text.* 9. ubi dicit quod *opiniones contradictoriorum sunt contrariæ*, hoc est, duo contradictoria extra animam, sunt duo contraria secundum animam ; et quia privationes, et negationes, et figmenta sunt entia secundum animam : ideo cadunt sub proprietate entis, quæ est proprietas habitus, et permanentis ; a qua proprietate trahitur modus significandi generalissimus. 10.

* Supra c. 2.

lutio.

CAPUT IX

De modis significandi essentialibus subalternis generalibus Nominis

Sub modo essentiali generalissimi Nominis ad modum significandi subalternorum descendamus. Sunt autem duo modi significandi, qui immediate sub hoc modo continentur : scilicet modus communis, et modus appropriati : qui sunt modi speciales respectu generalissimi, et sunt generales respectu aliorum modorum, de quibus postea determinabitur. 1.

Modus significandi per modum communis, sumitur a proprietate rei, quæ est proprietas divisibilis in plura supposita, vel communicabilis pluribus suppositis, a qua proprietate secundum Logicum, sumitur intentio universalis : et hic modus constituit Nomen commune, et appellativum, et hunc modum vocat Donatus[a] *appellativam qualitatem.* Nomen ergo commune, vel appellativum significat per modum communicabilis pluribus suppositis, ut *urbs, flumen*, etc. 2.

Modus signific... di per mod... communis u... sumatur.

[a] Donat. c. Nomine.

Modus significandi per modum appropriati, sumitur a proprietate rei, quæ est proprietas indivisibilis per plura supposita a qua etiam sumitur apud Logicum inten- 3.

Modus signific... di per modum ... propriati unde ... matur.

l. individuum. tio * individuationis : et hic modus facit Nomen proprium, et hunc modum * Donatus vocat *propriam qualitatem*. Nomen ergo proprium significat rem, per modum indivisibilis per plura supposita, ut sub proprietatibus individuationis, † quæ sunt *hic* et *nunc*, ut *Roma*, *Tiberis*.

Don. citatus.

quæ sunt esse loco determi-o, vel in tem-e determina-ut *hic*, *nunc*, *Romæ*, et *Bo-iæ*.

CAPUT X.

De modis significandi subalternis minus generalibus Nominis communis

4 Deinde sub his modis descendamus ad alios modos significandi subalternos minus generales istis, et primo sub modo significandi per modum communis; secundo sub modo significandi per modum appropriati.

5. Circa primum notandum, quod modus significandi per modum communis, habet duos modos sub se, qui sunt minus generales eo, scilicet modum per se stantis, et modum adjacentis. Modus significandi per modum per se stantis sumitur a proprietate rei, quæ est proprietas essentiæ determinatæ. Sicut enim modus significandi generalissimus sumitur a proprietate essentiæ absolutæ : sic modus significandi per modum per se stantis sumitur a proprietate ipsius essentiæ determinatæ : et hic modus constituit Nomen substantivum. Nomen ergo substantivum significat per modum determinati secundum essentiam.

lus per se s unde suma-

6. Modus significandi per modum adjacentis sumitur a proprietate rei, quæ est proprietas alteri adhærentis secundum esse. Sicut enim modus generalissimus Verbi sumitur a proprietate ipsius esse absolute, ut postea patebit,* sic modus adjacentis in nomine sumitur a proprietate † ipsius esse, inhærentis alteri secundum esse : et hic modus constituit Nomen adjectivum. Nomen ergo adjectivum significat per modum inhærentis alteri secundum esse, ut *Albus*, *lapideus*, etc.

lus adjacen-nde sumatur.

e infra cap. sentiæ.

Et si instetur,* nomina differentiarum in genere substantiæ, sicut *corporeum*, et *animatum*, *sensibile*, *rationale*, adjectiva quidem sunt, congrue enim substantivis adjunguntur, dicendo *corpus animatum*, *animal rationale*, et tamen non significant per modum inhærentis alteri secundum esse; quia significant substantiam, quæ secundum esse alteri non inhæret.

de nomini-ntia.

Dicendum, quod hujusmodi nomina sunt substantiva, quia significant substantiam, et probatur ; nam idem significat *rationale* quod *homo* ; et *animatum* quod *animal*. Et cum dicitur quod congrue cum substantivis conjunguntur, dicendo *animal rationale*, *corpus animatum* ; dicendum quod † illa est constructio appositoria, et est incongrua de se, tamen per appositionem admissiva, hoc est, propter specificationem specificandam.

CAPUT XI.

De modis specialissimis, qui continentur sub modo per se stantis

Ulterius sub modo per se stantis, et alteri adjacentis ad modos specialissimos descendamus, et primo sub per se stantis, et deinde sub modo adjacentis. Modus significandi per modum per se stantis, continet sub se quinque modos Nominis specialissimos, quorum primus est modus significandi per modum generalis, sumptus a proprietate rei communicabilis pluribus suppositis specie differentibus ; sicut enim a proprietate rei quæ est communicabilis pluribus absolute sumitur modus significandi per modum communis absolute, sic ab eadem proprietate strictius sumpta, scilicet a proprietate communicabili pluribus specie differentibus, sumitur modus generalis. Ab hac autem proprietate apud Logicum sumitur secunda intentio generis, et sic iste modus constituit Nomen substantivum generale, ut *animal*, *color*, et sic de aliis generibus. Nomen ergo *substantivum generale est, quod significat per modum * communicabilis pluribus, non solum numero, sed specie differentibus.* 9.

Secundus modus per se stantis, est modus significandi per modum specificabilis, sumptus a proprietate rei, quæ est proprie-

tas communicabilis pluribus non absolute, sed solum numero differrentibus.

11. *Tertius.* Tertius modus per se stantis, est modus significandi per modum descendentis ab altero ; ut ab avo, vel a patre : et hic modus constituit nomen substantivum patronymicum, ut *Priamides.* Et quia nomen patronymicum a propriis nominibus patrum, vel avorum derivatur, ideo merito *Nomen patronymicum.* *patronymicum* nomen nuncupatur. Nomen ergo *patronymicum est, quod a propriis nominibus patrum, vel avorum derivatur, significans per modum descendentis ab altero, ut a patre, vel ab avo.*

12. *Quartus.* Quartus modus per se stantis, est modus significandi per modum diminuti ab alio, sumptus a proprietate diminutionis in re ; et hic modus constituit Nomen substantivum diminutivum, ut *flosculus, lapillus.* *Diminutivum.* Nomen ergo *substantivum diminutivum est,* * al. primitivi. *quod a voce * primitiva derivatur, significans per modum diminuti ab altero.*

13. *Quintus.* Quintus modus per se stantis, est modus significandi per modum collectionis plurium in uno loco, sumptus a proprietate collectionis in re : et hic modus constituit Nomen substantivum collectivum, ut *populus, gens, turba.* Nomen ergo *substantivum* *Collectivum.* *collectivum est, quod significat per modum collectionis plurium, secundum* * al. suppositorum. *unum locum;* *

CAPUT XII.

De modis specialissimis qui continentur sub modo adjacentis

1. *Viginti quatuor modi specialissimi adjacentis.* Deinde sub modo adjacentis alteri ad modos specialissimos descendamus : qui continet sub se vigenti quatuor modos ; quorum

Primus est modus significandi per modum adjacentis alteri, * seu denominantis * al. in subjecto. ipsum simpliciter, et absolute, speciali ratione non superaddita, et hic modus constituit nomen adjectivum denominativum, *Nomen adjectivum denominativum.* ut *albus, niger, croceus.* Nomen ergo *Adjectivum denominativum significat per modum adjacentis alteri, sive denominantis alterum simpliciter, et absolute.* Et iste modus est generalior omnibus modis sequentibus, qui dicuntur modi adjacentis alteri, sive denominantis alterum, superaddita ratione speciali, ut postea patebit.

Secundus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione communicabilis pluribus specie differentibus, et iste modus constituit nomen adjectivum generale significans sub ratione communicabilis pluribus specie differentibus, ut *coloratus.* Nomen ergo *A ljectivum generale est, quod significat per modum denominantis sub ratione communicabilis pluribus specie differentibus.* 2. *Adjectivum g... nerale.*

Tertius modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione communicabilis pluribus solo numero differentibus. Et hic modus constituit nomen adjectivum speciale, ut *humanus, albus, niger.* Nomen ergo *Adjectivum speciale significat per modum denominantis alterum, sub ratione communicabilis pluribus solo numero differentibus.* Nec prohibet aliquid, eadem nomina de diversis speciebus Nominis collocari, propter modos significandi differentes. Nam si considerentur in his nominibus scilicet *albus, humanus, coloratus,* et hujusmodi modi significandi denominantis alterum simpliciter, ratione speciali non superaddita, sic sunt sub nomine adjectivo denominativo. Si autem considerentur secundum quod eis competit modus denominantis alterum, sub ratione communicabilis pluribus, specie, vel numero differentibus, sic sunt sub nomine adjectivo generali, vel speciali. 3. *Adjectivum sp... ciale.*

Quartus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione possidentis ipsum, et hic modus constituit nomen adjectivum possessivum, ut *aureus, lapideus.* Nomen ergo *Adjectivum possessivum est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione possidentis ipsum.* 4. *Adjectivum p... sessivum.*

Quintus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione diminuti ab alio ; et hic 5. *Adjectivum di... nutum.*

modus constituit nomen adjectivum diminutivum, ut *novellus, parvulus*. Nomen ergo *Adjectivum diminutivum est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione diminuti ab alio.*

6. Adjectivum collectivum.

Sextus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione collectionis plurium suppositorum secundum locum : et hic modus constituit nomen adjectivum collectivum, ut *gentilis, urbanus, popularis*. Nomen ergo *Adjectivum collectivum est, quod significat per modum denominantis alterum sub ratione collectionis plurium suppositorum secundum locum.*

7. Adjectivum divisivum.

Septimus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione dividentis ipsum in partes ; et hic modus constituit nomen adjectivum divisivum, ut *omnis, totus*. Nomen ergo *Adjectivum divisivum est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione dividentis ipsum in partes.*

8. Adjectivum gentile.

Octavus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione gentis, vel patriæ : et hic modus constituit nomen adjectivum gentile, ut *Græcus, Italus, Barbarus*. Nomen ergo *Adjectivum gentile, est quod significat per modum denominantis alterum sub ratione gentis, vel patriæ.*

9. Adjectivum patrium.

Nonus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum sub ratione civitatis, vel oppidi : et hic modus constituit nomen adjectivum patrium, ut *Paduanus, Boniensis, Parisiensis*. Nomen ergo *Adjectivum patrium est, quod derivatur a propriis nominibus civitatum, vel oppidorum, significans per modum denominantis alterum sub ratione civitatis, vel oppidi.*

10. Interrogativum.

Decimus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione interrogationis de ipso : et hic modus constituit nomen adjectivum interrogativum, ut *quis, qualis, quantus*. Nomen ergo *Adjectivum interrogativum est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione interrogationis de ipso.*

Undecimus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione respondentis * ad interrogativum : et hic modus constituit nomen adjectivum responsivum, ut *tot, talis, tantus*. Nomen ergo *Adjectivum responsivum est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione * responsionis de ipso.* 11.

Duodecimus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum indeterminate, et infinitive : et hic modus constituit nomen adjectivum infinitum, ut *quicumque, qualiscumque*. Nomen ergo *Adjectivum infinitum est, quod significat per modum * denominantis alterum sub ratione infinitatis, et indeterminationis.* 12.

Decimus tertius modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione negantis ipsum : et hic modus constituit nomen adjectivum negativum, ut *nullus, nemo*. Nomen ergo *Adjectivum negativum est, quod significat per modum denominantis alterum sub ratione negantis ipsum.* 13.

Decimus quartus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione demonstrantis* ipsum : et hic modus constituit nomen adjectivum demonstrativum. Nomen ergo *Adjectivum demonstrativum est, quod significat per modum denominantis alterum sub ratione demonstrantis ipsum.* 14.

Decimus quintus modus adjacentis, est modus significandi per modum * denominantis alterum, stans sub prima notitia referendo, et reiterando ipsum sub secunda notitia : et hic modus constituit nomen relativum, ut *qui, qualis, quantus*. Nomen ergo *Adjectivum relativum est, quod significat per modum denominantis alterum, stans sub prima notitia, referendo, et reiterando ipsum sub secunda notitia.* 15.

Decimus sextus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum simpliciter, sine excessu in termino : et hic modus constituit nomen adjectivum positivum, ut *albus, niger*. Nomen ergo 16.

Adjectivum positivum est, quod significat per modum adjacentis alteri, vel denominantis alterum simpliciter, sine excessu in termino.

17. *Comparativum.* Decimus septimus modus adjacentis, est modus significandi per modum * denominantis alterum, sub ratione comparantis ipsum, secundum excessum citra terminum et iste modus constituit nomen adjectivum comparativum, ut *albior, nigrior.* Nomen ergo *Adjectivum comparativum est, quod significat per modum adjacentis alteri, vel denominantis alterum, sub ratione comparantis cum excessu citra terminum.*

* al. adjacentis alteri, seu.

18. *Superlativum.* Decimus octavus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione comparantis ipsum, secundum excessum in termino : et hic modus constituit Nomen adjectivum superlativum ; ut *albissimus.* Nomen ergo *Adjectivum superlativum est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione comparantis ipsum, secundum excessum in termino.*

19. *Ad aliquid.* Decimus nonus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione referentis ipsum ad terminum : et hic modus constituit Nomen adjectivum *ad aliquid* secundum Logicum nuncupatum, *ut pater, filius, æqualis, similis,* et similia, quæ relationem important in concreto. Nomen ergo *Adjectivum ad aliquid dictum, est quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione referentis ipsum ad terminum.*

20. *Verbale.* Vigesimus modus adjacentis est modus significandi per modum denominanantis alterum, sub ratione actus in habitum transmutati : et hic modus constituit Nomen adjectivum verbale, ut *amabilis, amabundus.* Nomen ergo *Adjectivum verbale est, quod descendit a voce Verbi, significans per modum denominantis alterum, sub ratione actus transmutati in habitum.* Et notandum, quod Nomen adjectivum participiale, ut *amans,* et hujusmodi sub voce participii, eumdum modum significandi activum habet : * et ideo specifice a nomine verbali discrepare non potest, et ideo sub divisione generali collocatur.

* al. unde sub nomine verbali collocatur.

Vigesimus primus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione temporis : et hic modus constituit Nomen adjectivum temporale ; ut *diurnus, nocturnus, annuus.* Nomen ergo *Adjectivum temporale est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione temporis.* Et quia quædam hujusmodi nomina ab Adverbiis secundum vocem derivantur, ut *hodiernus, crastinus,* ideo *adverbialia* nuncupantur. 21. *Temporale.*

Vigesimus secundus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione loci, et hic modus constituit Nomen adjectivum locale, *ut vicinus, propinquus, proximus.* Nomen ergo *Adjectivum locale est, quod significat per modum denominantis alterum sub ratione loci.* 22. *Locale.*

Vigesimus tertius modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum sub ratione numeri : et hic modus constituit Nomen adjectivum numerale, *ut unus, duo, binarius, te narius,* et similia. Nomen ergo *Adjectivum numerale est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione numeri.* 23. *Numerale*

Vigesimus quartus modus adjacentis, est modus significandi per modum denominantis alterum, sub ratione ordinis : et hic modus contituit Nomen adjectivum ordinale, *ut primus, secundus, tertius.* Nomen ergo *adjectivum ordinale est, quod significat per modum denominantis alterum, sub ratione ordinis.* Et sic patent modi significandi communis per se stantis, et adjacentis, ab his diversi : * qui tamen sunt magis usitati, sunt hi primitus recitati. 24. *Ordinis.*

* al. non tamen magis usitati sunt quam hi qui dicti sunt.

CAPUT XIII

De modis specialissimis, qui continentur sub modo appropriati

Consequenter sub modo appropriati, qui ex opposito dividebatur contra modum si- 1. *Divisio Appropriati in quatuor modos.*

significandi communis, ad modos specialissimos, quorum

rimus modus. al. est propriæ propriis modus significandi.

Primus * est modus propriæ denominationis, sumptus a proprietate individuationis absolute : et hic modus constituit Nomen † proprium individui, et absolute impositum, ut *Socrates*, *Plato*. Nomen ergo *proprie proprium est, quod significat rem sub proprietatibus individuationis absolute.*

al. proprie proprium respectu individui absolute impositi

2. cundus modus. al. denominan-

Secundus modus appropriati, est modus significandi per modum * prænominationis, sumptus a proprietate differentiæ, quæ est facere differre : et hic modus constituit Nomen proprium prænomen, ut *Marcus Tullius*. Nomen ergo *proprium prænomen est, quod impositum est rei individuæ, sub ratione differentiæ.*

ænomen.

3. rtius modus.

Tertius modus appropriati, est modus significandi per modum cognominis, vel cognationis, sumptus a proprietate * parentali, quæ est unum nomen pluribus commune; et hic modus constituit Nomen proprium cognomen, ut omnes de parentela Romuli † dicuntur *Romuli* : et dicitur cognomen, quia pluribus cognatis est nomen commune. Nomen ergo *proprium cognomen est, quod impositum est rei individuæ * sub proprietate parentali.*

al. parentelæ.

Romani vocantur, quia vibantur convere nomine Roli.

l ratione parentelæ.

4. artus modus. nomen.

Quartus modus appropriati, est modus significandi per modum agnominis, sumptus a proprietate eventus : et hic modus constituit Nomen proprium agnomen, ut Scipio *Africanus* nominatus est, quia ex eventu devicit Africam. Nomen ergo, *proprium agnomen est, quod impositum est rei individuæ, sub proprietate eventus.* Patet ergo, qui, et quot sunt modi significandi Nominis essentiales, generalissimi, specialissimi, et subalterni, et quæ, et quot sunt species Nominis per eosdem modos constitutæ.

5. isio Nominis genere, et spe-

Et notandum, quod sicut modus generalissimus Nominis, qui est modus entis, dividitur in modos speciales, descendendo ad modos specialissimos, sic nomen simpliciter sumptum in sua prima divisione, dividitur in nomen *commune*, et nomen *proprium*. Nomen vero *commune*, vel *appellativum* dividitur in *adjectivum*, *et substantivum*. Nomen substantivum dividitur in nomen *substantivum generale*, et in nomen *speciale*, *patronymicum*, *collectivum*, *et diminutivum*. Nomen adjectivum dividitur in nomen adjectivum *denominativum generale*, *speciale*, *collectivum*, *possessivum*, *diminutivum*, *divisivum*, *gentile*, *patrium*, *interrogativum*, *responsivum*, *infinitum*, *negativum*, *demonstrativum*, *relativum*, *positivum*, *comparativum*, *et superlativum*, *ad aliquid* dictum, *temporale*, *verbale*, *locale*, *numerale*, *ordinale*. Item proprium dividitur in nomen *proprie proprium*, *prænomen*, *cognomen*, *et agnomen*.

Et est sciendum, quod præter nomina, de quorum modis significandi determinatum est, sunt et alia plura nomina usitata, quæ differentiam specialem non habent secundum modos significandi, discrepantes, magis secundum diversitatem vocis, quam significati. Ideo sub specialibus modis significandi non cadunt : sed comprehenduntur sub modis significandi supradictis, sicut *Univocum*, *Analogum*, *æquivocum*, *synonymum*, *absolutum*, *fictum*, et his similia, quorum quædam sunt sub nominibus substantivis, quædam vero sub nominibus adjectivis comprehenduntur. 6.

CAPUT XIV

De modis accidentalibus Nominis in communi

Determinato de modis significandi Nominis, consequenter de modis significandi accidentalibus ejus videamus. Juxta quod est notandum, quod *qualitas*, quam assignat * Donatus pro accidente Nominis, dividens eam in *qualitatem propriam*, *et appellativam*, nominat duos modos essentiales Nominis subalternos, scilicet modum communis, et appropriati, ut patet ex prædictis, quæ dicuntur accidere Nomini, quia sunt præter intellectum essentialem Nominis simpliciter, et absolute sumpti. 7.

2\. * Comparativus quem. b Don partit. 2. de Nomine. † modos speciales specialissimos per modum significandi qui facit nomen positivum, etc.

Item * comparatio; quam b Donatus divisit in tres gradus, nominat tres † modos significandi constituentes *positivum, comparativum, et superlativum* de quibus dictum est : et quia sub his tribus modis significandi fit comparatio rerum, ideo *gradus comparativus* nominatur, et dicitur comparationem accidere Nomini, quia hi tres modi sunt extra intellectum Nominis, absolute sumpti. Et sic universaliter omnis modus significandi partis, qui non est modus essentialis generalissimus, potest dici accidens Nominis absolute. Et licet sit modus accidentalis partis simpliciter sumptæ, poterit tamen esse essentialis secundum aliquam ejus speciem. Dicamus ergo de modis pure accidentalibus Nominis, et sunt sex secundum Grammaticos; scilicet *Species, Genus, Numerus, Figura, Persona, et Casus*, de his ergo dicamus, et primo de specie.

Accidentia nominis sex.

CAPUT XV

De specie accidentali nominis

3\. *Species non a voce sumitur.*

Juxta dicta notandum est, quod *Species* secundum quod est modus significandi accidentalis Nominis, non attenditur ex parte vocis, ut quidam dicunt, ita quod illud nomen sit primitivæ speciei, cujus vox est primo ad significandum imposita; et illud derivativæ speciei, cujus vox est secundario imposita, a voce primitiva descendens, ut *albus* descendit ab *albedine*, quia jam modus significandi activus a voce traheretur, et non a proprietate rei : quod est contra posita.

4\. * essendi. *Sumitur a modo existendi.*

Dicendum est ergo quod *Species* sumitur a proprietate rei, quæ est modus * existendi primarie, vel secundarie. Et voco modum significandi primarie, modum existendi absolute; et modum significandi secundarie, modum existendi comparate.

5\. *Definitur. Divisio ejus. Primitiva.*

Species ergo est modus significandi accidentalis Nominis, mediante quo modum significandi primarium, vel secundarium significat, et dividitur in speciem *primitivam, et derivativam*. Species *primitiva est modus significandi rem sub esse primario, vel ut est essentia prima.* Species *derivativa est modus significandi rem sub esse secundario, vel ut essentia secundaria*, unde *mons* primitivæ speciei est, quia significat rem sub essentia primaria, quæ est essentia absoluta; sed *Montanus* derivativæ speciei est, quia significat rem sub esse secundario, sive sub essentia secundaria, quæ est essentia comparata. Nam *Montanus* non significat *montem* absolute, sed in comparatione ad habitatorem montis, et sic in aliis, quæ sunt primitivæ, aut derivativæ speciei.

Derivativa

CAPUT XVI

De genere accidentali Nominis

Dicto de Specie, dicendum est de Genere, juxta quod notandum est, quod in rebus inveniuntur duæ proprietates generales, scilicet proprietas agentis, et proprietas patientis, quæ licet in omnibus rebus ex materia, et forma compositis inveniantur : tamen in rebus* separatis magis prompte, et distincte videntur inesse : quorum unum est determinate generans, et alterum determinate patiens; aliis autem rebus insunt sub quadam indifferentia, et indistincte, sive indeterminate, et hoc antiqui attendentes definierunt Genus, dicentes : *Genus est discretio sexus, hoc est, Genus est modus significandi nominis, sumptus a proprietate activa, vel passiva, quæ in rebus* separatis magis prompte, et determinate invenitur*. Ab hujusmodi enim proprietatibus trahitur Genus in nominibus, ut dictum est. Unde Genus simpliciter est modus significandi activus, quo mediante, nomen proprietatem agentis, vel patientis, vel utrumque significat. Et secundum diversitatem harum proprietatum diversificatur genus in Nomine, *per Masculinum, Femininum, Neutrum, Commune*, etc. 1. *Genus.*

* sensatis. *Definitur.* * sensatis.

Genus *masculinum* est modus significandi rem sub proprietate agentis, ut *vir, lapis*. Genus *Femininum* est modus significandi rem sub proprietate patientis, ut 2. *Masculinum, Femininum.*

petra, mulier. Genus *Commune* est, modus significandi rem* sub utraque proprietate determinate, ut *homo, virgo*. Aliter dicitur, et melius, quod Genus *Commune* est, quod nec differt a Masculino, nec Feminino. *Genus neutrum est, modus significandi rem sub proprietate neutra, quæ est indeterminata, et indifferenter ad utrumque, ut lignum, animal.*

* sub proprietate utriusque sive indifferentia.

Commune.

Neutrum.

3. Quidam tamen dicunt, quod neutrum genus sit modus significandi rem sub privatione utriusque proprietatis; quo posito, vel genus neutrum non erit modus significandi, sed figmentum; vel a privatione accipietur, quæ nullius est causa : quæ ambo sunt inconvenientia ; nisi tunc intelligatur, quædam nomina esse sub privatione utriusque proprietatis imposita, et sic ipsa esset* neutrius generis, et hoc est bene possibile : sicut aliqua sunt verba, quæ possunt imponi, ad significandum privationem generis, personæ, vel alterius accidentis, quam generis, quod tamen imponitur aliquod nomen sub proprietate *omnis generis*. Et sic posset esse omnis generis, hoc tantum convenit adjectivis, quæ genus non habent ex proprietate suæ rei subjectæ, sed ex proprietate rei substantivi nominis. Unde dicitur adjectivum esse omnis generis, quia potest attribui substantivo masculini generis, feminini, vel neutrius, ut *felix*.

* nullius.

Adjectiva omnis generis.

4. Item illud nomen dicitur *Epicœni* generis, quod habet masculinum, et femininum genus sub uno articulo designatum, ut *hic passer*, et *hæc aquila*.

Epicœnum.

5. Item illud nomen dicitur *Dubii* generis, quod * nulla causa cogente Poëtæ sub utroque genere protulerunt, quandoque sub masculino quandoque sub feminino, ut *hic*, *vel hæc dies*, *hic*, *vel hæc cortex*.

* Aliqua.

Dubium genus.

CAPUT XVII

De numero accidentali Nominis

6. Habito de Genere, consequenter dicendum est de Numero ; juxta quod notandum, quod *numerus* in rebus extra animam, secundum Boetium*, *est multitudo ex unitatibus aggregata, et profusa*. Sed duplex est unitas, quædam est indivisa rei entitas, a qua ens dicitur unum, id est, indivisum, ab ista unitate multoties iterata profunditur multitudo, quæ est unum de transcendentibus, ut *ens*, et *unum* : et quia cum ente convertitur hujusmodi multitudo, vocatur *numerus essentiarum*, et secundum istum numerum essentiarum, species rerum numerantur.

Numerus.

cap. 3.

Alia est unitas, quæ est rei indivisa continuitas, a qua continuum dicitur unum, id est, indivisum : et ab ista unitate multoties reiterata, profunditur multitudo, quæ *numerus* materialis* vocatur, id est † individuorum secundum differentiam materialem differentium. Iste etiam numerus dicitur accidentalis, quia per hunc numerum numerantur individua, quæ per accidens tantum differunt.

Est sciendum, quod in utroque numero duæ proprietates inveniuntur, scilicet proprietas indivisibilitatis, quæ est in re ratione unitatis ; et proprietas divisibilitatis, quæ est in re ratione multitudinis quæ ab unitatis replicatione profunditur : et ex his proprietatibus jam dictis sumitur numerus in nomine, qui est modus accidentalis significandi nominis. Numerus ergo est *modus significandi accidentalis nominis mediante quo, nomen proprietatem indivisibilitatis, quæ est proprietas unius, vel proprietatem divisibilitatis quæ est proprietas multitudinis significat*, et dividitur in singularem, et pluralem. Numerus *singularis est modus significandi rem sub proprietate indivisi, quæ est proprietas unius, ut animal, homo*. Numerus *pluralis est modus significandi rem sub proprietate divisi, quæ est proprietas multitudinis, ut homines, animalia, etc.*

CAPUT XVIII

De figura accidentali, seu grammaticali Nominis

9. *Figura. Sumitur a proprietate rei, non vocis.*

Dicto de Numero, dicendum est de Figura, juxta quod notandum est, quod Figura, prout est modus significandi Nominis, non accipitur a proprietate vocis, ut quidam dicunt, ita quod illud nomen sit simplicis figuræ, cujus vox est simplex, ut *doctus*; et illud compositæ figuræ, cujus vox est composita, ut *indoctus*; illud vero decompositæ, cujus vox est decomposita, ut *inexpugnabilis*, quia hoc posito, modi significandi traherentur a voce, et non a rei proprietate, quod est contra dicta.

10. *Tres rerum proprietates.*

Sed dicendum est, quod figura sumitur a proprietate rei, juxta quod notandum, quod in rebus inveniuntur tres proprietates communes, scilicet proprietas *simplicis*, proprietas *compositi*, et proprietas *decompositi*. Et voco proprietatem *decompositi* proprietatem collectionis ex pluribus, quam duobus. Ab his tribus proprietatibus rerum sumitur figura, quæ est modus significandi nominis. Ab his etiam proprietatibus imponit Logicus tres voces, ad significandum scilicet *Terminum*, *Propositionem et Syllogismum* licet aliter sumatur *simplicitas*, *compositio*, *et decompositio* in nomine figuræ simplicis compositæ et decompositæ, quam in Termino, Propositione, et Syllogismo. In Propositione enim, et Syllogismo sumitur compositio secundum distantiam circa diversa significata diversarum vocum cadens. Sed in nomine compositæ, et decompositæ figuræ, sumitur compositio secundum distantiam vocum circa idem significatum ejusdem dictionis cadens. Similiter in termino sumitur simplicitas * prout opponitur compositioni, secundum distantiam circa diversa significata diversarum dictionum cadens; sed in definitione simplicis figuræ sumitur simplicitas, prout opponitur compositioni, quæ est secundum distantiam circa idem significatum ejusdem dictionis cadens. Figura ergo *est modus significandi accidentalis Nominis, mediante quo, nomen proprietatem* * *simplicis compositi, vel decompositi significat*. Et secundum hanc triplicem proprietatem rei, variatur figura per triplicem differentiam, quæ est figura *simplex*, *composita, et decomposita*. Figura *simplex est modus significandi rem, sub proprietate simplicis*, ut *dives*, *pauper*. Figura *composita est modus significandi compositi*, ut *prædives*, *præclarus*. *Decomposita est modus significandi sub proprietate decompositi, id est, sub proprietate collectionis, ut inexpugnabilis*.

Compositio Logica, a Grammaticali diversa.

tem simplicitas.

* *prout compo- it composi- um.*

Definitur.

* *simplicem compositionis. vel decompositionis.*

Dividitur in tres species.

Simplex.

Composita.

Decomposita.

11. *Earum differentia et causa*

Et hoc est, quod solet dici, quod illa dictio est *simplicis figuræ*, quæ est imposita a simplici conceptu ad significandum : et illa est *compositæ figuræ* quæ est imposita ad significandum a conceptu composito. Illa autem est *figuræ decompositæ*, quæ est imposita a pluribus conceptibus ad significandum, quam ex duobus aggregatis. Licet hoc verum sit, tamen quia hujusmodi conceptus non sunt ficti, oportet correspondere ipsis proprietates in re : et hæ proprietates sunt hæ, quæ dictæ sunt, quas nomen conceptibus memoratis mediantibus, significat.

CAPUT XIX

De casu grammaticali Nominis

1. *Casus.*

Consequenter de casu dicamus, juxta quod notandum, quod in rebus inveniuntur quædam proprietates communes, scilicet *proprietates principii* et *proprietas termini*. Item inveniuntur quædam proprietates generales in rebus, scilicet, proprietas, ut *quid est aliquid in se*, *quod est alterum*; et proprietas *cujus est aliud*; et proprietas, ut *cui est, et cui aliquid datur*; et sic de consimilibus, quæ repræsentantur per inflexionem hujus nominis *quod*, *cujus*, *et cui*, etc. et a primis proprietatibus oritur *casus*, qui est modus significandi Nominis. Sed a secundis proprietatibus su-

Proprietates rei ex quibus desumitur.

peradditis primis oriuntur differentiæ Casus, vel Casuum.

2. efinitur. *Casus igitur est modus significandi accidentalis Nominis, mediante quo, nomen proprietatem principii, vel termini consignificat*, et secundum harum proprietatum diversitatem, cum aliis proprietatibus superadditis, Casus in sex species partitur, (Dividitur in sex species.) scilicet in *Nominativum*, *Genitivum*, *Dativum*, *Accusativum*, *Vocativum*, et *Ablativum*.

3. ominativus. *Nominativus casus, est modus significandi in ratione principii, illa proprietate rei*, ut quod est alterum, *superaddita*, ut dicendo *Socrates currit*, vel *amat*. Iste nominativus *Socrates* significat in ratione principii, respectu hujus actus *amare* sub proprietate, *ut quod est alterum*, id est, sub proprietate *ut quod est aliquid in se, alterum actum verbi sibi adhærentis principians active*. Similiter dicendo, *Socrates amatur*, *Socrates* significat sub proprietate *ut quod est aliquid in se alterum principians passive :* utrobique enim stat sub proprietate principii, respectu verbi dependentis, proprietate, *ut quod est alterum*, superaddita.

4. Ex hoc patet error dicentium, Nominativum esse modum de quo est alterum enuntiabile, vel modum, in quo est alterum, ut in subjecto, licet enim * res Nominativi respectu Verbi, possit substare proprietati, *ut de quo*, vel proprietati, *ut in quo* et sic de aliis : tamen vox nominativi non significat res sub proprietate, *ut de quo*, vel *in quo*; quia tunc Nominativus non esset casus ab aliquo distinctus. Item si constructio Nominativi cum Verbo fieret mediante præpositione, *de quo*, vel *in quo*, tunc præpositio deserviret Nominativo, quod est falsum.

(ox. — *gnificat ut od, non ut quo, vel in o.*)

5. *Nominativus ergo est modus significandi, ut quod est alterum* ; et hoc probatur ratione, et auctoritate. Ratione sic : Ille modus est modus significandi Nominativi, per quem Nominativus ab omnibus aliis distinguitur, sed per modum *ut quod est alterum*, est distinctus ab aliis : ergo Nominativus est modus significandi, *ut quod est alterum*. Probatur etiam auctoritate * Petri Heliæ, qui vult quod species, sive modi casuum, sumantur penes inflexionem hujus nominis *quod*, *cujus*, *cui*, etc. Si ergo Genitivus, est modus significandi, *ut cujus est alterum*, Dativus est modus significandi, *ut cui est alterum*, vel *cui acquiritur*, vel *datur alterum*, Nominativus erit modus significandi *ut quod est alterum*. Et dicitur iste modus significandi *Nominativus*, quia sub isto modo, nomina rebus imponimus : et huic modo proportionatur in verbo, modus, *ut ipsum est alterum*, scilicet principiatum, et causatum a re Nominativi active, vel passive.

(* A R. Helias tract. de nominum.)

Genitivus est modus significandi rem in ratione principii, vel termini indifferenter, proprietate, ut cujus est alterum, *superaddita :* ut dicendo, *Socratis interest :* iste Genitivus *Socratis* significat rem in ratione principii, respectu * hujus verbi *interest*, proprietate, *ut cujus est alterum*, superaddita. Similiter dicendo, *misereor Socratis*; vel *filius Socratis est*, iste Genitivus *Socratis* significat rem in ratione termini, respectu hujus verbi *misereor*, vel hujus nominis *filius*, proprietate, *ut cujus est alterum*, superaddita. Dicitur *Genitivus*, quasi primo a voce Nominativi *genitus*, et huic modo proportionatur, in verbo, modus *ut ipsum est alterius*. 6. Genitivus. * actus.

Dativus casus est modus significandi rem in ratione principii, vel termini indifferenter, proprietate ut cui alterum acquiritur, *superaddita* ; ut dicendo, *Socrati accidit :* in hac constructione, iste Dativus Socrati significat per modum principii, superaddito sibi modo, *ut cui alterum acquiritur*. Similiter dicendo, *faveo Socrati*, vel *similis Socrati* in hac constructione, iste Dativus *Socrati* significat rem in ratione termini, proprietate, *ut cui alterum acquiritur, vel datur*, superaddita : et dicitur iste modus significandi *Dativus*, quia est modus significandi, *ut cui alterum acquiritur, vel datur* : et huic modo proportionatur in Dativus.

verbo, modus *ut ipsum est, quod alteri datur.*

8. *Accusativus.*

Accusativus casus, secundum dictam inflexionem, *est modus significandi rem in ratione termini, proprietate* ut quem, *superaddita* : ut dicendo, *amo Deum* : iste Accusativus *Deum* significat sub proprietate terminandi actum, et dependentiam hujus verbi *amo*, proprietate, *ut quem*, superaddita. Et dicitur *Accusativus* quasi terminus actus. Et huic modo proportionatur in verbo modus * dependentis, sub modo *ad alterum*. Aliquando tamen Accusativus casus est modus significandi rem, sub ratione principii simpliciter, id est, proprietate speciali non superaddita, scilicet quando actus construitur intrinsece cum Infinitivo, vel cum verbo impersonali, ut dicendo *me legere, me oportet* : hîc significat Accusativus rem, sub ratione principii a nulla proprietate speciali contracta, nec contrahibili, cui proportionatur modus verbi simpliciter *. Et hic modus non videtur sibi accidere, nisi tunc ponatur quod actus sit modus significandi æquivôcus, ad significandum sub ratione termini, *ut quem*; et ad modum sub ratione principii simpliciter.

* dependentiæ.

* id est, non speciali casui conformi conformatus nec conformabilis.

9. Et est sciendum, quod ratio termini, *ut quem*, aliquando sumitur simpliciter, id est,non contracte : ut dicendo,*lego librum* . aliquando contracte, ut quando contrahitur per Præpositionem Accusativo deservientem, ut dicendo, *Vado ad plateam, curro ad campum*, et sic modus sibi correspondens simpliciter est contrahendus *.

* Cod. MS. et tunc proportionaliter est modus significandi correspondens Præpositioni extrahendus, vel contrahendus.

10. *Vocativus.*

Vocativus casus est modus significandi rem sub ratione termini † *dependentis actus exerciti, vel exercitati, nulla differentia dictarum proprietatum superaddita* : ut dicendo, *o Henrice* : iste Vocativus * habet in se rem in ratione termini, tantum in ratione dependentis illius actus exerciti, vel exercitati. Unde notandum est, quod duplex est actus, scilicet *signatus*, et *exercitus*. Actus *signatus* est, qui per verbum, vel participium importatur, ut *lego, legens*. Actus *exercitus* est, qui per prolationem hujus Adverbii ô, exercitatur, quasi in ejus modum significandi cadens, et hujus proprius terminus est vocativus; ideo iste modus significandi *Vocativus* nominatur, quia est proprius terminus vocationis, seu actus vocandi. Et huic modo significandi Vocativi, vel exercitati proportionatur in Adverbio ô, modus significandi per modum * vocantis, vel exercitantis.

† respectu dependentiæ.

* se habet in ratione termini tantum respectu dependentiæ.

Actus exercitus, et signatus.

* vocationis v exercitationi

11. *Ablativus.*

Ablativus casus est modus significandi rem, in ratione principii, vel termini, indifferenter, proprietate ut quo, *superaddita* ; ut dicendo *utor pane*, iste ablativus significat in ratione termini proprietate, *ut quo*, superaddita ; et huic modo proportionatur modus * dependentis sub modo, *ut altero*. Similiter dicendo *a Socrate legitur*, iste ablativus significat in ratione principii, proprietate, *ut quo* superaddita. Et dicitur iste modus *Ablativus*, quia est modus significandi, ut a quo aliquid auferimus.

* dependenti sub modo *quo.*

12. Et est sciendum quod ratio termini, vel principii *ut quo*, aliquando sumitur non contracte, ut dicendo, *utor pane* ; aliquando contracte Præpositionibus adjectis, ut dicendo, *a Socrate legitur in Ecclesia*, vel *in domo*,et sic de aliis, et sic modus significandi sibi correspondens, et proportionabilis, est contrahendus.

13. Ex istis patet sufficientia istorum sex casuum, per hunc modum ; Omnis casus aut est modus significandi principii tantum, vel termini tantum, vel utriusque indifferenter. Si casus sit modus significandi in ratione principii tantum, modo, ut quod est alterum, superaddito, sic est Nominativus casus. Si tantum in ratione termini, nulla speciali proprietate superaddita, sic est Vocativus casus. Si autem sit modus significandi rem sub ratione utriusque indifferenter, vel hoc est modo superaddito *ut cujus* ; et sic est Genitivus casus ; vel modo *ut cui*, et sic est Dativus casus ; vel modo *ut quem*, et sic est Accusativus casus ; vel modo *a quo*, et sic est Ablativus casus. Et est sciendum quod sicut species, et differentiæ casuum atten-

Sufficienti divisionis col ligitur.

duntur penes inflexionem hujus nominis *quod*, *cujus*, *cui*, etc. sic modi in verbo proportionabiliter casibus, attenduntur penes inflexionem hujus nominis *alter*, *alterius*, *alteri*, etc.

CAPUT XX

De persona et Declinatione. Grammaticali

1. rsona. Habito de casu, nunc dicendum de persona. Juxta quod notandum est, quod in rebus rationabilibus reperitur quædam proprietas casus ; scilicet proprietas loquendi, a qua trahitur persona, quæ est accidens Nominis ; *Est ergo persona modus significandi Nominis, mediante quo, Nomen proprietatem loquendi * consignificat* ; et secundum diversitatem loquendi, de se, ad alium, vel de alio variatur persona per triplicem differentiam, scilicet primam, secundam, et tertiam.

finitur. *ignificat.* *viditur.*

2 *ima persona.* Prima persona *est modus significandi rem sub proprietate loquendi de se, ut de se*.

cunda persona. Secunda persona *est modus significandi rem sub proprietate loquendi ad alium, ut ad alium*.

rtia persona. Tertia persona *est modus significandi rem sub proprietate loquendi de alio, ut de alio*. Et quia modus loquendi de se, non est sine modo significandi de se, ideo ipse modus dicitur *persona* a *per se sonando* nominata.

3 nat. partit. de nomine. Notandum quod *Declinatio*, quam Donatus sub casu comprehendit, a proprietatibus casuum oritur. *Declinatio ergo est modus significandi rem nominis per quem inflectitur.* Et variatur per diversas casuum proprietates, de quibus dictum est. Et quia ad istam inflexionem proprietatum, sequitur in pluribus inflexio vocum ; ideo quidam dixerunt Declinationem esse vocis in vocem inflexionem.

clinatio.

4. *us species.* Quod autem aliquod nomen sit primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, vel quintæ Declinationis, vel consequentis, vel incon-

sequentis hæc ratio a parte vocis attenditur : et sic patet qui et quot sunt modi significandi Nominis, tam essentiales, quam accidentales.

CAPUT XXI

De modo significandi essentialiter generalissimo Pronominis

Modus significandi essentialis generalissimus Pronominis *est modus significandi per modum entis, et * indeterminatæ apprehensionis* ; a qua vero proprietate modus significandi per modum entis sumitur, prius dictum est *, nam in hoc modo Pronomen a Nomine non distinguitur, ut dictum est. 5. *Pronomen.*

* *habitus et quietis.*

* *supra cap. 8.*

Modus vero indeterminatæ apprehensionis oritur a proprietate, seu modo essendi materiæ primæ. Materia enim prima in se, extra indeterminata est, respectu cujuslibet formæ naturalis, quæ inest de se, ita quod * nec includit formam, nec determinationem formæ. Ab ista ergo proprietate materiæ primæ, quæ est proprietas de se indeterminata, determinabilis tamen per formam, sumitur modus significandi per modum indeterminati, qui est modus significandi essentialis generalissimus Pronominis ; non quod Pronomen materiam primam significet tantum, sed ex modo essendi reperto in materia prima, intellectus movetur ad considerandum aliquam essentiam ut indeterminatam, et ad imponendum aliquam vocem sub modo significandi, per modum indeterminati. Et hunc modum generalissimum essentialem Pronominis Grammatici expresserunt, dicentes, *Pronomen significare substantiam meram, vel substantiam sine qualitate*, dantes intelligi per *substantiam* modum entis, qui in substantia principaliter reperitur, ut dictum est ; per *meram*, vel *sine qualitate*, modum indeterminatæ apprehensionis. 6. *Modus significandi ... materia sumitur.*

Sed si objicitur..., Modus significandi partis debet esse positivus, et non privativus 7.

vus, sicut pars est quid positivum; sed modus indeterminatæ apprehensionis est modus privativus : ergo non potest esse modus significandi Pronominis.

8. *Solvitur.* Dicendum, quod illud, quod est ita indeterminatum, quod excludat formam, et formæ determinationem, est privativum; tamen illud, quod sic est indeterminatum, quod non excludit, nec includit formam, nec formæ determinationem, non est privativum, et sic se habet modus significandi Pronominis, qui est modus indeterminati de se, determinabilis tamen. Vel dicendum, quod per modum istum privativum Grammatici circumloquuntur modum significandi * partium, qui est modus significandi communis simpliciter.

Modus significandi privativus, et positivus.

* positivum.

9. *Modus significandi communis duplex.* Et si dicatur, quod iste modus significandi communis simpliciter invenitur in hoc nomine *ens*; vel ergo *ens* est Pronomen, vel Pronomen non erit distinctum a Nomine. Dicendum, quod licet hoc nomen *ens* habeat modum significandi communem, respectu significatorum specialium, scilicet *substantiæ*, vel *accidentis*; *hominis*, vel *leonis* : tamen ejus significatum non est commune respectu aliorum transcendentium, quæ sunt *unum, res, et aliquid*, et respectu privationum, et negationum, ut *nihil* est non ens; ergo non habet modum significandi communis simpliciter; sed Pronomen habet modum significandi communis simpliciter, respectu omnium significatorum specialium, et transcendentium privationum, et negationum, teste Prisciano, qui dicit quod † *Pronomen ad omne suppositum pertinet*, id est, ad omne significatum se extendit; ergo instantia nulla.

Priscian. lib. 13. de pronomine.

† *significatum Pronominis ad omne significatum pertinet.*

10. Juxta quod est notandum, quod omnis pars orationis, est ens secundum animam. Item sciendum est, quod omnes privationes et negationes in se sunt entia positiva in anima; ut dictum est prius *. Dicendum est ergo, quod licet modus indeterminati, non sit positivus realiter; est tamen positivus in anima : et hoc sufficit ad distinctionem partium orationis, quæ sunt entia secundum animam. *Pronomen ergo est pars orationis significans per modum entis, et indeterminatæ apprehensionis.*

* supra c. 2.

CAPUT XXII

De modis significandi essentialibus Pronominis, tam subalternis, quam specialissimis

Sub hoc autem generalissimo modo significandi Pronominis ad modos essentiales, et subalternos, et specialissimos descendamus, qui sunt modi *relationis, et demonstrationis*, modus *primitivi*, et modus *derivativi*, modus *substantialis*, vel *substantivi*, et modus *adjectivi*. 1. *Modi essentiales subalterni et speciales sex.*

Modus ergo significandi, qui vocatur *demonstratio*, sumitur a proprietate rei, quæ est proprietas certitudinis, et præsentiæ, seu notitiæ primæ intellectus, et hunc modum Donatus [a] vocat *qualitatem finitam* : et hic modus constituit Pronomen demonstrativum. 2. *Demonstrativus modus.*

[a] Donat. c. Pronomine.

Pronomen ergo demonstrativum significat rem sub ratione, vel proprietate præsentiæ, seu notitiæ primæ. Semper enim Pronomini sex demonstrationes correspondent præsentiæ, sive sit ad sensum, sive ad intellectum, differenter tamen, quia Pronomen demonstrativum ad sensum hoc quod demonstrat, significat, ut *ille currit.* Sed Pronomen demonstrativum ad intellectum, hoc quod demonstrat, non significat, sed aliud : ut si dicam de herba demonstrata in manu mea, *hæc herba crescit in horto meo*, hîc unum demonstratur, et aliud significatur : et hunc modum demonstrandi habent propria nomina : ut si dicam demonstrato Joanne, *iste fuit Joannes*, hîc unum demonstratur, et aliud in numero significatur. Et sic contingit dare diversos modos certitudinis, et præsentiæ : et secundum hoc erunt diversi modi demonstrationum : et ex consequenti diversa Pronomina adjectiva *. Contingit enim rem esse præsentem, et certam, et maxime certam, vel præsentem, et sic demonstratur per hoc Pronomen *ego*, vel non maxime esse cer- 3. *Demonstrativum. Demonstrativi ad sensum vel intellectum sex modi.*

* demonstrativa.

tam, et præsentem, et sic demonstratur per hoc Pronomen *tu*, et alia similia.

4. Modus significandi, qui vocatur *relatio*, sumitur a proprietate rei, quæ est proprietas absentiæ, et incertitudinis, seu notitiæ secundæ. Unde Donatus [b] appellat istum modum *qualitatem Pronominis infinitam* : et hic modus constituit Pronomen Relativum. *Pronomen ergo relativum significat rem sub proprietate absentiæ, et incertitudinis, seu notitiæ secundæ*. Semper enim pronomen relativum vi relationis repræsentat rem, ut est absens, et incerta, sive sit res præsens, sive absens, quæ refertur, ut dicendo, *Socrates currit*; *et ille disputat*, hoc relativum *ille* refert hoc antecedens *Socrates* stans sub actu primo, seu sub notitia prima, reiterando ipsum sub actu secundo, sive sub notitia secunda; et sic notificat ipsum, tanquam incertum, et absens, faciens recordationem de ipso sub actu secundo. Recordatio enim semper est præteritorum, et absentium. Recordatio enim nihil aliud est, quam cognitio secunda, ut si aliquid sit primo cognitum, postea oblitum, et iterum ad memoriam reductum, unde dicitur *Relatio*, quasi *ante latæ rei recordatio*. Et sicut contingit dare diversos gradus absentiæ, secundum hoc sunt diversi modi relationis, et ex consequenti diversa Pronomina relativa, quia ad diversitatem in causa, sequitur diversitas in effectu.

Modus significandi, qui est *primitivus, et derivativus*, sumitur ab eadem proprietate in Pronomine, a quo sumitur species *primitiva, et derivativa* in Nomine; sunt enim iidem modi significandi hic, et ibi : nam *primitio* in Pronomine idem est, quod species *primitiva* in Nomine; et *derivatio* in Pronomine idem est, quod species *derivativa* in Nomine. Sed habent se differenter, quia *primitio, et derivatio* constituunt diversas species in Pronomine, scilicet Pronomen *primitivum, et derivativum*; sed in Nomine, species *primitiva, et derivativa* modi significandi accidentales Nominis nominantur.

6. Item modus *adjacentis, et per se stantis* ab eisdem proprietatibus sumitur, a quibus sumebatur in Nomine, scilicet modus *per se stantis* a proprietate essentiæ distinctæ, et modus *adjacentis* a proprietate inhærentis alteri secundum esse.

7. Et est sciendum, quod a Grammaticis ponuntur tria Pronomina substantiva, scilicet *ego, tu, sui*, quia hujusmodi usi sunt Poëtæ virtute demonstrationis, et relationis in sermone perfecto, sine adjunctione alterius substantivi, aliis autem usi sunt adjective, ideo Grammatici omnia alia Pronomina adjectiva posuerunt.

8. Sub modo significandi, qui est modus derivativi, ad modos specialissimos descendamus. Continet autem sub se duos modos. Primus est modus significandi per modum adjacentis alteri, sub ratione possidentis ipsum : et hic modus constituit Pronomen derivativum possessivum; *Pronomen ergo derivativum possessivum est, quod significat per modum adjacentis alteri per modum possidentis ipsum*, ut *meus, tuus, suus*, etc. Possessivum. Secundus modus derivativi est modus significandi per modum adjacentis alteri, sub ratione gentis, vel patriæ; et hic modus constituit Pronomen derivativum gentile. *Pronomen ergo derivativum gentile est, quod significat per modum adjacentis alteri, sub ratione gentis*, vel patriæ, *ut nostras, vestras*. Gentile.

9. Sic ergo patet quod modus significandi generalissimus Pronominis dividitur in modos specialissimos, et subalternos; nam Pronomen simpliciter sumptum, prima sui divisione dividitur in Pronomen *demonstrativum, et relativum, primitivum, et* [illegible] *vativum, substantivum, et adjectivum*. Item Pronomen adjectivum derivativum dividitur in Pronomen *derivativum possessivum, et in derivativum gentile*, et hæc de modis essentialibus Pronominis dicta sufficiant.

CAPUT XXIII

De modis significandi accidentalibus Pronominis

1. Dicto de modis essentialibus significandi, dicendum est de modis significandi accidentalibus. Juxta quod notandum est, Donat. citat. *Accidentia Pronominis.* quod Donatus assignat Pronomini sex accidentia, scilicet *Qualitatem*, *Genus*, *Numerum*, *Figuram*, *Personam*, *et casum*.

2. Notandum, quod *Qualitatem* quam Donatus assignat pro accidente Pronominis, Donat. citat. *Qualitas finita ab accidentibus certis, et demonstratis.* dividit in qualitatem *finitam*, et *infinitam*: et vocat illos duos modos significandi essentiales speciales Pronominis, scilicet *demonstrationem*, et *relationem*, de quibus dictum est; ita quod per *Qualitatem finitam* dat intelligere *demonstrationem*, quæ rem finitam, et certam significat, et repræsentat, scilicet sub accidentibus realibus, quæ oculis conspici possunt. Per *qualitatem* vero *Infinita ab incertis dicitur* *infinitam* dat intelligere *relationem*, quæ rem incertam, et infinitam repræsentat, scilicet sub notitia secunda per recordationem, quæ est incerta respectu notitiæ primæ, ut dictum est. De *Genere* autem, et *Numero*, *Persona*, *Figura*, et *casu* in Pronomine idem intelligatur, quod de ipsis dictum est de Nomine *: nam ista accidentia eadem sunt hìc, et ibi, et ab iisdem proprietatibus sumuntur.

* supra c. 14. et seq.

CAPUT XXIV

De significatione propria Pronominis

3. *Opinio aliorum.* Habito de modis significandi Pronominis, consequenter de ejus significatione videamus. Quidam dicunt, quod Pronomen de se et absolute nihil significat, sed tantùm habet habilitatem ad significandum, et talis habilitas reducitur ad actum per *demonstrationem*, et *relationem*, quod persuadent per Priscianum, qui dicit *Pronomen* Priscian. lib. 12. *sine demonstratione et relatione cassum esse, et vanum.*

4. *Rejicitur. Modus significandi supponit significatum.* Ista opinio est erronea, et falsa; quia modus significandi supponit significatum, sicut proprietas rei præsupponit ipsam rem, sed Pronomen habet modum significandi; ergo necessario habet significatum.

Ad auctoritatem, quam adducunt, dicendum, quod Pronomen sine *demonstratione*, et *relatione*, non est cassum, et vanum, quia, ut dicitur. 2. Phys. text. 62. *Illud est cassum, et vanum, quod est ordinatum in aliquem finem, et illum non attingit*: sed Pronomen simpliciter ordinatum est ad significandum essentiam indeterminatam sub modo indeterminati, et ulterius ad constructionem; et hunc finem sine *demonstratione*, aut *relatione* potest attingere; ergo non est frustra.

Notandum ergo est, quod aliquid dupliciter dicitur cassum, et vanum; uno modo quod nihil significat, aliò modo, quia nihil determinate significat. Pronomen significat aliquid, licet non aliquid determinate, et sic attingit finem, et sic non est frustra.

Alii dicunt quod Pronomen significat conceptum entis determinatum, applicabilem unicuique enti, tam in anima, quam extra animam, sicut intentiones secundæ, ut *Genus*, *Species*, *Subjectum*, *Prædicatum*, et quæ significant conceptum determinatum applicabilem cuicumque enti: quorum motivum est, quia si Pronomen significaret aliquid indeterminatum, tunc ejus significatum non esset intelligibile.

Ista opinio similiter non valet, est enim erronea; quia si Pronomen significaret conceptum entis, nunquam prædicatum reale posset verificari de Pronomine, et sic hæc esset falsa, *Ego sum homo*, quia prædicatum de eo verificatur, quod per subjectum intelligitur, et significatur; unde sicut hæc est falsa, *Conceptus hominis est animal*, sic hæc erit falsa, *Ego sum animal*, quod est inconveniens.

Ad aliud, quod adductum fuit ad confirmationem dicti sui, quod si Pronomen significaret aliquid indeterminatum, ejus significatum non posset intelligi. Dicendum quod sicut videmus in re, quod totum compositum intelligi-

tur per formam, et postea per Analogiam ad formam cognoscitur materia, quæ est in potentia ad formam, ut dicitur primo Physicorum text. 22. et deinceps ; sic intellectus potest prius aliquam essentiam intelligere indeterminatam, et postea considerare, et * considerare essentiam aliam in respectu ad illam, vel aliam indeterminatam, tamen per aliquod determinabile : et illud est significatum Pronominis, scilicet essentiam de se indeterminatam, determinabilem tamen. Et sic patet quod Pronomen significat essentiam, licet indeterminatam : significatum enim Pronominis non solum se extendit ad significata specialia ; sed etiam ad significata transcendentia, privationum, et negationum, ut patet ex dictis. Quod enim Pronomen significat in generali, illud refert, et demonstrat in speciali : sed Pronomen in speciali demonstrare, et referre potest, quod est ens, sive sit in anima, sive extra animam; sive fictum, sive verum ; sive ens in actu sive ens in potentia ; et sic in uno sunt duo contraria, scilicet ens, et non ens ; tamen non ens refert et demonstrat prout est aliquod ens secundum animam : quia *contradictoria extra animam, sunt contraria secundum animam*, ut patet 4. Metaph. text. 9.

CAPUT XXV

De modo significandi essentiali generalissimo Verbi

1\. Modus significandi generalissimus essentialis Verbi, est modus significandi rem per modum *esse*, et *distantis* a substantia. Ad cujus intellectum est notandum, quod licet uterque modus, scilicet *esse*, et *distantis*, sit forma Verbi absolute sumpti, tamen comparando Verbum ad Participium, modus *esse* habet rationem materiæ, respectu Verbi, quia facit Verbum cum Participio convenire ; sed facere convenire, est proprietas materiæ : modus autem *distantis*, habet rationem formæ, quia facit Verbum ab omnibus aliis distare, et differe. Et quia alia est ratio materiæ, et alia ratio formæ, ideo componendo unum cum altero, ex utroque resultat unus modus, per naturam compositionis.

2\. Notandum est, quod modus significandi activus per modum *esse* oritur a proprietate rei, quæ est proprietas ipsius *esse*, scilicet proprietas *fluxus et successionis*, quæ opponitur proprietati entis, quæ est proprietas *habitus, et permanentis*, ut prius dictum est *.

Et si dicas, esse cujuslibet rei verbaliter significatur, non tamen omne ens habet esse successivum : nam esse Dei, et Intelligentiarum, non est in fluxu, et successione, et tamen dicimus, *Deus est*, et, *Intelligentia est*. Item generatio, et corruptio, et illuminatio aëris, non habent esse in successione ; et tamen esse illorum verbaliter significatur, ut dicendo, *generatio, et corruptio, et illuminatio aëris sunt, vel fuerunt*.

Dicendum, quod licet esse Dei, et Intelligentiarum, non sit successivum successione temporis, est tamen successivum successione æternitatis : et licet *æternitas sit tota simul, et perfecta possessio*, secundum Boetium : tamen, quia intelligimus ex sensatis inferioribus, ideo imaginamur ibi successionem, et durationem æternitatis per diversa spatia temporis.

Similiter in generatione, et corruptione, licet non sit successio, quæ est inter tempora : est tamen ibi successio, quæ est inter tempus, et terminum temporis ; quia impossibile est, quod in eodem instanti aliquid habeat esse, et non esse ; sed in toto tempore præterito fuit non ens, nec est dare ultimum instans, in quo fuit non ens, sed bene est dare primum instans, in quo est ens, ut patet ex intentione Philosophi 8 *Phys. text.* 10. et 11. et deinceps.

Item illuminatio aëris, licet non sit successiva, prout successio causatur ex resistentia medii, tamen ibi est successio causata ex resistentia terminorum contrariorum, scilicet a quo, et ad quem. Hæc autem modo Verbi, qui est modus esse, et successionis proportionantur in suppositio.

et in obliquo modus *entis*, id est, modus habitus permanentis. Item notandum, quod modus *distantis* in Verbo sumitur ab eadem proprietate rei, a qua modus *per se stantis* sumitur in Nomine, scilicet a proprietate essentiæ determinatæ.

7. *Objectio.* Et si instes, si a proprietate essentiæ determinatæ trahitur in Verbo modus *distantis* ; cum ergo Participium eamdem rem Verbi significet, quæ secundum essentiam est distincta ; ergo Participium modum *distantis* habet, quod est falsum.

8. *Solvitur.* Ad hujus solutionem est notandum, quod in una, et eadem re, possunt reperiri diversæ proprietates rei, non repugnantes, a quibus sumi possunt diversi modi significandi activi, licet una vox non imponatur ei, ut stat sub omnibus illis proprietatibus, sed quandoque imponatur una vox, ut stat sub una proprietate ; quandoque alia vox, ut stat sub alia proprietate. Verbi gratia, hæc res, *albedo*, habet diversas proprietates, sub quibus possunt ei imponi diversæ voces. Nam si consideretur in ea modus entis, qui est modus habitus, et permanentis ; sic significatur per vocem nominis absolute. Si autem consideretur in ea modus *entis*, et cum hoc modus essentiæ determinatæ ; sic significatur voce nominis Substantivi ut *albedo*. Si autem consideretur in ea modus *entis*, et cum hoc modus inhærentiæ alteri, secundum essentiam ; sic significatur in voce nominis Adjectivi, ut *albus*.

Varii modi significandi eamdem formam.

9. Item si consideretur in ea modus *esse*, qui est modus fluxus, et successionis, et cum hoc modus essentiæ distinctæ ; sic significatur verbaliter, ut *dealbo*. Item si consideretur in ea modus inhærentis secundum esse ; sic significatur participaliter, ut *dealbans*. Et sic patet, quod quamvis Participium significet eamdem rem, quam Verbum significat, quæ secundum essentiam est distincta, tamen Participium non significat eam, ut distinctam, sed ut alteri unitam, et ideo modum *distantis* non habet.

Differentia Verbi, et Participii in significando.

10. *Instantia.* Et si instes, a proprietate essentiæ distinctæ, oritur modus *distantis* in Verbo, videtur quod modus *distantis* in Verbo non possit convenire omni Verbo ; quia dicendo *ens est, esse* non consignificat aliquid essentialiter distinctum ab omni ente, quia quod est essentialiter distinctum ab ente, est non ens.

Dicendum est, quod licet hoc verbum *est*, non significet aliquid essentialiter ab ente distinctum ; attamen in ista propositione, subjectum accipitur ut materia, et prædicatum ut forma ; quæ essentialiter differunt. 11. *Diluitur.*

Vel dicendum est, quod licet non sit dare ens præter hoc, vel illud : et cum omne quod est, sit hoc, vel illud, quia ens est concretum, et significat duo, scilicet rem et esse, et illud esse non est ens ; ideo hoc Verbum *est* significat aliquid essentialiter distans ab ente. 12. *Signific[atio] entis.*

Vel aliter, licet in ista propositione significatum Verbi non differat* essentialiter, et secundum rem a significato suppositi, differt tamen ab eo secundum rationem : et hoc sufficit ad distantiam, et diversitatem Verbi a supposito,* quæ sunt entia secundum rationem ; *Verbum* ergo *est pars orationis significans per modum esse distantis, a substantia.* 13.

* quæ ess[entia] est.

Definitur.

CAPUT XXVI

De modis significandi essentialibus, subalternis, et specialissimis Verbi

Sub hoc modo essentiali generalissimo Verbi, ad modos significandi essentiales subalternos, per quamdam divisionem descendamus. Iste ergo modus *esse cum distantia*, vel sumitur generaliter, tanquam aliquid specificabile per esse speciale, et sic modus *esse cum distantia* constituit Verbum Substantivum. Verbum ergo *Substantivum est, quod significat per modum esse generaliter specificabile, per quodlibet esse speciale.* Unde etiam dicitur *substantivum* non est modo *per se stantis*, sed quia significat esse generale specificabile ; ideo potest stare specificativum cujuscumque 1.

Verbum [Sub]stantivu[m]

specificantis ipsum. Vel iste modus *esse cum distantia*, sumitur generaliter respectu rei propriæ nominationis tantum : et sic constituit Verbum Vocativum. Verbum

...ativum. ergo *Vocativum significat nominationem in generali specificabilem, perquamcumque*

...cationem. * *nominationem propriam in speciali*. Vel iste modus *esse cum distantia* sumitur specialiter, prout stat in speciali, pro *esse*, actionis, vel passionis, et sic iste modus constituit Verbum Adjectivum. Verbum er-

...ectivum. go *Adjectivum est, quod Actionem, et passionem significat*.

2. Modi, seu ...ra. Iste modus, *esse specialis*, subdividitur in quatuor modos essentiales specialissimos, scilicet in modum *actionis*, in modum *passionis*, in modum *neutri*, et in modum *utriusque*. Modus significandi per modum esse distantis sub modo actionis tantum,

...bum acti-... constituit Verbum Adjectivum activum. Verbum ergo *Adjectivum activum est, quod significat tantum actionem*, ut, *amo*, *doceo*.

3. Modus significandi per modum esse distantis per modum passionis tantum, cons-

...sivum. tituit Verbum Adjectivum passivum. Verbum ergo *Adjectivum passivum est, quod significat passionem tantum*, ut, *amor*, *doceor*.

4. Modus significandi per modum *esse* sub modo neutri, sive sub privatione utriusque constituit Verbum Neutrum. Verbum ergo

...trum. *Neutrum est, quod nec actionem, nec passionem significat*, ut, *vivo*, *sto*, etc. Sicut enim

...pter. aliqua neutra dicuntur absoluta, non* per

...opter. aliquem modum significandi, sed ÷ per privationem transitionis ; sic aliquod Verbum dicitur Neutrum, non per aliquem modum significandi, sed per privationem

gaudeo. actionis, vel passionis,* vel alterius.

5. ...us signifi- ...i Verbi ...ri. Juxta quod notandum est, quod Verbum Neutrum est ab aliis specifice distinctum, non per privationem actionis, et passionis, sed per modum significandi specialem, qui est modus significandi per modum *esse*, ut est contractum *esse speciale*, non *esse* actionis, vel passionis, sed *esse speciale* alicujus alterius dictionis.

6. Et si dicas, non est contractum *esse speciale* actionis, vel passionis, ergo habebit modum *esse generalis* ; et sic Verbum Neutrum erit Verbum Substantivum, quod est falsum. Dicendum, quod licet Verbum Neutrum non habeat modum significandi modo actionis, vel passionis contractum, non tamen significat *esse generale*, ut Substantivum : nam Verbum Substantivum significat esse generale non contractum de se, sed contrahibile. Verbum *neutrale significat esse contractum de se, non contrahibile*, ut *vivo* significat *esse* absolute secundum *esse* vitæ ; et sic de aliis. Differt a Substantivo.

7. Commune. Modus significandi per modum *esse distantis* sub modo utriusque, scilicet actionis, et passionis, constituit Verbum *Commune*. Verbum ergo *Commune est, quod significat per modum utriusque*, scilicet actionis, et passionis, ut *criminor te*, et *a te*. Verbum ergo *Deponens* non potest esse distincta species ab Activo et Passivo, nisi per terminationem vocum, quod non est specie differre, cum plures partes orationis possint in una voce, et terminatione convenire. Deponens in significatione reducitur ad prima genera.

8. Et notandum, quod quidam secundum hos modos, scilicet *actionis*, et *passionis*, *neutri*, et *Communis*, distinguunt genera in Verbo, quod falsum est : sed penes hos modos speciales, species in Verbo distinguuntur, cum non sit idem dicere, *Verbum Activum*, et *Activi generis* ; *Passivum*, et *Passivi generis*, etc. ut postea patebit. Patet ergo quod sicut modus essentialis generalissimus Verbi, dividitur in modos essentiales speciales ; sic Verbum absolute sumptum dividitur in verba specialia. Verbum ergo absolute sumptum [prima sua] divisione dividitur in Verbum *Substantivum*, *Vocativum*, et *Adjectivum*. Verbum Adjectivum subdividitur in verbum *Activum*, *Passivum*, *Neutrum*, et *Commune*.

CAPUT XXVII

De modo significandi accidentali Communissimo Verbi

1. Consequenter de modis significandi accidentalibus Verbi videamus. Juxta quod notandum est, quod Verbum habet quemdam modum significandi, qui vocatur *compositio*, de quo antiqui Grammatici mentionem expresse non fecerunt, quem tamen modum moderni Verbo attribuunt, moti ex dicto Philosophi 1. Perihermenias, cap. 3. ubi dicit quod hoc Verbum *est*,* *significat quamdam compositionem, quam sine extremis non est intelligere*; et tamen hoc Verbum, *est*, in omni verbo † includitur, tanquam radix omnium, ideo *compositio* omni Verbo inhæret, per quam Verbum distans a supposito, ad suppositum principaliter inclinatur : et hunc modum quidam* vocant essentialem Verbo, quod non est verum, quia non est modus essentialis generalissimus, cum Verbo non det esse simpliciter, sed sit præter ejus intellectum essentialem. Nec etiam est essentialis specialis, cum non constituat aliquam speciem Verbi, ut de se patet.

Compositio Verbi.

* *importat.*

† intelligitur.

* ponunt.

Est differentia accidentalis.

2. Item Verbum de se significat per modum *distantis* : sed Compositio non, quia modus *esse inhærentis* alteri, modo *distantis* quasi opponitur; ergo Verbum habet Compositionem per accidens. Hic autem modus sumitur a proprietate accidentali Verbi, quæ est proprietas *inhærentis* alteri secundum esse.

3. *Compositio ergo est modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo, Verbum consignificat proprietatem inhærentis secundum esse, et quo mediante, Verbum distans a supposito, primo, et principaliter ad suppositum inclinatur.* Licet enim Verbum, per alios modos accidentales, ad suppositum inclinetur, hoc tamen est ex consequenti, et specialiter, in quantum supra Compositionem fundantur modi illi ipsam contrahentes; sicut modus *numeri*, et *personæ*, et sic de aliis. Et huic modo Verbi, qui est *compositio*, proportionatur ex parte suppositi modus *per se stantis*. Et iste modus consequitur Verbum ratione modi dicti *stantis*, quia cum Verbum sit alterum extremum in oratione, distans a supposito, et inclinetur ad suppositum, hujus inclinationis principale, et communissimum principium inter cæteros modos accidentales Verbi est *compositio*. Et dico *accidentales*, quia Verbum prius, per modum *esse* inclinatur ad idem, quod habet modum *entis*, sed ille modus est essentialis, ut dictum est.

Definitur compositio.

Quid sit Verbum esse distans.

Vide 4. capit. ultima.

4. Nec obstat, si *compositio*, quæ est modus *inhærentis*, simul stet cum modo *distantis* in Verbo; quia licet eidem insint, et respectu ejusdem, non tamen eodem modo, et secundum idem : nam modus *distantis* inest Verbo a proprietate *essentiæ distinctæ*, sed *compositio* a proprietate *inhærentis* alteri secundum esse. Nec eodem modo, * quia modus *distantis*, inest Verbo per se, *compositio* vero per accidens.

* Cod. M: Sed insunt secundum distantiam act... et secundum discrepantiam Verbi cum supposito eumdem s...tum.

CAPUT XXVIII

De modis accidentalibus specialioribus Verbi, et in particulari de Qualitate

1. De aliis modis significandi accidentalibus Verbi, qui sunt, et quot, videamus, et secundum Donatum sunt septem, scilicet, *Qualitas*, *Conjugatio*, *Genus*, *Numerus*, *Figura*, *Tempus*, *Persona*, de quibus secundum ordinem videamus, et primo de *Qualitate*.

Donat. c. *Verbo.* *Accidentia Verbi septem.*

Juxta quod notandum est, quod per *Qualitatem* Donatus intelligit, et dat intelligere duos modos accidentales Verbi, scilicet *modum*, et *formam*; sicut in Nomine per *Qualitatem* dat intelligere duos modos significandi, scilicet *appellativum*, et *proprium*, et in Pronomine per *Qualitatem*, *demonstrationem*, et *relationem*.

Donat. cit. *Qualitas Verbi, seu Mod...*

2. *Modus* autem, ut est accidens Verbi, sumitur a proprietate rei Verbi, quæ est proprietas qualificationis, dispositionis, et inclinationis rei Verbi ad suppositionem,

Modus sumitur a proprietate rei.

significans qualitatem indicii, imperii, voti, dubii, vel infiniti. *Modus ergo Verbi nihil aliud est quam modus significandi accidentalis Verbi : mediante quo, proprietatem Verbi per modum indicii, imperii, voti, dubii, vel infiniti circa Verbi dependentiam ad suppositum consignificatum.* Et ex his qualificationibus, et dispositionibus anima prius afficitur, quando ad enuntiandum actum de substantia inclinatur.

...finitur.

...se Verbi.

3\. Inde est quod Petrus Helias diffiniens *modum* dixit : *Modus est varia animi inclinatio, varios ejus effectus demonstrans* ; sed non, quod modus sit ipsa inclinatio, sed qualitas inclinationis, non ea, qua anima inclinatur ad enuntiandum actus de substantia. Sed *modus* ut est accidens Verbi, est qualitas *compositionis*, qua Verbum inclinatur ad suppositum.

...rus Helias ...ct. de Ver-

...ficit compositionem.

4\. Quædam qualitas est animæ, hoc est, causata ab anima, sicut et cætera Verbi accidentia, repræsentans diversos affectus, hoc est, dispositiones animæ, id est, prius existentes in anima. Et iste modus significandi, qui vocatur *modus* continens Verbum ratione *compositionis*, compositio sequitur Verbum ratione *esse distantis* : et secundum diversitatem harum qualitatum diversificatur *modus* per quinque differentias, scilicet per *Indicativum, Imperativum, Optativum, Conjunctivum,* et *Infinitivum.*

...odi quinque.

Dicitur autem *Infinitivus*, quia omnibus communis, cum omnes modi in ipsum resolvantur : ut dicendo, *lego*, id est, *indico me legere*, *lege*, id est, *impero te legere*, et sic de aliis.

...rminus resolutionis est ...finitivus.

5\. Notandum secundum quosdam, quod modo finito in Verbo, correspondet casus simpliciter in supposito : quæ est ratio principii, vel termini generaliter sumpti, quod non est verum, quia cum ratio principii sit tantum a parte ante, tanquam in supposito ; et ratio termini sit tantum a parte post, tanquam in obliquo ; si modo finito in Verbo, corresponderet casus simpliciter in supposito, tunc vel ratio termini esset in supposito, vel modus determinaret dependentiam Verbi post se in obliquo : quo posito, modus non solum esset qualitas compositionis, qua Verbum dependeret ante se ad suppositum, sed etiam esset qualitas dependentiæ Verbi post se ad obliquum : sed utrumque est falsum. Unde dicendum, quod modo finito in Verbo correspondet in supposito ratio principii. Sicut enim Verbum per modum *esse* exigit in supposito modum *entis per se stantis* ; sic per modum, qui est qualitas *compositionis*, exigit in supposito, modum *per se stantis*, in ratione principii, se habentis.

Correspondentia Verbi et suppositi.

6\. *Forma*, quæ est accidens Verbi, idem est, quod *species* in Nomine, et ab eadem proprietate sumpta, scilicet a modo essendi primarie, et secundarie. *Forma* ergo *est modus significandi accidentalis Verbi*, mediante quo, Verbum modum existendi primarium, et secundarium significat ; et dividitur in formam *perfectam*, *meditativam*, *frequentativam*, *inchoativam*, *diminutivam*, et *desiderativam*. Per formam *perfectam* debet intelligi *species primitiva* ; quia quæ sunt perfectæ formæ, sunt primitivæ speciei ; quia significant rem Verbi absolute : ut *lego*, *sorbeo*, *volo*, et *sum*. Sed quæ sunt inchoativæ formæ, et sic de cæteris sunt derivativæ speciei ; quæ non significant rem Verbi absolute, sed cum quadam additione, scilicet sub inchoatione, frequentatione, et sic de cæteris, ut *fervesco*, *lecturio*, *patrisso*, *sorbillo*, etc.

Forma Verbi.

Ejus divisio. ... defectivum.

CAPUT XXIX

De Conjugatione, et significatione accidentali Verbi

1\. Ulterius videndum est de Conjugatione. *Est autem Conjugatio modus significandi rem Verbi prout inflectitur per diversas proprietates temporum, numerorum, modorum, et personarum.* Unde habet se sicut *declinatio* in Nomine ; quia sicut *declinatio* in Nomine est modus significandi rem Nominis, prout inflectitur per diversas proprietates casuum ; sic *Conjugatio* in Verbo est modus significandi rem Verbi, prout inflectitur per diversas proprietates tempo-

Conjugatio Verbi.

rum, numerorum, modorum, et personarum : sed differunt, quod *declinatio* attenditur penes inflexionem unius accidentis, qui est Casus.

2. Donat. c. de *Verbo.* Ideo Donatus *declinationem* sub Casu comprehendebat. *Conjugatio* autem attenditur penes inflexionem plurium accidentium : ideo sub nullo proprie, et determinate potest comprehendi; et ideo inter alia accidentia Verbi numeratur. Quod autem *Conjugatio* sit *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, vel *Quarta*, consequens, vel inconsequens, hoc totum a parte vocis attenditur. Et ex hoc patet quod *sum* et *volo* habent Conjugationem, licet non *Primam*, *Secundam*, *Tertiam*, vel *Quartam*.

3. Priscian. lib. 8. Donatus cit. De significatione accidentali, quam Priscianus, et Donatus comprehendunt sub genere Verbi, videamus. Juxta quod sciendum, quod significatio sumitur a proprietate rei Verbi, quæ est proprietas dependenti ad quemlibet obliquum post se, habentem se in ratione per se standi. *Significatio accidentalis.* *Significatio ergo accidentalis, est modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo, Verbum significat proprietatem dependentiæ ad quemlibet obliquum post se.* *Definitur.* Sicut enim *compositio* est modus significandi, mediante quo, Verbum primo, et principaliter dependet ad quodlibet suppositum ante se ; ita *significatio* est modus significandi, mediante quo, Verbum primo, et principaliter dependet ad quemlibet obliquum post se. *Differt a compositione.*

4. Petrus Helias supra citatus. Et hoc patet per Petrum Heliam, qui per *significationem accidentalem* vult intelligere modum transeuntis,* id est, modum dependentis ad quemlibet obliquum post se. Et huic modo significandi, proportionatur modus *entis per se stantis* a parte post in obliquo. Nam sicut Verbum per *compositionem* exigit modum *entis per se stantis* in quolibet supposito a parte ante; sic Verbum per *significationem accidentalem* exigit modum *entis per se stantis* in quolibet obliquo. Vocatur autem iste modus significatio : quia* ipsa mediante, Verbum repræsentat proprietatem, immediate supra significatum Verbi fundatam. Et dicitur *accidentalis* ; quia non est essentialis, generalis, nec specialis, ut dictum est de compositione.

* respectu dependente.

* ipso verbo mediante.

CAPUT XXX

De Genere accidentali Verbi

1. *Genus Verbi.* Consequenter de *Genere* videamus. *Genus* in Verbo sumitur a proprietate rei Verbi, quæ est proprietas dependentiæ rei Verbi, post se ad obliquum, sub ratione termini non contracti, sed contractibilis. *Genus ergo in Verbo est modus significandi accidentalis Verbi, mediante quo proprietatem dependentia rei Verbi post se ad obliquum, sub ratione termini,* * *significat.* *Definitur.* Et hoc patet per Petrum Heliam, qui diffinit Genus per significationem accidentalem, sic dicens : *Genus est significatio accidentalis cum determinatione in o, vel in or* : dans intelligere per *significationem accidentalem*, modum significativum transeuntis, ut dictum est, id est, dependentiæ ad quemlibet obliquum post se. Per terminationem in *o*, vel in *or*, dat intelligere species generis, quarum diversitas maxime attenditur penes vocis terminationem, secundum Grammaticos, ut patebit.

* consignificat. Petr. Hel. citatus.

2. *Qualis illa definitio.* Notandum quod hæc definitio Generis, non est formalis, sed materialis. *Genus* enim non est formaliter *significatio*, quia unus modus non est alius, sed *Genus* est quasi qualitas *significationis* determinans, sive specificans *significationem*. Sicut enim se habet *modus* Verbi ad *compositionem*, sic se habet *Genus* ad *significationem*. Sed *modus* Verbi non est formaliter *compositio*, vel inclinatio : sed qualitas *compositionis*, vel inclinationis, ut dictum est. *Modus compositionem, Genus sequitur significationem.* Sic *Genus* non est formaliter *significatio*, sed * qualitas *significationis* ipsam contrahens, et disponens.

* quasi significans, vel significationem.

3. Item sicut *modus* consequitur Verbum *compositionis*, sic *Genus* consequitur Verbum ratione *significationis*. Et vocatur iste modus significandi, *Genus* a *generando* dictum, quia vox unius generis generatur a

voce alterius generis: ut vox Passiva generata a voce Activa.

4. * Activum vel Passivum. † accidit. Donat. cap. de Genere

Quod autem aliquod Verbum sit * generis Activi, vel Passivi, vel neutri, et sic de cæteris; hoc maxime a parte vocis † attenditur. Et hoc etiam patet per Donatum, qui tali modo deffinit Genus Activum, dicens quod *Genus Activum est quod definit in* o, *et potest accipere* r, *super* o, *et facere ex se Passivum*. Et quia Verbum per vocis terminationem, non magis determinat sibi actionem, quam passionem: ideo dubium est, quare Verbum sub terminatione vocis in *o*, magis debet esse Activi generis, quam Passivi, et sic de cæteris.

5. Unde dicendum est, quod cum genus Verbi, sit ratio significandi dependentiam rei Verbi post se ad obliquum, sub ratione termini, ut dictum est; et cum hujusmodi dependentia sit aliquando actione conjuncta, ut *amo te*; et aliquando passione conjuncta, ut *amor a te*; aliquando tam actione, quam passione conjuncta, ut *criminor*, *amplector*; aliquando neutro, ut *spiro*, *vivo*; aliquando actione conjuncta, deposita passione, aut e converso, ut *loquor*, *irascor*, inde est, quod quoddam Genus est Activum, quoddam Passivum: et sic de cæteris. Sed oportet præter hoc ad vocis terminationem attendere, si velimus genera Verborum servare.

6. *Activum.*

Dicendum ergo quod illud Verbum est *Activum, seu activi generis, quod sub terminatione vocis in* o, *potest mutari in* r, *et frequentius actionem significat*, ut *amo*, *lego*. Et dicitur *frequentius* propter alia verba, *timeo*, *liceo*, *metuo*, et hujusmodi, quæ sub voce Activa modum passionis significant.

7. *Passivum.*

Verbum *Passivi generis est, quod sub terminatione vocis in* r, *potest mutari in* o, *et frequentius passionem significat*, ut *amor*, *legor*. Et dico *frequentius* propter *liceor*, et hujusmodi, quæ sub voce Passiva actionem significant.

Neutrum.

Verbum *Neutri generis est, quod sub terminatione vocis in* o, *non potest mutari in* r *et sub indifferentia, vel indeterminate, actionem, vel passionem significat*; ut *curro*, *ferveo*, *vivo*: ita quod comprehendo ad omnia verba neutri generis, quædam significant actionem tantum, ut *curro*; quædam passionem tantum, ut *ferveo*; quædam neutrum, ut *sto*, *vivo*. [illegible]

[illegible] *Deponens.*

Verbum *Deponentis generis est, quod sub terminatione vocis in* r, *non potest mutari in* o, *et consignificat actionem deposita passione*: ut *luctor*, *loquor*, *sequor*, *vereor*, *lucror*, *lætor*, *fruor*, et alia multa ejus generis. Vel passionem deposita actione: quorum solum duo inveniuntur, *patior* scilicet, et *nascor*, et non differunt a prædictis generibus, nisi penes vocis terminationem.

[illegible] *Commune.*

Verbum *Communis generis est, quod sub terminatione vocis in* r, *non potest mutari in* o, *et consignificat actionem*, *et passionem simul*: quorum novem inveniuntur, scilicet *criminor*, *amplector*, *osculor*, *interpretor*, *moror*, *veneror*, *largior*, *experior*, *hortor*, et alia nonnulla deponentia, quæ apud Auctores etiam inveniuntur in passiva significatione, ut *comitor*, etc. Et notandum, quod sicut modo finito Verbi, correspondet ratio principii in supposito: sic generi in Verbo correspondet ratio termini in obliquo.

Ex dictis concludo, quod Verbum præter *numerum*, et *personam*, habet tot modos significandi respectivos, quibus dependet post se ad obliquum quot habet, quibus dependet ante se ad suppositum, secundum similitudinem se habentes. Quod patet, quia sicut Verbum per modum esse requirit modum *entis* in supposito: sic per eumdem modum esse exigit modum *entis* in obliquo. Et sicut Verbum per compositionem exigit modum *per se stantis* in supposito; sic per significationem accidentalem exigit modum *per se stantis* in obliquo. [illegible]

Item sicut Verbum per modum distantis exigit modum per se stantis pro supposito; ita per eumdem modum esse exigit modum entis in obliquo. Et sicut Verbum per modum compositionis exigit modum entis per se stantis in ratione principii in supposito; sic per modum * generis exigit modum entis per se stantis, in ratione termini in obliquo. Item sicut Verbum per modos [illegible]

* [illegible]

† realibus modis.

proportionales † casibus modo Verbi superadditos, exigit in supposito rationem principii, aliter, et aliter conjunctam, et ex consequenti aliud et aliud suppositum; sic etiam Verbum per modos proportionales casibus generi Verbi superadditos Verbum exigit in obliquo rationem termini, aliter et aliter conjunctam : et ex consequenti alium, et alium obliquum.

12. Notandum ergo, quod sicut inter modos significandi Verbi, quibus dependet ante se ad suppositum, modus dependendi ad Nominativum videtur esse principalis. Unde constructio intransitiva Verbi cum Nominativo, a parte ante, maxime videtur esse intransitiva, quæ potior est aliis : et * quia sola perfecta sit inter alios modos transeundi, et dependendi : et a parte post, ad obliquum modus dependendi, et transeundi ad Activum, videtur esse principalis. Unde et constructio * transitiva Verbi, et Participii cum Activo maxime videtur esse transitiva : quæ maxime est evidens inter alias constructiones transitivas. Et hoc attendentes Grammatici, posuerunt quædam verba transitiva dictum modum transeuntis habentia, ut *amo*, *lego*. Quædam autem absoluta, id est, hujusmodi dependentia, et transitione privata, ut *sto*, *curro*, *vivo*, *ambulo*, *sedeo*, *spiro*, et hujusmodi.

Unde constructio transitiva.

* *Quasi.*

* intransitiva.

CAPUT XXXI.

De persona, Numero, et Figura Verbi

1. De *persona*, *Numero*, et *Figura*, in Verbo dicendum est sicut in Nomine. Nam ab eisdem proprietatibus sumuntur utrobique, licet differenter, quia *Numerus*, et *Persona* insunt Verbo, non ex proprietate suæ rei per se loquendo, sed ex proprietate rei suppositi, quod patet de *Persona*. Nam *Persona est modus significandi, quo mediante, Verbum proprietatem loquendi consignificat non inhærentem * de se : sed ut res Verbi applicabilis est rei suppositi subsistentis per se secundum proprietates loquendi.* Unde *Persona* inest Verbo, ex aptitudine attribuendi supposito, secundum variam attributionem.

Verbum mutuat personam, et numerum a supposito.

* *per se rei Verbi.*

Persona autem Verbi distinguitur per triplicem differentiam, scilicet *Primam*, *Secundam*, et *Tertiam*, Unde illud Verbum dicimus esse *primæ personæ* attributum quod est applicabile supposito, prout stat sub proprietate loquendi de se, et sic de aliis. Et ex hoc sequitur, quod illud Verbum est nullius *personæ*, quod supposito sub certo modo loquendi non est applicabile. Et eodem modo dicendum est de *Numero*, et *Figura*, etc. 2.

2. *Persona triplex.*

CAPUT XXXII.

De Tempore Verbi

Ultimo de *Tempore* dicendum est. Juxta quod est sciendum, quod sicut in re extra, tempus consequitur ipsum modum *esse*, sicut mensura mensuratum; sic modus temporis secundum *esse* rationis, consequitur modum *esse*, qui est modus fluxus, et successionis. 3.

3. *Tempus.*

Tempus ergo, ut est accidens Verbi, *est modus significandi accidentalis Verbi, quo mediante, Verbum citra rem, modum temporis consignificat.* Et secundum diversitatem hujusmodi, vel proprietatis, *Tempus* per tres differentias distinguitur, scilicet per *præsens*, *præteritum*, *et futurum*. Tempus *præsens est modus significandi rem Verbi, prout cadit sub differentiam præsentis temporis.* Tempus *præteritum est modus significandi rem Verbi, prout cadit sub differentiam præteriti temporis.* Tempus *futurum est modus significandi rem Verbi, prout cadit sub differentiam futuri temporis.* 4.

4. *Definitur.*

Præsens.

Præteritum.

Futurum.

Et si instetur, *Deus est ; Deus intelligit :* tamen *esse*, et *intelligere Dei* non cadit sub aliquam differentiam temporis ; ergo non semper Verbum modum, et differentiam temporis requirit. Respondetur quod licet *esse* et *intelligere* Dei, non cadant sub aliquam differentiam temporis, tamen cadunt sub aliquam differentiam æternitatis, secundum nostram apprehensionem, ut dictum est superius *. 5.

* supra cap.25.

6. *Non est accidens respectivum.* Notandum, quod *tempus* non est accidens respectivum Verbi, cum secundum ipsum non dependeat ante se ad suppositum: nec post se ad obliquum. Potest tamen respectu Adverbiorum temporalium dici accidens respectivum; quia incongrue dicitur, *fortasse Socrates currit cras*, vel *Plato disputat heri*. Et sic patent modi significandi Verbi essentiales, et accidentales declarativi, qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus oriuntur.

CAPUT XXXIII

De modo significandi generalissimo Adverbii

1. *Adverbium.* Modus significandi essentialis generalissimus Adverbii, est modus significandi per modum *adjacentis* alteri, per modum *esse*, significans ipsum simpliciter, id est, et absolute determinans. Et quia Participium significat per modum *esse*, sicut Verbum, ideo Adverbium determinat Participium, sicut Verbum: licet * Adverbium dicatur Adjectivum Verbi, secundum Priscianum. Hoc est ideo, quia Adverbium secundum omnes species ejus * determinat Verbum sed non Participium: quia Adverbia determinantia Verba genera compositionis, et genera sui modi, qui est qualitas compositionis, Participia determinare non possunt, cum Participium compositionem, et modum Verbi non habeat. Et sumitur iste modus determinantis a proprietate terminantis in re.

* Participium. Priscian. *lib.* 11.

* est natum determinare.

2. *Definitur.* Adverbium ergo est *pars orationis, significans per modum adjacentis alteri, quod per modum esse significat, ipsum esse absolute determinans.*

Quomodo significat. Et notandum, quod Adverbium de suo modo significandi essentiali generalissimo, tantum determinat ea, quæ per modum *esse* significat: licet de aliquo modo essentiali, speciali, et accidentali, possit alia determinare, ut patet de Adverbiis exclusivis, quæ sunt *tantummodo, solummodo* et hujusmodi; quæ propter modum significandi per modum excludentis, possunt determinare omne illud quod habet se per modum exclusibilis.

Sed modum exclusibilis non habent solum Verba, vel Participia, sed etiam Nomina, et aliæ partes orationis habent ipsum: ideo ista Adverbia, per hujusmodi modum essentialem specialem, habent etiam alia a Verbo, et a Participio determinare: ut dicendo *Homo tantummodo legit*. Similiter dicendo; *tunc temporis*, hoc Adverbium, *tunc* propter modum significandi accidentalem, qui est modus *ut alterius*, construitur cum Genitivo habente se per modum, *ut cujus*, et sic de aliis. 3

CAPUT XXXIV

De modis significandi essentialibus subalternis Adverbii.

Sub modo essentiali generalissimo Adverbii duo modi essentiales subalterni continentur. Quorum primus est modus significandi per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione significati. Secundus modus, est modus significandi per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione modi significandi. Et hos duos modos Donatus appellat *significationem Adverbii*. Nam sicut per *qualitatem* in Nomine, dat intelligere modum communis, et appropriati; per *qualitatem* in Pronomine, demonstrationem, et relationem; per *qualitatem* in Verbo, modum, et formam; sic per significationem in Adverbio, dat intelligere duos modos essentiales subalternos * mediatos. 4

Et notandum est, quod duplex est *significatio*, una qua vox refertur ad ÷ esse, et per quam vox formaliter fit dictio, ut prius dictum est; et hæc est essentialis cuilibet parti. Nam quælibet pars orationis aggregat in se tria scilicet vocem, *significationem*, et modum significandi. Alia est significatio, quæ idem est, quod modus significandi: et hæc est alia in Adverbio, alia in Participio, et alia in Interjectione. 5

qui modi significandi sunt. Quis autem modus sit *significatio* in Participio, et Interjectione, postea patebit.

Modus significandi Adverbii. *Significatio in Adverbio*, ut dictum est, *est modus significandi, quo mediante, Adverbium repræsentat specialem modum determinandi Verbum, vel Participium, aut ratione significati, aut ratione modi significandi.* Unde *significatio* non est modus accidentalis Adverbio, sed essentialis specialis, nisi pro tanto dicatur accidentalis; quia est extra rationem Adverbii absolute, ut prius dictum est de qualitate Pronominis in Pronomine.

CAPUT XXXV

De modis essentialibus specialissimis Adverbii ex parte rei significatæ, et ex parte modi significandi

7. Sub his duobus modis subalternis Adverbii, ad modos essentiales specialissimos descendamus. Primus est modus significandi, per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione rei significatæ : et dividitur in quatuor species essentiales, quatuor species Adverbiorum constituentes, quæ sunt Adverbia *loci, qualitatis, quantitatis, vocandi.*

8. *[A]dverbia loci* Adverbium *loci*, est quod determinat rem Verbi ratione loci. Et hoc dupliciter, vel per modum requirentis locum, vel respondentis ad locum. Si per modum requirentis, hoc est quadrupliciter : vel est in quo, et sic est ubi; vel a quo, et sic est unde; vel ad quem, et sic est quo; vel per quem, et sic est qua. Si per modum respondentis ad locum, sic sunt ista Adverbia, *hîc, ibi, illic, inde, intus* et hujusmodi.

9. *[Qu]antitatis.* Adverbium *quantitatis* significat per modum determinantis rem Verbi, vel Participii ratione mensuræ continuæ, vel discretæ. Et sub hac specie comprehenduntur Adverbia separandi, ut *seorsum, retrorsum*, et hujusmodi. Et hoc vel per modum requirentis mensuram, ut *quoties, quantum*; vel per modum respondentis mensuram, et sic sunt ista Adverbia *multum, parum, modicum, minimum, minime, semel, bis, ter, quater.*

Et notandum, quod Donatus appellat Adverbium quantitatis discretæ, *Adverbium numeri*, non quod determinet Verbum, vel Participium ratione *numeri*; cum etiam possit determinare aliquod Verbum, quod nullius est numeri, ut dicendo *legere semel*, vel *amare bis, ter, quater.* Sed ideo dicitur determinare Verbum ratione *numeri;* quia determinat rem Verbi ratione mensuræ *discretæ*, cujus species est *numerus* ; vel ideo, quia repræsentat rem Verbi esse iteratam : et sic sunt ista Adverbia, *bis, ter, quater;* vel repræsentat rem Verbi esse iteratione privatam, ut *semel.* Ex unitate enim multoties iterata numerus causatur; propterea a Donato *Adverbium numeri* nuncupatur. 10. Donat. c. de *Adverbio.* *Cur aliqua dicantur Numeri.* Donat. citat.

Adverbium *qualitatis* significat per modum determinantis rem Verbi, vel Participii ratione qualitatis; et hoc dupliciter, vel per modum requirentis rem Verbi, ut *qualiter, quomodo*; vel per modum respondentis ad qualitatem, ut *docte, prudenter.* 11. *Qualitatis.*

Adverbium *vocandi* est quod Verbum ratione actus exercitandi determinat, prout ad ipsum * resolvitur substantia vocativi vocata ut, *o Henrice lege.* 12. *Vocandi.*

* redditur substantia verbi.

Secundus modus significandi per modum determinantis rem Verbi, vel Participii ratione modorum significandi, dividitur in tres modos, scilicet in modum significandi per modum determinantis Verbum, vel Participium ratione *Compositionis* : et in modum significandi per modum determinantis Verbum ratione *Temporis* : et in modum significandi per modum deternantis Verbum ratione *Qualitatis* sive modi : qui dicuntur *Indicativum, Optativum, Imperativum*, etc. 13. *Determinare modum significandi.* *Tres species.*

Modus significandi per modum determinantis Verbum ratione *compositionis*, est modus significandi per modum determinantis inhærentiam Verbi : et subdividitur 14. *Ratione compositionis.*

modi. in quatuordecim modos specialissimos: quatuordecim species Adverbiorum constituentes, quæ sunt Adverbia *interrogandi*, *dubitandi*, *affirmandi*, *negandi*, *modificandi*, *demonstrandi*, *ordinis*, *similitudinis*, *eventus*, *prohibendi*, *eligendi*, *congregandi*, *residendi*, *excludendi*. Adverbia *interrogandi* determinant inhærentiam Verbi, sub ratione requirentis causam, ut *cur*, *quare*, et hujusmodi. Adverbia *dubitandi* determinant inhærentiam Verbi, sub ratione dubitationis, ut *forsan*, *forsitan*, etc. Adverbia *affirmandi* determinant inhærentiam Verbi ratione affirmationis, vel assensus : ut *etiam*, *certe*, et hujusmodi. Adverbia *negandi* determinant inhærentiam Verbi, sub ratione negationis : ut *haud*, *non*, *neque*. Adverbia *jurandi* sub istis duobus modis continentur. Adverbium *modificandi* determinat inhærentiam Verbi, sub ratione necessitatis, contingentiæ, possibilitatis, vel impossibilitatis, et sic intelligitur suo modo de aliis. Nam Adverbia habent fere idem pro significato : et pro modo significandi, sicut hoc Adverbium *forte*, de suo significato speciali importat eventum : et significat per modum eventus; et ideo cognito significato speciali, cognoscitur et modus significandi : quia non discrepant nisi penes rationem, sicut absolutum et comparativum.

15. Modus significandi per modum determinantis verbum, ratione *modi*, qui est *qualitas* inclinationis, subdividitur in duos modos specialissimos, duas species Adverbiorum constituentes; quæ sunt Adverbia *optandi*, et *hortandi*. Adverbia *hortandi* determinant inhærentiam Verbi, sub ratione exhortationis exprimendæ, ut *eia*, *age*. Adverbium *optandi* determinat inhærentiam Verbi, sub ratione voti, vel desiderii, ut *utinam*.

16. Modus significandi per modum determinantis Verbum, sub ratione temporis, subdividitur in duos modos speciales, duas species Adverbiorum constituentes, scilicet, Adverbium temporis *interrogativum* et *responsivum*. Adverbium temporis *interrogativum* significat per modum determinantis Verbum, sub ratione temporis, per modum inquirentis tempus, ut *quando?* Adverbium temporis *responsivum* significat per modum determinantis inhærentiam Verbi ratione temporis, sub modo respondentis, ut *nunc*, *nuper*, *hodie*.

Et notandum, quod nulla species Adverbii determinat Verbum sub ratione modi significandi essentialis generalissimi ipsius Verbi : sed sub ratione modorum specialium, vel accidentalium, ut visum est. 17.

Et notandum quod Donatus ponit quædam Adverbia specialia personalia ; quæ tamen adverbia non sunt, nec Verbum ratione personæ determinant : quia etiam possunt adjungi Verbis, quæ sunt nullius personæ, ut dicendo : *legitur mecum*, *amatur tecum*. Unde dicendum, quod secundum Priscianum, sunt Pronomina cum Præpositione per Apostropham prolata : et transitive cum Verbis a parte post constructa. Sic etiam patet, quod sicut modus significandi essentialis generalissimus Adverbii dividitur in modos subalternos ad modos specialissimos descendendo : sic pari modo Adverbium simpliciter sumptum, dividitur in Adverbia specialia. 18.

Dividitur autem Adverbium, primo in Adverbium determinans Verbum ratione significati, et in Adverbium ratione modi significandi ; Adverbium determinans Verbum ratione significati, subdividitur in Adverbium *loci*, *quantitatis*, *qualitatis*, *et vocandi*. 19

Item Adverbium determinans Verbum ratione modi significandi, subdividitur in Adverbium determinans Verbum ratione *compositionis*, *ratione modi*, *et ratione temporis*. 20

Item Adverbium determinans Verbum ratione *compositionis* subdividitur in Adverbium *interrogandi*, *dubitandi*, *affirmandi*, *negandi*, *modificandi*, *ordinis*, *similitudinis*, *eventus*, *prohibendi*, *eligendi*, *congregandi*, *demonstrandi*, *residendi*, *excludendi*. Item Adverbium determinans Verbum ratione *modi* subdividitur in Adverbium *hor-* 21.

Marginalia: *modi.* — *Interrogandi.* — *Dubitandi.* — *Affirmandi.* — *Negandi.* — *Jurandi.* — *Modificandi.* — *Determinant qualitatem.* — *Duæ species.* — *Hortandi.* — *Optandi.* — *Determinant tempus duæ species.* — *Interrogativum.* — *Responsivum.* — *Donat. citatus.* — *Priscian. lib. 11.* — *Ratio divisionis præmissæ.*

tandi et *optandi*. Item Adverbium determinans Verbum ratione *temporis*, subdividitur in Adverbium *requirens tempus*; et Adverbium *respondens tempus*, de quibus omnibus dictum est.

22. De *Comparatione*, *specie*, et *figura* dicendum est hîc, sicut in Nomine. Et sic patent modi significandi essentiales et accidentales Adverbii, qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus sumuntur.

CAPUT XXXVI

De modo significandi essentiali generalissimo Participii

1. *Participium convenit cum Verbo.* Modus significandi essentialis generalissimus Participii, est modus significandi per modum *esse indistantis* a substantia. Circa quod notandum, quod modus *esse* in Participio, et in Verbo, ab eadem rei proprietate oritur, quæ est proprietas fluxus, et successionis; et in hoc modo Participium a Verbo non discrepat.

2. Modus autem *indistantis* a subtantia, seu modus *uniti* subtantiæ, sumitur ab eadem rei proprietate in Participio, a qua sumitur modus *adjacentis* in Nomine : et *compositio* in Verbo : et hæc est proprietas inhærentis alteri secundum esse. Et non est inconveniens ab eadem rei proprietate modos significandi diversos, non oppositos, oriri : cum modi significandi oppositi, in eadem voce possint fundari. Et per hunc *Ejus differentia a Verbo.* modum significandi, Participium a Verbo distinguitur, et per ipsum Participium in suum suppositum in constructione, et in situ collocatur.

3. *Definitur.* *Participium* ergo, *est pars orationis, significans per modum* esse indistantis *a substantia, sive* uniti *cum substantia quod idem est.* Et dicitur *participium*, quasi *partem* Nominis, et partem Verbi *capiens*, non partem essentialem, id est, modum essentialem utriusque. Et quidam dicunt quod Participium significat per modum *entis*, et per modum *esse*, quod falsum est: quia tunc Participium non esset ab utroque distinctum specifice, quod est inconveniens. Sed pro tanto *Ratio ejus.* dicitur Participium capere partem Nominis et Verbi : quia habet quosdam modos significandi accidentales modis accidentalibus Nominis, et Verbi consimiles, ut statim apparebit.

CAPUT XXXVII

De modis significandi essentialibus subalternis et specialissimis Participii

4. *Ejus div[isio] subalterna* Sub modo essentiali generalissimo Participii ad modos subalternos descendamus. Dividitur autem modus *esse indistantis*, in tres modos subalternos. Primus modus est modus significandi per modum *esse* * *generaliter respectu cujuslibet esse specialis*. Et hic modus constituit Participium *substantivum*, ut *ens*, *existens*. Secundus est modus significandi per modum *esse generalis*, *respectu nominationis propriæ tantum*. Et hic modus constituit participium *vocativum*; ut *nominans*, *vocans*. Tertius, est modus significandi per modum *esse specialis actionis*, *vel passionis*. Et hic modus constituit Participium *Adjectivum*.

* *generalis* — *Substanti[vum]* — *Vocativum* — *Adjectivu[m]*

5. *Divisio ad[jec]tivi in q[ua]tuor modos* Et subdividitur iste modus esse specialis actionis, vel passionis in quatuor modos essentiales specialissimos. Primus est modus significandi per modum *actionis tantum*; et hic modus constituit Participium ab *activo* descendens, ut *legens*, *amans*. Secundus modus est modus significandi per modum *passionis tantum*; et hic modus constituit Participium a Verbo *passivo* descendens, ut *amatus*, *lectus*. Tertius est modus significandi per modum *neutrius* : et hujusmodi modus constituit Participium a verbo *neutro* descendens, ut *stans*, *currens*. Quartus est modus significandi per modum utriusque simul : et hic modus constituit Participium a Verbo *communi* descendens, ut *criminans*, *criminatus*, et hujusmodi.

Activum. — *Passivum.* — *Neutrum.*

6. Et sic patet, quod sicut modus essentialis generalissimus Participii dividitur in modos subalternos, ad specialissimos des-

cendendo : sic etiam Participium, simpliciter sumptum, dividitur in participium *substantivum*, *et adjectivum*, *et vocativum*. Adjectivum subdivitur in *activum*, *passivum*, *neutrum*, *et commune*.

CAPUT XXXVIII

De modis significandi accidentalibus Participii

1. *...us significandi accidentalia Partici-* Consequenter de modis significandi accidentalibus Participii videamus. Sunt autem secundum Donatum, sex accidentia Participii, scilicet, *significatio*, *genus*, *tempus*, *numerus*, *figura*, *casus*. Significatio in Participio, secundum Grammaticos idem est, quod genus in Verbo, et ab eadem proprietate sumitur. Genus autem in Verbo, ut dictum est, est modus significandi per modum dependentiæ Verbi ad obliquum post se, in ratione termini : et hoc idem est *significatio* in Participio. (*...nat. c. de ...icipio.*)

2. Ex hoc sequitur quod quemcumque modum significandi Verbum exigit post se in obliquo, ratione generis, eumdem exigit Participium post se in obliquo, ratione significationis ; et hic modus est modus significandi in ratione termini absolute, et non contracti, tamen contrahitur : ut dictum est de Verbo *. Quod autem aliquod Participium sit significationis activæ, vel passivæ, et sic de aliis, hoc totum de parte vocis attenditur. (*...ra c. 25.*)

3. *...identales, qui mu... ...ur a sub... ...ia.* De *genere*, *numero*, *figura*, *casu*, *et persona*, sicut in Nomine dictum est, intelligitur hic : et de *tempore* eodem modo intelligitur hic, sicut dictum est de Verbo. Sed tamen notandum, quod Nomina Adjectiva, et Pronomina, quæ sunt Adjectiva, et Participia Adjectiva habent *casus*, *numerum*, *genus*, *et personas*, non ex parte suæ rei, per se loquendo ; sed ex parte rei subjectæ. Nam significatum istorum non stat per se, sub proprietate agendi, vel patiendi, a qua oritur *genus* ; nec stat per se, sub proprietate unius, vel plurium, a qua sumitur *numerus*, cum accidentia numerentur ad numerationem subjectorum : nec etiam stat per se sub proprietate termini, vel principii, a qua oritur casus : non enim tali dependentia constructio ennunciatur, et terminatur ; nec etiam stat per se, sub proprietate loquendi, a qua oritur persona : sed res subjecti per se sub talibus proprietatibus consistit. Unde dicta accidentia insunt eis per attributionem sui ad subjectum, et ideo etiam hujusmodi adjectiva requirunt dicta accidentia in subjectis, non per modos significandi proportionales, sed similes : scilicet, simile *genus*, similem *numerum*, similem *casum*, similem *personam*, requirunt, ut postea patebit. Et sic patent modi significandi Participii essentiales, et accidentales, qui sunt, et quot sunt ; et a quibus proprietatibus oriuntur.

De significato Participii hoc intelligendum est, quod intelligitur de significato cujuslibet termini concreti accidentis, quod quidam ponunt aggregatum ex utroque, scilicet ex accidente, et subjecto. Et quidam ponunt illud solum esse accidens, sub modo dependentis ad ipsum subjectum. Alii ponunt aggregatum formaliter esse : tamen per rationem accidentis. Et quia omnes istæ positiones habent forte defensores, ideo de significato Participii disputantibus relinquantur. (*Opin. controv.*)

CAPUT XXXIX

De modo significandi Conjunctionis tam essentiali generalissimo, quam subalterno specialissimo

Modus significandi essentialis Conjunctionis generalissimus est modus significandi per modum *conjungentis duo extrema*. Et sumitur iste modus significandi a proprietate conjungentis, et unientis in rebus * extra. *Conjunctio ergo est pars orationis, per modum conjungentis duo extrema significans.* 1.

Sub modo essentiali generalissimo Conjunctionis ad modos * subalternos, per divisionem descendamus. Dividitur autem iste modus *conjungentis duo extrema*, in modum conjungentis duo extrema per vim, 2.

et in modum conjungentis duo extrema *per ordinem*. Et hos duos modos Donatus appellat *potestates*. Et habet se similiter *potestas* in Conjunctione, sicut *significatio* in Adverbio. Nam sicut *significatio* in Adverbio, consistit in speciali modo determinandi : sic *potestas* in Conjunctione, consistit in speciali modo conjungendi. Et istiusmodi modus est modus conjungendi *per vim, et per ordinem*. Ex hoc patet quod *potestas* in Conjunctione non est modus significandi accidentalis, nisi pro tanto, quia est extra rationem Conjunctionis simpliciter, et absolute sumptæ, ut dictum est de significatione in Adverbio.

Donat. cap de *Conjunctione*.

7\. *Primus modus.* Modus significandi per modum *conjungentis duo extrema per vim, est modus significandi,* * *uniendi duo extrema, quæ inter se dependentiam non habent*, ut duo Substantiva, vel duo Adjectiva, vel duas orationes, inter se ordinem non habentes.

* *unientis*.

Dividitur in duos. Et dividitur in duos modos essentiales specialissimos. Quorum primus est *modus significandi per modum conjungentis duo extrema inter se, et respectu alicujus tertii.* Et iste modus constituit Conjunctiones *copulativas*. Secundus modus est *modus significandi, per modum conjungentis duo extrema inter se,* * *distinguendo ea respectu tertii*. Et hic modus constituit Conjunctiones *disjunctivas*, de quibus Boëtius dicit, quod *Conjunctio disjunctiva sentit hoc, quod ea quæ conjungit, simul esse non permittit.*

Copulativa.

* *disjungentis.*

Disjunctiva.

Boët. lib. de divisionibus.

8\. *2. Modus conjungit per ordinem.* Item modus significandi per modum conjungentis duo extrema *secundum ordinem*, est modus unientis duo extrema per ordinem inclinata et dividitur in duos modos essentiales specialissimos : quorum primus est *modus significandi per modum conjungentis duo extrema secundum ordinem ex parte ante, se tenentia.* Et hic modus constituit Conjunctiones *causales*, quæ se tenent ex parte antecedentis, quod est causa consequentis, dicendo sic : *Socrates currit, ergo movetur.*

Conjunctio causalis.

9\. Secundus, est *modus significandi per modum conjungentis duo extrema, secundum ordinem, ex parte consequentis se habentia.* Et hic modus constituit Conjunctiones *rationales* : et bene *rationales* dicuntur, quia magis se tenent ad partem * *consequentis, cujus ratio* dependet ab antecedente, ut dicendo : *Terra interponitur inter solem, et lunam; ergo luna eclipsatur.*

* *conjun tis, cujus*

Et est notandum, quod quædam Conjunctiones dicuntur *expletivæ*, quæ secundum veritatem non sunt Conjunctiones, quia non conjungunt, sed tantum conjuncta ornant, et in sermone non sumuntur propter necessitatem, sed propter ornatum. Si autem eas Conjunctiones *expletivas* volumus includere in speciebus Conjunctionis, hoc modo sufficientiam harum specierum sumamus : Omnis Conjunctio aut conjungit duo extrema, aut duo extrema conjuncta ornat. Si conjungit, hoc est dupliciter, aut *per vim*, aut *per ordinem*. Si *per vim*, hoc est dupliciter, aut conjungit aliquid inter se distinguendo respectu tertii : et sic sunt Conjunctiones *disjunctivæ*; si *per ordinem*, hoc est dupliciter, aut Conjunctio se tenet ex parte antecedentis, et sic sunt *causales*; aut magis ad consequens, et sic sunt *rationales*. 10.

Expletivæ

Ratio ex s cientia sionis.

Si autem Conjunctio extrema non conjungit, sed conjuncta adornat, sic tunc sunt Conjunctiones *expletivæ*; quia extra plenum sensum orationis sunt positæ. Et sic patet, quod sicut modus significandi essentialis generalissimus dividitur in duos modos speciales, ad specialissimos descendendo; sic dividitur Conjunctio simpliciter sumpta in conjunctionem conjungentem *per vim*, et conjunctionem conjungentem *per ordinem*. Conjunctio *per vim* conjungens dividitur in conjunctionem *copulativam, et disjunctivam*. Item Conjunctio conjungens *per ordinem*, dividitur in conjunctionem *causalem et rationalem*. 11.

CAPUT XL

De modis significandi accidentalibus Conjunctionis

Consequenter de modis significandi accidentalibus Conjunctionis videamus : qui 1.

Modi ac tales tre

sunt tres, scilicet *species*, *figura*, *et ordo*. De *specie*, *et figura* in Conjunctione idem sicut in Nomine dicendum est, ab eisdem enim proprietatibus sumuntur utrobique. *Ordo* in Conjunctione sumitur ab ordine in rebus ab extra.

2. Est enim *ordo* in Conjunctione modus significandi activus, quo mediante, Conjunctio ordinem extremorum consignificat, ratione cujus ordinis aut conjunctio præponitur tantum, aut postponitur, aut indifferenter præponitur, et postponitur extremis conjunctis. Et sic patent modi significandi Conjunctionis qui sunt, et quot sunt, et unde oriantur.

CAPUT XLI

De modo significandi essentiali generalissimo Præpositionis

3. *...positio. ...dus ejus ...tialis significandi.* Modus significandi essentialis generalissimus Præpositionis, est modus significandi per modum *adjacentis alteri casuali* ipsum contrahens, et ad actum retorquens. Et iste modus Præpositionis sumitur a proprietate determinationis, et coarctationis in rebus.

4. Et est notandum, quod Præpositio non est inventa propter verba vehementis transitionis, ut quidam dicunt; hoc enim non videtur Grammatice dictum, cum Grammaticus velocem, vel tardam transitionem non consideret. Item quædam verba Præpositiones exigunt, quæ tamen nullam habent transitionem, nec velocem, nec tardam, ut dicendo, *sum in domo*, nam incongrue dicitur, *sum in domo*. Item dicendo *annulus ex auro* : illud nomen *annulus*, exigit Præpositionem, non tamen ullam transitionem habet, ut patet de se.

5. *...um, non ...cunque, ...ai.* Unde dicendum est, quod Præpositio inventa est finaliter propter * casuale, non quodcumque, sed quod est Accusativus, et Ablativus. Nam, sicuti dictum est de Nomine, † quod Accusativus est modus significandi, *ut quem*, contrahibilis per modum *ut ad quem*, *in quem*, *prope quem*, *et post quem*, et sic de aliis. Similiter Ablativus est modus significandi per modum *ut a quo*, contrahibilis *ut a quo*, *et in quo*, *et cum quo*, et hujusmodi. Talis autem coarctatio casualis fit per Præpositiones Accusativo casui, vel Ablativo deservientes.

...ra c. 19. præposi...

Unde Præpositio inventa est, ut primo modum casualem contrahat, et coarctet; et deinde casualem ad actum reducat. Per hoc enim quod Præpositio casuale coarctat, et contrahit, Præpositio casuale ad actum reducit, et sufficienter disponit, ut cum actu construatur, et sumatur. 6.

Hic sumitur *actus* pro constructibili dependenti ad casuale; non enim dependens ad casuale, mediante Præpositione, semper est actus, licet ut frequenter. Est ergo *Præpositio pars orationis, significans per modum adjacentis alteri casuali ipsum contrahens, et ad actum reducens*, etc. 7. *Definitio Præpositionis.*

CAPUT XLII

De modis significandi tam subalternis quam specialissimis Præpositionis

Sub hoc autem modo generalissimo Præpositionis, ad modos subalternos per quamdam divisionem descendamus. Dividitur autem iste modus generalissimus Præpositionis in tres modos subalternos, quorum primus est modus significandi per modum contrahentis, et retorquentis *Accusativum* tantum. Secundus modus est modus significandi per modum contrahentis et retorquentis *Ablativum* tantum. Tertius modus, est modus significandi per modum contrahentis, et retorquentis *Accusativum*, *et Ablativum*, scilicet utrumque indifferenter. 1. *Modi subalterni significandi tres.*

Et hos tres modos essentiales subalternos vocat Donatus *casum Præpositionis*. Et habet se similiter casus in Præpositione, sicut *significatio* in Adverbio, et *species* in Conjunctione. Nam sicut significatio in Adverbio sumitur in modo speciali determinandi, et *species* in Conjunctione in speciali modo conjungendi; sic casus in Præpositione consistit in speciali modo contrahen- 2. *Don. cap. de Præpositionibus.*

di, et retorquendi. Et hoc tripliciter variatur, ut dictum est; et ex hoc patet quod *casus* non est accidens Præpositionis, nisi secundum quod dictum est de *significatione* in Adverbio, et de *potestate* in Conjunctione.

3. *Primus modus significandi Præpositionis.* Item, primus modus significandi, scilicet, per modum contrahentis *Accusativum*, dividitur in triginta modos specialissimos, triginta species specialissimas Præpositionis constituentes, quæ sunt *apud, ante*, etc. quæ diversos habent modos contrahendi casuale; licet in his non inveniatur pluralitas individuorum : sed quod sunt species, tot sunt individua.

4. *Secundus modus.* Secundus modus significandi, scilicet modus contrahentis *ablativum* tantum, subdividitur in quindecim species specialissimas Præpositionis constituentes : quæ sunt *a, ad, absque*, etc. De quibus idem est dicendum sicut prius.

5. *Tertius modus.* Tertius modus significandi, scilicet per modum contrahentis utrumque casuale, subdividitur in quatuor modos specialissimos, quatuor species Præpositionis constituentes, quæ sunt, *in, sub, super, et subter*. Et sic patet, quod sicut modus significandi essentialis generalissimus Præpositionis dividitur in modos subalternos, ad specialissimos descendendo : sic Præpositio simpliciter sumpta, dividitur in Præpositiones deservientes *Accusativo* tantum, et in Præpositiones deservientes *Ablativo* tantum : et in Præpositiones deservientes utrique.

6. Item Præpositiones deservientes *Accusativo* tantum, dividuntur in triginta species, Et Præpositiones deservientes *Ablativo* tantum in quindecim species: et Præpositiones deservientes utrique, in quatuor species, de quibus omnibus visum est.

7. Notandum, quod cum *Præpositio* dicatur a *præponendo*, quod secundum Grammaticos dicitur præponi partibus orationis dupliciter. Uno modo per *appositionem*, cum Præpositio servat sibi vim divisionis : et manet Præpositio per ejus modum significandi essentialem generalissimum. Et hæc est vera Præpositio, et ab aliis partibus orationis distincta. Alio modo præponitur partibus orationis per *compositionem* ; et tunc non manet per se dictio, nec pars orationis : sed cadit in vim dictionis, cum qua componitur : et tunc Præpositio non retrahit, nec retorquet, sed complet, aut mutat, aut minuit. *Vis ejus composito.*

8. Præpositio autem dupliciter componitur cum partibus. Uno modo separabiliter, ita quod præter compositionem potest dictionibus adjungi, et a * dictionibus separari, et sub † proprio monstrare. Alio modo inseparabiliter, et sic non meretur dici Præpositio, nisi valde improprie, propter quamdam similitudinem, quam habet cum Præpositione in compositione. Nam sicut Præpositio in compositione complet, aut mutat, aut minuit ; sic etiam istæ : ut *distraho, reprobo, regredior*, et hujusmodi.

* compositione. † Præpositionis.

9. Et ultimo est notandum, quod Præpositiones in compositione, non sunt veræ Præpositiones, quia per se nihil significant, cum non sint per se dictiones, nec etiam per se modum significandi habent ; sed adduntur aliis dictionibus tanquam syllabicæ adjectiones : ut *met, pte*, et hujusmodi. Quare autem habitudo, vel circumstantia causarum * attribuitur Præpositioni, hoc magis fortasse ex significatione constructibilium extremorum elicitur. Nam Præpositio extra compositionem, si per se proferatur, nulla circumstantia causarum per eam exprimitur, nec de vi vocis, nec de vi significati, nec de vi alterius modi significandi : et sic patent modi significandi Præpositionis, qui sunt, et quot sunt, et a quibus proprietatibus sumantur.

* adjunga[...]

CAPUT XLIII.

De modo significandi essentiali generalissimo Interjectionis

10. *Interjecti[...]* Modus significandi essentialis generalissimus Interjectionis, est modus significandi per modum determinantis alterum, quod est Verbum, vel Participium, * affectiones animi repræsentans. Nam cum anima af-

* cum affe[...]nis repræ[...]tatione.

ficitur motu doloris, gaudii, metus, et hujusmodi : hoc per Interjectiones exprimitur. Unde Interjectio determinat Verbum, vel Participium non simpliciter, sed in comparatione ad animam, ejus affectum exprimens.

11. ...*nitur.* *Interjectio* ergo *est pars orationis significans per modum determinantis alterum, quod est Verbum, vel Participium, affectus, vel motus animæ repræsentans*. Et hoc voluit Donatus significare, cum dixit, quod *Interjectio est pars orationis significans mentis affectum, voce incognita* : id est, conceptum mentis sub voce non deliberata, sed quasi abrupte prolata.

...*at. c. de* ...*jectione.*

CAPUT XLIV.

De modis significandi specialissimis, et de sufficientia Divisionis Interjectionis

12. ...*divisio.* Sub hoc modo essentiali generalissimo Interjectionis, ad modos specialissimos descendamus. Dividitur autem ille modus in quatuor modos speciales.

13. ...*jectio do*... Primus est modus significandi Interjectionis, per modum determinantis alterum, motum doloris, vel tristitiæ in anima repræsentans. Et iste modus constituit Interjectionem *doloris, ut heu*.

...*entis.* Secundus modus, est modus significandi per modum determinantis alterum, motum gaudii vel lætitiæ in anima repræsentans. Et iste modus constituit Interjectionem *lætitiæ*, ut *evax*, et hujusmodi.

14. ...*irantis.* Tertius modus, est modus significandi per modum determinantis alterum, motum admirationis in anima repræsentans. Et hic modus constituit Interjectionem *admirationis* : *ut Papæ*, et hujusmodi.

15. ...*entis.* Quartus modus, est modus significandi per modum determinantis alterum, motum terroris, vel metum repræsentans. Et iste modus constituit Interjectiones *metus ut dech, at*, et similia. Et hos quatuor modos specialissimos essentiales Interjectionis Donatus sub *significatione* comprehendit : et habet eodem modo se *significatio* ad Interjectionem, sicut *significatio* ad Adverbium, et *potestas* ad Conjunctionem, et *casus* ad Præpositionem.

...*t. citat.*

Sicut enim *significatio* in Adverbio consistit in speciali modo determinandi ; et *potestas* in Conjunctione in speciali modo conjungendi ; et casus in Præpositione in speciali modo contrahendi : sic *significatio* Interjectionis consistit in speciali modo determinandi, specialem motum in anima repræsentans. Et hoc contingit quatuor modis, ut visum est. Et ideo *significatio* non est accidens Interjectionis ; nisi sicut visum est de aliis. 16.

Sufficientia istarum specierum sic potest accipi : Cum Interjectio determinat Verbum, et exprimit motus, et affectiones in anima ; potest ergo anima moveri circa convenientia, vel circa non convenientia, vel circa medio modo se habentia. Si circa convenientia, sic sunt Interjectiones *lætitiæ* ; si circa non convenientia, hoc est dupliciter ; vel cadunt sub tempus præsens, et sic sunt Interjectiones *doloris* ; vel sub futurum, et sic sunt Interjectiones *metus*, quia de præsenti dolemus, et de futuro timemus : si autem anima afficitur circa media modo se habentia, sic sunt Interjectiones *admirationis*. 17. *Sufficientia.*

Notandum ergo est, quod Interjectiones, et aliæ partes indeclinabiles, non tot modos significandi habent, quot partes declinabiles, quia significatum partium indeclinabilium paucis subsistit proprietatibus, sed significatio partium declinabilium multis : ideo pauciores sunt modi significandi, partibus indeclinabilibus, quam declinabilibus. Et sic patent modi significandi Interjectionis, qui sunt, et quot sunt, et unde oriuntur. Et hæc de modis significandi essentialibus et accidentalibus octo partium orationis, prout ad Etymologiam spectant, dicta sufficiant. 18.

CAPUT. XLV.

De tribus passionibus octo partium orationis in generali

1. *Tres passiones orationis.* Habito de modis significandi octo partium orationis, sub ratione, qua sunt principium formale partium sermonis, secundum quem modum pertinent ad Etymologiam ,consequenter de ipsis dicamus prout sunt principium efficiens intrinsecum constructionis, et aliarum passionum sermonis : secundum quem modum pertinent ad Diasyntheticam ; et hoc nihil aliud est, quam applicare eos ad constructionem, congruitatem, et perfectionem, ostendendo qui modi significandi, quarum constructionum, congruitatum, perfectionum, sunt principia. De his ergo tribus passionibus determinemus.

Constructio. Congruitas. Perfectio.

2. *Principia constructionis quatuor.* Primo earum principia in generali videamus. Sunt autem quatuor principia essentialia construendi sermonem congruè, et perfecte, scilicet, *materiale, formale, efficiens, et finale.* Principium *materiale* construendi, sunt constructibilia ; quia sicut se habet subjectum ad accidens, sic se habent constructibilia ad constructionem : sed subjectum est materia accidentis, nam accidens non habet materiam *ex qua*, sed *in qua* ; ergo constructibilia sunt materia constructionis. Et unius constructionis non sunt plura, vel pauciora duobus ; quia, ut patebit, constructio causatur ex dependentia unius constructibilis ad alterum: sed una dependentia non est nisi duorum, scilicet dependentis, et determinantis ; ergo unius constructionis non sunt nisi duo constructibilia principalia, scilicet dependens, et terminans.

Materiale.

3. Et ex hoc patet error dicentium hanc constructionem esse unam : *Homo albus currit bene.* Nam hìc sunt diversæ dependentiæ : una, quà Adjectivum dependet ad Substantivum : alia, quà Verbum dependet ad suppositum : tertia, quà * determinans dependet ad determinabile ; ergo non erit hìc una constructio. Similiter cum dicitur, *Socrates percutit Platonem* : hìcpropter diversas dependentias Verbi ad suppositum ante se, et ad obliquum post se, non potest esse una constructio, ut de se patet.

* determinatio.

Principium *formale* constructionis, est unio constructibilium, hoc enim est forma rei, per quod res habet esse : sed constructio habet esse per constructibilium unionem ; ergo constructibilium unio est forma constructionis. 4. *Principi[um] formale.*

Principium *efficiens* constructionis est duplex, scilicet *extrinsecum, et intrinsecum. Intrinsecum*, sunt modi significandi respectivi, ratione quorum, vel unum constructibile est ad alterum dependens, vel alterius dependentiam terminans ; a quibus modis significandi respectivis, abstrahuntur duo modi significandi generales, scilicet modus dependendi in uno constructibili, et modus dependentiam terminans in altero constructibili. 5. *Principi[um] efficiens [du]plex. Intrinsecu[m]*

Et hi modi significandi dicuntur efficere constructionem pro tanto ; quia præparant, et disponunt constructibilia, ad actualem unionem, quæ fit per intellectum : licet quædam magis remote, et quædam magis propinquè, ut patebit in sequentibus. Et dicuntur modi significandi principium *intrinsecum*, quasi inter constructibilia manentes. Sed principium efficiens *extrinsecum*, est intellectus, qui constructibilia per modos significandi disposita, et præparata actu unit in constructione, et sermone. Constructibilia enim qualitercumque summe disponantur ad unionem, per suos modos significandi ; nunquam tamen unum constructibile actu se alteri unit : sed hoc fit per intellectum, ut dictum est. Et dicitur intellectus principium *extrinsecum*, quasi extra constructibilia manens. 6.

Extrinsecu[m]

Principium *finale*, est expressio mentis conceptus compositi. Quia, ut dicitur 5. Metaph. tex. 21. *Finis est, gratia cujus aliquid fit* ; sed constructio partium orationis, fit gratia expressionis mentis conceptus compositi : ergo expressio mentis conceptus compositi, est finis constructionis. Unde Philo- 7. *Principium [fi]nale.*

sophus I. Perihermenias cap. I. dicit, quod *Ea quæ sunt in voce*, id est, voces significativæ in prolatione, quales sunt orationes Grammaticæ, *sunt notæ passionum earum, quæ sunt in anima*; scilicet signa conceptus mentis, vel animæ. Signum autem est finaliter propter significatum : ergo constructio, vel oratio in Grammatica, est finaliter propter exprimendum mentis conceptum.

CAPUT XLVI.

De natura constructionis in se, via Definitionis

1. *...e constru...ne in speciali.* Consequenter videamus de istis tribus passionibus in speciali : et primo de *constructione*, secundo de *congruitate*, et tertio de *perfectione*, quia constructio est potior congruitate, et congruitas prior perfectione, ut patebit.

Ad cognoscendum naturam constructionis in se, et in suis partibus subjectivis, notandum est, quod constructio est quoddam incomplexum univocum ; secundum autem Boëtium, incomplexum univocum habet duplicem cognitionem, scilicet per definitionem, quâ res cognoscitur secundum sui esse ; et per divisionem, quâ res cognoscitur secundum sui posse. Ad definitionem ergo constructionis, et ad ejus divisionem procedamus. Definitur ergo constructio sic. *Constructio est constructibilium unio, ex modis significandi, et intellectu causata, ad exprimendum mentis conceptum compositum finaliter adinventa.* (*...ius lib. de ...itionib.*) (*...itio constructionis.*)

2. Ad cujus intellectum est notandum, quod definitio dat causam innotescendi : et cognoscendi rem, ut habetur 6. Topicorum cap. 1. Sed res cognoscitur per suas causas, ex quibus habet esse : ergo per suas causas habet definiri. Ex hoc sequitur, quod aliquid sufficientius cognoscitur, cum per suas causas omnes cognoscitur, quam quando cognoscitur per quasdam ejus causas tantum, ut patet ex intentione Philosophi 6. Metaph. text. 1. et deinceps. Sed prædicta definitio aggregat in se omnes causas constructionis. Nam per ly *constructibilium*, tangitur causa materialis : per ly *unio* causa formalis : per ly *ex modis significandi causata*, tangitur causa efficiens intrinseca : per ly *ob intellectu causata*, causa efficiens extrinseca : per ly *ad exprimendum mentis conceptum*, tangitur causa finalis : ergo dicta definitio est sufficiens. (*...finitio ex ...is fit.*)

CAPUT XLVII.

De constructione in suis partibus via divisionis

Visa natura constructionis in se via definitionis, consequenter ejus naturam videamus in suis partibus, via divisionis secundum omnes Grammaticos. Prima divisio constructionis, est hæc : Constructionum alia transitiva, alia intransitiva. Et ista divisio est sufficiens, quia ad has duas differentias reducuntur omnes constructionum species. Nam retransitiva, et reciproca ad transitivam reducuntur, ut postea patebit. (*Transitiva.*)

Ad intellectum membrorum hujus divisionis est notandum, quod in genere est dare primum, quod est metrum, et mensura aliorum, ut scribitur 10. Metaph. Com. 7. Est ergo in genere constructibilium dare primum constructibile : et si est dare primum, etiam erit dare secundum, quia primum, et secundum sunt differentiæ ordinis. Et illud est in omni constructione, constructibile primum, quod post se dependet ad obliquum. Illud vero secundum, quod ante se dependet ad suppositum. Illud est etiam secundum, quod dependet ad determinabile. Et ratio harum est : quia illud, quod post se dependet ad obliquum, dependet ad ipsum, ut ad terminum, et ultimum : quod autem ante se dependet ad suppositum, dependet ad ipsum ut ad principium, et ad primum ; quod autem dependet ad suum determinabile, dependet ad aliquid prius se : determinatio autem, et dispositio rei, est posterior ipsa re. (*Ex ordine.*)

Item notandum, quod cum omnis constructio requirat duo constructibilia, quorum

tet unum esse dependens, et alterum dependentiam terminans; quod sic probatur : quia illa duo constructibilia, ex quibus fit constructio, aut ambo dependent, aut ambo dependentiam terminant ; aut unum dependet, et alterum dependentiam terminat : sed non possunt ambo dependere, quia dependens accipitur ut quid in potententia : sed ex duobus entibus in potentia, non fit aliquid * unum, ut dicitur 7. Metaph. text. Com. 56 ; ergo ex duobus dependentibus non fit constructio. Item si ambo dependerent, mutuo dependerent. Sed quæ mutuo dependent, sunt simul natura : et talia non sunt secundum prius, et posterius ordinata. Dictum est enim quod constructibilium est ordo secundum prius, et posterius ; ergo, etc.

Ex dependentia.

* tertium.

6\. *Ex terminatione dependentis.*

Item constructibilia non possunt ambo terminare, quia terminans, ut est terminans, est ens in actu : sed ex duobus entibus in actu, non fit tertium ; ergo non possunt ambo terminare. Relinquitur ergo, quod constructibilium unum sit dependens, alterum vero dependentiam terminans.

Similitudo. Nam sicut ex materia, et forma, quorum unum est in actu, alterum vero in potentia, fit per se compositum in natura ; sic ex ratione dependendi, et terminandi fit per se constructio in sermone : illud autem constructibile est dependens, quod ratione actus modi significandi tantum petit, vel exigit ; illud vero constructibile est terminans, quod ratione alicujus modi significandi tantum dat, vel concedit, etc.

7\. Resumo ergo quod dictum est, quod in omni constructione est primum constructibile, et secundum. Aut ergo secundum dependet ad primum, aut primum dependet ad secundum, secundo per sui dependentiam a primo recedente. Si secundum dependet ad primum, sic est constructio intransitiva. *Constructio* ergo *intransitiva est constructio, in qua secundum constructibile, per suos modos significandi, dependet ad primum* : ut dicendo, *Socrates currit,* hoc verbum *currit,* quod est constructibile secundum, in hac constructione, dependet ad suppositum, quod est primum constructibile. Item dicendo, *Socrates legit bene,* hoc adverbium *bene,* quod est secundum constructibile in ista constructione, dependet ad verbum, quod est primum constructibile. Si autem constructibile dependet ad secundum, secundo non dependente ad primum, sed ad aliud a primo diversum, sic est transitiva.

Constructio ergo *transitiva, est in qua primum constructibile, per suos modos significandi, dependet ad secundum, secundo per ejus dependentiam a primo recedente, si dependens fuerit.* Et dico, *si dependens fuerit,* quia in hac constructione quandoque constructibile dependentiam non habet, sed solum primi constructibilis dependentiam terminat : ut sic dicendo, *percutio Socratem.* Quandoque autem secundum constructibile dependentiam habet, ut sic dicendo, *video legentem librum,* hoc Participium *legentem,* in ista constructione cum hoc, quod dependentiam verbi terminat ante se, quod est primum constructibile in hac oratione, etiam dependet ad obliquum post se, quod est diversum a constructibili primo. 8.

Duplex mo[dus] transitivæ.

Ex istis patet, quod constructio reciproca, et retransitiva, sub transitiva continentur. Nam constructio reciproca transitiva est, ut dicendo, *Socrates diligit se* ; quia hoc constructibile primum dependet ad secundum, secundo non dependente ad primum, sed ad aliud, si dependet. Item retransitiva est ex duobus transitivis composita, ut dicendo, *Socrates rogat me,ut diligam eum,* ideo sub transitiva continetur. 9.

Reciproca Transitivæ reducitur.

Et sciendum, quod istæ duæ differentiæ, *transitivum* et *intransitivum,* sumuntur in constructionibus metaphorice, idest, per quamdam similitudinem transitus realis. Nam aliquis dicitur realiter transire, quando transit de uno loco ad alium a primo diversum. Cum autem quis procedit ad aliquem terminum primum, et in isto manet, inde non divertens, tunc dicitur non transire. Sic in constructione intransitiva, 10.

quia dependentia unius, id est, posterioris constructibilis, vadit ad primum, inde non transiens, ideo intransitiva dicitur, ut, *Socrates currit* : in constructione vero transitiva, dependentia posterioris non vadit ad primum, sed transit ad aliud diversum a primo, ideo transitiva merito nuncupatur.

Differentia intransitivæ et transitivæ.

11. Notandum ulterius, quod in constructione intransitiva posterius constructibile, dependens ad primum, aliquo modo nititur identificari cum eo. In constructione autem transitiva, posterius constructibile non dependet ad primum, sed per suam dependentiam a primo recedens, aliquo modo nititur diversificari ab eo. Et inde est quod antiqui Grammatici dantes definitiones constructionis transitivæ, et intransitivæ, dabant eas per *idem*, et *diversum*, dicentes, *Constructionem intransitivam esse illam, in qua constructibilia pertinent ad idem, vel tanquam ad idem videntur pertinere.*

12. Constructionem autem *transitivam esse illam, in qua constructibilia pertinent ad diversa, vel videntur pertinere ad diversa.*

Illud autem debet intelligi modo, quo dictum est ; quia pro tanto constructibilia in constructione intransitiva dicuntur pertinere ad idem ; quia posterius constructibile, per suum modum significandi, dependens ad primum, aliquo modo nititur identificari cum eo. Pro tanto etiam constructibilia in constructione transitiva dicuntur pertinere ad diversa ; quia posterius constructibile, per suam dependentiam a primo constructibili recedens, aliquo modo nititur diversificari cum eo, vel ab eo. Et sic patet, quid est constructio *transitiva*, et *intransitiva*, et quare sic nominatur.

CAPUT XLVIII

De Divisione constructionis intransitivæ per actus, et personas, et specialiter de intransitiva actuum

1. Viso de constructione transitiva, et intransitiva, consequenter descendamus ad suas species. Dividitur autem constructio intransitiva, in constructionem *intransitivam actuum*, et constructionem *intransitivam personarum*. Constructio intransitiva *actuum, est in qua constructibile dependens, per modum actus significat*, ut dicendo, *Socrates currit*. Constructio intransitiva *personarum est, in qua constructibile dependens, significat per modum substantiæ, vel quomodolibet aliter*, ut dicendo, *Socrates albus currit bene*. Unde sub his ulterius descendamus.

Intransitiva duplex.

Intransitiva actuum.

Alia personarum.

2. Juxta quod notandum est, quod cum constructio *intransitiva actuum*, sit constructio suppositi cum apposito, et *intransitiva personarum* sit determinabilis cum determinatione ; ideo secundum diversitatem suppositorum, et diversitatem * determinantium : diversificatur constructio intransitiva actuum, et personarum.

* determinantium.

3. Juxta quod notandum, et primum de constructione intransitiva actuum, quod in omni constructione perfecta requiruntur duo extrema, secundum situm distantia, scilicet *suppositum*, et *appositum*. Et cum appositum significet per modum distantis a supposito secundum situm ; ideo supposito * addi non potest sine medio. Tale autem medium est ipsa compositio, ut dictum est de Verbo †, et ideo compositio in hujusmodi dependentia, maxime est Verbo necessaria. Ex quo patet quod omne Verbum requirit suppositum, sive sit personale, sive impersonale sive finitum, sive infinitum. Non tamen idem, sed aliud et aliud, secundum quod compositio cum modo Verbi fuerit aliter et aliter contracta, modo significandi * casus proportionabilis.

Suppositum, appositum, et distantia, medium.

* addi.

† [illegible]

* [illegible]

4. Resumo ergo, quod dictum est, quod cum constructio intransitiva actuum sit constructio suppositi cum apposito ; et cum nihil supponat, nisi casus vel habens casum ; ideo secundum diversitatem * casus supponentis, diversificatur constructio intransitiva actuum. Aut ergo Nominativus casus supponit, ut dicendo, *Socrates currit* ; aut Genitivus casus supponit, ut dicendo *Socratis interest* ; aut Dativus casus suppo-

Tamen cum appositio semper est.

* casuum supponentium.

nit, ut dicendo, *Socrati accidit* ; aut Accusativus supponit, ut dicendo, *Socratem legere oportet* ; aut Ablativus casus supponit, ut dicendo, *a Socrate legitur*. Vocativus autem supponere non potest, cum sibi ratio principii repugnet, ut visum est supra de Nomine ┼.

┼ supra c. 19.

CAPUT XLIX.

De principiis congruitatis constructionis intransitivæ actuum.

5. Principia congruitatis circa singulas partes jam dictas assignare possumus. Notandum ergo primo, quod congruitatis principia constructionis Verbi personalis cum supposito Nominativi casus, sunt sex modi significandi in apposito dependenti, quibus conformantur sex in supposito terminanti ; nam in apposito est modus * *esse*, cui in supposito correspondet modus *entis*. Secundo in apposito est compositio, cui in supposito correspondet modus *per se stantis*. Tertio in apposito est modus Verbi, cui in supposito correspondet ratio principii. Et hi modi significandi sunt utrobique principium remotum, et commune hujus congruitatis. Quarto in apposito dependenti est modus, scilicet, *ut ipsum est alterum* cui correspondet in supposito *ut quod est alterum*. Quinto est convenientia numeri in utroque. Sexto convenientia personæ in utroque. Et ista sunt principia specialia, et approbata.

* species. *Principia congruitatis sex.*

* *fieri.*

6. Principia autem congruitatis ┼ intransitivi suppositi Genitivi casus cum apposito, ut dicendo, *sui interest*, loquendo de principiis remotis, et communibus, sunt eadem, quæ erant in prædicta constructione, scilicet ex parte Verbi dependentis ante se modus *esse*, et compositio, et modus Verbi, quibus conformatur in supposito terminanti modus *entis*, et modus *per se stantis*, et ratio principii simpliciter sumpta. Principia autem propria, vel propinqua, sunt duo modi conformes, scilicet, ex parte dependentis, modus *ut alterius* ; ex parte terminantis, modus *ut cujus*.

┼ constructionis intransitivæ.

Principia congruitatis constructionis intransitivæ, in qua Dativus supponit : ut dicendo, *Socrati accidit*, accipiendo principia remota et communia, sunt eadem, quæ in prædictis : sed propria et* specialia principia, sunt duo modi conformes, scilicet modus *ut alteri*, ex parte dependentis : et modus *ut cui*, ex parte terminantis. 7.

* specialissima.

Principia autem congruitatis, constructionis intransitivæ, in qua Accusativus casus supponit, ut dicendo, *me legere, Socratem oportet scribere* ; sumendo principia remota, sunt eadem, quæ in prædictis. Sed principia propria specialissima sunt duo modi conformes. Nam in apposito dependenti, est modus Verbi simpliciter sumptus, id est, modo speciali, casui conformi, non contractus, nec contrahibilis : et in supposito est ratio principii actus simpliciter et non contracta, nec contrahibilis. 8.

Principia congruitatis constructionis intransitivæ, in qua Ablativus supponit, ut dicendo, *A Socrate legitur*, remota sunt eadem, quæ in prædictis. Sed principia propria, sunt duo modi conformes, scilicet, modus *ut ab aliquo*, in apposito, et modus, ut *a quo*, in supposito. 9.

Et nota, quod omnes istæ constructiones Verbi impersonalis a parte ante, cum obliquis, fiunt per modos proportionabiles, et non per modos* convenientes. Non enim requiritur in istis constructionibus convenientia *numeri*, et *personæ*. Unde sub quocumque *numero*, prædicta Verba possunt respicere sua supposita, ut dicendo, *me oportet, vos oportet*. Item sub quacumque *persona*, ut dicendo, *oportet me, oportet te, oportet illum*, et eodem modo intelligatur in aliis : et per hoc dicuntur impersonalia, quasi *numero* et *persona* privata.

* consimiles.

Et sciendum, quod licet tam verba personalia, quam impersonalia construantur cum obliquis, hoc tamen est differenter ; quia verba personalia construuntur cum obliquis transitive a parte post solum :* sed *verba impersonalia construuntur tam a parte ante intransitive, quam a parte post. 10.

* impersonal[ia] vero utroque modo transitive, et intransitive.

CAPUT L.

De Constructione intransitiva personarum in speciali, et principiis congruitatis ipsius.

1. *Intransitiva ...rsonarum.*

...determinabili quomodo diversificatur secundum diversitatem determinationum.

Dicto de constructione intransitiva actuum quomodo diversificatur, secundum diversitatem suppositorum, consequenter videndum est de constructione intransitiva* personarum determinati, cum determinatione : quomodo variatur, seu diversificatur secundum diversitatem determinationum.

...pectantia ad sermonem.

Juxta quod notandum, quod quidquid invenitur in sermone perfecto, vel est suppositum, vel appositum, vel aliquid ab utroque diversum, tamen ad aliquod illorum ordinatum, vel est determinatio alicujus horum trium : et hæc omnia inveniuntur in oratione quæ subsequitur : *Summa doctrina Tullii Rhetoris * instruit subtiliter artem Rhetoricam.*

...nstituit.

2. ...constructio determinationis cum determinabili.

Cum ergo † determinabilis cum determinatione diversificatur secundum diversitatem determinationum, aut ergo determinatio additur supposito, vel apposito, vel differenti ab utroque. Si determinatio addatur supposito, hoc est dupliciter : vel hæc determinatio est declinabilis, vel * indeclinabilis.

...determinatis.

Si declinabilis, hoc est quadrupliciter, quia vel ista determinatio declinabilis, est Adjectivum *denominativum* ; vel est Adjectivum *relativum*; vel Adjectivum *interrogativum* vel Adjectivum *distributivum*.

3. Si Adjectivum *denominativum*, sic ista est constructio : *Socrates albus, equus albus*, quæ specificam differentiam non habet : sed sub una specie constructionis continetur. Principia communia istius constructionis, ex parte Adjectivi dependentis, sunt modus *dependentis*, et modus *adjacentis*. Ex parte subjecti terminantis sunt modus *determinabilis*, et modus *per se stantis*, et convenientia in Genere, Numero, Casu, et Persona. Sed principia propria sunt duo modi conformes, scilicet, modus *denominantis simpliciter*, ex parte dependentis et modus *denominabilis simpliciter* ex parte terminantis. 4.

Si autem ista determinatio declinabilis sit Adjectivum *relativum*, sic est constructio relativi cum antecedente. Principia congruitatis hujus constructionis communia, sunt eadem, quæ in prædictis. Sed propria sunt duo modi conformes, scilicet, ex parte relativi dependentis, modus significandi per modum *referentis* : ex parte antecedentis, modus significandi per modum *referibilis*. 5.

Si autem ista determinatio declinabilis sit Adjectivum *interrogativum*, sic est constructio interrogativi cum suo responsivo. Principia hujus congruitatis communia, sunt eadem, quæ in prædictis, sed principia propria sunt duo modi conformes. Ex parte interrogativi dependentis, modus significandi per modum *certificabilis* sub ratione interrogantis : ex parte autem responsivi modus significandi per modum *certificantis* sub ratione responsibilis. 6.

Si autem determinatio sit Adjectivum *distributivum*, sic est constructio signi distributivi, cum termino communi : ut dicendo, *omnis homo, nullus asinus*. Principia congruitatis communia, sunt eadem, quæ in prædictis. Sed principia propria sunt duo modi significandi conformes. Ex parte signi distributivi, modus significandi per modum *distribuentis*. Ex parte termini communis, modus significandi per modum *distribuibilis*. Est autem notandum, quod in hujusmodi constructionibus conformitas omnium dictorum accidentium, quæ sunt principium commune congruitatis, non semper requiritur, sed ut frequentius. 7.

Si autem ista determinatio addita supposito, sit indeclinabilis, hoc est tribus quatuor modis ; quia aut est Adverbium, aut Adverbium, aut Præpositio, aut Interjectio, si est Conjunctio, hoc est dupliciter, quia aut conjungit suppositum apposito,

per *vim*, vel per *ordinem*. Si per *vim*, hoc est dupliciter, aut conjungit duo extrema inter se respectu tertii : ut *Socrates, et Plato currunt* ; aut disjungit ea respectu tertii: ut *Socrates, vel Plato currit*. Si autem Conjunctio conjungit suppositum apposito per *ordinem*, hoc est dupliciter : aut Conjunctio se tenet cum antecedente, aut cum consequente. Exemplum de utroque, ut dicendo, *si homo est ; ergo animal est*. Si autem determinatio indeclinabilis addita supposito, sit Præpositio, sic est ista : *A Socrate legitur*. Si autem determinatio indeclinabilis addita supposito, sit tantum Adverbium, sic est ista : *Tantum Socrates legit*. Si autem ista determinatio indeclinabilis addita supposito, sit Interjectio, sic
8. est ista : *Heu mortuus est*.

Et sciendum est, quod Adverbium in quantum Adverbium, non additur ei, quod est per se suppositum proprie, sed inquantum est Adverbium tale; scilicet, Adverbium exclusivum. Et dico, quod Adverbium non additur ei, quod est proprie suppositum ; quia dicendo, *currere velociter est bonum*, in ista oratione, infinitivus non supponit per se, sed gratia Nominis. Item Participium per accidens est suppositum, cum omne Participium sit adjectivum.

Idem intelligitur de Interjectione, dicendo, *heu mortuus est*, et hujusmodi. Principia autem harum constructionum congruitatis generalia, sunt duo modi conformes, scilicet modus determinantis, et modus determinabilis. Principia autem magis specialia congruitatis constructionis, in qua Conjunctio additur supposito, sunt ex parte Conjunctionis, modus *conjungentis* : et ex parte extremorum, modus *conjungibilis*. Sed principia secundum unamquamque speciem appropriata, sunt modi significandi, quibus una species Conjunctionis
* supra c. 39. specificæ ab alia distinguitur ; qui patent capitulo de Conjunctione * unicuique sub-
9. tiliter intuenti.

Item propria principia istius constructionis : *A Socrate legitur*, sunt duo modi significandi conformes, scilicet modus *contrahentis*, et *retorquentis* a parte Præpositionis, et modus *contrahibilis* et *retorquibilis* ex parte casualis.

Item propria principia congruitatis hujus constructionis, *Tantum Socrates legit*, sunt duo modi conformes, scilicet modus *excludentis* ex parte Adverbii *tantum*, et modus *exclusibilis*, ex parte supposit, scilicet, *Socrates*.

Item Propria principia congruitatis hujus constructionis, *heu mortuus est*, sunt duo modi conformes, scilicet modus *determinantis* sub affectu *doloris*, et modus *determinabilis*, qui est sibi proportionabilis ; et ita intelligatur in aliis Interjectionibus *lætitiæ*, vel *admirationis*, suo modo.

Si autem determinatio addatur apposito, 10.
hoc est dupliciter ; quia determinatio aut est declinabilis, vel indeclinabilis : si primo modo, sic est ista, *sum albus*, *vocor Adrianus*. Et principia hujus congruitatis, sive hujus constructionis communia, sunt eadem, quæ in prædictis. Sed principia propria, sunt duo modi conformes, scilicet ex parte appositi, modus significandi per modum *esse*, seu vocationis specialis in ratione specificantis. Ex parte terminantis modus significandi per modum determinantis illud, quod per modum *esse*, vel vocationis specialis, in ratione specificantis significat.

Si autem ista determinatio sit pars inde- 11.
clinabilis, hoc est tripliciter : aut est Adverbium, vel conjunctio, vel Interjectio. Si est Adverbium, hoc est dupliciter, quia vel Adverbium additur Verbo, ratione dispositionis rei significatæ, aut ratione modorum significandi : et utrobique sunt multæ constructiones secundum multas determinationes adverbiales de quibus omnibus dictum est capitulo de Adverbio*. * supra c. 35.

Principia autem congruitatis omnium 12.
harum constructionum generalia, sunt duo modi significandi conformes, scilicet modus *determinantis*, ex parte Adverbii, et modus *determinabilis*, ex parte appositi. Sed principia propria, sunt duo modi significandi, quibus unaquæque species Adverbii ab alia

distinguitur, quæ patent unicuique hoc diligenter inspicienti.

13. Si autem determinatio indeclinabilis addita apposito, sit Interjectio, hoc est quadrupliciter; quia aut illa Interjectio *lætitiam* exprimit, aut *dolorem*, aut *admirationem*, aut *metum*. Principia autem congruitatis harum constructionum communia, sunt eadem, quæ in prædictis. Sed propria principia sunt duo modi significandi, quibus unaquæque species Interjectionis distinguitur ab alia.

14. Si autem determinatio indeclinabilis addita apposito sit Conjunctio, hoc contingit eodem modo, sicut cum Conjunctio additur supposito. Sunt enim tot species, et eodem modo se habentes, congrue, vel constructive.

Si autem determinatio addatur ad illud, quod est diversum ab utroque, scilicet, supposito, et apposito, tamen ordinatum ad suppositum; tunc eodem modo fere diversificatur : et etiam tot species constructionum, quot sunt, cum determinatio additur ad suppositum, et eodem modo congrue.

15. Si autem determinatio addatur ad illud, quod est differens ab utroque, scilicet, supposito; tamen ordinatum ad appositum, diversificatur ut priores : et iterum tot sunt species constructionis, et eodem modo constructæ, ut unicuique patere potest diligenter intuenti. Et sic patent omnes constructiones intransitivæ, quæ sunt, et quot sunt principia congruitatis ipsarum, tam communia, quam propria.

CAPUT LI

De speciebus constructionis transitivæ, præsertim actuum, et principiis congruitatis ipsius

1. *Constructio transitiva.* Viso de constructione *intransitiva* via divisionis, consequenter de constructione *transitiva* via divisionis diligenter videamus. Dividitur autem constructio *transitiva*, in constructionem transitivam *actuum*,

2. *Transitiva actuum.* et constructionem transitivam *personarum*. Constructio transitiva *actuum*, est in qua constructibile dependens, per modum actus significat, ut *lego librum*. Constructio transitiva *personarum est*, in qua constructibile dependens per modum substantiæ significat, ut dicendo, *filius Socratis*. *Transitiva personarum.*

Constructio transitiva *actuum*, dividitur in constructionem transitivam *actus signati*; et in constructionem transitivam *actus exerciti*. Constructio transitiva actus exerciti non dividitur in species, sed tantum in individua, ut, *o Thoma*. Principia congruitatis hujus constructionis communia, sunt duo modi* ex parte dependentis, per quorum unum exigit modum *per se stantis*, et per alterum exigit rationem *termini absoluti*. Sed principia propria sunt duo modi conformes, scilicet modus significandi per modum *excitantis*, seu vocantis a parte Adverbii, *ô* : et modus significandi per modum *excitati* ex parte † vocativi. 2 *Actuum bipartita.*

Item constructio transitiva *actu* signati, dividitur secundum diversitatem constructibilis terminantis, quod in hujusmodi constructione est quadrupliciter : vel quia est Genitivi casus, ut dicendo, *misereor Socratis*; vel Dativi, ut *faveo Socrati*, vel Accusativi, ut *percutio Socratem*; vel Ablativi, ut *utor toga*. Principia congruitatis communia harum constructionum, sunt tres modi ex parte dependentis, et tres ex parte terminantis. Nam ex parte dependentis, modus est *esse*; cui correspondet in obliquo post se modus *entis*. Secundus ex parte dependentis, est significatio accidentalis, qui est modus significandi *dependentis* ad quemlibet obliquum post se; cui correspondet in obliquo modus significandi per modum *per se stantis*. Nam sicut hæc est incongrua, *albus currit*, pari modo hæc est incongrua, *percutio album*. 3 *Transitiva actus signati.*

Tertio ex parte dependentis, est modus * *generis*, qui est quasi qualitas significationis accidentalis; cui correspondet in obliquo modus significandi per modum termini absoluto modo conformi rationi transitibilis. Principia propria congruitatis hujus constructionis, scilicet *Socratis*

sunt duo modi conformes, scilicet modus dependentis sub modo *ut alterius* ex parte dependentis, et modus termini *ut cujus*, ex parte terminantis.

5. Principia vero propria hujus constructionis, *faveo Socrati*, sunt similiter duo modi conformes, scilicet modus dependentis sub modo *ut alteri* : et modus terminantis sub modo *ut cui*. Principia propria congruitatis hujus constructionis *percutio Socratem* sunt duo modi conformes, scilicet, modus dependentis vel transeuntis, sub modo *ut alterum*, et modus terminantis sub modo *ut quem*. Si autem ille modus *ut quem*, sit Præpositione contractus, tunc similiter modus transeuntis sub modo *ut alterum*, proportionabiliter est contrahendus. Principia autem propria congruitatis hujus constructionis, *utor toga*, sunt similiter duo modi conformes, scilicet modus transeuntis, et dependentis sub modo *ut ab altero*. Et modus terminantis sub modo *ut a quo*, proportionalibiter est contrahendus.

CAPUT LII

De Constructione transitiva personarum, et principiis congruitatis ipsius

6. *Transitiva personarum.* Item constructio transitiva personarum, dividitur in quatuor species secundum quadruplicem diversitatem constructibilis terminantis ; quia vel est Genitivi casus, ut dicendo, *filius Socratis* ; vel Dativi, ut *similis Socrati* ; vel Accusativi, ut *Petrus albus percutit pedem* ; vel Ablativi; ut *celer pedibus*, id est, velox. Principia congruitatis communia harum constructionum, sunt modus *entis*, sub modo *transeuntis* ex parte dependentis : et modus entis sub modo *per se stantis* in obliquo. Nam sicut hæc est incongrua, * *misereor albi* : sic hæc, *cappa albi*. Et similiter, sicut hæc est congrua, *misereor Socratis* : sic hæc est congrua, *cappa Socratis*. Principia propria hujus congruitatis, *filius Socratis*, sunt duo modi significandi conformes, scilicet modus dependentis, sub modo *ut alterius* ; et modus entis terminantis, sub modo *ut cujus*. Et ita intelligatur in aliis tribus casibus, in ordine suo.

* *percutio album.*

7. Juxta quod notandum, quod constructio quæ est Adjectivi cum Accusativo, non est* incongrua : sed figurativa. Accusativus enim solum construitur congruè cum verbis ignificantibus actum ; quia Accusativus est terminus actus signati. Unde de congruitate hujus constructionis non est inquirendum, tamen propter Synecdochen congrue admittitur in sermone.

* Congrua, sed significativa.

8. Et sic patet sufficientia specierum constructionis, et principiorum congruitatis earumdem. Patet etiam quomodo constructio simpliciter sumpta dividitur in constructionem transitivam, et intransitivam. Constructio intransitiva dividitur in constructionem intransitivam actuum, et personarum. Constructio intransitiva actuum dividitur in quinque species, secundum numerum quinque suppositorum specie differentium, quia aut Nominativus supponit, aut Genitivus, aut Dativus, aut Accusativus, aut Ablativus.

9. Item constructio intransitiva personarum, quæ est determinabilis cum determinatione, dividitur secundum diversitatem* determinationum, quæ multipliciter variantur, ut visum est.

* terminantium.

10. Item constructio transitiva dividitur in constructionem transitivam actuum, et personarum. Constructio transitiva actuum dividitur in transitivam actus exerciti, et actus signati. Constructio actus exerciti, non dividitur nisi secundum individua. Constructio transitiva actus signati, dividitur in quatuor species specialissimas secundum diversitatem quatuor obliquorum specie differentium.

11. Et notandum, quod sicuti constructio dividitur per se, in transitivam, et intransitivam : sic per accidens dividitur, in constructionem secundum sensum, et secundum intellectum, quæ divisio ideo dicitur per accidens, quia non * dividit constructionem secundum se et absolute ; sed in comparatione ad † animam apprehensivam.

* conveni construction per se et absolute.
† potentian animæ.

Et dicitur *constructio, secundum sensum*, quando. * quia *ambo constructibilia sunt voce tenus, expressa ratione cujus vocis, se confert sensui auditus*. Constructio *secundum intellectum est, quando alterum constructibile non est vocaliter expressum : sed est in intellectu*, ut *lego*, et hujusmodi, et hæc de constructionibus dicta sufficiant.

CAPUT LIII

De congruitate sermonis secundum se, et in Communi

1. Sequitur de congruitate, quæ est secunda passio sermonis, de qua licet tactum sit in speciali, circa quamlibet speciem constructionis, de ejus tamen natura seorsim in * genere. speciali videamus.

Juxta quod primo notandum, quod sicut constructio requirit constructibilium unionem absolute, sic congruitas requirit constructibilium unionem, non quamcumque, sed debitam. Et hæc debita unio potest contingere dupliciter uno modo ex convenientia significatorum specialium, et per oppositum unio indebita, ex repugnantia ipsorum. Alio modo potest contingere ex conformitate modorum significandi, et per oppositum indebita ex indebita modorum significandi discrepantia.

ongruitas et incongruitas r se.

2. Inde est, quod quidam, non distinguentes inter significatorum specialium convenientiam, vel repugnantiam, et modorum significandi conformitatem, vel discrepantiam ; dixerunt omnem constructionem esse congruam, vel incongruam, in qua est significatorum specialium convenientia, vel repugnantia. Sed hoc non valet, quia congruitas est passio * personæ in Grammatica considerata. Unde patet, quod congruitas sit de consideratione Grammatici per se. Sed convenientia, vel repugnantia significatorum specialium, a Grammatico per se non consideratur, sed magis a Logico : ergo congruitas, vel incongruitas in sermone ab his non causatur.

ermonis per .

3. Dicendum est ergo, quod congruitas, et incongruitas, causantur ex conformitate vel disconformitate modorum significandi, quæ per se sunt de consideratione Grammatici. Tamen proprietas, vel improprietas sermonis causatur ex convenientia, vel repugnantia significatorum specialium. Unde hæc est congrua, et propria, *cappa nigra* : et hæc est impropria, *cappa categorica* ; tamen utraque istarum est congrua.

4. Secundo notandum quod * congruitas requirit debitam unionem constructibilium, et cum hujusmodi unio non causetur per quosdam modos significandi ; ideo ad congruitatem requiritur conformitas omnium modorum significandi constructibilium, ad aliquam speciem constructionis requisitorum : ita quod constructibile dependens, sit terminatum per constructibile terminans, quantum ad omnes modos significandi, secundum quos dependet quantum ad istam constructionem. Et dico, ***quantum ad istam constructionem*** ; quia si habeat dependiam ad diversas constructiones, non requiritur quod omnes dependentiæ sint semper actu terminatæ, sed sufficit quod secundum unam constructionem terminentur, ut dicendo, *lego librum*, hæc est congrua, licet non addatur *Virgilii*, vel aliquid aliud quod terminet dependentiam hujus, quod est *librum*, secundum quam dependet a parte * post.

Requirit debitam unionem.

5. Tertio notandum est, quod cum conformitas modorum significandi sit principium constructionis, et congruitatis, distinguendum est de conformitate, quia duplex est conformitas, scilicet *proportionis* et *similitudinis*, et quandoque utraque ad constructionem requiritur ; quandoque autem sufficit proportionis tantum, quandoque autem sufficit similitudinis conformitas tantum.

6. Et ut sciamus quando utraque conformitas exigatur, aut altera tantum, est sciendum, quod quandoque constructibile dependens, habet aliquos modos significandi, non ex proprietatibus suæ rei per se, sed ex proprietatibus rei constructibilis ter-

minantis : et tunc inter illos modos significandi exigitur similitudo, et non proportio : ita quod constructibile * terminans debet habere modos significandi constructibilis † dependentis, ut patet de constructione Adjectivi cum Substantivo : et in constructione suppositi Nominativi casus, cum Verbo personali. Nam Adjectivum habet tam genus, quam numerum, quam personam ex proprietatibus rei * subjectæ : ut dictum est supra †.

* dependens. † terminantis. * subjecti. † supra c. 17. et 18.

7. Unde ex parte * substantivi, non requirit modos proportionabiles, sed similes. Similiter Verbum personale habet numerum, et personam, ex proprietatibus rei suppositæ : ideo hos modos requirit in supposito, non proportionabiles, sed similes. Si autem constructibile dependens habet aliquos modos significandi ex proprietatibus suæ rei per se, et non ex proprietatibus rei constructibilis terminantis, tunc exigitur in illis modis significandi, proportio, et non similitudo. Et quia Adjectivum habet modum adjacentis proprie et de proprietatibus suæ rei : ideo per hujusmodi modum adjacentis requirit in * subjecto modum *per se stantis*, qui est sibi proportionabilis, et sic de aliis intelligatur.

* substantiæ. * subtantivo.

8. Quarto notandum est, quod sicut congruitas constructionis in generali, causatur ex conformitate modorum significandi ; ut patet ex dictis, inspiciendo singulas species generaliter dictorum : sic congruitas specialis constructionum specialium causatur ex alia, et alia conformitate aliorum, et aliorum modorum significandi, ut patet ex prædictis, inspiciendo singulas species constructionis. *Congruitas* nihil aliud *est*, quam *partium sermonis debita unio, ex modorum significandi conformitate ad aliquam speciem constructionis requisitorum derelicta.*

Congruitas specialis exigit conformitatem in specie.

Definitur.

9. *Constructio duplex.* Ultimo notandum est, quod sicut duplex est constructio, scilicet secundum sensum et secundum intellectum ; sic et *Congruitas secundum sensum est, quando ambo constructibilia sunt voce tenus expressa.* Et dicitur congrua secundum *sensum*, non quia sensus ejus congruitatem percipiat ; sed quia vocem utriusque constructibilis auditus apprehendit, cum vox sit proprium objectum auditus. *Congruitas* vero *secundum intellectum, est quando ambo constructibilia, secundum vocem non sunt expressa ;* sed alterum ipsorum est ab intellectu apprehensum ; sicut contingit in verbis primæ et secundæ personæ, in quibus intelligitur suppositum. Et sic patet quid sit congruitas, et unde causetur. Et hæc de congruitate dicta sufficiant.

Ad sensum dicitur expressa.

Ad intellectum non expressa.

CAPUT LIV

De Perfectione Sermonis

1. *Perfectio passio sermonis.* Sequitur de perfectione, quæ est tertia et ultima passio sermonis. Juxta quod notandum, quod cum Grammatica sit scientia organica, oportet quod illud, quod in Grammatica est principaliter consideratum, sit organicum ; hoc autem est constructio, de qua dictum est. Et quia omne organicum est ad aliquem finem ordinatum ; est igitur constructionis aliquis finis necessarius. Talis autem finis est duplex, scilicet *propinquus, et remotus.*

Finis constructionis duplex.

2. *Propinquus finis.* Finis *propinquus*, *est expressio mentis conceptus compositi, secundum distantiam.* Et dico, *secundum distantiam*, quia conceptus mentis compositus est aliquando secundum indistantiam, ut componendo *hominem* cum *albo* sine copula; ut dicendo, *Homo$ a'bus.* Alioquin conceptus mentis est compositus secundum distantiam, ut componendo *hominem* cum *albo* : mediante copula, dicendo, *homo est albus.* Circa quam compositionem consistit veritas, et falsitas, ut dicitur 1. Perihermenias cap. 1. Et quia intellectus super compositionem primam non quiescit, cum sit incompleta, sed de prima procedit ad secundam ; ideo constructio non est ad exprimendum primum conceptum compositum, sed ad exprimendum secundum conceptum compositum, secundum distantiam finaliter ordinata. *Finis* autem *remotus constructionis*

Constructio secundum distantiam, et indistantiam.

Finis remotus et quietativus intellectus.

est generare perfectum sensum in animo auditoris ex constructibilium debita unione.

3. Secundo est notandum, quod sicut constructio simpliciter acquiritur ex constructibilium * unione absolute; et congruitas constructionis ex constructibilium unione debita: sic perfectio acquiritur ex constructibilium unione debita, non quorumcumque; sed suppositi cum apposito, dummodo nulla dependentia derelinquatur circa ipsam non terminata, retrahens eam ab ejus fine, qui est conceptum mentis compositum exprimere, et perfectum sensum in * animo auditoris generare.

...formitate. *...fectio ser... unione et copu...* *...na.*

4. Ex his patet, quod tria requiruntur ad perfectionem sermonis. Primum est suppositum, et appositum; quia cum constructio perfecta, sit ad exprimendum mentis conceptum compositum, secundum distantiam finaliter ordinata; oportet, quod sicut est distantia inter conceptus mentis compositos, sic etiam sit distantia in constructibilium unione. Sed haec distantia solum est inter suppositum, et appositum, ex hoc quod solum Verbum est appositum, quod per modum distantis se habet. Secundo requiritur omnium modorum significandi conformitas, prout ad congruitatem requirebatur. Tertio requiritur ex parte constructionis, quod nulla dependentia sit non terminata, quæ retrahat ipsam ab ejus fine: qui est mentis conceptum compositum exprimere, et perfectum sensum in animo auditoris generare.

...uisita ad ...ctionem ...nis. ...ositum et ...itum. *...formitas ...rum.* *...ndentiam ...termina...*

5. Tertio est notandum, quod constructio habens in se hæc tria membra, quæ dicta sunt, perfecta est secundum tres modos * perfectos quos assignat Philosophus 5. Metaph. text. com. 21. Nam uno modo aliquid est perfectum, cui nihil deest eorum, quæ requiruntur ad ejus speciem. Secundo modo, aliquid est perfectum, cum potest debite suum finem, propter quem ordinatur, pertingere. Tertio modo aliquid est perfectum, cum potest sibi simile in specie generare.

...fectionis. ...modi per...nis.

6. Constructio ergo habens suppositum, et appositum, secundum conformitatem omnium modorum significandi, tamen nullam habens circa se dependentiam non terminatam, * non retrahentem ipsam ab ejus fine, est perfecta primo modo; quia nihil sibi deficit eorum, quæ ad ejus speciem requiruntur. Secundo modo etiam est perfecta, quia debite potest suum finem, propter quem ordinatur (qui est exprimere mentis conceptum compositum secundum distantiam, ut dictum est) pertingere. Tertio modo etiam est perfecta; quia potest facere sibi simile, id est, perfectum sensum in animo auditoris generare.

...nstructio ...cta primo ...odo. *[illegible]* *2. Modo perfecta.* *3. Modo perfecta.*

7. Ex his patet, quod signum perfectionis constructionis est, generare perfectum sensum in animo auditoris. Ideo quod omnis illa constructio erit perfecta, quæ perfectum sensum in animo auditoris generabit. Sed hæc perfectio sensus in animo auditoris non est punctualis, sed habet gradum perfectionis secundum magis, et minus; et secundum hoc constructio dicitur magis et minus perfecta. Nam ea magis perfecta est, quæ magis quietat animum auditoris, et quæ minus quietat, minus perfecta erit.

Signum perfectionis.

8. Ex his dictis etiam patet, quod hæc est imperfecta *si Socrates currit*, quia ista conjunctio, *si*, huic constructioni addita *Socrates currit*, facit in ea novam dependentiam ad aliquid extra se, ut ad aliquid consequens: quod si non exprimatur, semper imperfecta manebit, ut dicendo, *me legere*, hæc est imperfecta; quia animum auditoris non quietat; et si quæ sunt similes. Perfectio ergo nihil aliud est, quam passio sermonis, tertia, et ultima, ex debita constructibilium unione derelicta, cum sufficientia exprimendi mentis conceptum compositum secundum distantiam, et generandi * perfectam sententiam in animo auditoris.

Constructio imperfecta. ** perfectionem sententiæ*

9. Quarto est notandum, quod duplex est perfectio constructionis, scilicet secundum *sensum* et secundum *intellectum*. Perfectio *secundum sensum*, est cum omnia constructibilia constructionis sunt voce tenus expressa: *ut ego lego*. Perfectio *secundum intellectum est, cum constructibilia secundum*

Perfectio secundum sensum. *Alia secundum intellectum.*

vocem non exprimuntur, sed alterum ab intellectu apprehenditur, ut dicendo, *lego*. Nam hoc verbum *lego*, dat intelligere suppositum quod est ly *ego*, sub conformitate omnium modorum significandi requisitorum ad hanc speciem constructionis. Et * tamen hic nulla derelinquitur dependentia, ex parte constructionis totius, vel partium ejus, non terminata, quæ retrahat eam ab ejus fine, qui est, mentis conceptum compositum secundum distantiam exprimere, vel perfectum sensum in animo auditoris generare : et ita intelligatur in aliis.

* cum nulla requiritur.

10. *Constructionis, congruitatis, perfectionis ordo, et differentia.*

Quinto, et ultimo est notandum, quod illud quod habet se per additionem ad alterum, posterius est eo : ideo ex dictis patet, quod congruitas est posterior constructione, et perfectio posterior congruitate. Nam constructio non requirit aliquid aliud nisi absolute constructibilium unionem, ex modorum significandi conformitate causatam, ut dicendo, *vir est albus,* ita bene est constructio, sicut ista, *vir est bonus* ; quia utrobique est conformitas modorum significandi. Sed congruitas requirit constructibilium unionem, non quamcumque, sed debitam, ex conformitate modorum significandi illius constructionis tantum, ad illam speciem constructionis requisitorum.

Perfectio requirit constructibilium unionem, non quorumcumque, sed solum suppositi cum apposito, ex conformitate omnium modorum significandi causatam, cum sufficientia exprimendi mentis conceptum compositum secundum distantiam, et generandi perfectum sensum in animo auditoris. Et sic patet, quod perfectio super congruitatem addit propria principia, et similiter congruitas super constructionem, et ideo perfectio præsupponit congruitatem, et congruitas constructionem. 11.

Constructio ergo, *est passio sermonis prima*, congruitas *secunda*, perfectio *tertia*, et ultima. Et ut habeamus distinctum modum interrogandi de ipsis passionibus Grammaticæ, sciendum est, quod de differentiis constructionum, quæ sunt *transitivum*, et *intransitivum*, possumus quærere per hoc interrogativum *quæ?* Sed de istis differentiis, quæ sunt *congruum*, et *incongruum*, possumus quærere per hoc interrogativum *qualis?* Sed de istis differentiis, quæ sunt *perfectum*, et *imperfectum*, possumus quærere per hoc interrogativum *quanta?* Unde versus :

Interro[...] nes Gra[...] ticales [...] priæ, e[...] commod[...]

Quæ? trans ; intrans, qualis? con, incon :
quanta? per ; imper.

FINIS LIBRI DE MODIS SIGNIFICANDI

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

ORDINIS MINORUM

SUPER UNIVERSALIA PORPHYRII QUÆSTIONES

ACUTISSIMÆ

QUÆSTIO PRIMA

Utrum Logica sit scientia?

D. Augustinus ***in libello de principiis Logicæ, cap.*** 1. **D. Thomas** 4. *Metaph. lect* 4. Themist. 1. *Post. cap.* **24. Ammonius** *in Prologo Prædicam.* Ægidius 1. ***Post. quæst.*** 1. Tartaret. *quæst.* 1. *Proœm.* Joan. Anglicus, *et* Brasavolus *super hanc quæst.* Villalpan. *quæst.* 26. *Proœm.* Sotus, *et* Tolet. *q.* 2. *Proœm.* Fonseca 2. *Metaph. cap.* 3 *quæst.* 1. *sect.* 9. Conimbric. *q* 4. *Proœm.* Faber *Theorem.* 1. Hurtado *disput,* 2. *Log. sect.* 1. Merinero *disput. proœm. q.* 3. Rodrigues *q.* 1. ***Proœm. art.* 4. Aversa *q.* 1 *sect.* 5.**

1\. Circa Logicalia diligenter intendens, ut veritates, quæ in eis sunt dubiæ, clarius elucescant, movendo dubia, primo supra Librum Porphyrii, quæro, utrum Logica sit scientia? Videtur quod non. Modus sciendi non est scientia, logica est modus sciendi ; ergo, etc. Major patet a simili, quia modus videndi non est visus. Probo minorem per Aristotelem 2. Metaph. Cont. 15. *Absurdum est simul quærere scientiam, et modum sciendi*, ubi Commentator exponit *modum sciendi*, id est, *Logicam*.

Item, 6. Metaph. Text. com. 2. distinguit Aristoteles scientias in Mathematicam, Naturalem, et Divinam, sive Metaphysicam, sub quarum nulla continetur Logica. Item, illud quod procedit ex communibus, non est scientia : quia scientia est ex propriis, sicut et demonstratio, per Aristotelem 1. Poster. Text. 5. Logica est ex communibus : ergo non est scientia.

Ad oppositum, scientia est effectus demonstrationis : in Logica autem multa demonstrative concluduntur ; ergo, etc. Item, hæc est per se vera, *Logicus est sciens* ; ergo logica est scientia : quia a concretis, ubi est prædicatio per se, tenet consequentia ad abstracta. 2.

Dicendum, quod Logica est scientia : quæ enim in ea docentur, demonstrative concluduntur, sicut in aliis scientiis ; ergo sciuntur : quia *Demonstratio est syllogismus faciens scire*. 1. Posterior. Tex. 5. Sunt etiam in Logica omnia requisita ad demonstrationem, ut subjectum, et passio demonstrabilis de subjecto, per medium, quod est definitio. Intelligendum est tamen, quod Logica dupliciter consideratur. Uno modo inquantum est docens ; et sic ex necessariis, et propriis principiis, procedit ad necessarias conclusiones, et sic est scientia. Alio modo inquantum utimur ea, applicando eam ad illa, in quibus est usus ; et sic non est ex propriis, sed ex communibus, nec sic est scientia, sicut patet in naturalibus, ubi Aristoteles

Conclusio

Logica duplex

adducit rationes Logicas, quæ procedunt ex medio communi, et non faciunt scire, proprie loquendo.

3. *Ad argumenta.* Ad primum dicitur, quod modus sciendi non est scientia specialis, potest tamen esse communis. Contra hoc, si hæc est vera, aliquo modo, *Modus sciendi est scientia,* cum sit prædicatio in abstracto ; ergo erit per se primo modo : consequens est falsum ; ergo et antecedens. Consequentia patet, quia omnis prædicatio in abstracto est essentialiter vera. Sed falsitas consequentis patet, quia in intellectu subjecti, non includitur prædicatum. Item modus sciendi est posterior scire : ergo posterior quam scientia : quia scire posterius est, quam scientia.

4. *Logica non est formaliter modus sciendi.* Ideo dicitur aliter, quod minor est falsa, formaliter loquendo. Ad ejus probationem dici potest, quod illa expositio debet intelligi materialiter, et ita hæc prædicatio, *Modus sciendi est scientia*, est vera, quia Logica docet modum sciendi pro tanto, quia est de Syllogismo, vel de argumento per quod tantum habetur scientia.

5. Aliter dici potest, ad primam propositionem, quod si exponatur *modus sciendi* per *Logicam*, copulatio non debet cadere inter scientiam, et modum sciendi ; sed inter quærere scientiam, et quærere modum sciendi : nam hoc quærere, est illud quærere, propter concomitantiam ; sicut quærere aliquid, est quærere illud quod est sibi necessario conjunctum, licet unum non sit reliquum.

Ad secundum dico, quod distinguit ibi scientias reales, cujusmodi non est Logica, sed est etiam scientia rationalis.

Ad tertium patet, quod Logica per propria principia ostendit passiones, licet ejus usus sit circa commmunia, etc.

EXPOSITIO (1)

De Primo. *Quæstio* est dubitabilis propositio, quæ aliud quærit, et aliud supponit 7. Metaph. ad finem. Supponit enim Logicam esse, sed quærit an sit scientia, vel modus sciendi, ut voluerunt nonnulli. Quæstio est duplex, scilicet generalis, ut omnis propositio cum nota interrogandi ; specialis, ut propositio necessaria dubitabilis : et sic sunt tantum quatuor in genere, quæ ponuntur 2. Posteriorum, videlicet, *Si est*, *quid est*, *quia est*, et *propter quid est* , de quibus aliqua tangam quæstione tertia. 6. *Quid et quotuplex quæstio*

Utrum est nota quæstionis problemati-

(1) Ante suam expositionem *Quæstionum Doctoris Subtilis in quinque Universalia Porphyrii*, R. P. F. Mauritius Hibernicus, Archiepiscopus Tuamensis ex Ordine Minorum assumptus, hoc tradit proœmium :

« Quia intentio præsentis lucubrationis est, Doctoris Subtilis difficilium quæstionum in Logicam Aristotelis, et aliorum ambiguitates enodare, obscuritates declarare, atque ipsius litteram per modum expositionis, de verbo ad verbum, brevi quodam compendio examinare : ideo illa octo capitula, seu præambula, quæ recitat Averroes in Procemio suo in Physicam, duxi non omittenda, quæ videlicet intentio, libri utilitas, ordo, divisio, proportio, via doctrinæ, nomen libri, et nomen auctoris.

Intentio namque hujus operis, et auctoris est indagari veritatem, et in hac scientia, et in cœteris aliis, ut postea clarius dicetur. Finis autem intrinsecus ejus est cognitio sui subjecti, et reducibilium ad ipsum, patet 2. Metaphysicæ, capite illo : *Quoniam autem simpliciter ens*, juxta principium. Extrinsecus vero, et immediatus, per applicationem subjecti ad alias scientias, discernere verum a falso. Mediatus quoque, ut Morali posthac habita, sequatur ultimata felicitas. Voluit igitur Doctor iste ultra commune ingenium hominum, veritates logicales investigare, ut patet intuenti processum ejus.

Utilitas Logicæ, et maxime harum quæstionum est, ut nisi ipsis habitis, et bene discussis, nemo artificialiter nec Logicam, nec alias scientias adipisci valeat. Nam, ut verum fatear, promptitudo in iis quæstionibus, reddit quemcumque ita habilem, ut fere absque labore, omnem speculativam possit consequi.

Ordo vero hujus operis, ad cætera istius viri et aliorum, debet esse, ut statim post Grammaticam positi-

cæ, vel generalius cujuslibet : et habet locum in oppositis, ut habet Philosophus, notanter 10. Metaph. text. comm. 17. *Ratione prima, ad partem affirmativam primi dubii ibidem disputati in textu.*

7. Logica duplex.

Logica est duplex, scilicet *naturalis*, quæ est quædam potestas intellectus, qua naturaliter assentit vero, et dissentit falso : et sic procedit de notitia noti ad ignoti notitiam. Alia est *artificialis*, quæ est quidam habitus intellectualis, communiter acquisitus per inventionem, vel doctrinam : quo judicamus de rectitudine cujuslibet ratiocinationis. Vel est illa, quæ data est per certas regulas Artis Logicæ, quam sic definiunt aliqui : Est quæ a phantasiis, quæ videntur, et non sunt, nos liberat, errores damnat, falsitates ostendit, et in omni opere contemplationis, lumen rectum præbet. Vel sic Logica est scientia rationalis directiva actuum rationis. Vel sic, secundum Boetium de disciplina Scholarium : *Logica est ratio discernendi verum a falso.* Et alia multa, quæ sequuntur pulchra habent. Et secundum Augustinum, *Logica est ars artium, et scientia scientiarum, qua aperta omnes aliæ aperiuntur* : et qua clausa omnes aliæ clauduntur, cum qua, qualibet, et *sine qua, nulla*. Multi alii diversimode definiunt ipsam, cujus necessitatem, et utilitatem tangit Philosophus, Commentator, et alii in plerisque locis.

...r descriptio.

Logica vox [illegible]

Communis autem interpretatio nominis est quod *Logica* dicitur a λόγος, quod est sermo, quasi sermocinalis scientia, et licet sermo accidat sibi, quia tamen disputatio Logicalis aptissime habet fieri per sermonem, ideo Antonomastice dicitur *sermoci-*

vam et speculativam, et parva logicalia menti apprimatur : et si immediate a puero, tanto melius, licet ad plenum, nisi a provectis, comprehendi minime posse censeatur.

Dividitur autem hoc opus, secundum divisionem Logicæ, quæ habet dividi ut vulgo dicitur in veterem et novam, ut infra, quæstione 3. tangetur. Verumtamen apud paucos reperiuntur quæstiones [illegible] in nova Logica, præterquam in libris Elenchorum.

Proportio ejus ad alias scientias, generaliter loquendo, potest assignari tanquam instrumenti, vel modi sciendi, materialiter intelligendo, ad illud cujus est. Si vero specialiter comparetur ad speculativas rationales, ut conveniunt in aliquo communi, dic, ut dicit Commentator ubi supra, quod est pars ad totum.

Via vero doctrinæ est certissima, non modo, quia omni genere demonstrandi potest uti, sed quia omnes alias demonstrare docet, loquor de Logica in communi.

Nomen libri est *Dubia*, vel *Quæstiones logicales*, de quo statim magis.

...s quis, et ...s.

Nomen Auctoris spirituali regeneratione est Joannes, cujus nomen, et omen [illegible] *Duns* cognomento, vel potius a loco generationis sic dictus, patria Scotus, sed, ut reor, de Majori ; Artium Oxonii, et Theologiæ Parisiis dignitate Doctor, Ordinis Seraphici Minorum [illegible]

Maximus ... 59. de S. ...chio.

addidisse (ut inquit Divus Ambrosius) *aliquid, decerpsisse est.* Supervacuum [illegible] lem facibus nititur juvare. Possem profecto prærogativas illas, quas [illegible] Aristoteli, loco prædllegato, huic homini sanissime, et [illegible] applicare [illegible]

Solent præmitti quædam verba in principio hujus operis, quæ [illegible] sunt [illegible] refert, sed nolo ea præterire, et sunt ista : *Circa logicalia diligenter intendens,* [illegible] *sunt dubiæ, clarius elucescant, movendo dubia, primo supra librum Porphyrii.*

Cum dicit, *circa logicalia*, ostendit universalitatem operis, et [illegible] *diligenter*, nam diligentia cujuslibet operis [illegible] ut *de disciplina Scholarium*, inquit Boetius. Sequitur *intendens. Intendere* est in aliud tendere, [illegible] et convenit libero arbitrio, ut includit intellectum, et voluntatem.

Dum addit *ut veritates, quæ in eis sunt dubiæ*, ostendit finem [illegible] tur de veritatibus incomplexorum, in ordine ad intellectum : et de veritatibus complexorum, [illegible] tionem habes ab ipso 6. Metaphysicæ [illegible] *Dubiæ*, [illegible] tur, 1. Metaphys. *Movendo dubia* [illegible] *volentibus operæ pretium bene dubitare,* [illegible] *vere namque non est ignorantis* [illegible] Sequitur *supra librum Porphyrii*, [illegible] perfectionis, doctrinæ tamen primus est.

Sed ut Lector ordinem [illegible] tionis consistit, 12. Metaph. text. comment. 52.) [illegible] titulum quæstionis cujuslibet declarabo, [illegible] litteram exponam, et tertio dubia aliqua movebo, et solvam, [illegible] simo, etiam secundum Philosophos, (ut 1 Cœli, text. com. 2. habetur) [illegible] fretus, rem principalem aggrediar.

nalis, non denominatione objectiva, sed potius instrumentali.

Logica vero artificialis potest dividi in docentem et utentem, ut statim dicetur; docens vero quoties sumitur quantum ad partes subjectivas, et alias sui, et subjecti ipsius, patebit quæstione tertia.

Scientia potest sumi quadrupliciter, ut accipitur à Linconiensi, super primum Posteriorum : sed in proposito fit sermo de ipsa, ut definitur dupliciter primo Posteriorum, ab Aristotele : quæ sic describi potest (ut primo Reportationum, quæstione 1. in principio solutionis, habetur ab isto

Scientia quid. Doctore, et in tertio 24. distinct.) *Scientia est conclusionis necessariæ, per causam, vel principia, et per demonstrationem applicata, certa, et evidens notitia.*

Ejus conditiones. In qua descriptione quatuor conditiones tanguntur, videlicet *necessitas objecti*, *evidentia*, *certitudo*, *applicatio syllogistica*. Prima excludit habitum contingentium, ut puta artem, secundum aliquos, et prudentiam. Secunda excludit fidem. Tertia vero opinionem. Quarta habitum principiorum. Vel posses assignare septem conditiones scientiæ, ut ponit Franciscus in Conflatu, in prologo, quæstione 14. quas omitto gratia brevitatis.

Hæc quæstio, sicut aliæ communiter, dividitur in tres partes principales. In prima arguit : ad utramque partem quæsiti. Et primo communiter pro parte falsa : in secunda solvit quæstionem : in tertia respondet ad argumenta principalia.

Ordo hujus quæstionis ad sequentes, patet : quia prius est scire Logicam esse scientiam, quam scientiam communem, vel propriam, et quam assignare ejus subjectum. Has vero tres quæstiones circa Logicam in communi, non abs re præmisit Doctor, doctrinam Aristotelis 1. Physicorum, text. comment. 4. Et alibi sæpe secutus, ex universalioribus ad minus universalia procedens, deinde descendit ad specialia, ut postea dicetur.

9. *Videre triplex.* De secundo. Arguit tripliciter quod Logica non est scientia : dicit igitur primo, *Videtur quod non*. Ubi nota quod triplex est *videre*, scilicet Elenchum, Topicum, et Posterioristicum. Primum includit negationem, quia illud quod sic videtur, non est. In proposito sic sumitur, vel saltem topice, non autem posterioristice. Sequitur, *Modus variè sumitur.* *modus sciendi non est scientia*, et probat a simili, quia modus videndi non est visus. Ubi advertendum quod *modus* accipitur uno modo pro naturali dispositione cujuslibet rei. Secundo ut est rei determinatio accidentalis, ut in Modalibus accipitur. Tertio pro dispositione syllogistica. Quarto pro accidentali modo ipsius verbi. Quinto pro consignificato partis orationis, qui *modus significandi* appellatur. In proposito sumitur primo, vel secundo modo, licet universaliter quomodocumque capiatur, modus non sit id cujus est modus, modus namque videndi est, clare, vel obscure, vel pudice (et sic de aliis) videre. Cum igitur dicitur *modus sciendi*, contrahitur determinatio per determinabile.

Sequitur minor, *Logica est modus sciendi*, quod probatur per Aristotelem et Commentatorem 2. Metaphysic. text. comment. 8. Pro ipsius radicali declaratione, notandum, quod Aristoteles ibid. in 2. text. comment. 15. postquam præmisit facilitatem et difficultatem, quæ accidunt circa considerationem veritatis, et quod ad Metaphysicum spectat inquisitio veritatis, ostendit modum acquirendi veritatem : præmittens primo virtutem consuetudinis, dicens, quod, ut consuevimus, ita dignamur dici, text. comment. 14. deinde adducit quinque modos, quos diversi observant in acquisitione scientiæ.

Primus est, quia aliqui nihil recipiunt, nisi dicatur eis Mathematice, et hoc vel 10. *Quinque modi discendi.* propter consuetudinem in Mathematicis, vel fortitudinem imaginationis. Secundus, quia aliqui nihil recipiunt, nisi per exempla sensibilia : et hoc vel propter consuetudinem, vel propter debilitatem intellectus. Tertius, quia aliqui nihil recipiunt, nisi per auctoritatem Poetarum, vel aliorum : et hoc vel propter consuetudinem,

vel defectum judicii intellectus. Quartus, quia aliqui per certitudinem, et diligentem inquisitionem, volunt omnia dici : et hoc vel propter consuetudinem, vel subtilitatem intellectus. Quintus, quia aliqui nihil per certitudinem inquirunt, et vocat Aristoteles hunc modum tristabilem : et hoc eis contingit, vel propter impotentiam complectendi, vel micrologiam, id est parvorum ratiocinationem, secundum ipsos inopportunam : et exemplificat de illiberalibus computantibus parva in conviviis. Ex quibus infert Philosophus regulam et modum convenientem acquirendi veritatem, vel scientiam, dicens : ***Propter quod oportet erudiri, quomodo singula sunt recipienda : et absurdum est simul quærere scientiam, et modum sciendi : est autem neutrum facile accipere.*** Ubi Commentator exponit expresse *per modum scienti* Logicam debere intelligi, quia est via in alias scientias : ideo debet acquiri, non simul cum aliis scientiis, sed prius. Et exemplificat de docente viam cum addiscit eam : vel de medente cum addiscit medicinam : sicut quidam fecit, qui accessit ad ægrotum, et volens propinare medecinam, inspexit postea librum, et mortuus est ægrotus. Similiter errabit in acquisitione aliarum scientiarum, qui ignorat Logicam, vel etiam tunc simul cum aliis eam quærit.

1. ... specula- ... dex.

Secundum argumentum principale fundatur super illa divisione trimembri speculativæ 6. Metaphysic. text. comment. 2. quæ potest reduci ad bimembrem, per hoc quod est separabile a materia sensibili, vel non; esse mobile, vel non. Scientia enim omnis speculativa realis, aut est de inseparabilibus, et mobilibus, et sic est Physica ; aut de inseparabilibus, et immobilibus, et sic est Mathematica ; aut de separabilibus, et immobilibus, et sic est Metaphysica, quarum ulterior prosecutio non hic, sed alibi.

Diceret tamen adversarius, ponens Logicam esse practicam, ut Aureolus, et alii plures, quod argumentum Doctoris committit consequens. Formetur ergo argumentum sic : Omnis scientia aut est practica, aut speculativa : sed Logica non est practica, nec speculativa, ergo, etc. Major patet ex illa communi divisione, licet aliqui ponant tertiam, ut infra, articulo 3. tangam. Minor pro parte probabitur ibidem. Sed pro secunda, probat eam Doctor in littera, quia nec est Physica, nec Mathematica, nec Metaphysica.

Tertium argumentum principale est, quia scientia procedit ex propriis. Logica autem ex communibus ; ergo, etc. Major patet, quia demonstratio est ex propriis 1. Posteriorum, text. comment.5. et 22. Cum igitur scientia sit effectus demonstrationis, et demonstratio sit ex propriis principiis ; igitur et scientia. Minor vero patet, quia illa de quibus est Logica, sunt communia omnibus aliis, ut postea dicetur.

Adverte quod licet textus Logicæ communiter dividatur per capitula, et non per commenta : ut tamen facilius in libris impressis inveniantur loca, notavi semper commenta : quare Lector non sine causa attendat, et detractores castiget.

Primum argumentum ad oppositum, patet, et magis in solutione quæstionis.

... abstracta ... do tenet.

Secundum argumentum fundatur super illa regula, *A concretis ad abstracta tenet consequentia, ubi in concretis est prædicatio per se*. Quæ est famosa apud Scotum. Vide quæstionem 13. Quodlibeti, et quæ ibi notavi. Quam propositionem infra cap. de Genere quæstione 3. [illegible] : sed pro nunc intelligatur in concretis accidentalibus, et abstractis non ultimatis : de quibus plenius in loco præallegato. Et quia aliqui proterviendo, negant illud assumptum, scilicet quod *Logica est scientia*, probatur sic : Primo ex communi [illegible] Auctorum : secundo per rationem, quia qualibet demonstrative [illegible] est scientia. Logica est [illegible] ; ergo, etc. Major patet. Minor probatur in solutione quæstionis, et infra declarabitur.

Item Logica est habitus [illegible] per intellectum [illegible], aut igitur cum certitudine, aut cum formidine. Si primo modo, et non solum certitudine fidei ; igitur aut

per sapientiam, aut per intellectum, aut prudentiam, aut artem, aut scientiam : non primis quatuor modis, ut patet; igitur quinto modo. Si vero cum formidine ; igitur erit opinio, et per consequens erit non modus sciendi, sed potius opinandi, quod est contra te; si ulterius proterviatur, procede consequenter.

13. *Logica est scientia.* Consequenter respondet ad quæstionem affirmative, dicens quod *Logica est scientia,* quam conclusionem probat dupliciter. Primo, quia sicut veritates Metaphysicales, vel Geometricæ ostenduntur demonstrative, ita veritates Logicales. Sicut enim de ente in communi, vel de substantia, seu quantitate, et sic de aliis, ostenditur passio aliqua demonstrative; ita de Syllogismo in communi, vel de aliqua ejus parte subjectiva, vel integrali ostenditur passio in Logica, etiam demonstrative. Sed quia forte aliquis diceret quod requisita ad demonstrationem non habentur in Logica, ideo secundo adjungit quod cum demonstratio sit Syllogismus faciens scire 1. Post. text. com. 5. ad demonstrationem autem requiruntur tria, scilicet subjectum, passio, et medium 1. Post. text. comm. 22. quod est definitio subjecti in habentibus definitionem, vel passio prior respectu alterius, et hoc in demonstratione *quid* ; vel effectus, sive signum in demonstratione *quia,* omnia illa reperiuntur in Logica, ut patet discurrendo; de his in quæstione 3. sequenti clarius dicam.

Ad demonstrationem tria requiruntur.

Deinde cum dicit, *Intelligendum est,* etc. Ad majorem declarationem dictorum, et ut omnis cavillatio tollatur, et ne in æquivocis videatur laborare, distinguit Logicam in *docentem* et *utentem*. Hanc distinctionem videtur Commentator tangere 2. Metaph. com. 15. ad finem, dicens quod ars Logicæ quædam est universalis omnibus scientiis : et quædam propria unicuique scientiæ, et homo non potest esse instructus in qualibet arte, nisi sciendo universalia, et propria de eis. Similem etiam distinctionem habet iste Doctor super primum Elenchorum quæst. 1. et 2. ponens differentiam inter Demonstrativam et Dialecticam, et comparans Logicam, et Sophisticam ad rationem scientiæ, et volunt aliqui sequaces hujus exponentes Commentatorem ubi supra, quod Logica *utens* sit modus sciendi, *docens* vero scientia.

Sed posset probabiliter dici, quod ista non est intentio Doctoris, si bene advertatur. 14. Vult ergo Doctor ponere differentiam inter Dialecticam, et Demonstrativam Logicam, nec conclusio illa generalis potest reprehendi, cum dixit, quod Logica est scientia absolute : procedit enim demonstrator ex propriis, et Dialecticus ex communibus : ideo Syllogismus Demonstrativus generat scientiam, et Dialecticus opinionem, et adducit Doctor probationem hujus distinctionis, quantum ad secundam partem, ex Aristotele, in Naturalibus, ubi vocat rationes Logicas, rationes communes ; hoc enim facit Aristoteles in plerisque locis, ut puta 4. Physicorum text. comm. 87. et 6. Physicorum text. com. 1 et 8. Physic. text. com. 70. et 76. et 1. Cœli text. com. 70. et alibi sæpe. Et super primum Physicorum, com. 35. dicit Commentator, quod Logica usitatur dupliciter. Uno modo secundum quod est ens instrumentum dividens verum a falso : et iste modus est proprius. Alio modo secundum quod illa, quæ sunt declarata in Logica, accipiuntur pro Maximis in destruendo, aut construendo aliquid. Et ista consideratio cum usitatur in artibus particularibus, non est propria : in arte vero universali, scilicet in prima Philosophia, est propria : et eamdem sententiam habet 7. Metaph. com. 2. Quære eum, et alios exponentes illud 4. Metaph. *Circa item laborant,* etc. Quære etiam Boetium, in secunda editione super Porphyrium, in Proœmio, ubi expresse habet quod Logica est scientia, et pars Philosophiæ, et cum hoc instrumentum, supellex, vel modus sciendi aliarum, et declarat optime. Nota tamen, pro majori declaratione dictorum, ea quæ tangam in tertio articulo de Dialectica, et Demonstrativa.

15. *An Logica sit scientia, et modus sciendi.* Consequenter respondet ad argumenta principalia : et ad primum ponit responsionem aliorum, ut puta Ægidii, vel potius eorum, qui concedunt Logicam esse scientiam, et modum sciendi, dicens, *Dicitur quod modus sciendi*, etc. ubi advertendum quod communiter Doctor in responsionibus propriis utitur his verbis : *Dico*, vel *potest dici*, vel *dicendum* ; in responsionibus vero aliorum hoc verbo *dicitur*. Vult ergo hæc responsio quod hæc prædicatio sit vera : *Modus sciendi est scientia*, formaliter loquendo. Contra quam responsionem arguit Doctor dupliciter. Primo per quamdam Maximam, apud ipsum, videlicet quod *Omnis vera prædicatio in abstracto est per se primo modo, quia essentialiter vera* ; sed modus sciendi est abstractum, et scientia etiam. Quod modus sit abstractum patet, quia sibi correspondet concretum, ut modale, vel modificatum : veritas autem hujus regulæ, et limitatio, patebit in tertio articulo. Quod autem nulla prædicatio non sit in primo modo, ostendit, *Quia in intellectu subjecti*, etc. Hæc probatio patet ex definitione primi modi dicendi per se, quæ habetur 1. Post. text. com. 9. quod videlicet illa prædicantur in primo modo, quæcumque ponuntur in ratione, dicente *quod quid est* subjecti.

16. Secunda ratio, quam adducit Doctor contra illam responsionem, procedit ex ordine scientiæ, scire, et modi sciendi. *Scientia* enim est actus primus, *scire* vero est actus secundus : sed *modus sciendi* est accidens ipsius *scire* : pone exemplum ex dictis ejus I. Elench. quæst. 15. de *esse*, *intelligere et significare*, et modis eorum correspondenter. Cum enim quidquid est posterius posteriore, sit posterius priore, ut habet in Theorematibus, sequitur quod modus sciendi sit posterior scientia, quia posterior est ipso *scire*, et *scire* scientia, ut patet. Ubi advertendum quod non arguit Doctor ex ratione posterioritatis, absolute loquendo, ut infra tangam ; aliter non valeret argumentum. Procedit etiam hoc argumentum, et præcedens, loquendo de prædicatione formali, ut patet.

Ultimo Doctor ponit responsionem propriam, primo negando minorem principalem : et hoc formaliter loquendo, sed materialiter potest concedi : et sic procedit expositio Commentatoris. Secundo posset dici ad argumentum, quod major est falsa materialiter, ut habent quidam libri, et licet aliqui velint quod non sit littera Doctoris, tamen satis concordat dictis ejus. Nam si verum est quod Logica est modus sciendi, materialiter, verum est quod scientia est modus sciendi, cum Logica sit scientia, et ultra sequitur, *ergo modus sciendi est scientia*, per conversionem simplicem. Tertio dicit num. 5. quod si expositio Commentatoris valet, copula, id est, ly *et*, in illa auctoritate, *Absurdum est*, etc. debet cadere inter *quærere scientiam*, *et quærere modum sciendi*. Et ratio est, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Unde præteritur Parmenides cæteris antiquorum in positione principiorum, primo Physicorum, text. com. 41. Cum igitur unico *quærere* possit Logica (quæ est vere scientia, ut tenet Doctor ; et modus sciendi, per te saltem) acquiri, pro quanto ipsa Logica est formaliter, et essentialiter scientia : et materialiter atque accidentaliter modus sciendi, ut dictum est; ideo licet unum non sit formaliter reliquum, frustra nihilominus diversis quæstionibus simul quæruntur. Exemplum de quærente Socratem, et albedinem ejus. Sed adverte quod Doctor in hoc non commendat expositionem Averrois, nec illa fuit intentio ipsius Averrois, ut postea tangetur. Vult igitur Doctor breviter illam absurditatem referre, posita veritate suæ solutionis et [illegible] quæstionis, [illegible] quæstionem, cum in veritate non sunt idem formaliter, sed realiter [illegible] diversa possunt quæri, [illegible] pluribus quæstionibus propter causam jam assignatam.

Qui vellet reducere ad Logicam propriam, et communem conjunctam [illegible] 17.

scientiæ, ut dictum est supra de mente Commentatoris, posset aliter exponere, et forte magis ad mentem ipsius : nam ante alias debet haberi, sed quærendo alias, concomitanter quæritur, licet non addiscendo, sed dividendo, et modificando. Potest igitur copula poni inter ipsa convenienter, tanquam inter diversa : sed non inter ipsorum *quærere simul* sine absurditate; sed bene seorsum, quoad Logicam, tenendo ipsam esse in se scientiam, quod forte non poneret Commentator. Sed adhuc quærendo ipsammet Logicam scientifice, quæritur simul Logica modificative, ut alicui videretur, quod tamen non assero, quia respectu aliarum potest poni *quo et quod*; sed respectu sui ipsius est tantum *quod*, nisi recurrendo ad Logicam naturalem.

Argumentum ergo principale varie potest solvi ad rem, et ad formam, ut patet practicanti. Elige expositionem quæ magis gustabit, bene masticando, et applica ad propositum, ea, quæ infra, solvendo primum principale quæstione tertia, habet Doctor, et quæ ibi notabo de Syllogismo. Sed illa expositio jam dicta satis patet : et juxta hoc patet ad instantiam de subjecto, et passione, de quibus diversæ quæstiones quæruntur I. Posteriorum : ibi enim est sermo de rationibus formalibus quæsitorum, hîc loquitur de reali investigatione existentiæ, et concomitantia accidentali, licet necessaria solutio secundi argumenti satis clara est, et magis infra clarescet. Solvendo tertium principale recurrit ad illam distinctionem de Logica docente, et utente, et hæc tantum de secundo.

18. De Tertio principali, circa dicta Doctoris in hac quæstione, occurrunt quædam difficultates. Et primo circa solutionem quæstionis : deinde circa argumenta, et solutiones eorum. Tenet namque Doctor quod Logica est scientia; utrum autem sit una, vel qualiter, non determinat. Prima ergo difficultas est, de *unitate Logicæ*. Circa hanc difficultatem diversimode opinati sunt. Sed breviter dico, quod *unitas habitus* est duplex, scilicet *intrinseca*, et formalis : alia est *extrinseca*, et materialis. Voco unitatem intrinsecam, et formalem cujuslibet, illam quæ consequitur ens, inquantum ens, reductive loquendo. Sicut enim *unum*, vel *unitas* est passio entis, ita *hic*, *hujus*. Materialem vero unitatem appello, quæ maxime reperitur in accidentibus, illam quam participant ratione materiæ. Et cum materia scientiæ sit duplex, videlicet *in qua*, *et circa quam*, vel *de qua*, ideo unitas materialis scientiæ potest poni duplex, scilicet subjectiva, et objectiva. Objectiva vero duplex, scilicet specifica, et generica. Et generica adhuc duplex, scilicet propinqua, et remota. Voco unitatem specificam objectivam scientiæ, quæ sumitur ab objecto complexo, vel incomplexo, formaliter in se, et per se, considerato. Genericam vero propinquam appello, quæ respicit objectum complexum, vel incomplexum virtualiter actualiter consideratum, vel contentum. Genericam autem remotam dico, quæ concernit objectum complexum, vel incomplexum, permissive, vel potentialiter apprehensum. Et hîc sumo *specificum*, *et genericum*, non ex modo entitatis objectivæ, sed ex modo considerandi. Nam de objecto in se singulari, vel saltem specifico, potest esse scientia generica : et de objecto generalissimo specifico, ut nunc probabiliter suppono.

Unitas habitus duplex.

Unitas materialis duplex.

Ex his respondetur ad difficultatem. Primo dico, quod *Logica est una scientia* unitate intrinseca, et numero, ut est habitus unius conclusionis; et specie, ut albedo respectu hujus et illius : et forte genere, ut color. Secundo dico, quod est scientia una, unitate extrinseca, et materiali subjectiva, numero tantum, in unico intellectu : et specie in pluribus, et forte genere in aliis. Tertio dico, quod est una specie, unitate materiali objectiva, ut respicit Syllogismum in se, genere propinquo, ut respicit alia per rationem Syllogismi; et genere remoto, ut respicit alia per rationes eorum. Et hoc dico supponendo Syllogismum esse subjectum Logicæ, ut quæstione 19.

Logica est una tripliciter.

tertia sequenti ostendetur. Prolixior sermo prædictorum in aliis.

Nota ulterius, quod præter unitatem illam, quam assignavi ex parte objecti, et subjecti, posset poni unitas habitus ex parte actus generativi ipsius : sed de hoc esset videndum, an actus sit causa habitus, virtute propria, an virtute objecti : et si sic, a quo principalius sumi debet unitas habitus, et an præcise habebit unitatem aggregationis ex parte actus : alias quia transcendit propositum, quære tertiam distinctionem primi, ad finem, et decimam septimam ejusdem : et in tertio, in materia de virtutibus : et in quæstione Collationum, et alibi, et alios bene ponderando.

20. Secunda difficultas est, *utrum Logica sit scientia realis?*

ntia dicitur is dupliciter. Ad quod breviter respondeo, quod scientiam appellari realem, potest intelligi dupliciter, aut denominatione intrinseca, aut denominatione extrinseca. Voco *denominationem intrinsecam*, quæ appellat formam denominato inexistentem. *Extrinsecam* vero dico illam, quæ appellat formam alteri a denominato inexistentem. Ex quibus ad propositum dico, quod *Logica est scientia realis, denominatione intrinseca*, cum sit vera res primæ intentionis, reponibilis in prædicamento Qualitatis. Secundo dico, quod est scientia *rationalis*, vel rationis, *denominatione extrinseca*, non modo subjectiva, quia sic omnis scientia est rationis; sed objectiva. Adverte tamen, quod absolute dicitur scientia rationis, quia scientia importat habitudinem ad objectum, licet in veritate sit habitus realis. Tange igitur differentiam inter habitum, et scientiam. Sed qualiter scientia realis potest esse de ente rationis, et plura alia, quæ faciunt difficultatem circa Logicam, videbitur infra quæstione 3. sequenti.

21. Tertia difficultas est, *Cui parti Philosophiæ supponitur?*

losophia dividitur in sermocinalem et realem. Potest dici, quod capiendo Philosophiam pro apprehensione veritatis cujuscumque entis, sive a nobis, sive a natura causati, licet amor sapientiæ, vel amor fabularum posset appellari, ut 1. Metaph. in prologo, de Philosopho inquit Aristoteles, tunc potest dividi in sermocinalem, vel rationalem, et realem : licet Plato, (ut dicit Augustinus 8. de civit. cap. 4.) dividat ipsam in Contemplativam, Activam, et Rationalem. Unde posset argumentum sumi ad ponendum Logicam esse tertiam a speculativa, et practica : duo tamen prima membra continentur sub reali Philosophia ; ideo divisio bimembris placet. Sermocinalis vero, quæ *trivium* appellatur, dividitur in Grammaticam, Rhetoricam, et Logicam. Considerant enim principaliter modos significandi, et modos intelligendi et colores, qui sunt respectus rationis. Sed dicuntur sermocinales propter causam superius assignatam. Dicuntur etiam organicæ, vel modi sciendi, ad sensum tactum : et sic patet ad dubium. Ulterior divisio habituum alibi, et Logicæ infra quæstione tertia. *Sermocinalis triplex est.*

22. Quarta difficultas est, *An Logica sit practica, vel speculativa?*

Dicunt quidam (ut Giraldus Odonis ponit, in prologo suo in libros Ethicorum, quæstione tertia) quod nec est practica, nec speculativa ; dicit enim quod aliquis habitus est perficiens intellectum, ut speculativus est, ut Metaphysica. Alius ut practicus est, ut moralis Philosophia. Alius ut factivus est, ut Mechanicæ. Alius vero ut intellectus est, indifferenter se habens ad omnes alios habitus, et sic est Logica. Quidam vero alii, (ut Aureolus, et Ockam, quæstione penultima prolog. Sententiarum) volunt quod Logica sit practica, quia dividitur in docentem et utentem, et est directiva aliarum scientiarum, etc. Sed quidquid sit de istis opinionibus, et consimilibus, sequendo tamen viam Doctoris Subtilis (qui, in primo Sententiarum, quæstione de Practica, et Praxi, infert pro inconvenienti Logicam esse practicam ; ibidem etiam sustinendo divisionem illam famosam scientiæ in practicam, et speculativam, habet pro inconvenienti ponere tertiam) dico

Logica est scientia speculativa. quod *Logica est speculativa*, quia nulla scientia est practica, quæ non est directiva praxis proprie dictæ mediate, vel immediate.

23. *Praxis multiplex.* Pro cujus ulteriori declaratione advertendum, ut habet Eustathius I. Ethic. comment. I. quod praxis potest sumi quadrupliciter. Uno modo pro operatione cujuslibet potentiæ. Alio modo pro operatione agentis per cognitionem tantum. Tertio modo pro operatione existente in nostra potestate. Quarto modo pro operatione elicita conformiter dictamini rationis, et electioni voluntatis : ad quam communiter concurrunt quatuor. Primo intellectus ostensivus finis ipsi voluntati. Secundo volitio finis, et consilium de his, quæ sunt ad finem. Tertio sententia dictativa. Quarto electio. Et praxim illo modo sumptam describit Commentator ubi supra, quod est operatio secundum electionem. Et Doctor Subtilis ubi prius, quod est actus alterius potentiæ quam intellectus. Ex quo sequitur quod nullus actus intellectus etiam a voluntate imperatus, est vere praxis naturaliter posterior intellectione. Ex quo sequitur quod solum actus elicitus, vel imperatus a voluntate, est vere praxis, natus elici conformiter intellectui recto, ut sit rectus. *Praxis quid.* Ex quo sequitur quod actus elicitus est primo, et per se praxis. Sequitur etiam quod praxis est actus, qui potest recte, et non recte elici. Actum elicitum voluntatis voco velle et nolle ; imperatum vero alterius potentiæ, sive cognitivæ, sive non : *Actus elicitus et imperatus.* licet semper præsupponat actum imperantem, qui est elicitus, vel tertius si posset assignari. Dixi vero supra *mediate, et immediate*, propter quasdam scientias practicas quæ communiter dividuntur in Theoricam, et practicam : licet in veritate sint simpliciter practicæ.

24. *Logica est speculativa, non practica.* Cum ergo Logica non sit directiva praxis, nec mediate, nec immediate, relinquitur quod non est practica. Et non obstat quod sit directiva aliarum scientiarum, cum intellectus in tali directione non extra se tendat. Et si objicias quod cognito modo syllogizandi, et arguendi voluntas vult syllogizare, et arguere, et imperat potentiæ inferiori organicæ : igitur Logica habet rationem practicæ scientiæ. Considera ut scis. Alia argumenta aliorum pro illa parte faciliter solvuntur ex dictis. Sequitur ergo quod Logica est speculativa, si divisio illa Aritotelis sit per immediata, sive dividatur per differentias essentiales scientiæ, sive per passiones, ut numerus per par et impar, nam nullus est tertius. Sed sicut scientia dividitur in realem, et rationalem, ita speculativa. De speculativa reali loquitur Aristoteles 6. Metaphysicæ, et stricte sumpta, et acquisibili via sensus. Logica vero est speculativa rationis. Ad hoc est sententia Commentatoris 7. Metaph. comment. 2.

Sed occurrit tunc dubium, cum realis scientia dividatur in practicam, et speculativam, quare rationis scientia non sic dividitur ?

Potest dici, quod non inconvenit unum dividentium scientiæ realis, reperiri in scientia rationis, et alterum non : sicut ens reale dividitur in substantiam, et accidens licet omne ens rationis sit accidens tantum, et nullum substantia.

Circa illud dictum Doctoris in primo argumento, post oppositum, et in solutione principalis, quod *in Logica multa demonstrative concluduntur*, et cum demonstratio sit Syllogismus faciens scire, sequitur quod Logica sit scientia. Occurrit dubium, et est quintum principale, cum præmissæ sunt causa conclusionis, et nullus respectus, nec realis, nec rationis, sit de genere activorum, quomodo igitur secundæ intentiones possunt in genere causæ efficientis esse causa conclusionis ? Item, ex fundamentis hujus Doctoris, ponitur distinctio, saltem ex natura rei, inter illud quod est medium in demonstratione, et illud, quod concluditur, vel de quo aliquid concluditur : sed in secundis intentionibus non est distinctio ex natura rei, sed præcise rationis : ergo ibi non potest assignari demonstratio. Sed illa, de quibus est per se consideratio Logici, sunt secundæ intentiones. Multa alia 25. *Dubium.*

tangam in quæstione tertia sequenti, ad hoc propositum conferentia.

26. Pro solutione hujus dubii præmitto quædam dicta.

Primum, quod consideratio logicalis non est præcise de secundis intentionibus quidditative sumptis, quia sic pertinent ad Metaphysicum.

Secundum, quod consideratio logicalis non est præcise de primis intentionibus, quia sic esset realis.

Tertium, quod consideratio logicalis est de secundis intentionibus supponibilibus pro primis, et hoc concretive sumptis: et ideo omnes definitiones, et demonstrationes logicales verificantur in primis: unde recte auctoritas vulgata habet quod Logica est de secundis intentionibus applicatis primis. Et si dicas, quod considerat tunc ens per accidens. Non sequitur, sicut nec de Naturali considerante omnia ut conjuncta materiæ sensibili. Non enim potest relatio considerari, nisi in ultimata abstractione, vel in Metaphysica concretione, ut pertinet ad Metaphysicum, nisi in ordine ad fundamentum, et terminum: et similiter de modo intelligendi respectu illius, cujus est modus. Consideratio vero Logici de secundis intentionibus est ut respectus sunt, et ut modi intelligendi, de quo infra cap. de Genere diffuse erit sermo.

Quartum dictum est, quod illa propositio communis, videlicet, *Præmissæ sunt causa conclusionis*, non debet intelligi proprie, comparando incomplexa præmissarum ad incomplexa conclusionis; quia sic idem esset causa sui ipsius: sed comparando complexa ad complexum, vel veritates ad veritatem, sic conceditur præmissas esse causas, non proprie effectivas, quia tunc distinctio esset essentialis; nec proprie productivas, quia tunc distinctio realis, capiendo semper complexa significative, sed tantum elicitivas; et tunc ponitur (ut argutum fuit) distinctio ex natura rei.

Quomodo præmissæ dicuntur causa conclusionis.

27. Quintum dictum est, quod licet distinctio ex natura rei, et formalis, proprie reperiantur in primis intentionibus, sic tamen modo non inconvenit ipsis attribui secundis intentionibus. Nam licet Species, vel Genus non habeant esse, nisi per operationem collativam intellectus, ipsis tamen positis in esse, convenit distinctio ex natura rei, et formalis, et realis, et essentialis: capiendo *rem* pro re rationis, sicut Doctor Subtilis capit *rem* in diversis locis. Aliter non video quomodo possent definiri, nec ad invicem referri, nec unum poni accidens, vel passio alterius. Nisi forte dicas quod omnis distinctio in ipsis, habet reduci ad fundamenta: et si hoc sit verum originaliter, tamen formaliter inter se possunt comparari, ut habent entitates tales quales, et consequenter identitatem, et distinctionem. Hæc tamen quæ dico erunt aliquibus mira: vide tamen notanter istum quæstione secunda quodlibetica, ad finem, et alibi plerumque.

Sextum dictum est, quod logica potest accipi ut habitus intellectualis, in anima subjective existens, habens unitates superius assignatas. Alio modo instrumentaliter, ut traditur in libris logicalibus.

Septimum dictum est, quod actio quædam est cum transmutatione, et quædam sine transmutatione.

Ex his dictis patet solutio ad dubium. 28
Sive enim sumatur logica pro habitu quodam generico, sive pro quodam aggregato ex omnibus libris logicalibus, patet quod in Logica multa demonstrative ostenduntur, ut puta de Syllogismo, et partibus ejus subjectivis, et integralibus, et reducibilibus ad ipsum: ut patet discurrendo per omnes libros Logicæ. Illa autem quæ sic demonstrantur prædicatione signata in secundis intentionibus, verificantur in primis: et ibi potest assignari distinctio præmissarum et conclusionis, sicut modo ut in primis intentionibus: et licet non inveniatur principium activum actione transmutativa, potest nihilominus inveniri actio sine transmutatione, aut totaliter ex parte intellectus aut ex parte intentionum particulariter, aut concernendo ad fundamenta, ut in quæstione tertia tangetur, altius considerando.

Ex his patet ad instantias inductas. Sunt enim præmissæ causa conclusionis in cognoscendo, licet non in essendo : et ita subjectum quodcumque habet principia, quantumcumque simplex, et sic secundum aliquos, subjectum est causa suæ passionis. Sed quidquid sit de hoc, prædicta tamen habet iste in prologo primi, quæstione tertia, et super libros Elenchorum, quæst. 4. et alibi. Aliud quod tangitur ibi de his, quæ requiruntur ad demonstrationem, scilicet subjectum, passio, et medium, qualiter in secundis intentionibus inveniantur, tangetur quæstione prædicta.

29. Sexta difficultas est, circa illam distinctionem, quam ponit Doctor de Logica, *Docente*, et *Utente*, quid intelligit his nominibus, an eamdem, an diversam Logicam ?

Pro cujus declaratione advertendum, dimissis multis modis dicendi, et prolixioribus circa hanc materiam, quod per Logicam *Docentem* intelligit Doctor illam partem Logicæ, quæ docet demonstrare ex propriis principiis proprias conclusiones, quæ traditur maxime in libris Posteriorum, qua aggeneratur vera scientia. Per Logicam vero *utentem* intelligit illam partem Logicæ, quæ traditur in libris Topicorum, quæ procedit ex principiis communibus ad proprias conclusiones, in omni scientia ; et secundum alios, illam partem, quæ traditur in libris Elenchorum. Unde per hoc medium, *Contraria habent fieri circa idem*, quod locum Dialecticum differentiam Maximæ dicimus, et Maximam sibi correspondentem, tam Philosophus naturalis, quam Metaphysicus, quam etiam Logicus, ostendunt conclusionem sibi propriam. Sed præter talia media, quælibet scientia habet media propria ad conclusiones proprias, ex quibus vera scientia generatur. Ideo Doctor Subtilis, quæstione tertia primi Elenchorum, dicit quod scientia traditur per demonstrationem, usus vero in probabilibus consistit. Docet igitur demonstrator in libris Posteriorum in prædicatione signata, quod in propriis terminis in qualibet scientia, imo in ipsamet Logica exercetur.

Logica docens et utens quid.

Quomodo quod continetur in prædicatione signata exercetur in exercitia.

Cum enim dicit quod *demonstratio procedit ex prioribus notioribus*, etc. exercetur in Metaphysica, sic : *Omne unum est verum : omne ens est unum ; ergo* etc. Item, *Omne animal rationale est risibile : omnis homo est animal rationale ; ergo*, etc. Item in Logica, *Omnis oratio, in qua quibusdam positis*, etc. *concludit in aliqua trium figurarum : Syllogismus est hujusmodi ; ergo concludit in aliqua trium figurarum*. Vel sic : *Omnis argumentatio constans ex propositionibus, ubi vere salvatur* dici de omni, et dici de nullo, *est vere illativa : sed Syllogismus est hujusmodi ; ergo*, etc.

In hac demonstratione est principium, subjectum, et passio, et sic de aliis. Ex doctrina igitur tradita in demonstrativa scientia scit demonstrator demonstrare, et syllogizare, etc.

Sed dices, videtur ergo quod Logica non sit scientia, generaliter capiendo ipsam. 30.
Dicendum quod Logica in communi est scientia, et quælibet pars Logicæ est scientia, cum procedat ex principiis propriis ad conclusiones proprias, et ita Dialectica est Scientia, et Sophistica, de qua minus videtur, est scientia, ut habet Doctor Subtilis I. Elenchorum quæstione tertia : ita enim *probabilitas* de Syllogismo Dialectico, et *apparentia* de Sophistico, et *necessitas illationis* de Syllogismo simpliciter sumpto, demonstrantur per propria principia, sicut *procedere ex necessariis* de Syllogismo demonstrativo.

Sophistica quomodo scientia.

Si objicias, quare ergo potius Demonstrativa dicitur docens, et scientia, quam Dialectica, et Sophistica, cum in illis æque doceatur probabiliter, vel deceptorie syllogizare, sicut hîc demonstrative ? Dicendum, quod pro quanto sic docent, et scientiam per consequens generant, sunt Demonstrativam exercentes, et non Dialecticam, nec Sophisticam.

Sed tunc videtur, quod Demonstrativa potest dici utens, sicut Dialectica. Dicendum, quod non sequitur, quia pro tanto dicitur Dialectica utens (ubi semper intelligo per activam passivam, ponitur enim

quod pro *quo*, sicut cum dicitur quod anima gaudet, vel tristatur) pro quanto eisdem mediis formalibus, quæ ponuntur in Dialectica, in problematibus scibilibus, ad utramque partem contradictionis procedentibus, utuntur alii artifices, ut puta Naturalis, vel Metaphysicus, sed eisdem mediis, quibus utitur demonstrator, non utitur aliquis alius, quia semper in omni scientia procedimus ex propriis ad propria demonstrative.

31. Ex his igitur, quæ dicta sunt, breviter recolligendo, patet contra quosdam, quod Demonstrativa non dividitur in utentem et docentem, sicut Dialectica. Unde sanctus Thomas, super quartum Metaphys. text. comment. 5. qui optime imaginatur hunc modum dicendi in fine dicit : *Et sic apparet quod quædam partes Logicæ habent in ipsa scientiam, et doctrinam, et usum, sicut Dialectica tentativa, et Sophistica ; quædam autem doctrinam, et non usum, sicut Demonstrativa.* Quære eum ibi eleganter : gavisus enim eram, dum inveni illum in hac phantasia, (postquam sic scripseram) concordantem, quia *Patribus est deferendum*, 2. Cœli.

Secundo patet quod Logica utens non præcessit docentem, contra multos alios : nam, ut dictum est supra, Logica artificialis dividitur in docentem et utentem ; ideo prius fuit artificialiter inventa, quam usa : tamen verum est quod Logica naturalis præcessit artificialem, et non solum ut inclinatio quædam est, sed exercitium, et consuetudo ejus, et sic forte accipiunt aliqui Logicam utentem, quod improprie dicitur.

32. Tertio patet quod in omni scientia potest reperiri Dialectica, et Sophistica, et Demonstrativa, prædicatione exercita, licet in sola Logica reperiantur prædicatione signata.

Quarto, sequitur universalitas Dialecticæ et Logicæ in communi, atque utilitas, ut patet de fine Dialecticæ triplici, scilicet exercitatione, obviatione, et disciplina : et utilitate Logicæ quadruplici, scilicet facilitate discernendi verum a falso ; et promptitudine arguendi, et respondendi ; et habilitate solvendi Paralogismos peccantes in materia, et forma ; atque docilitate definiendi, dividendi, et demonstrandi.

Quinto, sequitur ejus necessitas, et delectabilitas, atque bonitas.

Sexto sequitur, contra alios, quod eadem, etsi non omnis, Logica est docens, et utens, licet non eodem modo : Nam Dialectica est utens quoad media communia, sed est docens quoad propria.

Septimo ex his omnibus patet, distinctionem Doctoris esse sufficientem.

Quamvis prædictus modus dicendi sit satis subtilis, tamen potest probabiliter sustineri, propter dicta Doctoris, quod quælibet pars Logicæ potest sic dividi, ut alii volunt : Logica enim utens potest dupliciter accipi. Uno modo pro habitu scientifico Logico, acquisito per demonstrationem, quo utimur in singulis scientiis ; dividendo, definiendo, etc. Alio modo pro habitu acquisito ex frequenti argumentatione, sive dubia, sive certa, etc. Primo modo potest dici, Logicam docentem, et utentem, esse eamdem : secundo modo non, ut quidam, et probabiliter, ponunt. Unde iste Doctor super libros Elenchorum, quæst. 1. inquit, quod licet Logica, quantum ad Doctrinam, sit ex communibus, diversus tamen est usus Doctrinæ, quæ traditur in Dialectica, et Demonstrativa. Nam Dialectica est ex communibus, et in singulis scientiis ad proprias conclusiones arguit ex communibus : ostendit enim quod amor, et odium, sint in eodem susceptibili, per hoc medium : *Contraria nata sunt fieri circa idem.* Illa tamen pars Logicæ, quæ est demonstrativa in singulis scientiis, arguit per proprium medium, etc. quære ibi valde notanter. Videtur igitur velle, quod utraque pars Logicæ est utens, licet forte non docens. Alius etiam est usus quoad demonstrationem mediorum communium. Alius quoad directivitatem. Unde Logicam dici utentem intelligo vel per applicationem denominativam intentionum, vel mediorum communium problematice, vel per viam regularum directivitatis, et sibi, et aliis. 33

Alia opinio de Logica docente et utente.

34. Posset etiam, alio modo exponendo, omnis alia scientia, præter Logicam, appellari Logica utens. Videretur etiam alicui, quod Logica utens esset verior scientia, cum propter ipsam sit docens. Sed hoc prolixius hic pertractare non expedit : videantur alii, qui hoc diffuse dixerunt. Comparari breviter potest Logica ad subjectum proprium, et proprias passiones suas, et sic est vera scientia, et ex propriis procedens. Alio modo potest comparari ad subjecta, et passiones aliarum scientiarum, et sic est scientia virtualiter, licet aliquibus videatur quod etiam formaliter, et aliæ tantum materialiter, sed primum magis sapit : administrat enim aliis instrumentum demonstrationis, per quod aggeneratur scientia. Tertio modo comparari potest ad principia et conclusiones aliarum scientiarum, et sic est tantum opinio, quia ex communibus, et probabilibus procedit, ex quibus opinio tantum generatur. Hæc omnia probabiliter, et quod magis placebit eligatur. Prima tamen expositio satis currit, ideo proprie distinguendo utentem contra docentem, Dialectica est utens, et non scientia, et sic intelligo Doctorem hìc.

Quomodo Logica sit scientia ad subjectum, et passiones compara'a.

35. Septima difficultas est, circa primum argumentum ante oppositum, et primo circa majorem, in qua dicitur, quod *modus sciendi non est scientia*, et solutionem ejus, utrum illa propositio sit vera aliquo modo ? Respondetur enim in littera, quod est scientia communis, non autem specialis. Sed illa responsio improbatur, et in sequenti quæstione magis apparebit qualiter Logica sit scientia communis, et specialis. Alii vero distinguunt de modo sciendi objectivo, et directivo : et utrumque subdividunt in universalem, et particularem : et applicando concedunt, tam Logicam docentem, quam utentem, esse modum sciendi directivum, primam universalem, et secundam particularem. Sed ista non videntur de mente Doctoris, qui simpliciter tenet istam prædicationem esse falsam, formaliter loquendo.

36. Ideo tenendo cum Doctore, dico quod ista est falsa, formaliter loquendo, *Modus sciendi est scientia*, materialiter autem est vera. Pro cujus declaratione videndum est qui est prædicatio formalis, et quid materialis. Aliqui sic notificant ipsas : *formalis prædicatio* est illa, quæ significat idem esse, pro quo supponit subjectum, et pro quo supponit prædicatum. *Materialis* autem, sive causalis est illa, quæ significat illud, pro quo supponit prædicatum, sequi ad illud, pro quo supponit subjectum.

Quomodo hæc si[t] vera, modus scien-di est scientia. Prædicatio formalis et materia-lis, quæ.

Sed licet ista sint bene dicta, potest aliter dici, quod generaliter omnis prædicatio directa, in qua verificatur prædicatum de subjecto in recto, ut Logica est ab Aristotele tradita, sive sit primi modi, sive secundi, sive quarti, est formalis. Dico autem, ut *Logica est ab Aristotele tradita*, ad differentiam prædicationis identicæ, de qua non tradit ipse Logicam. Non nego etiam prædicationem aliquam materialem esse in primo modo, ut habet Linconiensis I. Posteriorum, cap. de *Per se*. Materialis vero potest dici omnis prædicatio indirecta, vel tantum in obliquo verificabilis.

Voco autem communiter *prædicationem directam*, in qua prædicatur superius de suo inferiori, vel passio de subjecto ; vel accidens de subjecto, vel modus de quidditate ; vel Differentia de Genere. Indirectam vero e converso.

Prædicatio directa, et indirecta quæ.

Cum igitur ista prædicatio, *Modus sciendi est scientia*, non possit verificari in recto, sequitur quod non est formalis, nec habet se aliquo dictorum modorum prædicationis formalis, sed potius e contra, quia prædicatum est actus primus, et subjectum determinatio accidentalis actus secundi ipsius. Est ergo materialiter vera ad hunc intellectum : *De modo sciendi est scientia*, id est, de Syllogismo, vel Argumentatione, qui sunt modus sciendi, pro substrato saltem, ubi melius dicitur modus sciendi, est Syllogisticus, quam Syllogismus, propter prædicationem abstracti de abstracto, quia ibi posset oriri eadem difficultas, quæ inter scientiam, et modum sciendi. 37.

Sed forte concederetur hanc esse per se

primo modo, *Syllogismus est modus sciendi*. Ulterius advertendum, quod cum dicit Doctor, quod illa, *Modus sciendi est scientia*, non est vera aliquo modo, intelligit *prædicatione formali*, ista quod sic non est scientia, nec communis, nec specialis, sed magis stricte loquendo de formali prædicatione. Quæratur iste 7. Metaph. Quæst. 4. singularissime.

38. *Abstractio triplex.* Octava difficultas est, circa illam propositionem Doctoris famosam, quod *omnis prædicatio vera in abstracto, est per se primo modo et essentialiter vera*. Ubi advertendum, quod triplex est abstractio, scilicet a subjecto, a fundamento, et a supposito, licet non omnes in omnibus, de quibus magis infra quæst. 3. de Genere.

Secundo intelligendum, quod prædicatio abstracti de abstracto, potest esse vel in recto, vel in obliquo. Exemplum primi, ut *Albedo est color*. Exemplum secundi, ut *Homo est ex animalitate*.

Tertio notandum est, quod talis prædicatio potest esse in terminis limitatis, vel transcendentibus, vel formaliter infinitis, sive ipsis compossibilibus.

Quarto advertendum est, quod talis prædicatio potest esse aut in ultimate abstractis, aut in non ultimatis. Pono enim non modo tria genera abstractionum, imo in quolibet gradu plures, ut magis in prædicta quæstione habet tangi.

Ultimo subintelligendum est, quod abstractio habet fieri aliquando per nomina primæ intentionis, aliquando per nomina secundæ intentionis.

39. *Prædicationes abstracti de abstracto quomodo veræ.* His habitis dicendum ad difficultatem, quod non omnis vera prædicatio in abstractis, saltem ultimatis, nec in transcendentibus, sive inter se, sive de limitatis, nec formaliter infinitis, sive inter se, sive de non formaliter quantis; est per se primo modo, imo nulla talis, saltem in recto. Secundo dicendum, quod omnis talis prædicatio est vera per identitatem, dummodo non fiat abstractio per nomina secundæ intentionis. Istæ enim prædicationes, *Unitas est entitas* : *Bonitas divina est Deitas*, vel *essentia* : *Paternitas divina est essentia* ; sunt veræ, non formaliter, sed identice. Quodlibet enim formaliter infinitum identificat sibi quidquid est sibi compossibile. Transcendentia vero aut propter infinitatem permissivam, aut ut alii volunt propter ambitum suæ communitatis (sed primum magis placet) verificantur de omnibus. Istæ tamen prædicationes, *Paternitas divina est filiatio* : vel *conceptus*, sive *ratio formalis entitatis est conceptus*, vel *ratio formalis unitatis*, vel *humanitatis*, et sic de aliis ; non sunt veræ, nec formaliter, nec identice. Prima non, quia est in non quantis formaliter. Secunda vero non, quia est in abstractis secundo intentionaliter factis. Tertio dico, quod nulla prædicatio talis est vera, nec formaliter, nec identice in ultimate abstractis limitatis, saltem in recto. Licet enim hæc sit vera in primo modo, *Humanitas est ex animalitate* : hæc tamen est falsa *Humanitas est animalitas* ; licet multi teneant oppositum. Ratio autem falsitatis hujus assignabitur infra, loco præallegato. Scio quoque quod plura prædictorum transcendunt negotium, sed provectis sunt utilia, et ad radicalem declarationem Doctoris necessaria, igitur ea introduxi.

Posset ulterius difficultari circa illam secundam rationem Doctoris, ubi dicit quod *modus sciendi est posterior scire, et scire, quam scientia*. Verum est enim quod *scire* posterius est scientia, sicut [illegible] et universaliter actus secundus actu primo, sed videtur quod modus sciendi cum (ut videtur) capiatur pro Syllogismo, vel Argumentatione non sit posterior, imo prior est ipsa scientia, quæ est effectus causatus ex Syllogismis, et Argumentationibus. Dicendum uno modo, quod licet simpliciter modus sic sumptus sit prior, tamen ut induit rationem denominationis, non est inconveniens quod dicatur posterius, sicut licet homo sit prior sua Albedine, tamen cum dicitur *albus homo*, habet se ut posterius. Vel dici potest aliter, ut supra tetigi, quod modus sciendi, potest sumi 40.

pro formali, vel pro connotato, seu substrato. Primo modo est posterior. Secundo modo potest esse prior. Et tenet argumentum Doctoris de posterioritate accidentali, et non naturæ, vel consequentiæ, ut supra dixi. Alia est enim posterioritas essentialis coordinationis : alia essentialis entitativæ dependentiæ, vel ordinis. De prima non loquitur hîc, sed de secunda.

41. Decima difficultas est, circa illam expositionem Commentatoris, cum dicit quod per *modum sciendi* intelligit Aristoteles Logicam, an videlicet sit ad mentem Philosophi ?

Aristoteles per modum sciendi Logicam intelligit.

Potest dici, quod licet satis authentica, et communiter accepta sit, littera tamen Aristotelis aliter declarari posset. Postquam enim, ut supra tetigi, Aristoteles posuit diversos modos diversorum, in acquirendo veritatem, ponit illam propositionem, *Absurdum est*, etc. Deinde reprobans unum illorum auctorum dicit : *Acribologia* (i. e. *certitudo*) *vero Mathematica non in omnibus est expetenda*. Vult ergo, quod non in omni scientia procedendum est secundum certitudinem Mathematicam, sed secundum materiæ subjectæ exigentiam, ut dicit I. Ethicorum, cap. 2. Oportet igitur in omni scientia uti modo convenienti sibi, aut videlicet certitudine ; aut testimonio ; aut persuasione. Sed dices quod Logica docet hæc omnia. Hoc posset negari. Dicit igitur consequenter aut tenendo, aut contradicendo Commentatori. Cætera hujus quæstionis satis patent ex his, et in sequentibus patebunt.

QUÆSTIO II

Utrum Logica sit scientia communis ?

Doctor 1, *Post. q.* 43. *et* 1. *Elenchor. q.* 1. Tart. *quæst.* 1. *Proœm. in fine.* Joan. Angli. *et* Bras. *super hanc quæstionem.* Faventinus *Theor.* 5. *cap.* 1. Rodrig. *in expositione hujus textus.*

1. Quod non videtur. Quia communitas scientiæ est a communitate subjecti : Subjectum autem Logicæ distinctum est a subjectis aliarum scientiarum ; ergo, etc.

Ad oppositum arguitur per Boetium. *Logica est de secundis intentionibus applicatis primis* : illæ autem sunt communes, quæ sunt applicabiles omnibus primis.

Dicendum, quod scientia dicitur communis a subjecto. Potest igitur intelligi communis ; vel quia subjectum ejus est prædicabile de subjectis aliarum scientiarum ; vel quia ejus subjectum cadit in usum omnium aliarum scientiarum. Primo modo non est communis Logica per se, nisi forte per accidens. Si autem subjectum ejus sit applicabile omnibus aliis scientiis, secundo modo Logica est communis ; quia omnes scientiæ utuntur Syllogismo, et aliis, de quibus est Logica. 2.

Scientia d... communis d... citer.

EXPOSITIO

De primo, Quid *Logica*, et quid *Scientia*, et quoties sumantur, quæstione apparuit præeunte. 3.

Commune ... plex.

Commune vero licet posset sumi toties, quoties *universale*, aut videlicet *in causando*, ut Deus ; aut *in cognoscendo*, ut intellectus ; aut *in repræsentando*, ut species intelligibilis ; aut *in distribuendo*, ut signa universalia ; aut *in prædicando*, ut homo, animal : tamen in proposito auditur *commune*, ut distinguitur contra *speciale*, ut in solutione tangam.

Divisio est communis. Ordo patet : prius enim videndum erat an Logica esset scientia, quam an communis, an specialis.

De secundo. Major primi argumenti patet ex hoc, quod entitas, et unitas, et per consequens communitas scientiæ, sumuntur ex parte subjecti, tanquam causæ ipsius. Scientiæ namque communes, (ut inquit Avicenna in Metaphysica sua) secundum quod sunt notitiæ quædam universales, differunt per subjecta, de quibus sunt : et propterea in definitionem scientiæ semper cadere debet pro differentia substantiali, subjectum de quo : licet illæ scientiæ, inquantum sunt formæ quædam, de- 4.

Commi... scientiæ

torquentes intellectum, existentes de rebus eisdem, apud diversos homines differant individualiter per subjecta, in quibus sunt, sicut est anima, cum non sint nisi individuæ quædam formæ, comparatione eorum, quæ informantur ab eis : licet sint universales, comparatione eorum, a quibus abstractæ sunt. Minor vero patet per illud 3. de Anima text. comment. 38. *Secatur scientia quemadmodum et res.*

Argumentum post oppositum satis commune est, ut tactum est supra, ex illa auctoritate Boetii, et magis in quæstione sequenti, declarando eamdem auctoritatem, et illam 4. Metaph. *Circa idem*, etc. Respondet Doctor, distinguendo de communitate scientiæ, sumpta a parte subjecti, quod dupliciter potest dici communis : aut communitate prædicationis ; aut communitate, vel usu applicationis. Sed ista distinctio præsupponit aliam distinctionem, quam statim addam.

...munitas du-... [margin note, partly cut off]

5. Dicit igitur applicando, quod Logica aliis scientiis non est communis primo modo, quia subjectum ejus non prædicatur de subjectis aliarum scientiarum, et hoc supponendo Syllogismum esse subjectum Logicæ : vel aliquam aliam secundam intentionem, quæ licet applicetur, non tamen essentialiter prædicatur de aliis. Istæ enim sunt falsæ, *Ens est Syllogismus* : *Numerus est Syllogismus*, etc. licet forte in obliquo non negaretur talis prædicatio nisi forte per accidens, ubi aliqui exponunt, et satis subtiliter, hoc debere referri ad incomplexa, ex quibus habet fieri Syllogismus, vel ad aliqua reducibilia ad ipsum, ut puta, licet non concedatur quod ens sit Syllogismus, concedi tamen potest, quod ens est prædicatum, vel subjectum, vel incomplexum, vel major extremitas, vel minor, vel medium, vel subjectum, vel prædicatum, etc. Sed si volueris illud referre non ad talia, sed ad subjectum in se, potest sic exponi quod videlicet subjectum Logicæ est prædicabile per accidens de subjectis aliarum scientiarum, id est applicabile eis, et ideo adjunxit Doctor immediate : *Si subjectum ejus sit applicabile omnibus aliis scientiis*, [illegible] cunda ratio, quam litteram [illegible] qui [illegible] *Secundo modo*, etc. [illegible] potest esse sermo de subjecto [illegible] nis Logicæ, cujusmodi est intentio secunda. Nam Doctor [illegible] subjectum Logicæ, ideo loquitur [illegible] *si subjectum ejus*, etc. [illegible] aliquod (vel intentio aliqua secunda [illegible] applicabile subjecto cuilibet [illegible]. Aut si volueris referre ad ipsum Syllogismum in se, etiam Syllog[illegible] applicari subjectis aliarum scientiarum [illegible] batur enim aliqua [illegible] de quolibet subjecto, et ita sy[illegible] applicabilis cuilibet subjecto, [illegible] catione materiali, vel formali, ut patet consideranti Doctorem [illegible] *modo Logica est communis* [illegible] *aliæ*, etc. Vult ergo, quod Logica sit communis, communitate usus, non autem Perseicæ prædicationis.

Logica quomodo communis. [margin note, blurred]

6. De Tertio, circa dicta, prima difficultas est, quoties dicitur aliqua [illegible] communis.

Respondeo quod dupliciter, aut communitate intrinseca aut extrinseca. Primo modo illa est communis, quæ habet plures partes subjectivas : et sic Logica [illegible]. Secundo modo illa est communis [illegible] tum est prædicabile de subjectis aliarum scientiarum : et sic Metaphysica est communis. Aut cujus subjectum est applicabile omnibus aliis scientiis : et sic Logica est communis. Aut tertio [illegible] ratio est de omnibus, de quibus [illegible] tiæ considerant [illegible] nis ut magis [illegible]. Aut cujus subjectum [illegible] rum scientiarum : et sic [illegible] Logica est scientia communis.

Communitas intrinseca et extrinseca. [margin note, blurred]

7. [illegible] Doctor [illegible] esse applicabile [illegible] in usum aliarum scientiarum.

Esse applicabile aliis scientiis, et cadere in earum usum differunt.

Dicendum, quod per *cadere in usum aliarum scientiarum* intelligit Doctor accipi in aliis scientiis, tanquam media ad inferendum conclusiones in eis : et per *esse applicabile aliis*, intelligit esse denominativum accidentale intentionale respectu aliarum, eo modo, quo intentiones secundæ prædicantur, et attribuuntur ab intellectu primis intentionibus. Et cum dicit Doctor, quod omnes aliæ scientiæ utuntur Syllogismo, et aliis, de quibus est Logica ; nomine *Syllogismi* intelligo non quemcumque, sed Dialecticum, non formaliter, sed pro substrato, et maxime quantum ad medium. Loci enim Dialectici, sive Differentiæ Maximæ, sunt communes omni scientiæ. Secus est de Syllogismo simpliciter sumpto, ut est subjectum Logicæ : quia sic est secunda intentio, qua nulla alia utitur, licet his, quibus utitur, applicari possit. Usus ergo, ut dixi prius, circa probabilia est : applicatio vero circa omnia intentionalia . Aliquando tamen unum pro alio ponitur. Adde ad hoc ea, quæ supra quæstione prima notavi, de Demonstrativa, et Dialectica et usu utriusque.

8. Tertia difficultas est, quia videtur repugnantia in dictis Doctoris hìc, et quæstione præeunte, ibi enim dicit, distinguendo Logicam in docentem, et utentem, quod Logica utens non est scientia ; hìc vero dicit quod Logica est scientia communis, ut ea, de quibus considerat, cadunt in usum aliarum scientiarum : sed sic est Logica utens ; igitur Logica utens est scientia communis, et ultra sequitur, quod si scientia communis, quod scientia a determinatione non diminuente, ad determinabile, vel a parte in modo ad totum.

Logica utens ut utens non est scientia.

Dicendum breviter, ut supra tactum est, quod Logica utens, ut utens, non est scientia, sed ut docens. Dicitur enim utens, quantum ad media communia, quæ ministrat aliis scientiis ; sed est docens, ut per propria media docet illa, et passiones de suo subjecto. Ideo, ut dictum est, Dialectica est docens, et est utens diversimode loquendo. Est ergo Logica communis scientia, ab alio tamen scientia, et ab alio communis : sicut ars fabrilis est ars communis, ab alio autem ars, et ab alio communis. Communis namque est, quantum ad instrumenta, quæ aliis artibus administrat : sed ars est, pro quanto talibus, et talibus principiis, et regulis dirigitur, et operatur. Vel dic aliter, distinguendo de Logica utente, ut supra, quæstione prima, dubio sexto, versus finem, tetigi. Potest dici quod ista propositio, *Logica utens est scientia communis*, est vera in sensu diviso, falsa autem in sensu composito. Considera altius. Multa alia possent hic tangi de perfectione, et prioritate scientiæ communis, et specialis, sed alterius negotii est.

Logica ab alio est scientia ab alio communis.

QUÆSTIO III

An Syllogismus sit objectum Logicæ ?

D. Thom. 4. *Met. lect.* 4. *et in Opusc.* 42. *cap.* 2. *et Opusc.* 55 *ante medium*, *et* 70. *quæst.* 6. *art.* 1 *et* 3. *et* 1. *Post. lect.* 20, Albertus Magn. *in Prolog. Prædicam.* Avicen. 1. *Metaph.cap.* 2 Averro. *in Epito. prædicam, cap. ultimo. et* 4. *Met cap.* 2. Jandunus 4. *Metaph. quæst.* 4. Aureol. *in Prol. Sent. q. de subjecto Theologiæ, art.* 5. Ockam. *q.* 2. *Log.* Joannes a Magistris *q.* 3. *Procem.* Cajet. *cap. de Genere.* Sotus *q.*5. *Procem.* Tartar. *q.* 3. *Procem.* Joannes Ang, *et* Bras. *in hanc quæst.* Flandr. 4. *Metaph. q.* 5 *art.* 2. Suarez. 1. *Tom. Metaph. disput.* 1. *sect.* 4. *et Tom.* 2. *disput.* 54. *in primo.* Vasquez 1. *p. disp.* 4. *cap.* 1. Fonseca 2. *Metaph. cap.* 3. *quæst.* 1. *sect.* 5. Tolet *q.* 5. *Procem.* Conimbr. *ibidem.* Hurtado *disp.* 1. *Procem.* Faventinus *Theor.* 6. Merinero *disp, unica procem. quæst.* 4, Rodrig. *q.* 3. *art.* 1. Fuente *q.* 3. *diff.* 1.

Argument[a] parte negat[iva]

Quod non videtur. Quia omnis scientia est per Syllogismum ; si ergo de Syllogismo sit scientia, hoc erit per Syllogismum, quod falsum est. Tum quia Syllogismus, de quo quæritur scientia, est ignotus. Syllogismus autem per quem habetur scientia, est notus : ergo idem erit notum et ignotum, sed per ignotum nihil scitur. Tum quia quæro de Syllogismo, per quem habetur scientia, aut de illo est scientia, aut non ; si non, pari ratio- 1.

ne nec de Syllogismo in communi, quia quod scitur de communi, scitur de quolibet particulari ; si sic, ergo per alium Syllogismum, et sic erit procedere in infinitum in Syllogismis, ad habendum scientiam, quod est inconveniens ; quia tunc nihil sciretur : *infinitum enim est ignotum*, per Aristotelem 1. Posteriorum : igitur idem erit notum, et ignotum.

Item, nihil est subjectum totius, et partis ; Syllogismus autem est subjectum partis Logicæ, scilicet libri Priorum ; ergo.

Item, Syllogismus nunquam fuit in sensu : ergo nec in intellectu. Consequentia patet per Aristotelem in de Sensu et Sensato.

Ad oppositum : Passiones Syllogismi in Logica principaliter de eo demonstrantur, et de aliis propter ipsum : ergo, etc.

2. æ opiniones. Dicitur, quod subjectum Logicæ est conceptus formatus ab actu rationis ; quia ille communis est omnibus in Logica consideratis ; nam cum *actus rationis* sit *triplex*, *Primus* scilicet indivisibilium intelligentia ; *Secundus*, compositio, vel divisio istorum simplicium, seu indivisibilium ; *Tertius* est discursus formatus a noto ad ignotum. De conceptu formato a primo actu rationis, est liber Prædicamentorum, qui est de incomplexo. De conceptu formato a secundo actu, est liber Perihermenias, qui est de Enunciatione. De conceptu formato per tertium actum, est tota nova Logica, quæ est de Syllogismo, et de ejus partibus subjectivis.

Aliter ponitur, quod est de Secundis intentionibus applicatis primis, sicut dicit Boetius, quia illæ sunt communes omnibus in Logica determinatis. Tertio modo ponitur *Ens* esse subjectum ; quia per Aristotelem 4. Metaph. Com. 2. circa idem laborant Metaphysicus, Dialecticus et Sophista. Metaphysicus autem laborat circa *Ens* : igitur, etc. Quarto modo ponitur Oratio, quia de ipsa, et ejus partibus determinatur in veteri, et nova Logica, cum sit genus enunciationis : et ponitur etiam in definitione Syllogismi primo Priorum. Quinto ponitur Argumentatio, quia de ejus speciebus et ejus partibus est tota Logica. Sexto modo ponitur Syllogismus quia omnia alia, quæ in Logica considerantur, propter ipsum considerantur.

Ad videndum autem quæ istarum positionum sit verior, notandum quod tres sunt conditiones præcipuæ subjecti in scientia. Prima videlicet quod sit notum *quid est*, et *quia est*, nam hæc duo, ut inquit Aristoteles 1. Poster. Text. 2. oportet præsupponere de omni subjecto demonstrationis. Secunda est, quod per ejus *quod quid est*, demonstrentur in scientia passiones illius subjecti de eo. Tertia est, quod ad ipsum alia omnia in scientia determinata reducantur, et propter ipsum considerentur : aliter enim ab ejus unitate non esset unitas scientiæ. 3.

Duæ primæ conditiones desunt tribus primis positionibus, quia nullius eorum subjectorum secundum rationem generalem, ut ponuntur subjecta, habetur definitio in Logica, nec præmittitur, ut principium scientiæ, nec passio aliqua de eis demonstratur in generali : ergo quodlibet illorum est nimis commune subjectum. Etiam non differunt istæ tres positiones inter se, quod manifestum est de prima, et secunda ; de tertia autem probatur ; quia aut ens reale est subjectum hujus scientiæ ; aut ens rationis. Si primo modo, ergo hæc scientia est realis ; quod falsum est. Si 4.

secundo modo, aut ergo tantum de ente rationis, idest, considerato ab intellectu ; aut de ente rationis, id est, causato a ratione. Si primo modo, sic adhuc poterit esse realis : nam nihil est subjectum alicujus scientiæ, nisi ut consideratum a ratione ; quia non nisi ut est universale : ergo oportet dare, quod sit de ente causato a ratione, quod est idem cum aliis duabus.

5. Ad rationem quidem pro prima posi-

Ad rationes aliarum opinionum. tione, patet argumentum non valere ; quia arguitur ab insufficienti divisione, et facit fallaciam Consequentis. Patet, quia desunt aliæ duæ conditiones subjecti. Ad auctoritatem Boetii dico, quod Logica est de illis : sed illa non sunt primum subjectum, sed sunt communiora subjecto ; sicut dicimus, quod omnis scientia est de ente, quia nulla est de non ente.

6. Ad rationem positionis tertiæ dico, quod laborant circa idem, non quod idem sit subjectum ; sed quia in Logica consideratur illud, per quod circa omnia convenit laborare : nam circa multa laboratur in scientia, non tamen propter hoc quodlibet illorum est principale subjectum illius scientiæ.

Quarto, scilicet Orationi, deficit secunda conditio, et tertia. Et quod accipitur, quod convenit Syllogismo, dico quod non convenit nisi æquivoce ei, et enunciationi : et æquivocum non est subjectum in scientia, quia non potest definiri ; sumitur enim in definitione Syllogismi pro argumentatione.

Quinto, scilicet Argumentationi, deest primum, non enim ab Aristotele usquam definitur Argumentatio in communi ; nec ponitur ejus definitio, ut principium scientiæ, licet Boetius eam definiat in Topicis suis. Secundum etiam deest sibi, ut manifestum est secundum rationem generalem. Tertium etiam probo, quia vel est æquivocum et tunc manifestum est quod ab ejus unitate non est unitas scientiæ, nec scientia una, cum tunc non sit unum scibile, nec unum intelligibile ; vel est analogum ad contenta sub ea : et tunc scientia non erit una ab ipso, sed ab unitate principalis, ad quod omnia alia attribuuntur, et illud est Syllogismus : sicut unitas Metaphysicæ est ab unitate subtantiæ, ad quam omnia alia entia attribuuntur,

Dicendum ergo, quod *subjectum pri-* 7.

mum et proprium Logicæ est Syllo- *Conclusio.*

gismus ; habet enim primam conditionem, quia statim post determinationem de ejus partibus in veteri Logica, in primo Priorum cap 1. præmittit ejus definitionem. Et secundam habet, quia in eodem multas passiones de ipso ostendit Aristoteles per illam definitionem, ut modum, et figuram in illis *de inesse* ; et in modalibus, ut habere tres terminos in illo capitulo : *Quoniam igitur in illis figuris*, per hoc quod est ex necessitate, accidere conclusiosionem, etc. Et tertiam similiter habet, propter ipsum enim, in veteri Logica determinatur de ejus partibus integralibus, scilicet de Incomplexo, Enunciatione, et de partibus subjectivis in libro Topicorum, Priorum, Posteriorum, et de aliis speciebus Argumentationis ; quia illa reducuntur ad ipsum, sicut imperfectum, ad perfectum et de Syllogismo sophistico, ut de privatione ejus, quia ejusdem est cognoscere habitum et privationem : sic ergo penes ejus divisionem, et attributa illi, patet divisio Logicæ.

Ad primum argumentum concedo, 8.

quod scientia est de Syllogismo per *Ad primum principale.*

Syllogismum aliquem particularem. Ad primum contra hoc dico, quod Syllogis-

mus iste per quem habetur scientia, notus est quoad veritatem præmissarum : quia sunt propositiones immediatæ illativæ conclusionis, et quantum ad illationem conclusionis ex præmissis ; quia illatio est per se manifesta ; cum *Syllogismus perfectus sit, qui nullius indiget ad hoc ut appareat necessarius*. 1. Priorum, cap. 1. id est, ad hoc, ut manifestum sit Conclusionem sequi ex Præmissis. Sed iste Syllogismus, per quem habetur scientia, est ignotus, quoad passionem illam, quæ demonstratur de Syllogismo in communi, secundum quam ipse Syllogismus in communi est ignotus, non enim quæritur cognitio de Syllogismo in communi, nisi quoad passionem ; et ita non est idem notum, et ignotum secundum idem.

...entia est de ...ogismo per ...ogismum. Ad aliud contra hoc, dico, quod scientia est de Syllogismo, per quem est scientia. Et cum quæritur per quem Syllogismum ? dico, quod per seipsum ; quia inquantum per ipsum ostenditur passio aliqua de communi Syllogismo, ostenditur de seipso, inquantum est Syllogismus, nec aliter est scientia de particulari.

9\. *...ecundum. Syl...ismus quo no... ...ubjectum libri Prior. et to... Logicæ. ...bjectum non ...t prædicari ...omnibus con...ratis in scien...*

Ad secundum principale argumentum, dico, quod Syllogismus quoad proprietates formaliter ipsum consequentes, est subjectum libri Priorum ; est autem subjectum totius Logicæ, quoad omnes passiones in se, vel in suis partibus integralibus, et subjectivis, vel reducibilibus ad ipsum : nec oportet subjectum prædicari de omnibus in scientia consideratis ; sed esse id, propter quod alia considerantur, ut patet de subjecto naturalis scientiæ, quod est corpus mobile : ibi agitur de motu et natura, quæ non sunt corpus mobile.

Vel potest dici quod major est falsa in scientiis quando subjectum totius multa requirit determinari propter ejus cognitionem : tunc enim de illis multis oportet in illa scientia considerare, et cum hæc de ipso subjecto : ergo aliqua pars scientiæ erit de illo subjecto, secundum se proprie, quod est subjectum totius : ita est hic, ut patet de octo libris Physicorum respectu totius scientiæ naturalis.

Ad tertium dico, quod illa propositio Aristotelis *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, vera est de eo quod est primum intelligibile. Quod est scilicet *quod quid est* rei materialis ; non autem de omnibus per se intelligibilibus, quia multa per se intelliguntur, non quia speciem faciunt, in sensu ; sed per reflexionem intellectus ; et ita est de Syllogismo : *in plus enim est per se, quam primo*, ut dicitur 1. Posteriorum, text. 2. Isosceles enim per se habet tres angulos, sed non primo. 10.

In speciali circa librum Porphyrii, quærendum est de Universali. Et quia omnem quæstionem præcedit, quid dicitur per nomen, ideo notandum, quod Universale, sicut cetera concreta, tripliciter sumitur. Quandoque enim sumitur pro subjecto, idest, pro re primæ intentionis, cui applicatur intentio universalis ; et hoc modo universale est primum objectum intellectus. Quandoque sumitur pro forma, scilicet pro re secundæ intentionis, causata ab intellectu, et applicabili rebus primæ intentionis ; et sic loquitur Logicus proprie de Universali. Tertio modo pro aggregato ex subjecto, et forma ; et illud est ens per accidens, quia aggregat diversas naturas, ex quibus non fit unum per se ; et sic non est de consideratione alicujus artificis, quia *de ente per accidens nulla est scientia*, per Aristotelem sexto Meta- 11.

phys. quia nec diffinibile. Tantum igitur de cetero fiet sermo de Universali secundo modo sumpto, non autem de aliis, etc.

EXPOSITIO

12. De Primo, *subjectum* solet sumi multipliciter, ut patet per hos versus.

Subjectum multiplex.

Objectum verna, positum sub, cui, quod inhæret,
Quod prius est copula proprii logicaliter infra :
Quod simul ars, et habet, bis sunt subjecta quaterna.

In proposito capitur ultimo modo, pro illo videlicet, circa quod speculatur intellectus in scientia, quod verius objectum, quam subjectum dici debet, licet, ut aliis videtur, id quod totale est, ut conclusio scita, objectum, et propinquum dicatur ; id vero, quod partiale, ut extremum conclusionis, proprie subjectum dicitur, et remotum. Aliud est enim quod scitur, quia conclusio ; aliud quo, vel per quod quia medium ; aliud de quo, quia conclusionis subjectum ; aliud quod de alio, quia prædicatum conclusionis. Ideo aliud est dicere *scibile* est, et aliud *subjectum*, ut quæstione tertia prologi Sententiarum habet iste. *Scibile* enim est conclusio, *subjectum* vero extremum conclusionis. Solet etiam distingui in materiale, et formale. Item in primo-intentionale, et secundo-intentionale. Item potest dividi in subjectum prædicationis, attributionis, et principalitatis. Sed de necessitate subjecti non est, ut prædicetur de omnibus in scientia consideratis, prædicatione dicente hoc est hoc. Nec illud, quod est principalis pars subjectiva subjecti in scientia, assignatur communiter subjectum ejus, nec illud, quod est formalis ratio subjectiva, dicitur subjectum, sed potius ratio subjectiva ; nec intentio secunda applicabilis substrato scibili (quæ subjectum dicitur) ponitur subjectum ; nec conclusio scibilis ponitur subjectum.

13. Patet igitur quod in proposito capitur *subjectum* remotum primo intentionale, vel secundo intentionale (dummodo pro substrato) materiale, et attributionis, quod sic describi solet : *Est quod habet conceptum quidditativum non inclusum virtualiter in aliquo priori ad illam scientiam pertinente, primo notum, secundum rationem formalem propriam, et absolutam, virtualiter, primo continens notitiam omnium veritatum, adæquatum illi scientiæ, cujus est subjectum.*

Subjectum attributionis quid.

In qua descriptione ponuntur sex conditiones subjecti in scientia, ut habet iste in primo Reportationum, quæstione prima. Sed ex dictis ejus ibidem, melius colligi potest ratio subjecti materialis, et formalis, et conditiones utriusque, sub his verbis : *Cujus passiones, et proprietates considerantur, principiis subjicitur primo occurrentis, alia per ejus rationem intellectui occurrunt de quo considerata reliqua prædicantur, significativum, determinativum, et specificativum ejus existit.*

Voco scientiæ subjectum materiale primum, et illam, sub qua omnia cognoscibilia de subjecto infra ambitum scientiæ continentur, et principiis subjicitur : alia de ipso, et non e contra quæruntur : ab intellectu perfecte considerante scitur, et secundum quam illa est de ipso, et quælibet alia per participationem, et imitationem illius, dignitatemque sortitur, appello rationem formalem sujectivam.

Subjectum prædicationis, et attributionis Logicæ.

Voco subjectum prædicationis Logicæ, ens rationis, vel intentionem secundam. Attributionis Syllogismum, sed principaliter Syllogismum demonstrativum, licet alii aliter assignent. Exemplum in Metaphysica, prædicationis ens ; attributionis substantiam, sed principaliter genus substantiarum separatarum, subjectum ponimus. Sed teneo probabiliter, quod idem est subjectum in scientia, duobus ultimis modis, cui aliquando convenit, licet non necessario in quantum subjectum primum. Vide hunc quæstione prima sexti Metaphysicæ. Quid Logica, patet quæstione prima.

Syllogismus Græce, ut quibusdam placet, disputationem significat Latine : et *syllogizare*, disputare, vel probare. Vel *Syllogismus* collectivum posset dici. Sed Philosophus definit eum per λόγῳ, quod et 14.

argumentationem, et orationem, et curam et pene omnem complexionem significat dum desunt enim nomina Græcis, dicunt λόγῳ, et errare nequeunt. Dividitur autem Syllogismus in simpliciter talem, et contracte. Sed prius in primo-intentionalem, et secundo-intentionalem dividi debet. Secundo-intentionalis vero in illa duo. Voco enim *primo-intentionalem* Syllogismum in voce, vel in scripto, vel in mente, ex tribus propositionibus formatum. *Secundo-intentionalem* vero appello respectum rationis habitus præmissarum ad conclusionem, vel signi complexi discursivi ad suum significatum. Vel secundum alios, est quædam relatio rationis, qua ex multis connexis, aliquid aliud cognoscitur inferri. Et dicitur simpliciter talis absolute sumptus, qui 1. Priorum sic definitur.

Divisio Syllogismi in 1. et 2. intentionis.

Syllogismus quid.

Est oratio, in qua, quibusdam positis, necesse est aliud accidere eo quod hæc sunt. Illud quod communiter additur *et concessis*, non est necessarium ad rem, licet forte ad hominem, vel ad Dialecticum, potius, quam ad Posterioristicum spectat. Contrahitur autem illa intentio *Syllogismus* penes diversas materias, quibus applicatur, sicut communiter secundæ intentiones variantur penes fundamentum. Dicimus enim Syllogismorum alium *Topicum*, seu Dialecticum, alium *Demonstrativum*, alium vero *Elenchum* apparentem, seu Sophisticum. Quæ divisio est accidentis in subjecta. Materia enim probabilis, vel necessaria, vel falsa, id est, propositiones tales, quæ dicuntur materia propinqua Syllogismi, accidunt ipsi Syllogismo, sicut et e contra : sicut habet Doctor iste super 1. Elenchorum, quæst. 4. *Non est*, inquit, *de ratione Syllogismi quod procedat ex veris, neque ex necessariis, neque ex probabilibus : quia necessitas, seu prioritas, et veritas, et probabilitas, sunt proprietates ipsius rei.*

14. Cum igitur Syllogismus secundum suum formale significatum, sit ens rationis ; illæ proprietates non erunt Syllogismi, in quantum Syllogismus est. Unde licet Syllogismus præmissis ex falsis, observatis tamen aliis conditionibus requisitis ad Syllogismum, debet dici Syllogismus verus. Nam Syllogismus se habet ad Syllogismum Dialecticum, et Demonstrativum, sicut circulus ad circulum ligneum, et æneum. Circulus vero nullam materiam sibi determinat : unde in quacumque reperiatur, sive forti, sive debili, dummodo forma circuli salvetur, circulus dicitur. Ita de Syllogismo dicendum est, et quæ sequuntur aliæ divisiones, et acceptiones Syllogismi, 1. et 2. Priorum habent pertractari, et aliqua infra, in secundo articulo, et tertio.

Divisio quæstionis communis est, nisi quod secunda pars subdividi potest, ut statim dicam. Ordo vero patet. Postquam enim visum est, quod Logica est scientia, et communis, et specialis, diversimode loquendo, congruum erat consequenter quærere de subjecto ejus. Et tantum de primo principali.

De Secundo ad partem negativam arguitur tribus rationibus. Prima aliquantulum tædiosa est in forma ; ideo formetur sic : 13.
Omnis scientia est per Syllogismum : sed de Syllogismo est scientia ; igitur scientia de Syllogismo est per Syllogismum. Discursus bonus, quia in tertio primæ ; sed consequens est falsum, igitur aliqua præmissarum : non major, igitur minor. Major enim patet per illud primi Posteriorum, text. comment. 5. *Scire est effectus demonstrationis, Demonstratio vero Syllogismus faciens scire;* ibidem. Minor vero est ponentis Syllogismum esse subjectum Logicæ ; de subjecto namque scientia habetur, et est scientia. Falsitas autem consequentis probatur dupliciter, quia data veritate ipsius, aut erit processus in infinitum, aut idem erit notum, et ignotum, et per consequens notum, et non notum, quod est oppositum primi principii. Primum probatur, quia si de Syllogismo habetur scientia, aut igitur per se, aut per alium, si per alium, quæro de illo alio, aut de ipso est scientia, aut non ; si non, igitur nec de Syllogismo in communi, quia suppono illum alium esse

Syllogismum particularem. Consequentia patet, quia eadem est scientia hominis, et hujus hominis : quod enim scitur primo, et per se de communi, scitur per se, licet non primo de particulari ipsius, ut habetur 1. Posteriorum, text. comment. 40. Si vero detur, quod de illo alio est scientia, quæro ut prius, aut per se, aut per alium, et ita processus in infinitum. *Infinitum* autem *non potest pertransiri*. 2. Metaphys. text. comment. 13. Item, 1. Poster. text. comment. 6. 34. 35. et 36. et 2. de Generatione, text. comment. 36. *Et est ignotum*, ibidem 2. Metaphys. et 1. Physic. text. comment. 35. *Et aufert naturam boni, et nemo conatur ad ipsum*. 2. Metaph. text. comment. 8. quod est contra rationem scibilis, et scientiæ 1. Metaphys. *Omnes homines*, etc.

16. Secundum principale probatur, scilicet quod *tunc idem esset notum, et ignotum*, quæ particula ponitur communiter in fine totius argumenti, sed debet applicari immediate ante illud secundum, tum, quia illud, de quo quæritur scientia, est ignotum, antequam de ipso habeatur scientia : igitur quærens scientiam de Syllogismo, antequam aut per inventionem, aut per doctrinam, sciat proprietates ipsius, de ipso demonstrative ; habet ipsum tanquam ignotum. Et cum, ut prius, omnis scientia habeatur per Syllogismum, sequitur quod scientia de Syllogismo habeatur per Syllogismum : aut igitur per se ipsum, et tunc idem erit notum, et ignotum. Erit enim notum, si per ipsum acquiritur scientia, quia per ignotum nihil scitur, sed semper esset petitio principii. Si vero per alium, ut puta particularem Syllogismum, tunc etiam sequitur idem ; quia sicut scito communi, scitur quodlibet particulare, posita constantia subjecti : ita per oppositum ignoto communi, ignoratur et particulare et hoc quantum ad notitiam quidditativam, et passionalem ipsius. Hactenus primum principale.

17. Secunda ratio principalis patet. Major enim illa, quam assumit, fundatur super illud tertii de Anima : *Secantur enim scientiæ*, etc. ubi supra, q. 2. Et super illud primi Poster. text. comment. 43. *Scientia habet genus, subjectum, partes, et passiones, et principia habens*. Sicut igitur tota scientia ad partem scientiæ, ita subjectum totius se videtur habere ad subjecta partium scientiæ. Minor vero communiter ponitur ab omnibus.

Tertia ratio clara est ; et auctoritas, quæ allegatur ex libro de Sensu, et sensato, est formaliter ista : *Nec enim*, inquit, *intelligit intellectus quæ exterius non cum sensu*. Similis auctoritas in principio 1. Posteriorum, et alibi sæpe. Argumentum post oppositum tangit implicite tres conditiones subjecti, quas infra ponit Doctor. Cum enim dicit, quod passiones Syllogismi in Logica principaliter de eo demonstrantur, ostendit quod Syllogismus habet passiones, et *quod quid* est tanquam medium, per quod de ipso demonstrantur. Et quod postea addit, *et de aliis propter ipsum*, denotat attributionem omnium aliorum ad Syllogismum.

In secunda parte quæstionis tria facit. 18.
Primo, recitat sex opiniones de subjecto Logicæ. Secundo, reprobat quinque priores, et rationes earum solvit. Tertio, sustinet ultimam, ipsam declarando, et probando. Prima opinio ponit conceptum formatum ab actu rationis esse subjectum Logicæ. Ubi advertendum, quod *conceptus* potest sumi quadrupliciter. Uno modo pro actu concipiendi, vel specie intelligibili, ut habetur 1. Perihermenias in principio, quod *Voces sunt notæ passionum, vel conceptuum animæ*. Secundo modo pro potentia concipiente improprie. Tertio modo pro quidditate concepta, ut est sub *concipi*, aut motive, aut terminative. Unde refert dicere objectum *sub concipi*, et *cum concipi*, ut habet Bonetus 1. Metaphysicæ.

Conceptus quadrupliciter sumitur.

Quarto modo pro respectu rationis causato, vel derelicto in objecto cognito. Sed Doctor noster, in Theorematibus suis, sic describit conceptum : *Conceptum*, inquit, *voco, qui actum intellectus terminat, hic objectum dicitur, vel intelligible, vel in-*

Conceptus quid.

tellectum, vel intellectio. Primum communissimum est quia ad omnes potentias; secundum commune ad objectum intellectus, in potentia, vel in actu; tertium proprium; quarto utuntur Arabes, ut Avicenna, et Averroes. Sicut autem intentio æquivoce dicitur de objecto, potentia, et de actu, ita et conceptus. Hæc ille. In proposito igitur sumitur quarto modo, ut dicit Doctor infra, improbando has opiniones. Dicit enim primam, et secundam non differre, et arguitur implicite pro illa opinione sic : Illud est subjectum Logicæ, quod omnibus in Logica consideratis, est commune : sed conceptus formatus ab actu rationis est hujusmodi : igitur, etc. Vel Enthymematice, sic (et magis ad intentionem Doctoris) Conceptus formatus ab actu rationis, est communis omnibus in Logica consideratis : igitur est subjectum ejus. Assumptum probat discurrendo per actus rationis. *Ratio* enim est virtus animæ intellectualis, faciens currere causam in causatum, ut aliquibus placet : sed in proposito *rationem*, et *intellectum* pro eodem capio. Unde Augustinus de Spiritu et Anima, inquit quod *Ratio est animi aspectus, quo per se ipsum verum intuetur.* Et hujusmodi est intellectus, ut patet. Cujus actus est triplex, scilicet indivisibilium intelligentia, compositio, et divisio, et discursus a noto ad ignotum. Sed Aristoteles 3. de Anima, text. comment. 21. ponit tantum, duos primos, licet ex secundo possit tertius inferri. Tertius vero potest subdividi in discursum deceptivum, opinativum, et scientificum.

... sunt actus ...lectus.

19. De varietate actuum intellectus, et an formaliter, seu objective, an certa objectione distinguantur, habet videri alias, quia transcendit propositum. Non oportet omnia hic ad plenum pertractare, communiter dicta supponantur.

Vide ea, quæ alias super formalitates notavi, hic, et alibi. Cum autem dicitur *indivisibilium intelligentia*, advertendum, quod termini incomplexi appellantur in Logica *indivisibiles*, quia resolutio Logici sisit ad terminos. Unde 1. Priorum in principio, definitur *terminus* quod *est in quem resolvitur propositio*. Et similiter in Logica, per similitudinem ad Geometriam, in qua terminus, *indivisibile* dicitur : ut habet Doctor in 1. quæst. Antepraedicamentorum. Sicut enim resolutio Grammatici est ad litteram, tanquam ad minimum, et ad orationem compositio, tanquam ad maximum : ita Logici est terminum, ut ad minimum; et ad Syllogismum, tanquam ad maximum. Et bene additur *intelligentia*, ad differentiam memoriæ, et intellectus : nam *intelligentia* dicit intellectum sub actu. Appellatur enim *intelligentia*, quoad primum actum; *mens*, quoad secundum; et *ratio*, quoad tertium, ipse intellectus. Præter cognitionem simplicium, est necessarius secundus actus, videlicet compositio, et divisio, in quo veritas, et falsitas consistunt, primo Perihermenias, in principio. Et ultra secundum est adhuc necessarius tertius, per quem aut scientia, aut opinio, aut certe deceptio aggeneratur.

Applicando dicit opinionem, quod *de conceptu formato a primo actu*, etc. Ubi intelligitur ordo, et originatio, et non causalitas. Vult enim dicere, quod intentiones secundæ, de quibus est liber Prædicamentorum, ut puta *generalissimum, subalternum specialissimum, differentia*, et generaliter *incomplexum*, fundantur in complexis, quæ primo actu intelliguntur, et ita de aliis duobus actibus intellige. Non quod per illos primos actus causentur, sed per sequentes collativos : licet possint poni modi intelligendi in primis actibus, ut quæstionibus sequentibus tangetur. Vel forte loquitur ibi Doctor eo modo, quo infra, quæstione prima Antepraedicamentorum, videtur ponere Logicam de medio inter rem, et vocem : quod qualiter intelligi debet, notavi ex professo ibidem, et super primum Perihermenias, et alibi. Multi enim ibi palpitant, et varie loquuntur de intentionibus secundis, et subjecto Logicæ, sed omnia in sequentibus pertractabo. Et quod

ibi additur de *nova ogica*, et subjecto ipsius, intelligenda est illa *novitas* metaphorice, quia ut totum dicitur novum, respectu partium, ita scientia de toto, respectu scientiæ partium, nova appellari potest, quod de Syllogismo, et suis partibus integralibus propinquis, de quibus in libro Perihermenias, et remotis in libro prædicamentorum, conformiter intelligendum est. Vel forte illa *novitas* proprie posset intelligi penes inventionem, et Auctores, ut aliquibus videtur. Divisionem autem Logicæ statim tangam. Secunda opinio ponit intentiones secundas esse subjectum Logicæ, ut vult Boetius, et arguit ex communitate earum contentis in Logica.

21. Sed quia hîc fit sermo de secundis intentionibus, principaliter in his quæstionibus, ne videamur transgredi. Pro declaratione eorum, quæ sequuntur in sequentibus, convenit videre intentionum secundarum ortum, originem, causalitatem, et entitatem : ut recitat enim Commentator tertio de Anima, comm. 4. *Maximus sermo debet esse in principio* secundum Platonem, quia secundum Aristotelem primo Cœli text. comment. 33. *minimus error in principio, fit maximus in fine*.

Notandum igitur primo, quod *intentio* potest sumi toties, quoties *conceptus*, ut supra, pro specie videlicet, vel actu sensus, vel intellectus, pro potentia, pro objecto cognito, vel respectu rationis, vel comparatione passiva : et sicut solet distingui conceptus in conceptum essentialem, et accidentalem, primarium, et secundarium, etc. ita et intentio.

22. Secundo advertendum, quod de secundis intentionibus diversi diversimode opinantur. Quidam enim, ut sanctus Thomas, et sequaces, voluerunt dicere, quod secunda intentio est secundaria rei objectalis consideratio, vel conceptus secundarius : sicut prima intentio, secundum ipsos, est rei conceptus primarius. Et alii subtilius indagantes, volunt tam primam, quam secundam, posse considerari in abstracto, vel in concreto. Vocant enim primam intentionem in abstracto conceptum essentialem rei, quo videlicet intelligit intellectus essentiam rei absolute : sed ipsam concretive sumptam dicunt objectum sub *concipi*. Secundam autem intentionem abstractive dictam, appellant conceptum accidentalem rei, quo videlicet intelligit intellectus aliquid superadditum essentiæ rei, ut *esse in pluribus*, vel *esse in uno solo*, et sic de aliis. Concretive vero sumptam appellant secundam intentionem objectum sub *sic concipi*. Hunc modum dicendi reprobat Franciscus Mayronis in Conflatu super primum sententiarum, distinct. 23. quæst. 1 Et posset tangi ex dictis hujus Doctoris ibidem, et in 4. distinct. 1. quæst. 2. et in ista Logica sæpe, ut infra tangam. Alii vero, ut Franciscus, in loco prædicto, volunt primam intentionem nec actum intellectus, nec speciem intelligibilem, nec quidditatem in esse cognito, nec quidditatem in esse intelligibili, debere dici. Similiter secundam intentionem negant esse secundarium conceptum, seu accidentalem, vel objectum sub *sic concipi*, et (quod magis absurdum est) nec respectus rationis, sed aptitudines quasdam, ex natura rei convenientes ipsis quidditatibus.

Opinio Divi Thomæ, et aliorum de secundis intentionibus.

Alii vero altius volantes, sequentes vestigia Doctoris Subtilis, assignant ordinem, et modum producendi, seu causandi secundas intentiones, hoc modo. 23.

Opinio aliorum

Nam in primo signo ponunt objectum reale, sive quidditatem materialem.

In secundo intellectum agentem.

In tertio operationem ejus abstractivam.

In quarto opus ejus operatum, scilicet quidditatem abstractam, vel speciem intelligibilem.

In quinto motionem activam ipsius speciei intelligibilis, respectu intellectus possibilis, ut passivi.

In sexto, ipsum intellectum possibilem cum sua motione passiva.

In septimo, primum actum intellectus, qui dicitur productivus, de genere Relationis.

In octavo, secundum actum intellectus productum per primum, qui est actus intelligendi, cum sua dictione passiva, et est de genere Qualitatis, per quem nihil reale producitur.

In nono, fundationem ejus in intellectu possibili, per alium actum, de genere Actionis.

In decimo actum comparativum, seu collativum comparantem duas, vel plures intentiones primas ad invicem.

In undecimo productionem intentionis secundæ, consurgentem ex comparatione prædicta.

In duodecimo ipsam secundam intentionem causatam, cum sua causalitate, et productione passiva.

In tertiodecimo ejus receptionem in objecto, sive in quidditate prius cognita.

In quartodecimo, alium actum reflexum, quo ipsa intentio sic causata intelligitur, et est simplex, et non comparativus, quia, ut vult Bonetus, alio actu producitur, et alio intelligitur secunda intentio.

escriptio 2. intentionis

Ex his inferunt quamdam definitionem secundæ intentionis, prolixam nimis, quæ in forma brevi, et absque nugis, est talis : *Intentio secunda est relatio rationis, fundata in aliquo extremo actus intelligendi collativi, inquantum cognito, plura objecta ad invicem conferentis, terminata ad aliud extremum ejusdem actus, causata per actum intelligendi secundarium, reflexum, collativum, primitus modo ipso intellectu, ab aliquibus proprietatibus, consequentibus naturaliter talia objecta comparata.*

24 Sed licet prædictus modus dicendi sit satis apparens, et subtilis, plura tamen addit, et plura omittit, si cuncta considerentur. Non oportet enim (ut video) ad causandum secundas intentiones, operationem intellectus agentis numerare. Quia suppono quod intellectus divinus, qui secundum communiorem opinionem, non dividitur in agentem, et possibilem, causet, vel possit causare secundas intentiones, et alios respectus rationis.

Præterea dubium est, an secundæ intentiones possint causari per actum voluntatis. Item, an quæ illum præcedunt, possint, quare omiserunt processum in cognitione sensitiva externa, et interiori, quæ necessario (saltem pro hoc statu) præsupponitur cognitioni intellectivæ. Ideo omittendo tot labores qui fastidium potius, et abusum, ad litteram Doctoris intelligendam, juvenibus inducunt.

Ultimo id quod expeditius pro juvenum introductione, videtur, hoc modo declarabo : primo quasdam distinctiones proponendo secundo ex his dicta quædam inferendo, in quibus supradicti modi dicendi, in quantum salvari possunt, collocabo. Prima ergo distinctio sit ista. 25.

Intentio est duplex, prima videlicet, et secunda, et utraque potest sumi pro formali, vel pro connotato, seu substrato. Voco formaliter, et de virtute sermonis, ipsam intentionem tam primam, quam secundam, id quo potentia intendens intendit, ut habet iste in 2. distinct. 38. Sicut enim formaliter albedine aliquid dicitur album, ita intentione intendens in aliud tendit. Et hoc modo forte capit prima opinio, superius recitata, ipsam intentionem. Pro connotato vero, atque substrato, potentia tendens, et objectum, in quod tendit, atque species, quæ ipsum repræsentat, potest dici intentio. Dicitur quippe *intentio* ab *in* et *tendo, tendis*, cui opponitur Physice remissio. Verumtamen communiter Logici non capiunt intentionem illo modo. Unde solent dicere *intentionem primam* vel *secundam*, et non *primæ*, vel *secundæ intentionis*, atque *terminum hujus*, vel *illius*: intentio enim est potentia actus, vel habitus, ut supra dixi. Res vero objectum cognitum, vel aliquid ex ipsis terminus vero hujus, vel illius rei, signum ad placitum significativum. Conceptus enim animæ naturaliter repræsentantes, sunt appellati termini contra aliquos dicentes terminum ad sic, et sic, significativum. Dico stato proprie ... vocem, seu quamcunque, vel quæ est dictio, et tam

omnem talem, sed dum est pars orationis : de quo alias.

26. *Prima intentio quid.* *Prima* ergo *intentio* (ut in summa dicatur, et ut nostrates acutissimi Intentionatæ, communiter de mente Doctoris Subtilis ipsam capiunt) *Est objectum cognitum, vel cognoscibile, actu recto, vel reflexo, vel formaliter, vel æquivalenter*. quod dico propter secundas intentiones, ad modum intentionum primarum, actu simplici cognitas, super quas actu collativo apprehensas, convenit fundare alias secundas intentiones, ut infra dicetur; *terminus* vero *primæ intentionis* est, qui hujusmodi objecta primo-intentionalia, proprie sumpta significat, ut *homo*, *animal*, *Socrates*, *risibile*, *rationabile*, *album*, et sic de aliis.

Ejus terminus

27. *Secunda intentio quid.* *Secunda* vero *intentio* est relatio nominis, pertinens ad extremum actus intellectus componentis, vel dividentis, vel saltem conferentis unum ad alterum. Nam intentio secunda secundum omnes causatur, vel derelinquitur in objecto cognito, per actum intellectus negociantis, circa rem primæ intentionis, qui non potest causare circa objectum, nisi tantum relationem rationis, ut habet Doctor iste distinctione 23. primi. Et distinctione 1. secundi quæst. 1. articulo 2. dicit quod intentiones secundæ producuntur per intellectum, et non habent esse in memoria prius quam in intelligentia. Sed Aureolus, et alii plures (et non abs re certe) volunt ipsas non causari proprie, vel effici, vel produci, sed potius derelinqui ex comparatione objectorum cognitorum. Est namque secunda intentio tanquam ens in primo considerato, et tale, ut in summa dicatur, non est nisi relatio rationis quia nihil habet præcise esse in considerato, ut considerato, nisi comparatio, qua consideratum comparatur ad aliud, per actum considerantis, ut vult iste in 4. distinct. 1. quæst 2. Quære Avicennam 1. Metaphysic. Exemplum in promptu est, intellectus enim intelligens hominem, et animal, diversis actibus comparat sic cognita ad invicem, secundum rationem magis communis, et minus communis, vel superioris, et inferioris, quæ comparatio passiva est relatio rationis, ex parte extremorum, secundum eorum diversas proprietates diversimode nominata. Exemplifica eodem modo de homine, et Socrate ; de homine, et albo; de homine, et rationali ; termini vero significantes hujusmodi relationes rationis, sunt *genus*, *species*, *differentia*, *proprium Accidens*, *superius*, *inferius*, *prædicatum*, *subjectum*, *individuum*, *complexum*, *propositio*, *Syllogismus*, et sic de aliis. Alii vero conantur ad tantam abstractionem se ducere, ut dicant tam primam, quam secundam intentionem esse respectus rationis : sed quia illa via est multum intricata, loquamur ut plures, et maxime fundati Doctores. Ex his patet primo, quid bene, et quid sinistre habent prædictæ opiniones.

Exemplo declaratur.

Termini secun[dæ] intentionis.

Secundo sequitur, quod requiritur aliqua proprietas ex parte rei, a qua originaliter movetur intellectus ad causandum hujusmodi secundas intentiones, et hoc vel in objecto immediate cognito, et comparato, vel saltem mediate. 28. *Intellectus mo[ve]tur ad formand[as] secundas intent[io]nes quomodo.*

Tertio sequitur, quod in omni illo, quod potest concipi ab intellectu, actu simplici, potest fundari aliqua secunda intentio, sive sit ens reale, sive rationis, sive positivum, sive non.

Quarto patet, quare prima intentio (ut hic loquimur de ipsa) potest esse ens absolutum, formaliter loquendo, licet secunda intentio sit semper respectus.

Quinto sequitur error dicentium, terminum secundæ intentionis significare terminum, qui non est res, quia entia rationis eo modo, quo entia, et res sunt.

Sexto sequitur quod primeitas et secundeitas possunt competere intentionibus prædictis, aut ratione substrati, vel connotati, aut etiam ratione formalis significati.

Septimo sequitur quod secundæ intentiones possunt dici esse in intellectu objective, vel subjective, vel utroque modo, ut infra clarius dicam.

Octavo patet, quod in secundis intentionibus potest fieri processus in infinitum, *Processus in in[fi]nitum potest e[sse] in 2. intentio[ni]bus.*

saltem secundum numerum, quia intellectus millies potest reflectere super se et actus suos, et objecta cognita, et totiens negotiari comparative.

Nono patet quod logica consideratio quæ est de secundis intentionibus, non est de ipsis abstrative, sed concretive sumptis quia ut sunt respectus in objectis cognitis subjective, ut infra videbitur.

Omnis secunda intentio est ens rationis. Decimo et ultimo patet quod omnis intentio secunda est ens rationis, et non e contra. Utrum autem rationis per essentiam tantum, vel etiam rationis per participationem non hic, sed alibi perscrutandum est.

29. *Distinctio nominum 1. et 2. impositionis.* Alia distinctio esset hic ponderanda, de nominibus primæ impositionis, et secundæ impositionis. Nomen enim *primæ impositionis* est nomen rei realis, vel rationis, extendendo *rem* ad omne attributum rei, scilicet negationes, privationes, non entia, etc. Nomen autem primæ impositionis dividitur in nomen primæ intentionis, et secundæ logicalis : et dico *Logicalis*, quia nomina secundæ impositionis sunt intentiones secundæ Grammaticales, quia modi significandi, de quibus infra magis. Exemplum primi, ut *homo* ; secundi, ut *species* ; tertii, ut *nomen, genus, numerus*, etc. Nomina tamen secundarum intentionum possent appellari quodammodo nomina secundæ impositionis, ut patet.

Tertia distinctio posset introduci de actu intellectus simplici, et complexo, et iterum simplici, seu complexo absoluto, et collativo. Et adhuc simplici recto, (sub quo forte continetur, ut subdivisio immediate præcedens. Vide 5. Metaphysic. quæst. 2. et alibi in doctrina hujus) et simplici reflexo, licet reflexus pro collativo, in doctrina hujus, plerumque ponatur, quod potest intelligi per modum concomitantiæ, non formaliter.

30. Quarum divisionum membra alias declarabuntur, et de se satis patent. An etiam hujusmodi subdivisiones possint reperiri in actibus complexis, considera. Item, an idem actus sit rectus et reflexus, et quæ sit ratio reflexionis in potentia reflexiva : vide in Francisco Meyronis distinct. 3. Conflatus primi, quæst. 2. et alibi. Licet in doctrina hujus ponatur communiter immaterialitas ratio ejus sequendo Avicennam. An autem actus collativus sit unicus, vel plures, forte infra pertractabitur. Hæc breviter sub compendio attigimus de secundis intentionibus in generali, propter faciliorem intelligentiam dicendorum : specialius autem de ipsis in sequentibus pertractabitur. Quære Guillelmum Ockam multis capitulis in Logica sua. Ad hoc et Nominales, suo modo. Vide Ockam in Logicalibus suis, et Quodlibeto secundo, quæstione 12. et Quodlibeto quarto, quæst. 19. Quodlibeto 5. quæst. 25. et alibi, et alios, quorum deliramenta non sunt digna ut hic colligantur, salva semper meliori sententia. Sed expedite, et singularissime vide hunc super 4. Metaphysicor. quæst. 2. in solutione, conclusione secunda, in quodam notabili, et dubiis sequentibus, et alibi sæpe. Ad litteram Doctoris modo.

Tertia opinio ponit *ens* subjectum Logicæ, auctoritate Aristotelis 4. Metaphysic. text. com. 5. ubi inquit Commentator quod genus solitum Philosophiæ, Logicæ et Sophisticæ, est unum : sed Philosophia considerat de eo consideratione demonstrativa, Logica autem consideratione probabili. Sophistica vero dividitur ab eis per intentionem intentam in vita. Sophista enim intendit se videri Philosophum, ut acquirat gloriam, aut aliquid gratiarum humanarum ; Philosophus autem tantum intendit scire verum. Differunt igitur in modo sciendi Philosophus et Logicus : et hi duo a Sophista fine proposito. 31.

Quarta opinio ponit *syllogismum* esse subjectum Logicæ, quod probat, tum quia de ipso consideratur in tota Logica, tum quia prior syllogismus, sicut definitum definitione.

Quinta opinio, quam sequuntur, ex fundamentis Alberti Thomistæ, ponit *argumentationem* esse subjectum, adæquatum ex communitate adæquationis, et considerationis.

Sexta, et ultima, quam sequitur Doctor, ponit *Syllogismum* subjectum Logicæ. Pro cujus declaratione tria facit. Primo conditiones subjecti attributionis præmittit. Secundo eas a primis quinque positionibus removet. Tertio ipsi Syllogismo ipsas convenire ostendit. Secundum ibi, *duæ primæ*. Tertium ibi, *habet enim*. Dicit igitur primo quod tres sunt conditiones subjecti in scientia, licet primo Reportationum, quæst. 1. sex ponat, ut supra notavi, quæ tamen implicite continentur in his tribus.

Tres conditiones subjecti attributionis.

Prima est, quod de ipso sit notum *quid est*, et *quia est*, quæ sunt præcognitiones subjecti 1. Posterior. text. comment. 2. et quæstione 2. Poster. text. comment. 1. quorum ulterior declaratio in 3. articulo.

Secunda conditio est, quod per suum *quod quid est* demonstrentur passiones de ipso, ut patet per Philosophum ibidem. Ex quo sequitur primo, quod loquitur Doctor de *quid* rei, et non nominis. Secundo, quod *quid est* subjecti, et non passionis, est medium in demonstratione potissima, de quo statim.

Tertia conditio est, attributio omnium aliorum ad ipsum, et consideratio propter ipsum, hoc patet 4. Metaph. comm. 1. et infra aperte. Exemplum de anima, in libro de Anima, habet enim *quod quid est*, quia definitionem, et *quia est*, quia passionem inhærentem, vel inhærentiam passionum, vel saltem non repugnantiam horum. Secundo de ipsa demonstrantur passiones per hujusmodi *quod quid est*. Tertio omnia ibidem considerata habent attributionem ad ipsam.

32. Deinde removet prædictas conditiones a quinque primis positionibus, et primo tribus prioribus, saltem duas primas minime convenire, ostendit inductive, et ob nimiam eorum communitatem. Non solum enim Logicus, sed etiam Grammaticus, et Rhetor considerant secundas intentiones, et entia rationis, ut supra notavi. Et quod nugatorie ponuntur, ut diversæ opiniones, ostendit ex identitate eorum inter se, quod manifestum est de duabus primis, et de tertia probat optime, distinguendo ens in ens reale, et rationis : et ultra ens rationis in ens consideratum, et causatum, vel derelictum. Utraque divisio est æquivoci in æquivocata, licet aliqui teneant oppositum. Esse enim in intellectu contingit objective, et subjective. Exemplum secundi, ut species, actus, et habitus. Primum contingit dupliciter, aut ut primo consideratum, aut ut aliquid in ipso derelictum. Primo modo adhuc dupliciter, aut scilicet habitualiter consideratum, aut actualiter : et neutro modo est ponendum subjectum Logicæ, quia omnis scientia realis, est de tali ente. Restat ergo quod ens rationis derelictum, vel causatum, sit ponendum subjectum Logicæ : et sic coincidit cum aliis duabus positionibus, ut patet.

Divisio entis reale et ratio[nis] est æquivoci æquivocata.

Ad rationes illarum trium opinionum consequenter respondet, num. 5. Dicit igitur quod prima pro prima procedit ab insufficienti, et committit fallaciam Consequentis, quod communiter accidit arguendo affirmative ab una conditione, vel ab una causa veritatis, habentis hujusmodi plures ad ipsum. Exemplum, ad identitatem realem requiruntur tres conditiones. Prima est, impossibilitas separationis a causa intrinseca. Secunda, negatio originis unius ab altero sic eorumdem. Tertia, negatio separationis, et existentiæ, in realiter distinctis. Modo non sequitur unum istorum (demonstrando aliqua duo) non originaliter ab altero : ergo sunt eadem realiter. Sed collective ex omnibus illis tribus conditionibus, sequitur identitas talis. Idem, arguendo ex una exponentium affirmative, ad expositam, contingit, ut non sequitur, *Homo currit, ergo tantum homo currit*. 33.

Quomodo cont[...] gat fallacia c[...] sequentis.

Sic in proposito, cum prædictæ tres conditiones requirantur ad subjectum in scientia, licet alicui conveniat una illarum, non sequitur ipsum esse subjectum, nisi eidem conveniant omnes simul, et potest reduci ad primum modum illius fallaciæ, quia ibi arguitur a positione consequentis, vel potius ad secundum, quia ab insufficienti

enumeratione, vel inductione, ut dicit Doctor : ubi melius diceretur *inductione* quam *divisione*, ut plures libri habent, licet utroque modo possit stare, vel sine utroque, ut alii habent.

34. Ad rationes aliarum duarum opinionum, satis clara est responsio. A quarta positione removet duas ultimas conditiones. Sed quare non primam etiam (cum secundum ipsum *oratio* sit æquivocum, cujus non est *quid*) statim tangam.

Ad rationem illius viæ, negat assumptum, quantum ad definitionem Syllogismi, quia ibi ponitur oratio pro argumentatione, vel aggregato ex pluribus orationibus. Oratio enim secundum aliam rationem convenit discursivæ, et simplici orationi : ideo æquivoce. Ubi nota consequentiam, quam format Doctor, dicens, *æquivocum non est subjectum in scientia, quia non potest definiri*, de qua definitione debet intelligi, ut statim tangam. Quintæ positioni ostendit nullam illarum trium conditionum convenire. Ex remotione primæ conditionis, patet quod loquitur de Logica, ut præcise est tradita ab Aristotele, et non ab aliis. (prius enim erat artificialiter tradita) quam Boetius definit argumentationem, ut patet. Patet etiam quod capit *quid* pro definitione proprie dicta, ut infra magis. Ubi adverte, cum dicit Doctor, *Secundum etiam deest sibi, ut manifestum est, secundum rationem generalem*, quod illa ratio generalis potest esse talis : Argumentatio non habet *quod quid est* ; ergo per suum *quod quid est* nihil demonstratur de ipsa. Antecedens patet ex remotione primæ conditionis. Consequentia vero manifesta. Ex remotione tertiæ conditionis, patet expresse quod intendit Doctor ponere Syllogismum subjectum attributionis, et non prædicationis, ubi adverte quod præsupponit non univocationem ejus.

35. Infert igitur conclusionem responsivam ad quæstionem, deinde prædictas conditiones ostendit convenire Syllogismo : et primo primam, ex primo Priorum, text. comment. 1. Ubi advertendum, quod divisio totius Logicæ est secundum divisionem Syllogismi in partes subjectivas vel integrales, ut patet in applicatione tertiæ conditionis. Et quia facit mentionem de veteri Logica, et partibus Syllogismi, applicando primam conditionem, duxi Logicæ divisionem hic merito interserendam.

Partium igitur Syllogismi quædam sunt integrales, quædam subjectivæ. Partes integrales, quæ materia Syllogismi appellantur, dividuntur in propinquas, et remotas. De partibus remotis, hoc est de incomplexis, est primus liber veteris Logicæ, scilicet liber Prædicamentorum, cui adminiculatur liber Porphyrii. De partibus vero propinquis ipsius Syllogismi, cujusmodi sunt enuntiationes, est secundus liber veteris Logicæ, scilicet Perihermenias Aristotelis. Liber vero divisionum Boetii deservit aliis partibus Logicæ. *Partes Syllogismi et Logicæ.*

36. Nova autem Logica dividitur in resolutoriam, et in inventivam. Resolutoria iterum alia Syllogismi in propositiones, et harum in terminos ; quæ traditur in libris Priorum, qui est de Syllogismo simpliciter sumpto, sive non contracto, de quo etiam est tota Logica : licet aliter, et aliter, vel licet uniformiter, ut statim dicetur. Alia quoque est resolutoria effectus in causam, et e contra, quæ traditur in libris Posteriorum. Inventiva autem alia est veri loci, quæ traditur in libris Topicorum ; alia apparentis, quæ traditur in libris Elenchorum. Subdivisiones harum suis in locis tanguntur. Qualis autem divisio sit Syllogismi in Topicum, et Elenchum, dicitur statim, et quomodo debet intelligi quod incomplexa, et enuntiatio sint partes integrales Syllogismi. *Divisio novæ Logicæ.*

37. Consequenter applicando secundam conditionem subjecti scibilis, dicit quod *in eodem*, scilicet primo Priorum, *multas passiones ostendit tractatas de Syllogismo*, ut modum, et figuram, in illis de inesse et de modo, id est, de Syllogismo formato ex præmissis de *in esse*, et modalibus, ut sequitur, et habetur in illo capite [illegible] 28. 1. Priorum.) Quæ [illegible]

tur in his figuris, et quod sequitur non est de textu Aristotelis ibidem : sed est littera Doctoris cum dicit, *per hoc quod est ex necessitate accipere conclusionem*, hoc est dictu, quod per illam particulam definitionis Syllogismi , demonstrantur passiones prædictæ de ipso, tanquam per medium : quam litteram multi forte pertranseunt sicco pede. Verumtamen aliqui volunt quod modus, et figura sunt principia formalia Syllogismi. Dicunt enim quod Syllogismus habet principia in triplici differentia : quædam videlicet materialia, ut terminos, et propositiones : quædam formalia, ut modus, et figura; et quædam regulativa ut *dici de omni, et dici de nullo.* Passiones autem ipsius appellant *constare ex tribus terminis, constare ex duabus propositionibus, concludere universaliter, concludere particulariter, concludere affirmative*, vel *negative.* Partes vero subjectivas ejus dicunt esse Syllogismum factum in *Barbara*, et aliis modis. Sed sufficit ad propositum Doctoris quod habeat aliquas passiones,sive tanquam passiones, et non refert an sint enumerata, vel non.

38. Vel dicendum quod potius credendum est Doctori, formale enim in Syllogismo est illatio, vel evidentia illationis, vel melius Syllogismus *secundo-intentionalis*, de quo hic, non habet principia formalia, cum sit forma simplex, nisi ut supponat personaliter. Applicatio tertiæ conditionis satis patet ex prædictis, et quod aliqui hîc ponderant,quod scilicet aliud est ponendum subjectum Logicæ, ut est complete tradita, aliud ut incomplete, scilicet ab Aristotele tantum. Secundo modo est Syllogismus. Primo modo argumentatio nihil valet, quia argumentatio nullo modo potest esse subjectum, ut patet ex dictis, et quia falsum supponitur.Completa enim notitia logicalis habetur ab Aristotele, et hoc implicite, vel explicite, ut patet consideranti.

Ratio formalis Syllogismi.

39. Demum ad argumenta principalia respondet.

Ad primum, cum dicitur quod omnis scientia est per Syllogismum,concedit consequentiam, et consequens. Cum probatur falsitas consequentis, Primo quia tunc idem notum,et ignotum: dicit Doctor quod non inconvenit quod idem, secundum diversa, sit notum, et ignotum: nec infertur contradictio nisi per ignorantiam Elenchi. Verum est enim quod Syllogismus in communi est ignotus, quantum ad passionem de ipso demonstrabilem antequam demonstretur (apud primo addiscentem dico) et similiter quantum ad hoc etiam Syllogismus in particulari, per quem demonstratur, vel per cujus fundamentum est ignotus , imo magis , quia passiones primo conveniunt communibus,et secundario particularibus. Sed ille nihilominus Syllogismus particularis est notus quoad duo, scilicet veritatem præmissarum,et evidentiam illationis, cum sit Syllogismus perfectus 1. Priorum cap. 1.

Quomodo Syllogismus potest se simul notus ignotus.

Ad aliam probationem, negat processum 40.
in infinitum, quia de Syllogismo,per quem acquiritur scientia, non est alia scientia, præter scientiam communis, quia eadem passio, quæ per se primo convenit communi, per se (licet non primo) convenit particulari : non est igitur inconveniens quod idem sit *quo, et quod* sciatur, eadem etiam scientia, sicut lux in corpore luminoso, est *quo* et *quod* videtur eadem visione. Sed profecto licet hæc responsio sit optima,non esset tamen inconveniens dare illum processum in infinitum, maxime in actibus ratiocinationis : sicut enim alia demonstratione demonstratur risibilitas de homine, alia de Socrate, alia de Platone, licet non alio medio, ita posset dici in proposito, juxta illud 1. Poster. text. comment. 29. *Augentur demonstrationes, non per media, sed in post assumendo, et in latus.*

Ad secundum principale dupliciter respondet. Primo distinguendo de proprieta- 41.
tibus Syllogismi. Nam quædam sunt proprietates formaliter ipsum consequentes ; quædam potentialiter : vel sic, quædam proprietates continentur virtualiter actualiter in Syllogismo ; quædam virtualiter

Syllogismi ... consid...

potentialiter. Quoad primam, sit sermo de ipso in libris Priorum. Quoad alias in tota Logica. Consideratio enim de Syllogismo in libris Priorum est præcise de ipso, non contracto ad materiam determinatam, sed absolute sumpto, et de suis partibus subjectivis, simpliciter ipsius nomine nominatis, et de proprietatibus sibi primo convenientibus, et per rationem illius suis partibus subjectivis. In tota vero Logica ponitur subjectum attributionis, in qua non modo de proprietatibus ipsius, imo suarum partium determinatur, ut supra dictum est, et sic idem, diversimode consideratum, potest poni subjectum totius, et partis. Exemplum de corpore mobili non te perturbet, quia consuetudo Scotica est de materiis extraordinariis loqui secundum communiorem opinionem, et maxime in exemplificando, juxta doctrinam Peripateticam, 1. Priorum text. comment. 40. *Exempla ponimus non quod ita sit*, etc. et 2. Topicorum cap. 2. *Loquendum est ut plures, sapientum vero ut pauciores. Non enim*, inquit iste, in Quolibeto quæst. 4. juxta principium, *omnia oportet in dubium revocare, ubi suppositis dictis communibus, propositum potest declarari.* Quam regulam nota valde in his quæstionibus ubique.

42. *...ctum attributionis potest esse simul totius et partis, ...modo.*

Secunda responsio est, negando majorem, quia non inconvenit quod idem sit subjectum totius, et partis, quando est tale, ad quod plura attributionem habent, de quibus in diversis illius scientiæ partibus, oportet considerare : de ipso vero, ad quod attribuuntur in determinata ejusdem scientiæ parte, convenit determinare : et tunc sicut subjecta ad subjectum, sic scientiæ ad scientiam. Hoc idem habet infra quæst. 1. seu in Prooemio in librum Perihermenias, et maxime de subjecto composito, cujusmodi est Syllogismus. Exemplificat de libris Physicorum, respectu Philosophiæ naturalis, qui peculiariter, et non abs re liber Physicorum, vel auditus Physicus nominatur, licet tota Philosophia naturalis Physica, vel auditus Physicus dicatur, ut habet Commentator in Prooemio Physicorum. Sed qui vellet aliter respondere ad argumentum, dicere posset, quod non inconvenit idem esse subjectum adæquatum, partis scientiæ, et attributionis totius. Exemplum de substantia in Metaphysica, et de anima, in libro de Anima, et parvis naturalibus.

Ad ultimum glossat illam vulgatam propositionem Aristotelis, in libro de Sensu et Sensato. *Nihil est in intellectu,* etc. Sed textus habet sic *Non enim intelligit intellectus quæ exterius non cum sensu.* Et dicit quod verum est de primo intelligibili, scilicet motivo, pro statu isto, quod est quidditas rei materialis, vel sensibilis. Nihil enim primo naturaliter movet intellectum nostrum, pro statu isto, nisi cujus species recipiatur in sensu: quia quandocumque intellectus intelligit, phantasia phantasiatur, juxta illud 3. de Anima, text. comment. 30. *Nequaquam sine phantasmate intelligit anima.* et text. comment. 39. *Intelligentem necesse est phantasmata speculari.* Actu vero reflexo, et secundario multa per se intelliguntur, quæ non cadunt sub sensum, saltem formaliter, ut species, actus, habitus, et substantia forte. Ita in proposito de Syllogismo, et aliis secundis intentionibus est dicendum. Addidit in fine ad confirmationem dictorum quod in plus est *per se*, quam *primo*, ut 1. Posteriorum, text. comment. 2. et sequentibus, habetur, omne enim quod inest alicui, primo, (non ut capitur 5. Physicorum text. comment. 1. et sequentibus, ut scilicet distinguitur contra secundam partem, sed ut denotat rationem præcisam) convenit ei per se, et non e contra. Exemplum de *risibilitate, Socrate* et *homine* vel *Isoscele triangulo*, et *habere tres.* Ideo Aristoteles non sine ratione definiens universalem positionem 1. Posteriorum, ubi prius dixit quod *Est, quod convenit omni per se, et secundum quod ipsum*, id est primo: quæ tria habent se secundum magis commune, et minus commune. Simile habetur 2. Physicorum text. comment. 3. definiendo naturam, quod videlicet *Est principium motus, et quietis ejus, in quo est primo per se, et non secundum accidens.*

ubi præponitur magis commune minus communi, ut patet speculanti.

44. *Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, exponitur*

Est et alia responsio satis probabilis, concedendo absolute illam auctoritatem. *Nihil est in intellectu*, etc. quia omne quod intelligitur pro statu isto, cadit sub sensum aliquo modo, aut in se; aut in suo simili; aut in effectu; aut in forma; aut in materia; sive subjecto, vel fundamento; aut in suo remisso: et ita intentiones secundæ cadunt sub sensum, aliquo modo, aut in fundamento primo, aut remoto: ita quod generaliter eo modo, quo intellectio fundamenti reducitur ad sensum, ita et intentionum, sive fundentur in se ipsis, sive in aliis quibuscumque fundamentis.

45. De Tertio. Dubitari potest, primo de veritate illius propositionis, in primo argumento, ante oppositum, num. 1. quod videlicet *omnis scientia est per Syllogismum.* Videtur enim quod sit falsa. Primo, quia primus inveniens Logicam invenit scientiam: sed non per Syllogismum; ergo, etc. Major patet. Minor vero probatur, quia Logica docet formare Syllogismum, ut patet. Item, Syllogismus, ut de ipso fit hîc sermo, est secunda intentio, sive relatio rationis, per quam nulla scientia acquiritur. Item, per omnem speciem argumentationis acquiritur scientia: ergo non solum per Syllogismum. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia plures scientiæ utuntur aliis speciebus argumentationis, et nunquam, aut raro Syllogismo, ut patet de moralibus scientiis.

Respondeo primo præmittendo multiplicem acceptionem scientiæ, ut supra, quæst. 1. Secundo distinguo de Syllogismo, ut prius, articulo primo hujus quæstionis. Tertio ly *per* potest sumi ut dicit circumstantiam causæ formalis, ut proprie solet sumi secundum istum, in Theorematibus suis; aut circumstantiam causæ efficientis, vel instrumentalis. Ex his dic primo quod illa propositio est vera, de scientia proprie dicta, et naturaliter acquisita. Secundo quod est vera de Syllogismo secundo intentionaliter sumpto, personaliter supponente. Tertio quod est vera, ut ly *per* dicit circumstantiam causæ instrumentalis, vel quasi efficientis, ut tactum fuit aliqualiter quæst. 1. Ex his ad argumenta.

Ad primum dico, ut supra, quæst. 1. 46. *Primus inve[niens] Logicæ quam [Lo]gicam habuit*

quod primus inveniens Logicam habuit præcise Logicam naturalem, vel, ut alii dicunt, usualem, antequam invenisset modum syllogizandi, et Syllogismum artificialem præcessit naturalis, vel usualis. Habito vero syllogizandi modo, consequenter artificialem Logicam adinvenit. Aliter posset dici, quod quia Logica est doctrinalis scientia, non solum aliis, sed sibi ipsi est modus sciendi. Docendo ergo in omni materia demonstrare, docet similiter et in materia propria, sicut de Syllogismo, per quem, et de quo, habetur scientia, dicit hîc Doctor, et forte hoc rectius est, quam ad naturalem Logicam recurrere. Est igitur et sibi, et aliis, modus sciendi. Applica quæst. 1. si placuerit, bene ponderando ubique omnia, vel dic ad hoc argumentum, hîc, et quæstione præcedente, ut notabiliter habet Philosophus 9. Metaph. text. comment. 14. Solvendo quamdam objectionem Sophisticam de addiscente artem, et actu ejus, quære ibi, quia singularis doctrina in practicis, et speculativis notanda.

Ad secundum patet quod illa propositio est materialiter vera: *Per Syllogismum habetur scientia*, ut ly *Syllogismus* supponit pro substrato.

Ad tertium dicendum quod omnes aliæ species argumentationis reducuntur ad Syllogismum, sicut imperfecta ad perfectum, aliter per ipsas non acquiritur scientia proprie dicta.

47. *An detur [pro]cessus in i[nfini]tum in Syl[logis]mis.*

Secundo dubitatur circa aliam propositionem in eodem argumento, qua dicit Doctor, quod in Syllogismis esse processum in infinitum est inconveniens, et probat, quia tunc nihil sciretur.

Dicendum breviter, quod processum in infinitum esse in Syllogismis potest intelligi dupliciter, aut videlicet per multiplicationem medii, aut minoris extremitatis. Primo modo est inconveniens, imo impos-

sibile procedere in infinitum in ipsis, secundum Aristotelem, primo Posteriorum, ubi supra, in solutione argumenti principalis : secundo vero modo non. Nam processum in infinitum numeris, figuris, actibus reflexis, et etiam in intentionibus secundis, non negamus. Illa autem probatio procedit primo modo, procedendo in infinitum.

48. Tertio dubitatur, utrum aliqua illarum quinque primarum opinionum sit sustentabilis.

Dicendum quod tres primæ sunt sustentabiles, loquendo de subjecto prædicationis. Quinta vero, et quarta minime, quia nec possunt illa duo poni subjectum, nec prædicationis, nec attributionis : sexta quoque opinio tenetur de subjecto attributionis.

Sed quare tunc non ponitur substantia subjectum Metaphysicæ, et non ens, et quare potius in scientia reali transcendenti, cujusmodi est Metaphysica, ponitur ens reale subjectum, quam in transcendenti rationali, cujusmodi est Logica, ens rationis ?

Posset dici, quod subjectum Metaphysicæ attributionis, posset convenienter assignari substantia, sed quia Metaphysici est considerare passiones transcendentes entium, ideo subjectum illarum, ut puta ens, merito dicitur Metaphysicæ subjectum. Et ut convincantur adversarii, ponentes entis æquivocationem, aut Analogiam, de hoc vide hunc, in primo suæ Metaph. quæst. 1. ubi videtur tenere substantiam esse subjectum Metaphysicæ.

...non ponitur ...rationis sub... ...m Logicæ ut ... Metaphy-...

Ad aliud potest dici, quod Metaphysicus considerat quodlibet in quantum ens, ut quidditas, et ita entia rationis, ut sæpe in his quæstionibus, et Metaphysicæ habet iste : ut detur igitur diversitas in nomine subjecti, et in transcendentia, quia hic accidentalis applicationis, ibi vero principiorum, et essentialiter in singulis cujuslibet scientiæ inclusorum, non ponitur hic ens rationis, ut ibi reale, subjectum. Vel aliter quia nedum Logicus, sed etiam Grammaticus, et Rhetoricus, considerant secundas intentiones, ideo aliter ens reale pertinet ad solum Metaphysicum, aliter ens rationis ad Logicum. Vel potest dici, quod aliter a Logico, aliter a Metaphysico consideratur *quod quid est*, et unitas subjecti, ut infra dicam.

Quarto dubitari posset circa illam auctoritatem 4. Metaph. quam in 3. opinione introducit, et circa solutionem ejus n. 6. *Circa idem* videlicet *laborant Metaphysicus*, etc. [illegible]

Dicendum breviter, ut supra, quod vera est, sed diversimode, quia Metaphysicus considerat entia realia per se, Logicus vero per accidens : et e contra de entibus rationis. Est enim, (ut inquit iste, super primum Elenchorum, quæst. 1.) *ens duplex*, naturæ, et rationis. *Ens* autem *naturæ*, inquantum tale est, cujus esse non dependet ab anima. Sed *ens rationis* dicitur de quibusdam intentionibus, quas adinvenit ratio in ipsis rebus : cujusmodi sunt *genus*, *species*, *definitio*, etc. Ens autem dictum secundo modo, æquiparatur secundum quidditatem enti dicto priori modo. Non enim est aliquod ens naturæ, quin possit cadere sub ente rationis, et quin super ipsum possit fundari intentio aliqua secunda, ut *speciei*, *generis*, *individui*, vel saltem causæ vel *causati*, vel *transcendentis*. Quia ergo Logica est de secundis intentionibus, applicabilibus omnibus entibus realibus, de quibus per se est Metaphysica, ideo Logica potest dici, et similiter suo modo Sophistica, laborare circa idem, sicut Metaphysica : sed longe diversa est consideratio earum.

Quinto dubitatur circa illas sex conditiones subjecti, quas assignat Doctor. Videtur enim primo aut hic diminutus, aut alibi superfluus, quia 1. [illegible] quæst. 1. assignat 6. conditiones subjecti. Prima, quod sit [illegible]. Secunda, quod sit [illegible]. Tertia, quod de ipso consideretur in scientia [illegible]. Quarta, quod sit primum quod occurrit intellectui in illa scientia. Quinta, quod possit esse subjectum principiorum scientiæ. Sexta, quod ejus passiones [illegible]

considerentur, ut supra collegi, in descriptionibus subjecti materialis, et formalis. Item, contra primam conditionem specialiter arguitur. Aut enim intelligit de *quid nominis*, aut de *quid rei* : si primo modo, non enti posset convenire, quia non entia habent *quid nominis*. Posset etiam convenire, intentioni secundæ in communi, et enti rationis, et conceptui formato ab actu rationis, a quibus negat ipsam. Si secundo modo, cum *quid rei*, hoc est definitio, non conveniat nisi soli speciei 7. Metaph. text. comment. 13, sequeretur quod nec Deus, nec ens, nec plura alia, quæ assignant subjecta scientiarum, possent poni subjecta. Item, contra secundam conditionem, si per *quod quid est* subjecti, necessario demonstrari debent passiones ejus de ipso, sequitur quod cum nulla passio entis, sic posset de ente ostendi, nec de aliquo inferiori ad ens, quod ens non erit subjectum Metaphysicæ, et ita de Deo in Theologia. Item, hoc est contra communem doctrinam hujus, et sequacium, qui vult quod passio posterior per priorem, tanquam per medium, possit ostendi : non ergo necessario per *quod quid est* subjecti. Item, hoc videtur contra Aristotelem 2. Posterior. text. comment. 8. Ubi dicit, quod medium demonstrationis est ratio primi termini, id est, majoris extremitatis, ut communiter exponitur : sed hoc est, passio, et non subjectum, ergo, etc. Item, contra tertiam conditionem arguitur sic : Perfectiora non debent reduci ad imperfectiora, nec attributionem habent ad ipsa : sed in Logica plura sunt perfectiora Syllogismo simpliciter sumpto, considerata ; ergo, etc. Major videtur manifesta, et patet ex dictis hujus, quæst. 3. Prologi. Minorem probo, sive loquendo de fundamentis intentionum quæ a Logico considerantur, sive de ipsis intentionibus. Nam Syllogismus demonstrativus est perfectior, quam Syllogismus simpliciter sumptus, tum ratione fundamenti, tum quia subjectiva ; ergo, etc.

Pro solutione hujus dubii, præmittendum primo quod *quid est*, et *quia est* possunt considerari dupliciter, vel ut quæstiones, ut 2. Poster. text. comment. 1. vel ut præcognitiones 1. Posterior. text. comment. 2. Ut enim *quia est* capitur ut ipsum est subjecti, vel dignitatis, est præcognitio : ut vero conclusionis, vel passionis, est quæstio. Similiter *quid est* subjecti absolute considerati, est quæstio, sed *quid est* subjecti in ordine ad passionem, est præcognitio. Non est enim inconveniens idem successive esse certum, et dubium : ideo illa duo, scilicet *quid est*, et *quia est* primo possunt esse quæstiones, et cum fuerint determinatæ, fiunt, præcognitiones. Secus de *propter quid est*. Quia licet post demonstrationem, vel quæstionis terminationem, sit cognitio, non tamen præcognitio. Reducitur autem *si est* ad *quia est* et *propter quid est* ad *quid est*. 15.

Quid est et q[uia] est varie consi[de]rantur.

Unde ad ulteriorem notitiam istorum terminorum, qui juvenibus extranei videntur, notandum, quod omnis quæstio aut est de incomplexo, aut de complexo. Si primo modo, aut de ipsius entitate, et sic est *si est* : aut de ipsius quidditate, et sic est *quod quid est* : si secundo modo, aut de inhærentia passionis, et sic est *quia est* : aut de causa illius inhærentiæ, et sic est *propter quid est*. Exemplum, hæc conclusio, *Luna est eclipsabilis*, antequam demonstretur, potest esse dubitabilis, et quantum ad se totam, et quantum ad incomplexa ipsius. Potest enim quæri, an Eclipsis sit in rerum natura, quoad quæstionem *si est* : habito autem quod sic, potest quæri *quid est*. Est autem *Eclipsis*, *carentia luminis, in aliquo receptivo*, *ex interpositione corporis opaci*, *impedientis luminosum causare lumen*, *in hujus corpore receptivo luminis*. Quo habito, potest quæri an hæc propositio sit vera, *Luna est eclipsabilis* quantum ad quæstionem *quia est*. Cognito autem experimentaliter quod sic, potest quæri *propter quid*, habito autem quod hoc est

propter interpositionem terræ inter Solem et Lunam, et cessat omnis quæstio de prædicta conclusione.

52. *id nomin's et d rei quæ.* Secundo advertendum, quod *quid est*, tam ut quæstio, quam ut præcognitio potest accipi, aut pro *quid nominis*, aut pro *quid rei*. Quid nominis *est oratio explicans rationem vocis in suum significatum*, vel quæstio de tali oratione. *Quid* vero *rei* est *oratio explicans ipsam rem*, vel quæstio de illa. *Quid rei* est tantum entium, *quid nominis* est tam entium, quam non entium.

Ulterius advertendum, quod in habentibus *quid rei*, idem est *quid nominis*, et *rei*, quia ratio, quam significat nomen est definitio 4. Metaph. text. comment. 28. cum quo stat quia ejusdem sint plura *quid nominis*, et unum *rei*. Secus in non habentibus, ut Doctor Subtilis habet in 4. quæst. 2. distinct. 1. Ulterius sciendum, quod *quid rei* potest sumi dupliciter; aut pro definitione, aut pro conceptu quidditativo.

id rei duplex. monstratio duplex. Sciendum quarto quod demonstratio est duplex, scilicet *quid* vel *propter quid* et *quia*. Prima adhuc duplex, generalis, quæ sit per quamcumque causam, sive intrinsecam, sive extrinsecam, dummodo sit propinqua; propria, quæ *propter quid*, et *potissima* appellatur: et fit per causas intrinsecas tantum. Secunda etiam duplex, una ab effectu ad causam, alia a causa remota ad effectum.

Quinto notandum, quod subjectum cujuslibet scientiæ, pro statu isto, naturaliter inventæ assignatur aliquid commune, quia cognitio nostra intellectiva est universalium, et primo talium. Ideo dicit Aristoteles 1. Poster. text. com. 41. quod subjectum scientiæ habet partes, principia, et passiones. Dixi pro statu isto, et naturaliter inventæ, ad differentiam notitiæ beatorum, et Theologiæ, atque fidei, quæ sunt de singularibus potius primo.

53. Sexto sciendum, quod alia sunt priora quoad nostrum modum cognoscendi; alia vero quoad naturam. 1. Physicorum. text. comment. 2. et 7. Metaph. text. comment. 10. et alibi sæpe. Ideo attributio, vel reductio in scientiis, potest esse vel ad ea quæ sunt priora simpliciter, vel quoad nos sive nostrum modum cognoscendi. Ubi tamen dantur gradus, quia de numero talium, aliquid dicitur primum attributione, aliquid secundum, aliquid tertium, etc.

Septimo advertendum, quod *quid rei* expressum per definitionem, non est omnium, sed proprie est solius substantiæ, et non cujuscumque, sed præcise speciei. Primum habet iste Doctor, in 4. distinct. 1. quæst. 2. ubi dicit quod definitio proprie dicta, est entis positivi, per se, unius, realis, compositi, realiter, vel conceptibiliter universalis, et solius talis. Secundum habet Aristoteles 7. Metaph. text. comment. 12. et 15. et alibi ibidem sæpe. Tertium etiam patet per ipsum in eodem 7. text. comment. 13. sed nihilominus quid tale, est aliorum entium, et maxime prædicabilium et realium prædicamentabilium, et rationis, ut patet ubi prius, ex Aristotele, et Doctore Subtili.

Octavo notandum, quod non inconvenit de subjecto scientiæ præsupponere *quid est*, sive nominis, ut communiter dicitur, sive etiam rei, et cum hoc in illa scientia investigare et venari *quid* ejusdem. Præsupponit enim scientia omnis et *quid nominis*, et *quid rei*, idest, conceptum quidditativum sui subjecti, sed *quid rei*, id est, definitionem quidditativam venatur, ut patet in libro de Anima, et in Logica, ubi earum subjecta definiuntur, et maxime de subjecto attributionis est hoc verum. Nec ex hoc sequitur aliquam scientiam probare a priori suum subjectum esse, quia aliud est entitatem rei declarare definitive; aliud ipsum esse per causam probare. Nam si ad esse definiti ostendendum, acciperetur pro medio *quod quid est* ipsius, peteretur manifeste principium. Vide optime sententiam hujus, super librum Elenchorum, quæst. 3. solvendo primum principale, ad propositum. Ex his patet solutio dubii.

Dico ergo cum Doctore quod illæ tres conditiones de subjecto attributionis bene assignantur.

Ad argumenta. Ad primum argumentum in oppositum, dico quod nec hîc diminutus nec alibi superfluus est Doctor. Illud enim quod explicite primo Reportationum dixit, hîc implicite assignavit : nec hoc est inconveniens, quia secundum materiæ exigentiam, aliter et aliter in diversis locis loquuntur Doctores. Exemplum, in hac quæstione assignat Doctor iste tres actus intellectus, sed alii explicando tertium illorum, ponunt alios tres, quia sub discursu a noto ad ignotum invenitur triplex discursus,ut patet supra, articulo 2. Vel dici potest quod hîc imitatur fundamenta Aristotelis præcise, ubi vero ingeniose et resolvit, et addit plura.

Ad secundum dico quod communiter exponitur de *quid nominis*, sed salvo meliori judicio, potest dici quod habet veritatem etiam de *quid rei*. Et cum probatur quod *quid rei* non convenit nisi soli speciei, potest dici uno modo quod hoc est verum propriissime loquendo, sed hoc quoad propositum de Syllogismo non nocet, quia forte est Species specialissima, ut infra tangam. Sed quia argumentum est commune ad omnes scientias, et subjecta ipsarum, dico aliter, quod æquivocatur de *quid rei*, ut in ultimo notabili patet. Accipio enim in proposito *quid rei* pro conceptu quidditativo, et tale quid præcognoscitur de subjecto cujuslibet scientiæ, sive communis, sive specialis, et hoc extendendo *rem* ut extenditur *ens*. Vide notanter ad hæc, ea, quæ dicit in quæstionibus quarta et quinta Anteprædicamentorum, solvendo decimum principale illius quartæ, et in solutione principali quintæ.

56. Ad tertium, quod tangit bonam difficultatem, potest dici quod loquitur Doctor appropriate de subjecto attributionis scientiæ naturaliter inventæ, quod communiter habet veram definitionem : secus est de subjecto prædicationis, et scientiæ supernaturalis, et in hoc salvatur difficultas de ente, et Deo. Loquitur etiam de demonstratione *propter quid* potissima, et in hoc salvatur controversia ibi introducta,et auctoritas Aristotelis. Est enim alia auctoritas in oppositum 1. Poster. text. comment. 25. Ubi dicit quod ratio ultimi termini est medium demonstrationis. Sed ibi posset distingui de ordine naturæ, vel syllogistico. Aliter enim Logicus et aliter Metaphysicus accipit *quod quid est*. Ideo Doctor hîc proprie logice loquendo interpretatur verba Aristotelis : in Metaphysica autem, vel Theologia aliter, ut patet in Prologo primi, quæst. 3. et super primum Metaphysicæ ; ideo impugnando opinionem de argumentatione, hîc dicit quod nusquam ab Aristotele definitur, ubi patet expresse quod per *quid est* intelligit definitionem. Vel dicendum quod conditio est generaliter vera, sic videlicet quod eo modo, quo subjectum habet *quod quid est*, suum *quod quid est* potest poni medium demonstrationis, si definitionem, definitio ; si conceptum quiddidativum, conceptus quidditativus. Et quod ibi tangitur de passionibus entis, dic ut prius, excepta prima passione, quæ per conceptum quidditativum ostendi potest.

Verumtamen propter carentiam nominum, conceptus talis, et habentis ipsum, ne videamur petere principium, utimur aliis, pro medio, et non conceptu quidditativo. Elige viam quam volueris, et dic consequenter.

Ad quartum patet ex 6.notabili.Est enim 57.
intelligenda illa attributio secundum cognitionem, et non secundum entitatem. Et si arguas quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad cognitionem. 2. Metaph. text. comment. 4. dicendum quod verum est in se, et in intellectu cognoscente entia proportionaliter suis entitatibus, cujusmodi non est intellectus viatoris.Vel posset aliter ad argumentum principale dici, quod minor est falsa quoad per se considerata in Logica, quod dico propter fundamenta, quæ per accidens considerantur. Et ad probationem potest distingui de perfectione positiva, et permissiva, ut communiter distinguitur. Sed ibi esset specialis difficultas, an intentiones secundæ dicant aliquam perfectionem, cum dicere perfec-

tionem negetur a relationibus realibus, ut volunt aliqui : sed de hoc infra.

Sexto dubitatur circa conclusionem responsivam hujus quæstionis, qua tenetur quod Syllogismus est subjectum Logicæ, arguitur primo quod non ; omnis scientia habet entitatem, et nobilitatem ab objecto, sed Logica non habet entitatem, nec nobilitatem a Syllogismo ; ergo, etc. Major est Aristotelis 1. de Anima text. com. 1. et 3. de Anima text. com. 38 et 6. Metaph. text. com. 2. Minor probatur, quia si sic, aut causalitate intrinseca, aut extrinseca. Non primo modo, ut patet; nec secundo modo, probo, quia nec ut finis, quia ex 2. Physicorum text. com. 23. finis non solum est ultimum, sed est optimum eorum, quæ sunt ad finem: ens autem rationis, cujusmodi est Syllogismus, (ut hic loquimur de ipso) non est nobilius, seu perfectius ente reali : Logica vero est ens reale, ut supra dictum est; ergo. Nec est efficiens respectu Logicæ, quod probatur, quia si sic, aut univocum, aut æquivocum; non primum, ut manifestum est : nec secundum, quia tale est nobilius effectu.

59. *Syllogismus subjectum Logicæ.*

60. Sed dices, ut aliqui hic respondent, quod verum est de æquivoco totali, cujusmodi est objectum cum potentia, maxime secundum doctrinam Scoticam, non autem de partiali, cujusmodi est objectum, vel subjectum tantum. Contra, ex principiis hujus quandocumque concurrunt duæ causæ partiales, ad eumdem effectum, semper sapit naturam imperfectioris; quod dependet ex pluribus, non potest esse conditionis perfectioris quocumque illorum, ut quæst. 14. Quodlibetica articulo 1. habet iste. Exemplum de præmissis respectu conclusionis; de Deo, et homine, in generatione hominis; et de sole et verme, in generatione vermis. Sed objectum saltem in proposito est ignobilius potentia, igitur si esset causa æquivoca partialis Logicæ, sequeretur quod Logica esset ens rationis, quod est falsum. Forte dices quod causa principalis æquivoca, cujusmodi est intellectus in proposito, assimilat sibi effectum, licet hoc habeat veritatem de assimilatione effectiva, vel virtuali: non tamen de assimilatione formali, imo sic magis assimilatur causæ minus principali, etiam secundum magis principalis, ut habet iste expresse in 4. distinct. 1. quæst. penultima.

61. Item secundo principaliter arguitur sic : Subjectum scientiæ continet primo virtualiter omnes veritates illius scientiæ, ut tertia quæstione prologi Sententiarum habet iste : sed Syllogismus non continet sic veritates logicas: ergo, etc. Major est nota apud Scotistas, et probatur ibidem. Minor vero probatur, quia sic continere convenit subjecto ratione causalitatis effectivæ, sed ut probatum est, talis causalitas non convenit Syllogismo. Item tertio, scientia est de necessariis, et impossibilibus aliter se habere, ut patet 1. Poster. text. comm. 5 et 15. et 6. Ethicorum cap. 3 et 7 Metaph. text. com. 53. Sed Syllogismus non est hujusmodi; ergo, etc. Minor probatur ex dictis hujus, 30. distinctione 1. quia intentiones secundæ non habent esse, nisi dum actu intellectus negotiatur, sunt igitur contingentia, sicut et actus intelligendi.

Item quarto, de subjecto scientiæ præsupponitur *quid est* : sed *quid est* non convenit Syllogismo, saltem *rei*, seu definitio, ut habet iste, in 4. distinct. 1. quæst. 2.

Item quinto, subjectum scientiæ est causa passionum suarum, etiam effectiva, ut habet iste, in plerisque locis, ita quod posito subjecto insurgit talis passio, vel causatur : sed Syllogismus, (sicut nec aliqua alia intentio secunda) non habet aliquam causalitatem respectu suarum passionum, cum etiam a relationibus realibus, quæ sunt majoris entitatis, negetur omnis causalitas. Nec insurgunt ad positionem ipsius Syllogismi, quia tunc non essent intentiones secundæ, quod est inconveniens. Plura alia media possent hic introduci, sed his solutis, datur facultas solvendi omnia alia. Possunt etiam applicari hæc media ad priorem quæstionem, probando Logicam non esse scientiam.

62. Pro solutione hujus dubii sunt quædam præmittenda, ex quibus ejus solutio inferetur.

Primo advertendum est, quod aliquid cognoscitur quadrupliciter, videlicet *intuitive, abstractive, arguitive*, et *deductive*. Primo modo cognoscitur existens, ut præsens in se ipso, vel in eminenter continente, et non in repræsentativo formali ejus, ut dictum est supra. Secundo modo e contra in representativo videlicet et non in se. Tertio modo sit discursus ab intuitive noto, vel etiam abstractive ab aliud intuitive, vel abstractive notum. Quarto modo e contra.

Secundo notandum, quod eorum quæ cognoscuntur quædam se habent motive, quædam terminative, quædam utroque modo, quædam etiam forte neutro modo ad intellectum nostrum.

Tertio sciendum, quod objectum intellectus aliud est primarium, aliud secundarium, aliud actu recto, aliud actu reflexo cognoscibile.

Logicus quomodo considerat 2. intentiones

Quarto intelligendum, ut supra tactum est, quod consideratio Logici, de secundis intentionibus, est in ordine ad fundamenta, et ideo concretive sumptis. Notitia ergo secundarum intentionum originaliter est ex proprietatibus repertis in fundamentis, a quibus originaliter habent esse, et hoc occasionaliter, et motive, licet effective ab intellectu habeant esse, imaginor enim hunc processum.

Ordo secundarum intentionum.

Primo namque intellectus (præsupposita cognitione intuitiva sensus, et operatione intellectus agentis, quam aliqui volunt extendi ad actum, et habitum inclusive, aliqui vero in causatione speciei intelligibilis termini, quod ad præsens omittatur) intelligit objectum reale, ut puta hominem, vel animal, vel aliquid tale.

Secundo plura sic cognita sub diversis habitudinibus ad invicem comparat.

Tertio illam comparationem ex parte objectorum diversimode nominatam intelligit, et hoc aut tantum terminative, ut communiter ponitur ; aut motive, si respectibus rationis aliqua activitas concedatur. Motive enim se habere respectu actus, vel habitus, est ut causa partialis concurrere cum intellectu, ad causandum actum, vel habitum.

Quarto etiam illos respectus, et ad se invicem, et ad fundamenta potest intellectus comparare, et ita ipsis alios modos intelligendi, vel alias secundas intentiones (quod idem est) applicare, et ita in infinitum procedendo forte posset concedi, ut supra notavi. Intelligo maxime hoc de intellectu primitus has intentiones fabricante, sicut de modis significandi Grammaticalibus est dicendum. Convenit enim ordine doctrinæ prius addiscere hujusmodi modos, quam fundamenta eorum, ut saltem fundamenta sub ipsis cognoscimus, ut quæstionibus sequentibus tangetur.

Quinto continentiæ Virtualis, quam objecto cujuslibet scientiæ communiter schola Scotistarum attribuit, descriptionem singularem, quam Scotus in originali proprio Oxoniensi scripsit, præmitto, quæ talis est : *Virtualis continentia est quidam respectus disquiparantiæ, intrinsecus adveniens, fundamentalis, et transcendens, per quam causa æquivoca potest producere effectum producibilem, de non esse sui simpliciter ad esse sui simpliciter.* 63.

Virtualis continentia quid.

Continentia multiplex.

Unde advertendum quod continentia alia est potentialis, seu permissiva Physica, ut materiæ respectu formarum ; Metaphysica, ut superioris respectu inferiorum ; et generis respectu differentiarum. Alia actualis, seu formalis, sicut e contra. Alia virtualis, sicut causæ extrinsecæ respectu effectus. Alia eminentialis, sicut in essentiis ordinatis, et maxime in essentia divina, respectu omnium aliarum. Alia unitiva, quæ requirit identitatem simul et distinctionem, quære in quarto, dist. 46. q. 3., et maxime reperitur in divinis, et in creaturis suo modo, ut patet in potentiis animæ inter se, et ad animam comparatis. Continentur igitur virtualiter conclusiones in præmissis, et præmissa mediata, si qua sit, in immediata, prædicatum vero immediate in ipsius subjecto formaliter, si est primi modi, vel virtualiter, si secundi. Igitur a primo ad ultimum omnes verita-

tes habitus continentur virtualiter in ipsius, subjecto primo, tanquam in radice omnis cognoscibilitatis. Nec hoc debet intelligi de continentia potentiali, vel permissiva virtuali, quia talis nullo modo est ponenda, nisi multum remote exponendo : nec etiam est distinguendum recte de subjecto continentiæ virtualis adæquationis, prædicationis, seu principalitatis, in scientia, licet aliqui ita fingant. Idem enim est subjectum in scientia omnibus his modis, nisi quod ei accidit, quod sit prædicabile de omnibus, quia tantum in Metaphysica contingit hoc tenere. Cætera Topice quæ dicta sunt.

Ex his ad dubium respondetur cum Doctore.

64. Ad primum argumentum dico uno modo, quod illa causalitas scientiæ ex parte objecti, si qua est in proposito, est extrinseca, mediate tamen, quia immediate causatur ex actibus frequentatis, vel uno intenso. Et cum quæritur, aut finis, aut efficientis, potest utrumque concedi. Et cum probatur quod non quantum ad finem : dico quod licet scientia dici possit nobilior objecto seorsum sumpto, non tamen objecto scito, et sic ponitur finis ejus, ut habet iste in Prologo, quæst. 3. solvendo argumenta principalia primæ lateralis, et alibi. Albedo enim, vel aliud tale, etiam reale, non est finis scientiæ : sed albedo sic, vel sic cognita : ita in proposito de Syllogismo. Cum secundo ostenditur quod non est causa effectiva, hoc potest negari. Cum quæritur, aut æquivoca, etc. dico quod æquivoca.

ntia quomodo lior objecto.

Et cum probatur quod non, ex perfectione causæ talis, satis competenter responsum est prius, quod videlicet verum est de causa totali. Et cum ultra probatur quod tunc Logica esset ens rationis, dico quod hoc non sequitur, quia non est assimilabilis in entitate enti rationis : si autem esset, et cum hoc ens rationis poneretur altera causa partialis, procederet argumentum de mente Doctoris. Sed in proposito non intentionem, sed fundamentum intentionis, pono causam partialem : et quia hujusmodi est ultimate ens reale, ideo habitum causatum congrue ponimus ens reale. Ab objecto enim motivo, vel *quo*, et non terminativo, vel *quod* habet suam entitatem. Unde primo quæstione quarti, egregie inquit Doctor, quod objectum, respectu notitiæ, habet triplicem conditionem, scilicet causare, mensurare, et terminare. Duæ primæ non conveniunt intentionibus, nec artificialibus, sed tantum tertia, nisi recurrendo ad fundamenta, et naturalia.

Alio modo, posset totalis causalitas habitus logicalis poni ex parte intellectus. 65.
Nam licet in actu recto objectum sit causa partialis, et hoc primarium, in actu tamen reflexo posset totalis activitas attribui potentiæ : videatur iste 3. distinct. prima, quæst. 7. contra Godefridum, et alios. Vel dic tertio, quod licet in actu recto, intentiones non possent habere causalitatem, et similiter aliæ relationes, et forte quantitates, in actu tamen reflexo non inconvenit. Elige viam quam volueris, prima responsio est securior. Posset etiam probaliter dici, quod intentiones secundæ continentur sub objecto motivo intellectus, eo quod continentur quoquo modo virtualiter in quidditate sensibili, juxta declarationem hujus, in Quodlibeto, quæst. 14. ubi dicit quod intelligit nomine ejus in se, vel in suo inferiori, sensibile, vel inclusum virtualiter, seu essentialiter in quidditate sensibili ; hæc pondera bene ubique. Vide infra, quæst. 3. Anteprædicamentorum, solvendo tertium principale, ad propositum aliqua bene ponderando. Posset etiam sustineri quod Syllogismus continet virtualiter omnes veritates logicales, quia tales veritates sunt respectus, vel conformitates in intellectu complexe, vel incomplexe quæ probabiliter ponuntur respectus rationis, et 6. Metaph. et alibi in doctrina hujus habet videri.

Difficultas autem est, de fundamentis talium conformitatum, et veritatum, attingunt alia argumenta hic. Continentia etiam vir-

tualis, de qua loquimur, est objectalis, et Metaphysica, et non realis Physica : quare non dicit nisi simplicem emanationem in incomplexis, et illationem intentionalem in complexis, de quibus infra altius, Deo duce, dicemus ; quia paulatim introducendi sunt juniores scholastici. Possent verba Doctoris quæstione ultima Prologi, ad finem, hîc ponderari de univocatione objecti, respectu habitus, diminuta saltem. Et similiter quomodo objectum est mensura scientiæ, quæ videntur intelligi debere de objecto terminativo, ut videtur. Sed tu dic consequenter bene masticando, quia ad alia festino pro nunc.

66. Ad secundum de continentia virtuali, patet ex prædictis. Eo enim modo, quo Syllogismo convenit causalitas, eodem modo et continentia virtualis. Si autem totalis activitas ponatur ex parte potentiæ, regula Doctoris habet veritatem in scientiis realibus, quarum subjecta habent activitatem partialem ; et proportionaliter continentiam virtualem. Posset etiam ponderari, quod soli scientiæ habenti evidentiam ex objecto convenit illa continentia virtualis, ut patet quæst. 3. Prologi. Continentia enim virtualis, proprie loquendo, convenit subjecto scientiæ habentis unitatem specificam, cujusmodi non est Logica in communi, neque Syllogismus.

Secundæ intentiones dupliciter considerantur.

Ad tertium dicendum, quod intentiones secundæ, sicut et entia realia, possunt considerari vel secundum esse quidditativum, sive essentialiter, vel secundum esse actualis existentiæ. Primo modo sunt necessaria, et impossibilia aliter se habere. Secundo modo sunt contingentia, et sic intelligitur Doctor, ubi allegatur supra ; quia loquitur de relationibus rationis, ut habent esse in fundamentis comparatis, quod est esse existentiæ in ipsis. Vel dic aliter reccurrendo ad fundamenta.

Posset etiam dici ex prædictis hujus, in Prologo, quæst. 4. quod de contingenti est scientia. Et idem ibidem, quæst. 3. ubi dicit quod necessitas objecti non est conditio scientiæ. Sed ad Philosophum, patet ibidem, quod scientia est necessariorum, scilicet dictorum de contingentibus, vel necessariis objectis, et hoc sapit.

Ad quartum dico, quod Syllogismus habet *quid nominis*, et *quid rei*, eo modo, quo est res, scilicet conceptum quidditativum, et definitionem expressam per genus et differentiam. Et cum probatur ex Doctore, in quarto, quod definitio non convenit entibus rationis, verum est definitio propriissime sumpta, de qua dictum est, dubio præcedenti. Intentiones tamen secundæ definiuntur, ut Logicus definit, ex Genere videlicet, et Differentia ut Doctor ibidem expresse dicit. Sic etiam propriissime loquendo, solius substantiæ est definitio. Eo enim modo, quo dantur gradus in entibus, dantur et in definitionibus.

Vel posset dici (licet forte non ita ad mentem Doctoris) quod definitiones secundarum intentionum sunt definitiones entis realis originaliter, et occasionaliter, et fundamentaliter, licet non formaliter, et immediate, et hoc sufficit.

Ad quintum dicendum, quod eo modo, quo aliquid habet principia essendi, ipsum consequuntur suæ proprietates, si ex natura rei, ex natura rei ; si operatione intellectus, operatione intellectus : modo Syllogismus habet fundamentum tanquam principium originale occasionativum essendi, et intellectum completive effectivum sui esse, et ita passiones ipsius eodem modo habent esse. Ex principiis enim subjecti oritur passio. Et quod tangitur ibi de subjecto, quod est causa passionis, habet difficultatem specialem, de quo infra, cap. de Proprio, aliqua dicam. Posset etiam probabiliter dici, quod posito ente rationis in esse, per opus collativum intellectus immediate ipsum consequitur aptitudo talis, vel talis, quæ etiam est intentio secunda fundamentaliter, et identice, et etiam formaliter, licet non immediate causata actu collativo intellectus. Sed hîc plura essent ponderanda, quæ altiori indagini omitto. Posset etiam ponderari illud argumentum, quod fit communiter, videlicet quod nul-

la scientia format, vel fabricat suum subjectum, sed Logica format, vel docet formare Syllogismum. Dic quod veritatem habet in scientia reali, secus est de scientia rationis. Vel dic quod Syllogismus usualis, vel naturaliter acquisitus, præcessit artificialem. Vel recurrendum est ad fundamenta, sed prima via est securior, ut patet. Vel dic ut prius ad quartam rationem est dictum, quia sapit.

Posset etiam objici ex dictis Doctoris, in materia de subjecto Theologiæ, ubi probat ens in communi esse subjectum Metaphysicæ, et primo Metaphysicæ idem habet, ergo eodem modo dicetur de Logica, respectu entis rationis in communi. Responsionem quære.

Septimo posset dubitari circa divisionem Logicæ, quam supra assignavi secundum divisionem subjecti. Et breviter dicendum ut supra, quæst. 1. de unitate scientiæ, dictum est. Eo namque modo, quo scientia habet unitatem ab objecto, habet etiam et sectionem ad subjecti divisionem.

68. Octavo dubitatur circa dicta Doctoris, in applicando tertiam conditionem subjecti, ubi dicit num. 7. quod *incomplexum, et enunciatio sunt partes integrales Syllogismi*. Syllogismus vero dialecticus, et demonstrativus, partes subjectivæ ; Elenchus autem privatio ejus. Contra primum, forma simplex partibus integralibus caret : sed Syllogismus est hujusmodi ; ergo, etc. Major est nota, quia oppositum prædicati infert oppositum subjecti. Minor probatur, quia, ut hic semper loquimur de Syllogismo, est respectus rationis. Item, species distincta non est pars alterius : enunciatio, vel incomplexum, et Syllogismus sunt hujusmodi ; ergo, etc. Contra secundum, est expressa sententia hujus 1. Elenchorum quæst. 4. ubi vult quod divisio Syllogismi in Topicum, et necessarium, etc. est divisio accidentis in subjecta, ut supra, articulo primo hujus quæstionis, recitavi. Tunc sic : alia est divisio totius in partes subjectivas ; alia accidentis in subjecta. Patet, quia una est per se, alia vero per accidens ; sed divisio Syllogismi in illa est accidentis in subjecta ; ergo non totius in partes. Aliud quod dicit ille de libro Priorum, quod ibi de parte subjectiva Syllogismi sit sermo, videtur falsum, quia tunc idem esset pars subjectiva sui ipsius, cum ibi de Syllogismo in communi tractetur, ut hic Doctor concedit infra, solvendo secundum principale.

Contra tertium : Syllogismus Sophisticus est æque respectus positivus, applicatus materiæ apparenti, sicut Topicus, vel demonstrativus materiæ proportionabili, ergo non est tantum privatio veri Syllogismi.

Item, de privatione alicujus non est distincta scientia, a scientia illius cujus est privatio : sed de Syllogismo sophistico est distincta pars Logicæ, ut puta libri Elenchorum, etiam per ipsum, primo Elenchorum, quæst. 3.

Dicendum cum Doctore, quod recte loquitur. 69. [illegible]

Ad primum dico, quod licet principalis intentio Logici sit de Syllogismo secundo-intentionaliter sumpto, non tamen præscindendo a fundamento, imo considerat de ipsius fundamento. Licet igitur Syllogismus fundamentaliter sumptus non habeat partes integrales, materialiter tamen acceptus non caret ipsis.

Vel aliter dicendum, quod sicut istæ prædicationes, *Genus prædicatur de specie*, vel *Oratio constituitur ex nomine et verbo*, habent exerceri in fundamentis, ut infra magis : ita ista, *Syllogismus constituitur ex incomplexo, et enuntiatione*, habet exerceri in fundamentis. Ita generaliter quod intentio Logici est de istis conceptibus, ut sunt pro fundamentis, ultimate cuncta ipsis attribuendo. Hæc expositio, et similes supra, patenter sunt de mente ipsius, ut infra Cap. de Genere, et de Differentia expresse habet. Per hoc ad aliud, patet quod præsupponit falsum. Vel dic ut in simili de numero majori, et minori communiter dicitur, capiendo ipsum materialiter, vel formaliter, et similiter in proposito, licet non sit omnimoda similitudo.

Secundo dubio fit satis. Ad secundum dico, quod Doctor et hîc, et primo Elenchorum, optime dicit, nec controversia ulla est, nisi in voce, si qua sit. Hîc enim dicit quod Syllogismus Dialecticus, etc. sunt partes subjectivæ, quod verum est, capiendo illa pro formali. Primo vero Elenchorum dicit, quod est divisio accidentis in subjecta, quod verum est, accipiendo illa pro substrato. Aliud enim est considerare materiam, aliud intentionem materiæ applicatam. Per idem ad aliud, quod Syllogismus applicatus tali, vel tali materiæ, de quo fit sermo in libris Priorum, est pars subjectiva Syllogismi in communi, quia ille præscendit ab omni materia. Vel posset dici pars improprie, prout idem sub minori extensione, et continentia, potest dici pars respectu sui ipsius sub majori, et hoc modo loquitur infra, in solutione secundi principalis. Vel dic quod ibi determinat et de toto, et de partibus subjectivis ejus, ideo verum dicit, licet aliud tacuit.

Ad tertium dubium respondetur. Ad tertium potest dici, quod Syllogismus Elenchus potest considerari formaliter, vel materialiter. Primo modo concedendo ipsum esse intentionem secundam positivam. Alio modo materialiter, et hoc vel ut cadit in usum sophisticæ, et deceptoriæ argumentationis. Alio modo ut traditur per determinata principia. Primo modo ultimæ distinctionis, procedit ex falsis, nec de ipso est scientia : secundo modo sic. Vult ergo Doctor primo Elenchorum, quod de Syllogismo sophistico secundo-intentionaliter, et fundamentaliter secundo modo sit scientia. Hîc vero vult quod ille primo-intentionaliter, ut procedit ex falsis, et secundo-intentionaliter, ut supponit pro tali, sit privatio veri Syllogismi. De hoc magis primo Elenchorum.

70. Nono dubitatur circa solutionem primi principalis, ubi dicit Doctor, num. 8. quod de Syllogismo in communi, per Syllogismum particularem habetur scientia, et quod non est scientia de particulari, nisi per se ipsum scito communi. Contra primum, Syllogismus, per quem aquiritur scientia, est fundamentalis, aut in voce, aut in scripto, aut in mente. Syllogismus vero de quo quæritur scientia est respectus rationis, ut sæpe dictum est : videtur ergo quod responsio non est ad propositum, et similiter nec argumentum, quia faciliter evadi posset, dicendo quod procedit de Syllogismo fundamentaliter sumpto et non formaliter. Æque enim, ut videtur, posset ostendi per idem medium, quod de homine non est scientia, quia sicut homo est quoddam incomplexum, de quo habetur scientia per Syllogismum, ita Syllogismus secundo-intentionaliter sumptus, respectu Syllogismi primo-intentionaliter dicti.

Item, contra secundum, videtur quod de particulari possit esse scientia distincta a scientia communis, sicut ipsum est aliud a communi. Ad ista faciliter respondetur ex prædictis.

Ad primum dico, quod quamvis principalis intentio sit de Syllogismo secundo-intentionaliter dicto, hoc tamen est ut supponit pro fundamento, et ita intelligitur universalitas, et particularitas per respectum ad fundamenta, et prædicationem exercitam.

Ad aliud, transcendit enim negotium, sed breviter pro nunc dicendum, quod non est alia scientia de particulari, nec dicit aliam entitatem formalem, saltem a suo communi, licet addat aliquam entitatem materialem.

Decimo circa solutionem secundi principalis, num. 9. posset dubitari, an videlicet totius et partis possit idem esse sub- 71.
jectum. Et breviter dico, quod non inconvenit sub diversis rationibus, vel saltem secundum rationes subordinatas, vel secundun eamdem rationem ; completiorem tamen, et minus completam, dubitare circa solutionem ultimi argumenti magis pertinet ad Philosophiam naturalem, quam ad Logicam. Igitur pertranseo ad præsens, ne præter utilitatem juvenum prolixus videar.

Ultimo potest breviter dubitari circa so-

lutionem quartæ opinionis, quare cum oratio conveniat æquivoce enunciationi, et Syllogismo per se, potius ab ea removetur secunda, vel tertia conditio, quam prima, cum æquivoci non sit definitio. Potest dici, quod illa definitio, quæ ponitur 1. Perihermenias de ipsa, convenit ei pro uno significato, id est, pro enunciatione, ut videtur.

Sed contra, quia tunc non esset genus enunciationis, quod communiter non tenetur. Ideo dicendum, quod vel illa est descriptio nominis, vel si vera definitio, tunc capit hic æquivocationem extensive pro analogia. Vel dicendum potius, sustinendo primam responsionem ad instantiam contra illam, quod oratio, quæ est genus enunciationis, est per se una, et continet sub se nedum indicativam, sed imperativam, et alias hujusmodi, et sic negatur consequentia illa ; Oratio autem, quæ est argumentatio, non est per se una nisi unitate ordinis, vel integritatis, secundum aliquos.

72. Præmissis tribus quæstionibus circa Logicam in communi, dirigit sermonem in Isagogas Porphyrianas. Et antequam textum dubitative tangat, movet sex, aut novem (omnibus computatis) circa ipsum Universale in communi, quæstiones. Et quia intentio sua est constituere Universale subjectum hujus libri, de subjecto vero includendo inhærentiam passionis, quatuor possunt quæri, videlicet *si est*, *quid est*, *quia est*, et *propter quid est*, ideo valde ordinate pro informatione radicali juvenum, hæc quatuor pertractat, priusquam ipsum subjectum esse asserat. Quantum igitur ad quæstionem *quid est* dicit, *in speciali quærendum est de Universali, et quia omnem quæstionem præcedit quid dicitur per nomen*, etc. Ubi advertendum ut supra tactum est, quod *quid* est duplex, scilicet rei, et nominis, et licet quæstio *si est* præcedat quæstionem *quid rei* secundum ordinem, quem tenet Aristoteles secundo Posteriorum ; quæstio tamen *quid nominis* præcedit omnes, ut hic, et quarto Sententiarum, distinct. 1. quæst. 2. habetur ; sequitur in littera distinctio trimembris hujus nominis *Universale*, sicut cæterorum concretorum accidentalium, et potest reduci in bimembrem sic ; Omne concretum accidentale aut sumitur pro aggregato, et connotato, aut seorsum, et tunc vel pro significato, vel pro connotato. Isti enim termini *pro significato*, *pro formali*, vel *pro eo quod significat*, seu *pro forma*, sunt Synonima, sicut ex altera parte *pro substrato*, *pro connotato*, vel *pro eo quod denominat*. Sicut ergo *album* potest sumi pro illa qualitate, quam *albedo* significat, vel pro subjecto ejus, vel pro aggregato ex utroque. Concretum namque et abstractum (ex principiis hujus, ubique, et præcipue infra, in Antepredicamentis) idem significant ; sed differunt in modo significandi, ut magis infra dicetur. Nam hoc per modum *per se entis*, illud vero per modum *alteri inhærentis*, et hoc vel subjective, vel suppositive significat. Vel magis ad propositum ponatur exemplum in concreto primo-intentionali respectivo. *Simile* namque significat illam relationem æquiparantiæ, quam *similitudo* significat ; connotat vero subjectum, ut hominem, vel asinum : et quia requiritur necessario fundamentum ad esse respectivi, connotat etiam ipsum, ut puta albedinem, vel calorem, vel aliquid hujusmodi. In quo fundamento etiam posset fieri distinctio secundum remotius, et minus remotum.

Concretum idem significat quod abstractum, sed alio modo.

Potest igitur, secundum variationem Prædicamentorum, tale concretum accipi, aut pro formali tantum ; aut pro substrato tantum ; aut pro aggregato. Exemplum primi, ut *Album per se primo modo est coloratum*. Exemplum secundi, ut, *Album currit*. Exemplum tertii, ut *Album est ens per accidens* : ita in proposito, *Universale* potest sumi pro respectu rationis, causato vel derelicto, actu collativo intellectus, mediante aliqua proprietate indifferentiæ, vel communicabilitatis ex parte rei, quam primo significat, sicut universalitas, vel intentio universalis. 73.

Secundo modo potest accipi pro subs-

trato, ut homine, vel animali, et sic de aliis. Vel pro fundamento in tali substrato, et hoc vel propinquo, vel remoto. Voco fundamentum remotum universalitatis indeterminationem privativam, vel negativam, seu communicabilitatem absolute sumptam.

Fundamentum proximum, et remotum Universalitatis quod. Fundamentum vero propinquum, dico indeterminationem contrariam, vel communicabilitatem comparative cognitam.

Tertio modo potest sumi pro aggregato ex utroque. Protestatur ergo Doctor se locuturum deinceps de Universali primo modo, quia sic est de consideratione Logici : et hoc intellige ut plurimum, quia aliquando loquitur de Universali pro substrato. Secundo modo pertinet ad considerationem artificis realis, ut puta Metaphysici, vel Physici. Tertio modo non est de consideratione alicujus artificis per se, cum sit ens per accidens, ut sexto Metaph. text. comm. 6. et 7. habetur.

74. Circa prædicta posset dubitari utrum concretum, et abstractum idem significent. Sed non oportet hîc immorari, quia infra loco suo disputabitur. Item utrum *significare*, et *connotare* idem dicant. Ibidem etiam habet pertractari. Item, utrum de ente per accidens sit scientia. Non hîc, sed 6. Metaphysicæ. Item, qualiter universale pro substrato pertinet ad considerationem Logici supra dictum est. Sequitur de quæstione *Si est*.

QUÆSTIO IV

Utrum Universale sit ens

Arist. *lib. de Interpr. cap.* 5. *primo Post. cap.* 2. *et* 35. *text.* 88 7. *Metaph. text.* 10. *et* 7. *Metaph. text.* 51. *et* 57. D. Thom. *lib. de Ente et Essentia. cap.* 4. *et in duobus Opusculis de hac materia.* Mirandulanus *in expositione Prædicamentorum.* Valles *Controver.* 9. *ad Tirones.* Albertus Parvus *quæst.* 9. *Log.* Franc. de Maironis *q.* 7. *Quodlibetal.* Okam *cap.* 4. *suæ Log. textualis. et in* 1 *d*, 2. *q.* 7. *et* 8. Joan. Anglicus *et* Bras. *super hanc quæst.* Conimbr. *lib.* 5. *Metaph. cap.* 28. *q.* 1. *sect.* 2. Complut. *disp.* 3. *de essentia Universalis. q.* 1. Rodrigues *q.* 1. *Univers. art.* 7. Aversa *quæst.* 8. *sect.* 1. Hurtado *disp.* 5. 5. *Metaph. sect.* 10. Doctor *in* 2. *d.* 3. *q.* 1. ₰. sed contra, *et* 7. *Metaph. q.* 18.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, per Boetium De unitate, et uno, dicentem ; *Omne quod est, ideo est, quia unum numero est :* Universale non est unum numero, quia prædicatur de pluribus univoce, ergo, etc.

Item, per Aristotelem in Prædicamentis, 1. De substantia. *Omne quod est aliud a prima substantia, aut dicitur de prima substantia, est in illa :* sed Universale est aliud a prima substantia, et non dicitur de prima substantia, nec est in illa, ergo, etc. Probatio minoris, *Solæ secundæ substantiæ dicuntur de primis*, ut patet per Aristotelem, Universale autem cum sit accidens, non est secunda substantia, nec est in primis, quia tunc prima substantia esset universalis, sicut illud, in quo est albedo, est album.

Item, si Universale est ens, aut est a natura, aut ab intellectu ; non a natura, quia tunc esset singulare, et terminus transmutationis : ergo ab intellectu solo, ergo est figmentum, et ita non ens.

Ad oppositum, Universale definitur ab Aristotele primo Perihermenias : sed non entis non est definitio. Item per Boetium, *Secundæ intentiones applicantur primis ;* non ens autem non applicatur enti.

Dicendum, quod Universale est ens, quia sub ratione non entis, nihil intelligitur ; quia intelligibile movet intellectum. Cum enim intellectus sit virtus passiva (per Aristotelem 3. de Anima cont. 5. et inde sæpe.) non operatur, nisi moveatur ab objecto ; non ens non potest movere aliquid ut objectum ; quia movere est entis in actu ; ergo nihil intelligitur sub ratione non entis : quidquid autem intelligitur, intelligitur sub ratione Universalis : ergo illa ratio non est omnino non ens. 2. *Conclusio.*

Ad primum argumentum dico, quod Boetius intelligit de illo, quod est præter operationem intellectus, cujusmodi non est Universale. *Ad argumenta.*

Ad secundum dicitur similiter, quod Aristoteles sic intellexit.

Contra hoc, quia probat conclusionem illam per hoc, quia secundæ substantiæ dicuntur de primis, accidentia sunt in primis, secundæ autem substantiæ, ut ibi loquitur de ipsis, non sunt præter intellectus operationem : ergo non tantum intelligit de his, quæ sunt præter operationem intellectus, sed etiam de his, quæ sunt per operationem intellectus. Probatio minoris, quia dividit, in principio capituli, Substantiam in primam et secundam : si ergo illa divisio valeat, sequitur quod membra, ut ibi intelligit, opponuntur ; sed quod est secunda substantia præter operationem intellectus, non opponitur primæ substantiæ, sed est idem ; ergo non intelligit de secunda substantia, quoad illud, quod est ens præter operationem intellectus.

3. Ideo dicitur quod Universale dicitur de primis. Ad illud, quod est contra hoc, quia solæ secundæ substantiæ dicuntur de primis ; dico, quod secundæ substantiæ, ut ibi loquitur, sunt accidentia, non quidem realia, de quibus ponit aliud membrum, scilicet *in esse* : sed intentionalia, quibus per se competit *dici de* : Universale autem est quid communius ad secundam substantiam ; quia secunda substantia dicitur Universale applicatum ad aliquid in genere substantiæ.

4. Ad tertium dico, quod Universale est ab intellectu. Et cum dicitur, ergo est figmentum ; dico quod non sequitur, quia figmento nihil correspondet in re extra ; Universali autem aliquid extra correspondet, a quo movetur intellectus, ad causandum talem intentionem. *Est enim*, secundum Boetium, *Species tenuis similitudo singularium; et Genus magis tenuis suarum specierum.*

Dico ergo, quod effective est ab intellectu, sed materialiter, sive originaliter, sive occasionaliter, est a proprietate in re, figmentum vero minime, etc. *Universale effective est ab intellectu.*

EXPOSITIO

5. *Universale multiplex.*

Quoad primum *Universale* dicitur ab *Universus*, sicut et *Universitas*, et differt secundum aliquos a *prædicabili*, quia definitur per *esse in*, Prædicabile vero per *dici de*, de quo infra. Et licet *Universale* possit sumi tripliciter, ut patet ex prædictis, tamen aliter capi solet, pro subjecto saltem. Nam aliud est *in causando*, ut Deus ; aliud *in cognoscendo*, ut intellectus ; aliud *in repræsentando*, ut species intelligibilis ; aliud *in distribuendo*, ut signa universalia ; aliud *in prædicando*, et hoc vel *communiter*, ut omne quod enuntiatur de aliquo in propositione quacumque ; vel *proprie*, et tunc vel *transcendens*, ut ens limitatum, vel *ante rem natura, et tempore*, ut est in intellectu primæ causæ ; *natura tantum*, ut jam ens : vel *in re*, ut sub conditionibus individualibus ; *post rem*, ut in esse cognito. De hac ultima distinctione magis infra quæstione octava, de triplici acceptione significati termini communis. In proposito est in prædicando, et pro formali, ut tamen applicabilis, ut prius dictum est, quod sic describitur 1. Perihermenias text. comm. 5. *Universale est, quod est aptum de pluribus prædicari.* Item 2. Poster. text. comm. ultim. *Universale est unum in multis, et unum præter multa.* Item 1. Poster. text. comm. 25. Sed non ita expresse, de quibus definitionibus erit sermo amplior infra, quæst. 6. *Universale quid.*

Ordo quæstionis patet ex prædictis. Divisio ejus est communis.

6. Quoad secundum arguit tribus rationibus ad partem negativam. Prima ratio habet originem ex Boetio, in libello de Unitate et Uno, licet sanctus Thomas Quodlibeto 9, articulo 6, dicat illum librum non esse Boetii, de quo non oportet hic discutere,

saltem auctoritas famosa est, et communiter acceptatur. Ubi advertendum, quod intentio Boetii, vel illius auctoris ibidem, est ostendere quod omnia appetunt unitatem. Dicit enim ibidem quod quia Creator naturæ vere unus est, ideo rebus quas condidit hoc in munere dedit, ut et unaquæque habeat esse, et una esse. Enumerat igitur ibidem multos modos Unitatis, de quibus infra capitulo de Specie, quæst. 2. forte erit sermo. Verba autem quæ recitat Doctor, non aperte habentur ibidem, licet implicite possint conjici ex dictis Boetii. De veritate autem illius propositionis in se infra tangam. Secunda ratio fundatur in dictis Aristotelis in Prædicamentis cap. de Substantia. Tertia ratio sumitur ex distinctione entis in id quod natura est, et in id quod sola ratione rationante fabricatur. Duæ rationes ad oppositum ex duplici auctoritate procedentes satis patent.

7. *Universale est ens.*

Consequenter conclusionem affirmativam tenet in quæstione ista, cujus ratio fundatur in objecto, et ratione objectiva intellectus creati, saltem viatorum. Intentiones enim Logicales sunt modi intelligendi, sicut Grammaticales significandi, ut dictum est supra, et magis infra, et in Tractatu de modis significandi, Deo subveniente, et vita comite. Est igitur Universale, de quo hîc loquitur, modus intelligendi in tantum, quod etiam ipsum singulare intelligitur, non sub modo singularis, sed Universalis, ut habet iste, 2. distinct. primi, quæst. 3. solvendo secundam rationem opinionis, hoc idem in Theorematibus suis, ubi inquit quod Universale per se, et prius intelligitur; quod tamen verum est de Universali pro substrato. Idem septimo Metaphysicæ, et primo habet. Modus autem intelligendi ens non potest esse non ens, igitur Universale non est non ens, ergo ens per locum ab oppositis. Tangit ibidem de motione intellectus ab intelligibili, quod habet expresse Commentator tertio de Anima comm. 4. Auctoritas vero Aristotelis, quam adducit, est in 3. de Anima text. comm. 5. 14. 17. 18. 27. et alibi sæpe.

8. *Movere q[...] sensu est act[...] entis in actu.*

Quod sequitur in littera quod *motus*, vel potius *movere, est actus entis in actu*, habetur 3. de Anima text. comm. 27. Motus namque potest comparari ad movens, vel ad mobile. Primo modo intelligit Doctor hîc, et Aristoteles ibidem. Secundo modo intelligit Doctor in secundo Sententiarum in distinct. 18. Et Aristoteles 2. Physic. text. comm. 3. Vel si volueris totum intelligere ex parte mobilis, de actu est distinguendum. Videlicet primo, vel essentiali, et secundo, vel accidentali : et verba Doctoris intelligi debent primo, non secundo modo. Primum et secundum principale unica solutione solvit, sed licet possit objici contra solutionem, ut refertur ad utrumque (ut statim ostendam) arguit præcise contra eam ut applicatur.

Ad secundum principale, ostendendo quod secundæ substantiæ non sunt præter opus intellectus, imo quod sunt secundæ intentiones, aliter non opponerentur primis, et per consequens divisio Aristotelis non esset conveniens, cum omnis divisio debeat dari per opposita.

Ad formam ergo argumenti, negatur minor pro secunda parte, et similiter minor probationis. Est enim vera, licet indirecta prædicatio, *Universale est substantia secunda*.

Ad tertium, concedit Universale non esse ens naturæ, sed ex hoc non sequitur ipsum esse figmentum, quia huic correspondet proprietas ex natura rei, illi vero minime. Unde vult quod Universale est effective ab intellectu, occasionaliter autem, et originaliter a proprietate reali, pro quo adducit auctoritatem Boetii in Commento.

9.

Quoad Tertium, circa hanc quæstionem occurrunt nonnullæ difficultates, primo dubitatur circa veritatem illius propositionis Boetii ante oppositum, num. 1. videlicet, *Omne quod est, ideo est, quia unum numero est*. Quam etiam habet Avicenna 3. Metaph. cap. 1. et 7. Metaph. cap. 1. Videtur enim quibusdam quod oppositum est dicendum, scilicet, omne quod unum est; ideo est unum quia est.

Item, Boetius ibidem enumerat plura, quæ sunt, non tamen unum numero sunt, quia assignat ab aliis distinctum modum unitatis.

Omne quod est ideo est quia unum numero, explicatur.

Pro solutione hujus præmittendum est primo, quod aliquid (ut communiter dicitur) potest dici unum numero, aut quia cum aliis ponit in numerum, aut ut distinguitur contra unum specie, genere, et proportione, quod ulterius distingui solet in unum definitione, proprio, et accidente.

Secundo notandum, quod principium unitatis numeralis aliud est intrinsecum, aliud extrinsecum. Intrinsecum, proprietas individualis; extrinsecum, subjectum, vel aliud hujusmodi.

Est quando prædicat 2. et 3. adjacens.

Tertio sciendum, quod *esse* prædicat quandoque secundum, quandoque tertium adjacens. Tunc enim prædicat secundum, quando nihil additur rei, verbi specificativum. Tertium vero quando sic absque specificativo quocumque extrinseco, prædicat quod in ipso est, hoc autem est ens participaliter sumptum, quod idem sonat cum existentia actuali.

Regulariter ergo tenetur quod quandocumque hoc verbum *est* prædicat secundum adjacens, dicit existentiam actualem de subjecto. Unde licet concedatur quod Cæsar est homo, non tamen quod Cæsar est, de quo infra, in quæstionibus libri Perihermenias.

Ex his tenendo cum Boetio dico, quod propositio sua est vera, maxime loquendo de unitate numerali, a principio intrinseco, quæ, ut probabiliter teneo, præcedit in quocumque (natura dico) existentiam actualem, maxime in individuis, quia existentia est modus, et proprietas individualis est de ratione intrinseca ipsius individui, licet per comparationem ad naturam aliter sit dicendum.

10\. Sed pro altiori declaratione, et castigatione istorum, adverte diligenter ea quæ habet iste in 2. distinct. 3. quæst. 1. in solutione quæstionis. Valet ergo hæc consequentia, *hoc est, ergo hoc est unum*, nedum per locum extrinsecum, imo per intrinsecum, ita videlicet quod posset esse demonstratio *propter quid*, ut ita loquar. Concederes enim absolute istam, *hoc est, ergo unum*, quare non similiter, vel potius prædictam? Vel posset dici aliter, quod cum dicit Boetius *ideo est*, et non reddit causam præcisam, nec a priori, sed conditionem concomitantem, quia unitas numeralis est conditio concomitans omne per se existens. Vide tamen pro ulteriori declaratione hujus, ea quæ dicit iste in 4. distinct. 45. quæst. 3. solvendo secundum principale. Vel potest dici quod auctoritas est vera loquendo de uno numero primo modo, quod satis probabile est, ut patet ex intentione ejus. Per hæc ad objecta. Prima instantia Foxal potest negari ex prædictis. Ad secundum dico, quod licet sint plures modi unitatis, ibidem numerati, unitas nihilominus specificata per existentiam actualem, et perseitatem tertii modi, in unoquoque, concomitanter saltem, est numeralis. Sed, ut supra dixi, illa additio de unitate numerali non habetur expresse in Boetio. Ideo dic quod Doctor vulgariter allegat, quod non inconvenit plerumque in his Logicalibus, ut supra habes. Sed elige potius modum dicendi priorem, ut calumnia omnis abigatur.

Secundo posset dubitari, ut singula tangam, circa minorem primi argumenti, ubi dicit Doctor, *Universale non est unum in numero, quia prædicatur de pluribus*; utrum illa consequentia teneat, hoc prædicatur de pluribus, ergo non est unum in numero. Dico breviter quod valet logice loquendo, et prædicatum univoce universaliter sumpta, sed theologice, et prædicatum æquivoce, et univoce, non univoce sumptum, habet instantiam. Exemplum primi, ut essentia divina de tribus personis, et illis, quæ sunt in Deo. Exemplum secundi, ut Socrates, de hoc et illo Socrate. Exemplum tertii, ut Socrates nunc albus, et statim niger, de albo et nigro.

Tertio circa secundum principale, num. 3. et objectionem contra primam solutionem ad ipsum, et ultimam solutionem ejus, insurgit difficultas, utrum Universa- 11.

le, ut hîc sumitur, sit secunda substantia, vel e contra. Et quod non, patet argumentum in textu quod sic habet ultima solutio. Pro solutione hujus sciendum, quod substantia tam prima, quam secunda, potest accipi vel pro formali, vel pro substrato. Primo modo sunt intentiones secundæ. Nam prima substantia sic accepta idem importat quod singulare, vel individuum de prædicamento substantiæ. Secunda autem idem quod genus, vel species, quæ constat esse secundas intentiones. Et hoc modo accipit Doctor hîc primam et secundam substantiam. Et infra, capite de Substantia, ubi inquit quod divisio substantiæ in primam et secundam, est subjecti in accidentia : quod intelligo non ut substantia in substantias, sed ut per primeitatem, et secundeitatem, quæ substantiæ accidunt, dividitur secundo modo, ut scilicet accipiuntur pro substrato, sic idem denotant quod Socrates, et homo, vel animal. Sicut ergo hæc conceditur, *Universale est genus vel species*, ita ista, *Universale est substantia secunda*, primo modo sumpta, e contrario vero est prædicatio per se, nisi quis dicat quod est determinatio contrahens, ut album respectu hominis, vel e contra, quod forte verius est, nisi quia non ponitur ex parte ejusdem extremi, ut infra capite de Specie dicetur, et alibi. Nam tam prima, quam secunda substantia, potest sumi transcendenter, vel limitate. Ad hoc pondera ea quæ habet in 1. distinct. 26. et in Quodlibeto, quæst. 3. de substantia prima, et secunda, et ita Universale respectu secundæ substantiæ potest esse determinatio, et determinabile, diversimode loquendo. Et in hoc exponi potest Doctor, ubi dicit quod Universale est quid communius ad secundam substantiam, et quod secundæ substantiæ sunt accidentia non realia, sed intentionalia. Non est enim inconveniens quod ens reale contrahat ens rationis, et e contra, sicut subjectum suum accidens, et e contra, ut infra, cap. de Specie. quæstione secunda.

Substantia multiplex.

12. Sed videtur adhuc quod argumentum non solvitur, quia licet aliquod Universale sit ens, ut puta illud quod est substantia secunda, hoc non arguit, omne Universale esse ens, nec Universale in communi, de quo quæritur hîc.

Potest dici quod omnia Universalia reducuntur ad genus, et speciem, et ita ad substantias secundas. Pono enim probabiliter substantiam primam, et secundam in omni genere, licet antonomastice Philosophus posuerit eas in Prædicamento Substantiæ tantum, de quo alias. Vel aliter, quod inquantum ostenditur de inferiori entitas, in hoc habetur particulariter saltem de superiori, et hoc sufficit Doctori, et maxime contra aliam responsionem quam inpugnat.

Vel tertio dicendum, quod Universale in substantiis est substantia secunda, et sic dicitur *de*. In accidentibus vero est proprium, vel accidens, et sic est in primis, nec sequitur in eisdem terminis a prædicatione signata ad exercitam, quod prima substantia est Universale, ut infra dicetur copiosius. Licet enim albedo in communi sit in hac albedine, et albedo in communi sit Universale, vel Accidens, non tamen hæc albedo : sic namque arguendo est figura dictionis, et fallacia Accidentis. Similiter licet albedo sit Universale, et albedo sit in Socrate, non ideo Socrates est Universale : quia si attributum alicujus extraneatur ejus per se supposito, multo fortius, ut videtur, ejus per accidens supposito, et hoc in quantum est talis. Sunt enim hujusmodi accidentia in primis secundum esse materiale, sed formantur intentionibus secundum esse cognitum, ut infra dicetur. Adhuc posset fieri vis de Syllogismo, et enunciatione, et sic de aliis eodem modo arguendo. Dic quod omnia reducuntur ad propositum. Vel aliter ut prius.

Licet singulare includat naturam communem, non tamen est Universale.

Quarto circa eamdem objectionem, num. 2. ubi dicit Doctor quod substantia prima, 13
et secunda non opponuntur, ut sunt præter opus intellectus, sed ut sunt secundæ intentiones : sic occurrit dubium, quare magis opponuntur sic, quam sic.

Potest breviter dici quod sicut paternitas et filiatio, quæ sunt relationes oppositæ, ut saltem comparantur ad idem, et secundum idem, fundantur in individuis ejusdem speciei, ut puta in Socrate, et Platone, vel in eodem individuo respectu diversorum, ut patet ; ita respectus rationis, ut in proposito substantia prima, et secunda, possunt fundari in his, quæ sunt eadem realiter, licet non secundum idem. Sicut igitur pater et filius, pro formali sunt relative opposita, et non pro substrato, ita hic. Sunt ergo respectus oppositi, et non fundamenta, sed bene proprietates in fundamentis.

Relationes oppositæ possunt fundari in eodem realiter, quomodo.

Sed contra prædicta instatur, qua ratione substantia secunda est intentio secunda, eadem et prima, ut etiam Doctor expresse tenet hic, et infra, cap. de Accidente, quæst. 2. expresse probari potest ; sed hoc est falsum, quod probatur, quia Aristoteles definiens substantiam primam, definit ipsam, ut opponitur secundæ, sed illa definitio non potest competere intentioni ; ergo, etc. Minorem probo, primo principaliter, et maxime substare, et non esse *in*, nec dici *de*, non possunt competere intentioni secundæ, ut patet inductive per singulas particulas ; ergo, etc.

Item oppositum non est in opposito, nec destruitur ad destructionem ipsius, sed substantiæ secundæ sunt in primis, et destruuntur (per Aristotelem cap. de Substantia) destructis primis; ergo, etc.

Ad primum concedo primam substantiam esse secundam intentionem, sicut secundam, et concedo illam definitionem sibi convenire : sed qualiter, quia longiorem tractatum expostulat, loco suo habet videri.

Ad secundum concedo, quod oppositum ut sic, non est in opposito, accipiendo oppositionem proprie. Oppositum autem dici de opposito, non tamen ut oppositum, in prædicatione signata, non est inconveniens. Non sunt enim relative opposita, nisi respectu ejusdem, et secundum idem : hæc ergo est falsa, *Substantia prima est secunda*, et e contra. Saltem capiendo utrumque *ut quid*, vel *ut modus*. Hæc tamen est vera, *substantia secunda prædicatur de prima*, et [illegible] e contra, quia sic supponunt pro fundamentis, ut infra de aliis dicetur.

Substantia secunda dicitur de prima quomodo.

Quinto, circa eumdem articulum* potest dubitari, ubi inquit Doctor, quod substantiæ secundæ sunt accidentia non realia, quibus convenit esse *in*, sed intentionalia, quibus convenit dici *de*. Videtur enim quod utrumque sit minus verum. Primum, quia omni accidenti convenit esse *in*, et maxime [illegible] infra [illegible] intentiones secundas habere esse subjectivum, et non modo objectivum, ut aliis placet. Secundum etiam, quia accidentia realia prædicantur de suis inferioribus, et subjectis, ut patet in novem generibus accidentium.

* Art. 3.

Dicendum, quod Doctor loquitur de intentionibus, personaliter, sive pro substratis supponentibus, et *ut modus*, non *ut quid*, de quo infra, et sic verum est : quia aliquibus secundis intentionibus convenit dici *de*, et non esse *in*, ut sunt secundæ substantiæ ; aliquibus autem esse *in*, et non dici *de*, ut patet infra cap. de Proprio. Aliquibus vero utrumque, et aliquibus neutrum. Licet igitur secundæ substantiæ formaliter sumptæ, et *ut quid*, habent esse *in*, non tamen pro substrato, nisi ut superius est in inferioribus, quod non est ad propositum : et sic patet ad primum.

Quomodo secundæ intentiones [illegible] dicantur [illegible] quam sunt in.

Ad secundum dico, quod quamvis accidentia realia dicantur de suis inferioribus, ut genera, vel species, non tamen ut accidentia. Quamvis etiam dicantur de subjectis, prius tamen habent esse, quam dici *de*. Ideo per *esse in* possunt distingui ab illis, quæ non sunt *in*, sed dicuntur *de*. Hoc ergo dicit Doctor, quod sunt accidentia intentionalia, quibus per se [illegible] convenit dici *de*, et pro fundamentis, in prædicatione [illegible], supponunt. Nam hæc [illegible] dicitur de prima, est per se, et [illegible]. Secundo ad [illegible], quod potest applicari contra eos, qui [illegible] hujusmodi per accidens [illegible]

ce considerantes. Dicit autem quod non sunt accidentia realia, de quibus ponit Aristoteles aliud membrum, scilicet esse *in*, id est, pro quibus. Ex quo sequitur generaliter, quod magis convenit omnibus secundis intentionibus dici *de*, quam esse *in*, licet utrumque sibi conveniat, ut patet altius intuenti. De hoc magis infra, cap. de Proprio, quæst. 2. et cap. de Accidente, et infra cap.de genere,quod *esse* est rerum, et *dici* intentionum. Applicantur enim intentiones fundamentis, non pro esse materiali, vel quidditativo, sed cognito. Et intentionibus attribuimus illa quæ fundamentis conveniunt, ut infra ad longum dicam. Non negat igitur Doctor universaliter ab omnibus intentionibus esse *in*, et maxime *ut quid* sumptis, sed vult quod aliquibus convenit appropriate dici *de*, aliquibus esse *in*, omnibus autem dici *de*, et maxime Universalibus, quia ratio Universalis est prædicari. Omnibus etiam convenit esse *in*, licet verius hoc conveniat accidentibus realibus, ut patet. Tenendo vero, ut aliis placet,intentiones habere præcise esse objectivum simpliciter,vera suntdicta Doctoris.

15.
...r de prima ...bstantia non ...rædicetur ...ercite secun-..., aut Uni-...rsale.

Ulterius hic investigari posset circa dicta fratris Joannis Foxal,an hæc sit vera, *Substantia prima est substantia secunda.*Et hæc, *Substantia prima est Universale.*

Dico breviter, quod non sunt de rigore sermonis, et proprie loquendo concedendæ. Prima non, quia substantia secunda est Universale, non quodcumque, sed applicabile fundamentis primo-intentionalibus Metaphysicalibus, generis Substantiæ, cujusmodi non est substantia prima, nec realiter,nec conceptibiliter considerata. Secunda etiam non, quia (ut infra, quæst. de sufficientia Universalium habetur) individuum licet sit species intentionis, non tamen Universalis. Similiter dicatur de substantia secunda.

Ulterius etiam posset dubitari de illo Universali quod conceditur esse substantia secunda, quale sit, an scilicet genus, vel species, an indifferens, et ita sextum.

Potest dici quod est indifferens indeterminate, determinate tamen. Vel dic, ut cap. de Differentia, in simili habet, plura considerando.

Sexto circa solutionem principalem,* in qua tenet Doctor Universale esse ens, per hoc, quod est ratio, vel modus intelligendi omne intelligibile, et in quæstione sequenti idem de intelligibilitate ipsius habet, et in secundo Sententiarum dist. 1. quæst. 5. universaliter de omnibus secundis intentionibus hoc dicit : imo quod fortius est, quod sunt modi intelligendi primas intentiones in primo actu, occurrit difficultas non modica. Nam ex præhabitis, quæst. 3. intentiones secundæ causantur, vel derelinquuntur actu collativo, qui præsupponit actum simplicem, seu absolutum circa extrema comparata, et præcognita. Tunc sic nihil est modus, nec ratio intelligendi antequam sit, sed Universale ante cognitionem quidditatum realium, non habet esse, ergo in illo priori non est ratio, neque modus intelligendi : falsa est ergo illa propositio, quod videlicet *quidquid intelligitur, intelligitur sub ratione Universalis.* Major est hujus, in simili, dist. 2. Secundi, quæst. 10. Minor vero nota est. Hæc ratio facit mihi singularem difficultatem. Præterea quod ibi tangitur de motione intellectus ab intelligibili, videtur falsum, tum quia omne quod movetur, habet materiam. 2. Metaph. text. comm. 12. tum, quia corpus non agit in spiritum ; tum quia præstantius est agens passo, secundum Aristotelem, et Averroem. 3. de Anima, text. comm. 29.

16.
* num. 2.

Dubia de entitate Universalis.

Præterea circa illa alia, quæ tanguntur in eadem solutione, videlicet quod *intellectus est virtus passiva,* et per consequens non operatur, nisi moveatur ab objecto, et quod non ens non potest movere ut objectum, et quod movere est entis in actu, licet transcendant negotium, quia ad libros de Anima, et ad Philosophiam realem magis spectant, breviter tamen contra primum est, quod *intellectus agens est omnia facere.* 3. de Anima, text. comm. 18. et *quod a nullo movetur.*

Contra secundum est, quod non entia intelliguntur. Contra tertium quod materia prima, et plura alia potentialia intelliguntur a nobis.

17. *Cognitio confusa, et distincta, quæ.*

Pro solutione prædictorum præmittendum est primo, quod duplex est cognitio, confusa scilicet et distincta. *Confusam* appello, qua aliquid cognoscimus, ut per definitum exprimitur. *Distinctam* vero qua ut per definitionem declaratur.

Idem intelligibile varie consideratur.

Secundo, sciendum quod idem intelligibile apud diversos diversimode cognoscitur. Exemplum, *homo* apud Metaphysicum ut quidditas, vel ens ; apud Physicum ut compositum ex materia, et forma, vel mobile, vel hujusmodi ; apud Geometram, vel Astrologum, ut subjicitur passionibus eorum ; ita apud Logicum ut species, vel definitum, vel subjectum, et hujusmodi. Unde in tertio, distinct. 2. quæst. 1. in solutione principali, dicit iste, quod quidditas realis, vel quæcumque ut talis, nedum est indifferens de se ad esse universale, et singulare ; sed et ipsa habens esse in intellectu, non habet primo ex se universalitatem. Licet enim intelligatur sub universalitate ut sub modo intelligendi ipsam, tamen universalitas non est pars conceptus ejus primi, quia non conceptus Metaphysici, sed Logici. Logicus enim considerat secundas intentiones applicatas primis secundum Avicennam. *Prima ergo intellectio vel intentio est ipsius naturæ, ut non cointelligitur aliquis modus, neque qui est ejus in intellectu neque qui est ejus extra intellectum, licet illius intellecti modus intelligendi sit universalitas, sed non modus intellecti vel intellectus.* Hæc ille. Nota valde hæc verba, et pro argumento, et pro solutione ipsius, ut ea introduco.

Nota.

Tertio advertendum, quod ea quæ apud nos sunt principia operationis, apud primos inventores erant finis, et operatum. Exemplum in Mechanicis, serra, vel incus, est primum quo operatur iste operarius, licet a primo inventore aliis instrumentis formabatur, ita apud Grammaticum Nomen, vel Verbum, et sic de aliis modis significandi, sunt principia discernendi dictiones significativas ad invicem, et intelligendi distincte ipsas.

18. *Solutio argumenti supra, num. 12.*

Similiter ex his ad propositum dico, quod loquitur Doctor hic de modo intelligendi distincte, et logice, præsupponente inventionem, sive fabricationem secundarum intentionum. Habet enim Logicus istas intentiones tanquam principia, et prius nota, et etiam quilibet alius artificialiter intelligens. Intelligit igitur hominem sub modo Universalis, vel subjecti, vel superioris, et sic de aliis. Et licet intelligat singulare, non tamen sub ratione ejus propria. Vel posset dici, quod loquitur hic de Universali aptitudinaliter, vel in potentia propinqua, vel de specie intelligibili, quæ apud ipsum dici potest Universale : sed hoc esset contra protestationem ipsius Doctoris, qui deinceps promisit se dicturum hic de Universali secundo-intentionaliter dicto : sed hoc parum est, quia protestatus est ut in pluribus, sed non semper se sic locuturum. Breviter ergo dici potest, quod propositio Doctoris est vera de cognitione viatorum naturali, et logicali, vel generalius, quacumque artificiali ; et hoc loquendo de actu, non quantumcumque primo, nec in quocumque intelligente. Sed qui teneret intentiones secundas esse aptitudines reales, façile evaderet.

19. *Quomodo intentiones secundæ supponunt cognitionem extremorum.*

Per hoc ad argumentum concedo, quod nihil est ratio intelligendi, quando non est. Et cum dicitur quod intentiones secundæ præsupponunt cognitionem extremorum, verum est in primo inventore. Vel si contendas ipsas fabricari a quocumque primo, recurrendum est ad cognitionem confusam, et distinctam, et multiplicem modum cognoscendi ab eodem idem. Aliter posset dici probabiliter, quod loquitur secundum illam opinionem, quæ attribuit activitatem omnem intellectui agenti, ut videtur loqui quæstione sequenti, quod Universale est finis ejus ; et tunc faciliter diceretur ad motivum. Sed quia hoc non videtur consonum dictis hujus alibi, et ma-

xime quia conferre unum ad aliud, videtur ipsius intellectus possibilis ; ideo dicendum ut prius. Posset enim dici, quod sicut Doctor appellat Universale actu, et objectum actu intelligibile ipsam quidditatem habitualiter cognitam, et in potentia propinqua, ut 3. distinct. 1. quæst. 6. habet, ita appellat Universale Logicum modum intelligendi omne intelligibile, etiam in primo actu, pro quanto est in potentia propinqua ad esse, et applicari. Vel dic aliter, ut supra, vel ut alii imaginantur, quod simul tempore sit impressio passionum talium, et cognitio objecti, sed hoc est satis dubium ; ideo pondera bene modum, et vide ea, quæ dicit in 2. distinct. 1. quæst. 1. art. 2. de cognitione, et productione secundarum intentionum. Quod autem dicit Doctor, quod relatio rationis est modus objecti in primo actu intellectus, potest dici, quod est Amphibologia, vel quod ponitur gradus pro gradu. Nihil enim aliud vult,

Secundæ intentiones sunt modi intelligendi primarum.

nisi quod intentiones secundæ sunt modi intelligendi primarum, et primæ primo intelliguntur, et secundæ secundario, et ideo primo sunt *quo*, et secundario *quod*. Posset etiam dici, quod ibi ponit positivum, vel superlativum pro comparativo, vel Nomen pro Adverbio, ut solet sæpe poni. Vide sextam distinctionem primi, in simili. Posset hìc applicari illud quod supra, quæstione tertia, articulo tertio, dubio secundo, ad finem, notavi ex nono Metaphysicæ text. comm. 14. pondera bene cogitando ubique.

20. *Omne quod movetur habet materiam quomodo intelligitur.*

Ad secundum argumentum, quoad primum motivum dico, quod Philosophus loquitur de motu Physico, et proprie dicto, non autem Metaphysico, vel animatico, et spirituali, atque transumptive dicto, qui est in proposito. Objectum enim movere intellectum quid sit, dictum est supra, quod nihil aliud est, quam concurrere partialiter ad actum, vel habitum causandum. Per idem ad secundum, et tertium. Agens enim totale est præstantius, et corpus modo corporali non agit, sed bene spirituali, et sine transmutatione, in spiritum. *Lapis* enim *non est in anima, sed species, vel imago ejus*, 3. de Anima text. comment. 38. Vide optimam declarationem illius auctoritatis in primo hujus, distinctione tertia, quæstione septima, solvendo rationes primæ opinionis. Ibidem etiam quæst. 8. patet quod intellectus non movetur ab objecto, nisi ut supra notavi, imo post motionem ipsius intellectus.

Ad tertium dico quod loquitur de intellectu possibili, et quoad primam ejus operationem. Quod additur de non entibus, et entibus in potentia, dico quod intelliguntur terminative, non autem motive. Sed adhuc posset objici contra illam propositionem, *Quidquid intelligitur, intelligitur sub ratione Universalis*, puta tunc sequeretur processus in infinitum, quia ipsum Universale intelligitur, ergo sub ratione Universalis, aut sui, aut alterius. Non sui, ut videtur, ergo alterius. Et de illo alio quæram eodem modo. Item, tunc quod intelligeretur, et modus intelligendi repugnarent, quia singulare intelligitur, ergo sub modo Universalis, per te, et sic repugnantia inter *quo* et *quod*. Potest dici ad primum, quod propositio est vera quoad primum actum, non autem quoad actus reflexos. Vel aliter et melius quod non inconvenit Universale, et cæteras secundas intentiones intelligi sub modo Universalis. Et cum quæris, aut sui, aut alterius, dici potest quod sui secundum rem, sed alterius secundum rationem, et hoc eo modo quo ponimus in intentionibus identitatem, vel distinctionem realem. Vel si concedatur quod alterius, nullum inconveniens est, quia in intentionibus non inconvenit concedere processum in infinitum, ut prius dixi.

Quidquid intelligitur, sub ratione Universalis intelligitur.

Ad aliud dico, quod *quod quid* et *modus* modo opponuntur, et non modus *quid*, vel e contra, ut infra dicetur, et supra etiam notavi.

Septimo dubitari posset circa solutionem duorum argumentorum principalium*, ut applicatur ad primum auctoritas, an videlicet propositio Boetii, sit vera tantum in 21.

* num. 2.

his quæ habent esse, seclusa operatione collativa intellectus. Et dico breviter, quod maxime, et principaliter in illis habet veritatem : tum quia existentia perseitatis tertii modi illis præcise convenit, licet non omnibus; tum quia sunt de perfectione, et complemento universi, de quo loquitur ibidem, ut supra.

Sed qui voluerit objicere contra solutionem, ut est ad primum, et defendere ipsam, ut est ad secundum, consideret evasionem, et instantiam, altiori enim indagini plura omitto.

Octavo circa solutionem tertii principalis*, ubi dicitur quod Universali aliquid correspondet in re, figmento vero nihil. Contra, partes figmenti sunt in re, licet totum non. Dico quod licet partes correspondeant partibus, toti vero nihil, imo partium incompossibilitas, ideo figmentum, et impossibile dicitur. Ipsis vero intentionibus correspondet compossibilitas, et occasionativa proprietas, et applicationis veritas, ideo entia possibilia sunt.

*num. 4.

Intentiones 2. supponunt aliquam proprietatem aparte rei.

22\. Nono circa illam propositionem Boetii, *Species est tenuis similitudo*, etc. Et similis sententia habetur a Philosopho, cap. de Substantia, proprietate 3. ad finem, *Dicens*, inquit, *genus plus complectitur*, etc. Dubitatur qualiter est ad propositum. Dico quod pro tanto est ad rem, quia proprietas correspondens in quidditate specifica primo-intentionali, ipsi speciei secundo-intentionali, et minus abstracta, et a paucioribus quam proprietas quidditatis genericæ. Istud igitur magis tenue quod in plura partitur, est ergo species primo-intentionalis tenuis similitudo, id est, conceptus; vel forma declarativa singularium, et Genus magis tenuis specierum. Vide hunc 5. Metaphysic. cap. de Relatione, et alibi, et 3. distinct. 1. ad hoc. Vel si volueris intelligere de ipsis secundis intentionibus, applica in ordine ad fundamenta proportionabilia. Communicabilitas ergo, et indifferentia realis ex natura rei, licet major, et minor, correspondet ipsis intentionibus Generis, et Speciei, et ita de aliis intentionibus, suo modo, est dicendum. Et si objiciatur de secundis intentionibus, fundatis in aliis, de Genere enim dicitur species, et de hoc genere individuum; dicendum quod ultimate reducuntur ad proprietatem realem, et hoc sufficit, ut infra magis.

23\. Ultimo dubitatur, utrum intentiones secundæ fiant effective ab intellectu, ut dicit Doctor.

Potest dici quod loquitur extensive, eo modo, quo relationes reales, intrinsecus advenientes, dicuntur effici, quæ tamen non habent aliam passivam causalitatem, a causalitate fundamenti, et termini. Vel tenendo intentiones esse respectus extrinsecus advenientes, suo modo, potest dici quod sicut respectus tales reales causantur, et efficiuntur, etiam aliquando per motum, et alia causalitate, a causalitate fundamenti, et termini : ita in proposito. Hoc modo magis loquitur Doctor ubique, licet Aureolus, et alii, aliter opinentur. Elige viam quam volueris. Sed de hoc infra forte erit prolixior sermo.

In 2. sententiarum: [illegible]

QUÆSTIO V.

Utrum Universale sit per se intelligibile

Franc. Mayronis, in 1. d. 3. q. 1. Bargius in 1. dist. 3. q. 2. Item Anglicus et Brasavola super hanc quæst. Doctor lib. 7. Metaph. q. 15 num. 9, in fine. Bolognes q. 2. Cavellus, art. 1. Vide citatos quæstione antecedenti.

1\. Quod non, per Aristotelem de Sensu et Sensib. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu* : Universale autem numquam fuit in sensu, ergo, etc.

Argumenta [illegible]

Item, omnis virtus passiva præsupponit suum objectum in actu, unde ejus operationem, quia ab objecto capit suum actum, per quem potest operari : Universale autem non præsupponitur ab intellectu, sed causatur ab eo, per Commentatorem 1. de Anima, cap. 8. ergo, etc.

Ad oppositum. Quidquid definitur est per se objectum intellectus ; Universale definitur ab Aristotele 1. Perihermenias, cap. 5. ergo intelligitur.

2. Conclusio. Dicendum, quod Universale est per se intelligibile : quod patet sic, primum objectum intellectus, scilicet *quod quid est*, intelligitur sub ratione Universalis ; illa vero ratio non est idem essentialiter cum illo *quod quid est*, sed modus ejus accidentalis : ergo intellectus potest cognoscere differentiam inter suum objectum primum, et illum modum : quia potest distinguere inter omnia, quæ non sunt essentialiter eadem ; sed omnis virtus cognoscens per se differentiam inter aliqua duo, cognoscit utrumque extremum sub propria ratione, per Aristotelem 2. de Anima. Text. com. 146. Per hoc enim probat sensum communem esse, igitur intellectus potest cognoscere modum, sive rationem Universalis per se, et sub propria ratione ; hoc enim modo reflectendo cognoscit intellectus se, et sui operationem, et modum operandi, et cætera, quæ sibi insunt.

3. Ad primum dictum est supra, quia intelligitur de primo subjecto, quod est *quod quid est*, rei materialis. Vel aliter, quod intelligitur secundum naturam sensitivam, scilicet de sensibilibus ; cujusmodi non est Universale.

Intellectus possibilis virtus passiva agens non. Ad secundum dicitur, quod intellectus possibilis est virtus passiva, et illa præsupponit suum objectum ; sed intellectus agens non præsupponit, quia non est virtus passiva. Universale etiam non est objectum ejus, sed *quod quia est*, in phantasmatibus, et Universale est finis ejus, etc.

EXPOSITIO

4. Quinta quæstio pertinet ad quæstionem *quia est*. Unde quoad primum patet ordo ex ordine *quid est*, et *si est*, ad ipsum *quia est*. Quoties sumatur *Universale*, et qualiter in proposito capiatur, et quid sit, patet prius. Dicit autem *per se* ad differentiam eorum, quæ per accidens intelligibilia sunt, ut entia per accidens, et negationes, et privationes, etc. de quibus non ponitur per se aliqua scientia. Et intelligitur de perseitate secundi modi, et non tertii. Intelligibilitas vero est passio entis simpliciter, id est, communis Deo, et creaturæ, consequens omne ens, secundum gradum suæ entitatis, qua mediante unaquæque entitas est manifestativa sui ipsius, et est intelligibilitas præcedens intellectionem. Unde Doctor iste in Theorematibus, propositione prima, *Intellectionem intelligibile natura præcedit*. Quod probat, quoniam passio præsupponit agens, et omnis actio circa aliquid est, et illud circa quod est intellectio est alterum ; quapropter primum intelligibile intellectione causari est impossibile, comparando intellectionem, et intelligibile ad eumdem intellectum. Per se igitur intelligibile audiatur, aut primum intelligibile, aut aliquid per se inclusum in ipso, aut modus intelligendi ipsius; dummodo possit aut movere, aut per se terminare actum intellectus. Multa ad propositum supra quæst. 3. et in sequentibus articulis tangentur. Divisio quæstionis communis.

Quoad secundum, arguit duabus rationibus ad partem negativam. Prima prius 5.
habita est quæst. 3.* Secunda procedit ex ordine objecti ad potentiam, quod præsupponitur in actu : quod non debet intelligi de actuali existentia ipsius, sed potius intentionali, et repræsentativo. Et quod additur quod videlicet *potentia capit suum actum ab objecto, per quem potest operari*, potest intelligi de specie intelligibili, qua habita intelligimus cum volumus. Vel de actu primo intelligendi, non totaliter, sed partialiter, quo habito, intellectus per se potest in actus sequentes, et habitus. Quod addit ex Commentatore habetur primo de Anima, comm. 8. An loquatur de intellectu

* num. 10.

Intellectus quomodo capit actum ab objecto.

agente, vel possibili a diversis diversa dicuntur.

Ad oppositum, unica ratione ostendit affirmativam, arguendo ex definibilitate intelligibilitatem, vel ex *definiri* intelligi, et hoc per se.

6. Respondendo ad quæstionem, num. 2. tenet partem affirmativam ex hoc, quod primum objectum, quod appellat *quod quid est*, intelligitur sub ratione Universalis, cui talis modus non est saltem essentialiter idem, licet accidentaliter sit. Quare intellectus potest distinguere inter illa, et per consequens utrumque per se cognoscere, ex 2. de Anima, text. comm. 145. et in sequentibus, atque præcedentibus. Nam sic Aristoteles arguit sensum communem esse alium a particularibus, et addit quod ille modus cognoscendi est reflexivus, non solum modi intelligendi objecti primi, sed et actus, et potentiæ, et aliorum quæ insunt eidem.

Ad primum argumentum respondet ut supra, et addit alium modum dicendi, non longe diversum.

Ad secundum dicit, quod licet intellectus possibilis sit virtus passiva, non tamen intellectus agens. Universale vero est objectum intellectus possibilis, sed est non objectum, sed finis intellectus agentis, cujus objectum est *quod quid est* in phantasmatibus, quæ solutio est satis ambigua, ut infra. Sed est conformis dictis hujus, in Theorematibus, conclusione tertia : sed ambigue ibi loquitur, ut patet subtiliter consideranti. Idem etiam potest sequi ex dictis ejus, in primo, dist. 3. quæst. 6. et in secundo, distinct. 3. quæst. 1. et alibi.

7. Quoad tertium, circa solutionem principalem dubitatur. Videtur enim quod Universale non sit per se intelligibile : tum quia intelligibilitas est passio entis realis, ergo non convenit Universali secundo-intentionaliter sumpto. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia intelligibilitas convenit præcise illi quod est objectum adæquatum intellectus : hujusmodi est ens reale, ex principiis hujus Doctoris ; subjectum enim Metaphysicæ, objectum intellectus, et formalitas, sunt æqualis ambitus, ut habet 4. Metaph. Sed subjectum Metaphysicæ est ens reale, ergo et objectum intellectus. Tum secundo, et est probatio primæ consequentiæ : de quo non prædicatur primo modo subjectum passionis, nec secundo modo ipsa passio. Sed ens reale non prædicatur per se primo modo de Universali, nec universaliter de aliqua alia secunda intentione, igitur nec intelligibilitas secundo modo. Tum tertio, quod convenit per se subjecto, convenit per accidens accidenti illius : sed intelligibilitas per se convenit ipsi *quod quid est*, cujus accidentalem modum ponis ipsum Universale, ergo non per se convenit ipsi Universali. Major patet a simili de homine, albedine, et motu ; albedine, similitate, et visibilitate. Minor autem est nota, et discursus bonus. Alia argumenta gratia brevitatis omitto.

Dicendum secundum Aristotelem 2. Metaph. text. comm. 4. quod unumquodque sicut se habet ad entitatem, ita ad veritatem, et intelligibilitatem. Si poneretur igitur ens univocum enti reali, et enti rationis, ita etiam intelligibilitas. Sed ille modus dicendi non est de mente Scoti, licet in Quodlibeto quæst. 3. videatur eum tangere : si tamen bene intelligatur, hoc non intendit, ut patet in primo, distint. 29. et in his logicalibus sæpe, et maxime logice loquendo, quamvis in 25. distinct. 1. Reportationum, et in 29. ejusdem, non asserendo tamen, ponat enti reali, et enti rationis aliquid commune univocum, ut Quantitatem, numero, et quantitati continuæ ; et principium, principio essentiali, et notionali. Unde forte aliqui sequaces opinati sunt hujusmodi univocationem ponendam. Hoc forte univocationem entis ad illa, posset non male tangere aliquod unum esse adæquatum objectum intellectus, ut tangit (licet non assertive) iste in 2. distinct. 11. ad finem, quod forte probabiliter teneri possent, et in hac dis- 8.

tingueretur potentia non organica ab organicis, ut ibidem dicit.

9. Sed sustinendo communem modum dicendi, et de univocatione, et adæquatione objectiva entis realis, communis Deo, et creaturæ ; potest breviter dici, quod sicut entia rationis habent esse prædicabile, et de consideratione Metaphysici, scilicet reductive ad entia realia, non tamen nego inter ipsa transcendentia aliqua ; ita habent intelligibilitatem totaliter motive, reductive, licet terminative ; ut entitatem, ita intelligibilitatem formaliter habent. Ens ergo reale est objectum intellectus principaliter, et antonomastice, in quo etiam dantur gradus, comparando substantiam ad accidens, et substantias inter se. Hoc tamen non obstante, intentiones secundæ eo modo, quo et esse, et definiri ; ita intelligi, et sciri sortiuntur. Ad hoc vide Philosophum 4. Metaph. in principio, et hunc, et alios Doctores, et specialiter infra quæst. 4. Antepraedicamentorum, ad finem. Ad idem etiam facit quod in distinct. 26. et 32. primi, et 5. quæst. Quodlibetica, et alibi sæpe, habet de eo ; quia est esse de se formaliter tale, et ab alio originative, sive fundamentaliter. Vide etiam distinct. 43. primi. Dici ergo resolute potest, quod (ut habet Doctor 3. distinct. primi, quæst. 3.) ens quod est objectum adæquatum intellectus, habet duplicem primitatem, respectu omnium intelligibilium sub disjunctione, scilicet vel univoce, univocationis, vel virtualiter. Secundo modo continentur sub eo intentiones secundæ, ut patet speculanti, et hoc effective, recurrendo ad intellectum ; et radicaliter, recurrendo ad fundamenta. Et hoc facit mihi fidem stabilem in hac difficultate, imo posset probabiliter dici, quod continentur sic sub quidditate rei sensibilis, ut iste Doctor exponit illam esse objectum intellectus 3. distinct. 1. et 2. quæst. 14. Quodlibet, ut supra quæst. 3. notavi et alibi. Per hoc ad primum argumentum patet ; intelligibilitas enim æquivoce analogice, sicut ens, convenit utrique, scilicet enti reali, et enti rationis : sed per Antonomasiam dicitur passio prima. Vel aliter quod est formaliter unius, et reductive alterius. Similiter ad secundum, concedo quod passio entis realis non prædicatur de ente rationis, sed sua propria.

Ad tertium dico, quod habet veritatem in limitatis, non autem in transcendentibus. 10.
Vel melius, concedo quod intelligibilitas, quæ per se convenit fundamento, per accidens convenit intentioni fundatæ in ipso : sed hoc non obstat quin sua propria per se sibi conveniat, ut patet in exemplo tuo. Licet enim moveri ad motum hominis, per accidens conveniat albo, si tamen separaretur ab homine, moveri per se sibi convenire posset. Vide supra quæst. 3. plura ad faciliorem declarationem dictorum, et considera altius (si vales) in omnibus. Posset enim ponderari qualiter differentiæ ultimæ, et aliæ, de quibus non prædicatur ens quidditative, sint intelligibilia. Et sustinendo quod per se, oportet dicere consequenter intelligibilitatem esse passionem entis transcendentis ad quidditative, et non quidditative ens, ut patet supra, vel aliter speculari. Quære hunc in Metaphysica sua, et in Theorematibus.

Secundo, dubitari posset circa illam propositionem, qua plerumque in his quæstio- 11.
nibus utitur Doctor, videlicet quod *quod quid est* est objectum primum intellectus.

Dico breviter, ut tactum est prius, quod intelligit de objecto motivo intellectus creati, viatoris ; non autem de objecto terminativo ut patet.

Pro cujus ulteriori declaratione, nota, quod objectum intellectus aliud est terminativum, et sic est ens in sua maxima communitate, et analogia ; aliud motivum, et hoc vel naturale, vel voluntarium, seu supernaturale. Primo modo adhuc est duplex quia vel ex natura potentiæ, vel pro isto statu. Primo modo est ens finitum absolutum, vel si respectivum, ad finitum tamen terminum. Secundo modo est quidditas rei sensibilis, et hoc vel formaliter in se, vel in suo inferiori, vel virtualiter : motivum

autem supernaturale est Deus, ulterior prosecutio istorum non hic, sed alibi.

12. Tertio, dubitatur circa illam propositionem, quæ est tanquam principium Scoticum, scilicet quod *Omnis potentia ponens differentiam inter aliqua duo, cognoscit utrumque extremum, sub propria ratione*. Videtur enim falsa, tum quia nos ponimus differentiam inter singulare, et Universale : sed singulare non cognoscimus sub propria ratione, ex fundamento hujus : tum, quia Deum a creatura ; item, non ens ab ente ; item, figmenta a veris entibus distinguimus, quorum alterum sub propria ratione non intelligimus.

Dicendum quod aliquid intelligi sub propria ratione, potest dupliciter considerari; Uno modo quod ipsum sit motivum, et terminativum actus intellectus, et quod sua ratio quidditativa sit ipsius intellectui nostro manifestativa. Alio modo quod sit illud ad quod terminatur actus intellectus, et non solum pars concepti, vel modus ejus ; ipsius tamen ratio quidditativa distincta, et præcisa, non sit ratio intelligendi, nec in proprio repræsentativo movet intellectum, sed vel in conceptu communi, vel in conceptu aggregato, vel a priori, vel a posteriori. Primo modo propositio Doctoris non est vera, sed secundo modo. Et tunc ad primum de singulari patet. Intelligitur enim terminative, ut *quod*. Deum etiam in conceptibus communibus sibi, et creaturis ; non entia etiam intelligimus terminative, negative saltem. Idem in proposito de Universali et aliis intentionibus secundis est dicendum. Sunt enim *quo* secundarium, et accidentale, respectu intellectionis aliorum, et etiam sui ipsius, sed non primarium, nec motivum : sunt tamen *quod* terminativum propriæ cognitionis, et hoc sufficit ad intentionem Doctoris.

13 Quarto, circa solutionem secundi argu-
num. 3. menti,* ubi dicit Doctor quod *intellectus possibilis est virtus passiva*, dubitatur an hoc assertive velit.

Dicendum uno modo, quod loquitur secundum viam communem attribuentem omnem activitatem intellectui agenti. Et licet problematice in Quodlibeto quæst. 15. pertranseat hanc materiam, magis tamen de mente sua attribuitur activitas intellectui possibili, quam negetur. Ipsum autem in materia reali in his logicalibus loqui secundum viam communem dixi prius.

Vel dicendum aliter, quod vult intellectum possibilem esse passivum uno modo, et activum alio modo. Est enim passivus ut recipit, et activus ut operatur, et dicit. Et ideo appropriate, vel per quamdam specialitatem loquitur, ut ponat differentiam ejus ab intellectu agente. Et quia intelligere est quoddam pati, et istius intelligere, ideo, etc.

Quinto dubitatur, quia videtur velle ibidem Doctor, quod intellectus possibilis 14.
præsupponat Universale tanquam objectum. Circa quod laborant quidam hic multum (ut supra quæst. 3. tetigi) assignantes ordinem, et modum producendi Universale et alias secundas intentiones.

Dico probabiliter, et salvo meliori judicio, quod idem intellectus intelligit, et intellecta comparat. Cum ergo intelligere conveniat tantum intellectui possibili, sequitur etiam quod conferre convenit eidem, et per consequens causare secundas intentiones : et tunc dico, quod intellectus possibilis habet se primo effective respectu ipsarum, et ideo non præsupponit eas : ipsis autem adinventis, habet se receptive respectu intellectionis ipsarum, et ita præsupponit Universale ut objectum, et præcedit ut causa. Qui vellet recurrere ad primum inventorem intentionum (ut supra) posset aliter imaginari, sed iste modus dicendi est satis securus, ut video.

Ultimo, cum dicit Doctor, quod Univer- 15.
sale non est objectum intellectus agentis, sed *quod quid est* in phantasmatibus, ipsum autem Universale est finis ejus, dubitari posset. Dicendum probabiliter ex supra argumentis, quod Universale nec reale, nec logicale in actu, est objectum intellectus agentis (ut 3. dist. 2 quæst. 1. habet ideo) sed bene Universale in potentia, et hoc in

primo actu, vel recto, et loquendo de objecto motivo, quod speciem cum conditionibus materialibus, et individualibus, gignit, primo in potentia exteriori, et consequenter in phantasia, circa quam operatur intellectus agens, aliquid omittendo, et aliquid abstrahendo (ut in Theorematibus, propositione tertia, habet iste) et tunc facit universalitatem, scilicet realem, et repræsentativam in rebus. Causat namque speciem intelligibilem, quæ est Universale in repræsentando, et de Universali in potentia remota, mediante illa specie, facit Universale in potentia propinqua, et tunc Universale reale in actu, et etiam Logicum est finis ejus, ut inquit egregie Doctor. Non dixit enim *effectus ejus*, sed *finis*, id est, ad quod terminatur operatio sua exclusive, ut in simili habet 12. distinctione quarti, quæst. 3. de actione accidentis, et termino duplici ejus, in principio solutionis. Sed non obstat objectio Foxal, dato quod hîc loqueretur Doctor de Universali reali, quia licet, ut in pluribus, vel principaliter, protestatus est se determinaturum de Universali secundo intentionali, non tamen semper. Sed potest verificari, ut dixi, de Universali Logico : est enim terminus exclusivus operationis intellectus agentis, et effectus possibilis, atque modus intelligendi in actu recto. Objectum vero in actu reflexo. Et sic terminatur sententia profundissima hujus quæstionis, ubi recurrendum est in pluribus ad ea, quæ supra q. 3. et 4. notavi.

QUÆSTIO VI.

Utrum Universale habeat aliquas proprietates

Tartaret. *q* 3. *præamb.* Joannes Angli. *et* Brasa. *super hanc q.* Joannes a Magistris *q.* 5. *Univers.* Complut. *disp.* 4. *de passion Univers.* Ruvius *q.* 2. *Univers.* Merinero *disp.* 2. *q.* 1. *et* 2. Rodrigues *in expos. hujus quæst. et art. sequenti.* Aversa *q.* 8. *sect.* 14. *et* 15. Doctor *q.* 15. §. *dicendum ergo ad quæstionem et in* 2. *d* 3. *q.* 1. §. *sed contra.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia proprium ejus non potest esse singulare, quia tunc non converteretur cum ipso : igitur est Universale : igitur non est aliud ab eo, quod Proprium ponitur : quod est inconveniens, quia *Proprium non indicat essentiam ejus, cujus est proprium*, per Aristotelem 1. Topicorum, cap. 4.

Item, si habeat aliquam passionem ; illa inerit et omni, et soli, et semper : ergo erit Proprium, quod est inconveniens ; quia tunc illa passio continebitur sub Proprio, quod est species Universalis, et erit convertibilis cum ipso Universali, quod est inconveniens, ergo, etc.

Item, *accidens non est subjectum accidentis*, per Aristotelem 1. Metaph. cont. 14, Sed Universale est accidens, ergo, etc.

Item, omnis passio quæ est minus ens ente rationis, est non ens.

Ad oppositum est Porphyrius qui assignat aliquas convenientias omnium quinque Universalium. Unde manifestum est, quod conveniunt in aliqua proprietate, si igitur illa insit eis univoce, hoc erit per rationem communem, quæ est in eis, et illius communis erit primo passio, quia si passio univoca sit, et ejus subjectum primum est univocum, per Aristotelem 2. Posteriorum, cont. 22. et circiter, igitur talis passio est ipsius Universalis primo.

Dicendum, quod sic ; quia definitio definiens sufficienter indicat essentiam definiti, igitur cuicumque inest aliquid convertibiliter, præter ea quæ ponuntur in ejus definitione, illud habet tale sibi inhærens pro passione, et sic inest aliquid Universali, quia si definitio ipsius Universalis vera sit, quæ est *prædicabile de pluribus*, quæ ponitur 1. Periher. cap. 5. tunc convertibile præter essentiam Universalis, erit illud, quod ponit 1. Poster. cont. 55. scilicet *esse unum in multis, et de multis*. Et e converso si illud sit definitio bona, et vera, istud erit Proprium, et ita alterutrum per de- 2. *Conclusio*

finitionem Universalis de Universali demonstrative potest concludi et ita sciri.

3. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dico, dato quod passio ipsius Universalis sit A, A est Universale, non quod sit essentialiter idem suo subjecto, sed quod Universale applicatur sibi, ut modus ejus, et erit prædicatio denominativa, dicendo A est Universale. Contra, subjectum non prædicatur denominative de accidente, nec dicitur modus ejus, ergo nec Universale dicitur modus suæ passionis. Dico, quod Universale potest sumi *ut quid*, vel *ut modus*, ratio concludit primo modo.

4. Per idem ad secundum dico, quod est Proprium denominative, sed non continetur sub Proprio. Possibile est enim, et maxime in intentionibus, aliquid converti cum Genere, et denominari a Specie.

5. Ad tertium dico, quod accidens non est subjectum primum, quod est subsistens, et suppositans, ac ultimate terminans dependentiam ejus, nam tale est sola substantia : potest tamen accidens esse proximum, et immediatum subjectum accidentis : quia est ratio susceptiva, per quam aliud inest substantiæ, ut superficies est subjectum albedinis. Hoc modo est in accidentibus subjectum respectu suæ propriæ passionis.

6. *Multi gradus in esse rationis.* Ad quartum argumentum dico quod *in esse rationis*, sunt multi gradus, sicut *in esse naturæ* ; quia modus intelligendi est in uno gradu, et in alio ens intelligibile, et modus intelligendi est minus ens, ente intelligibili. Unde concedo ; quod illud quod est minus ens ente rationis in ultimo gradu, est non ens, cujusmodi non est Proprium, quod convertitur cum Universali.

EXPOSITIO

7. Hæc sexta quæstio pertinet explicite ad quæstionem *quid est*, implicite vero ad quæstionem *propter quid est*. Quoad primum, patet ordo quæstionis, et divisio est communis. Quid sit *Universale*, et quoties accipiatur, patet prius. *Proprietas*, ut ad propositum spectat, capitur pro passione communiter sumpta, quæ est entitas quæcumque de aliquo demonstrabilis, quomodo non solum accidentia inhærentia aliqui sunt passiones, sed etiam definitiones materiales, quæ per formales demonstrantur, ut 2. Posteriorum. Vocatur etiam *propria passio*, id est, adæquata, vel verius Universale secundum quod ipsum, et primo subjecto suo conveniens, ut 1. Poster. Quoties autem sumitur *proprium*, patebit infra, cap. de Proprio, et præter hoc sumitur primo-intentionaliter, et secundo-intentionaliter, et secundo modo, ut *quid*, vel ut *modus*, ut statim dicetur. Proprium autem Universalis Logici, si quod est, erit intentio secunda, aliter excederet subjectum suum. *Proprietas quid.*

QUOAD SECUNDUM, quatuor rationibus pars negativa probatur. 8. Prima ratio intendit ostendere, quod si Universale haberet aliquam proprietatem, quod tunc aut singulare esset passio Universalis, aut idem esset passio sui ipsius. Primum est inconveniens, propter non convertibilitatem, quæ requiritur inter subjectum, et passionem ; imo oppositum esset passio oppositi. Secundum autem est inconveniens, propter diversitatem in essentia passionis, et subjecti, ut ostendit ex Philosopho 1. Topicorum, cap. 4.

Secunda ratio infert hoc inconveniens, quod videlicet posita hypothesi aliquid contineretur sub Specie, et converteretur cum Genere, quod est absurdum. Et quod hoc sequatur patet, quia Proprium species est universalis. Proprium autem prædicatur de omni propria passione saltem limitata, ergo prædicaretur de passione universali si qua sit quæ passio convertitur cum Universali, ut patet.

Tertia ratio fundatur in Philosopho 4. Metaph. text. comm. 14 ubi dicit quod accidens accidenti non accidit, nisi quia

ambo eidem accidunt. Universale autem est accidens, ut patet, et proprium ejus non est substantia, ut patet ; ergo, etc.

Quarta ratio procedit ad hoc inconveniens, quod scilicet proprium Universalis esset nihil, quod patet, quia minus ens minimo ente est nihil : Universale autem,cum sit ens rationis,est minimum ens,proprium vero ejus, si quod est, est minus ens ipso, sicut universaliter in aliis, quia posterius, et dependens, et inhærens, et accidens ejus.

9. Ad oppositum arguit auctoritate Porphyrii, quam confirmat auctoritate Philosophi 1. Poster. text. comm. 22. et alibi ibidem. Consequenter conclusionem responsivam affirmative dicit, quam ostendit hac ratione : Omne habens definitionem indicantem sufficienter essentiam ejus, et præter hoc aliud convertibile, atque per eamdem definitionem de ipso demonstrabilem, habet proprietatem, vel passionem, ut puta tale convertibile : sed Universale est hujusmodi ; ergo, etc. Major est nota. Minorem ostendit auctoritate Philosophi 1. Perihermenias text. comm. 5. et 1. Posteriorum, text. comm. 25.et 2. Poster. text.comm.ult. Utrobique enim assignatur ratio Universalis, quarum una potest poni definitio, et altera passio. Sed hujus ulterior investigatio articulo sequenti.

Ad primum principale, concedit passionem Universalis esse Universale, ut *modus*, non ut *quid*. Et ne hos terminos transgrediamur (quia singulares, et in his quæstionibus pluries replicati, et juvenibus obscuritatem ingerunt) notandum quod Universale, vel quodlibet aliud accipi, ut *quid*, est ipsum considerare in sua propria quidditate, et essentia. *Quidditas* namque, *essentia*, *natura*, et *substantia*, ut communiter apud Formalistas idem dicunt, sed non convertibiliter. Quod enim est substantia, est natura ; et quod natura, essentia ; et quod essentia, quidditas ; sed non convertitur. Unumquodque enim in suo genere est *quid*, 1. Topicorum, cap. 7. hoc habet iste quæst. sequenti. Ubi hos terminos breviter declarans, dicit quod quando aliquid est illud quod intelligitur,est *quid* ; quando vero ratio, sub qua aliquid intelligitur, tunc *modus*.

Modus, et quid differunt.

10. Sicut ergo Universale habet entitatem,ita quidditatem, et, ut dictum est prius, istæ intentiones dicuntur *modi intelligendi*, et maxime Universale, ut quæstionibus duabus præeuntibus. Non solum autem sunt modi intelligendi primarum intentionum, imo etiam et secundarum, et aliquando idem sui ipsius, sicut de modis significandi dicimus. Nam ut Nomen,vel Declinatio, vel Numerus, est modus hujus vocis significativæ *Mauricius* ita quodlibet sui ipsius, ut Nomen, nominis ; et Declinatio, declinationis ; et Numerus, numeri ; et unum, alterius ; ut patet. Sed posset assignari dissimilitudo hinc inde, quæ parum refert. Ut ergo *homo* intelligitur sub modo Universalis, ita Species,et Genus,et Proprium ipsius Universalis, quod vocetur *A*. Et ipsummet Universale, quod est aliorum modus, est etiam sui ipsius modus,et respectu ejusdem potest idem esse *quid*, et modus, ut clare habet iste, infra, in Postprædicamentis, solvendo ultimum argumentum primæ quæstionis, vel secundæ numerando laterales.

Regula cognoscendi rem ut quid, et ut modum.

Quando igitur unumquodque accipitur ut intelligibile, ut objectum, ut determinabile, ut generaliter principale, tunc dicitur *quid*. Quando vero ut modus intelligendi, ut determinatio, ut accidens objecti, et ut accessorium, vel minus principale, sumitur ut *modus*. Possunt poni plura exempla grossa quæ omitto lectori. Quæratur iste in Quodlibeto, q. 3. et Franciscus Mayronis in primo Conflat. distinct. 29. quæst. 1. ad fin. Pulchre igitur dicit Doctor quod Universale prædicatur denominative de suo proprio, non obstante quod sit ejus subjectum, ut *quid* sumptum. Ex quo habes quod aliquid est proprium alicujus, et subjectum ejusdem, et quod subjectum est accidens per accidens suæ passionis, licet non ut subjectum, et plura alia mira, sed hujusmodi stuporem aufert privilegium secundarum

intentionum : multis enim immunitatibus gaudere perhibentur. Rationem autem hujus assignat iste in Quodlibeto, quæst. 6. articulo 1. in fine. Simile habetur in determinabili, et determinante. Subjectum enim ponitur quandoque determinatio sui accidentis, ut homo respectu albedinis, de quo infra, quæst. 2. de Specie.

11. Quod ibi tangitur, cum dicit Doctor *A est Universale, non quod sit essentialiter idem suo subjecto*, potest intelligi de subjecto illius locutionis, scilicet A, vel e contra de ipso Universali, quod est subjectum passionis. Et quomodocumque intelligatur, subaudiatur ibi *essentialiter*, ut idem est, quod de *essentia*, ut communiter hic loquitur Doctor. Vel dic quod opinionem famosam sequitur semper, ubi occurrit consideratio Metaphysicalis, sed primum magis placet. Vult igitur Doctor quoad primum argumentum, et replicam ejus, quod Universale ut *quid*, non prædicatur de sua passione, nisi per accidens, vel materialiter ; sed ut *modus* bene prædicatur formaliter. Per idem solvit secundum principale, quod proprium ut *quid* non prædicatur de A, sed bene ut *modus*, sicut de risibili. Licet igitur sit inconveniens aliquid contineri essentialiter, et quidditative sub Specie, et converti cum Genere ; contineri tamen modaliter, vel denominative sic, et converti sic, non inconvenit.

12. Tertium principale solvit, de subjecto distinguens : nam aliud est propinquum, vel immediatum ; aliud remotum, et mediatum. Et possunt assignari plura intermedia, quia dantur extrema multum remota, et maxime in proposito. In substantia enim fundatur immediate quantitas ; in quantitate qualitas ; in qualitate relatio ; in relatione reali relatio rationis ; et ita de aliis. Non tamen sic intelligo, quod non possit in substantia fundari intentio, nisi mediante quantitate, et sic de aliis, sed quod intentio subjectata in posteriori, habet ultimate, quoad esse, resolvi usque ad substantiam. Sed de hoc

Subjectum propinquum, et remotum.

est bene difficultas, ut infra tangam ; quia videtur quod aliud sit de accidentibus realibus quoad hoc ; et aliud de accidentibus rationis, ut infra quæst. 3. Antepraedicamentorum habet notabiliter, solvendo secundum principale. Posset etiam distingui de accidente, per se, et per accidens, de quo infra. Posset etiam de absoluto, et respectivo accidente fieri vis, et similiter de accidente reali, et rationis.

Ad quartum dicit, quod est latitudo entitatis in relationibus, vel entibus rationis, suo modo, sicut in entibus realibus. Sicut igitur in genere Substantiæ ponitur materia prima in ultimo gradu, quod verum est loquendo de rebus, licet aliter sit de realibus, et in aliis generibus sua ultima, suo modo ; vide in simili 8. distinct. primi, quæst. ultima, parte secunda, in solutione principali : ita in entibus rationis ponitur latitudo uniformis. Proprium autem Universalis continetur infra illam latitudinem ; ideo est ens. Simile habet super 5. Metaphysicæ, quæst. de divisione Logica *Unius*.

De Tertio. Primo dubitatur circa consequentiam primi argumenti, videlicet quod si proprium Universalis non est singulare, ergo universale. Contra, proprium entis, ut puta *unum*, *verum*, *bonum*, non est singulare, nec universale, igitur illa consequentia non valet. Prima pars antecedentis patet. Secunda probatur, quia sicut ens non est universale, ita nec ejus proprium. Quod autem ens non sit universale, videbitur infra. 13

Dicendum uno modo, quod loquitur de proprio logice loquendo, et prædicamentaliter ; ens autem etsi habeat proprium, non tamen prædicamentale, sed transcendens. Universale quoque et ejus species applicantur dumtaxat limitatis, et prædicamentalibus. Abstrahit namque ens, sicut a causato, et incausato, ita ab universali, et singulari. Vel dicendum aliter, quod ens est æquivocum logice loquendo, ut infra magis, ideo negatur ipsum habere proprium ut Logicus loquitur. Vel tertio,

sustinendo univocationem entis, potest distingui de universali, transcendenti, et limitato ; in genere, et extra genus. Uno modo assumptum est falsum, alio modo verum. Vel distingue de proprio primo-intentionaliter, et secundo-intentionaliter dicto, ut infra cap. de Proprio, q. 1. et applica ad passiones entis. Aliud quod tangitur in eodem argumento, an proprium sit idem illi cujus est, vel possit esse, pertinet ad Metaphysicum, et forte infra in quæstionibus capitis de Proprio tangetur.

14. Secundo, circa solutionem illius primi argumenti, et circa secundum principale, potest dubitari, utrum Universale, vel Proprium sumptum ut *quid* et sumptum ut *modus* , sit idem simpliciter, vel aliud sic, et sic acceptum ? Videtur quod aliud, aliter de eodem, respectu ejusdem, verificarentur extrema contradictionis, ut puta *modus*, *non modus*, *quid*, *non quid*, et sic de aliis. Quod autem sit idem videtur,quia aliter processus in infinitum,quia si Universale ut *modus*, esset aliud ab Universali ut *quid*, quod denominat, adhuc ille modus in suo genere est *quid*, igitur sibi potest applicari Universale, ut *modus*, et de illo arguam ut prius ; ergo, etc.

Item, hoc videtur ex littera Doctoris, ubi dicit, quod non est inconveniens aliquid converti cum Genere, et denominari a Specie, sed Proprium, ut *quid*, est species Universalis, et denominative sumitur ut *modus*,ergo ut *quid*, et ut *modus* est idem.

Dicendum quod istæ intentiones possunt comparari inter se, vel ad se invicem, vel ad alia, ut puta aliud est dicere, *Genus est Species*, et *Species est Species*. Primo modo clarum est quod illud idem, etiam in numero, quod est in se *quid*, est respectu alterius *modus*, ut patet in accidentibus realibus. Hæc enim albedo in se considerata est *quid*, et respectu lapidis est *modus*. Secundo modo est major difficultas, ubi breviter, salvo meliori judicio, dico, quod cum dicitur, *Universale est Universale*, vel *Species est Species*, ubi a parte subjecti sumuntur ut *quid* ; a parte vero prædicati, ut *modus*, subjectum et prædicatum distinguuntur sola ratione, et non quidditative, nec essentialiter, eo modo quo tales distinctiones in secundis intentionibus inveniuntur. Et tunc ad argumentum dico, quod non inconvenit extrema contradictionis, quorum neutrum est reale, verificari de eodem quidditative, diversa tamen ratione : quia sicut distinctio ex natura rei tollit contradictionem realem, ita distinctio rationis rationalem. Ad alia argumenta, quæ probant identitatem, patet ex dictis, et altiore indagine.

Tertio dubitatur, circa veritatem illius 15.
propositionis in tertio argumento et solutionem ejus *, videlicet quod accidens non est subjectum accidentis, videtur enim quod sit falsa, tum quia accidens in Eucharistia non sunt subjective in substantia, secundum fidem ; sed ibi unum accidens est subjectum alterius, etiam ultimatum, ut puta quantitas, qualitatis ; et qualitas, relationis ; et sic de aliis : tum, quia accidentia respectiva communiter insunt absolutis accidentibus, ut similitudo qualitati, et æqualitas quantitati : tum, quia species accidentium, sicut et substantiæ, habent proprias passiones, de ipsis demonstrabiles, aliter Mathematicæ perirent.

* num. 5.

Species Eucharistiæ quomodo maneant separatæ.

Dico primo, quod textus Aristotelis corrupte allegatur hîc, et hoc forte fecit Doctor, vulgarem allegationem sequendo. Corrigit autem in 4. Sententiarum illam allegationem distinct. 12. quæst. 2. ut supra articulo primo, notavi textum.

Secundo dico, quod illa propositio communiter glossatur, ut eam glossat Doctor in littera, distinguendo de subjecto ultimato, vel propinquo : et secundum hoc ad instantias faciliter respondetur. Prima enim transcendit Logicum, et Philosophum, ut talis. Sed quia veritas non contradicit veritati, et vera Philosophia innititur primæ veritati, et revelatis ab ea,

ideo dico, quod licet accidentia in Eucharistia sint separata secundum actum a substantia, non tamen secundum aptitudinem, et ideo semper Substantia est ultimatum subjectum.

Ad secundum dico, quod ultimatum subjectum respectuum est illud, quod est propinquum absolutorum, saltem ultimorum.

Ad tertium per idem.

Tertio, potest dici ad illam auctoritatem, quod intelligitur in accidentibus disparatis, id est, non habentibus ordinem quoad *inhærere*, de quibus exemplificat Aristoteles ibidem, ut album, et Musicum. De Accidentibus vero habentibus ordinem inhærentiæ, ut qualitas, et quantitas, vel respectivum, et absolutum, non est vera.

16. Quarto, et ultimo potest dici, quod illud dictum Aristotelis est illatum tanquam inconveniens, non affirmatum tanquam verum. Arguit enim ibidem contra negantes primum principium, ex secunda via principali, scilicet ex nominis prædicatione. Arguit enim sic : Si contradictoria sint simul vera, ergo omnis prædicatio est per accidens, et per consequens necesse est prædicationem in infinitum ire, sed in infinitis non est ordo, quia 2. Metaphys. text. comment. 10. ubi non est aliquod primum, non est aliquod habitum, igitur nullum accidens habebit ordinem ad aliud accidens, et per consequens non magis accidet hoc accidens illi, quam e converso, et huic modo exponendi consonat littera. Non enim ait, quod accidens non accidit accidenti, nisi quia ambo tertio, sed dicit quod accidens accidenti non accidet, nisi quia etc. per quod innuit se illam propositionem non asserere tanquam veram, sed ex prioribus inferre tanquam inconveniens. Sed adhuc objicitur : Sicut substantiæ convenit substare, ita accidenti inhærere, ergo sicut substantiæ repugnat inhærere, ita Accidenti substare : sed *commune est omni substantiæ in subjecto non esse*, cap. de Substantia in Prædicamentis, ergo commune erit omni accidenti non substare. Item, nihil terminat dependentiam ejusdem rationis illi quod dependet, sed omne accidens dependet ad subjectum, ergo nullum accidens potest subjectivam dependentiam alterius terminare.

Ad primum dico, quod ultimate substare est proprium substantiæ, et tale non convenit accidenti. Vel aliter, et redit in idem, prima consequentia potest negari quia arguitur a remotione univoci ad remotionem æquivoci. 17.

Ad secundum dico, quod major est vera de dependentia omnimoda ejusdem rationis, quæ non est in proposito. Sicut enim alia independentia requiritur in ultimo terminante, et alia in propinquo, ita dependentia ad hoc, et ad illud, est alia, et alia. Exemplum de dependentia omnis creaturæ ad Deum, ut ad causam efficientem, cum quo stat dependentia unius ad aliam ut ad causam talem. Multa alia discutienda hic relinquo Metaphysico.

Sed adhuc posset objici, quod responsio Doctoris non satisfacit, quia non est ordo in inhærentia accidentis intentionalis, sicut est in accidentibus realibus, ut patet. Ideo posset dici, quod Doctor solvit argumentum ex communi modo dicendi, licet, proprie loquendo, auctoritas non sit ad propositum de secundis intentionibus.

Vel dicendum, sustinendo responsionem esse optimam, quod etiam in inhærentia intentionum est ultimata resolutio ad substantiam, ut notavi prius.

Quarto dubitatur circa quartum argumentum, et solutionem ejus*. Videtur enim quod illa propositio, *Omnis passio est minus ens* etc. sit falsa, tum propter unum, et ens, quæ significant eamdem naturam 4. Metaph. text. comm. 3. Tum, quia generaliter omnis passio, ut nunc suppono, est eadem realiter suo subjecto, et per consequens non minus ens. Item contra illud quod dicitur in solutione illius argumenti quod videlicet in ente rationis sunt multi gradus, ergo 18.

* num. 6.

tur. Minoris perfectionis videntur esse entia rationis, quam entia realia : sed habere quantitatem virtutis removetur ab entibus realibus, saltem respectivis, ergo multo magis ab entibus rationis. Majoritas vero, vel minoritas entitativa, in proposito habet intelligi, ut videtur, propter quantitatem virtutis.

Item, omnia entia rationis sunt minoris entitatis, quam materia prima, sed prima materia est ita minimæ entitatis, quod est prope nihil, igitur entia rationis omnia, aut erunt nihil, aut fere tale.

Dicendum sustinendo Doctorem, quod aliquid esse magis ens, potest intelligi dupliciter, aut quia perfectius in entitate ; aut quia prius, prioritate originis, vel naturæ. Secundo, advertendum quod potest esse ordo eorum, quæ sunt unius generis, ad illa quæ sunt alterius, vel horum, et illorum seorsum. Tertio præmittendum quod subjectum, et passio possunt considerari, aut secundum rationes suas quidditativas ; aut secundum realitates subjectivas. Ex his ad instantias.

Ad primum dico uno modo, quod loquitur Doctor logice de passione, et subjecto, ut supra dixi : et ita excluditur ens, tum quia transcendens, tum quia æquivocum. Aliter potest dici, quod intelligit de entitate formali, et quidditativa, et quantum ad majoritatem prioritatis ; et sic ens est magis, licet abstrahat a quanto, et non quanto.

Ad secundum data hypothesi, stat majoritas formalitatum, aut quantitativa, aut alia.

Ad tertium, licet Franciscus Mayronis teneat illam minorem, non tamen est de mente Doctoris Subtilis, ut patet expresse, et in primo Anglico, et in primo Reportationum, distinct. 26. Non habeo ergo pro inconvenienti, quod entia rationis dicant sicut entitatem, ita, suo modo, entitativam perfectionem. Et sicut forte in relationibus realibus esset recursus ad fundamenta, ita hic, et multo magis. Vel dic, quod intelligit Doctor hic per majoritatem, prioritatem aut originis, aut naturæ, aut consequentiæ. Gradus enim alius est essentiarum, alius formarum, alius perfectionum unitive contentarum, ut habet alibi iste.

19. Ad aliud de materia prima, patet quia licet sit minimum in genere substantiæ, non tamen in latitudine entium, imo, formaliter loquendo, est majoris entitatis, quam omnia novem Genera accidentium, in quibus, et inter quæ, datur ordo entitatis. Licet igitur entia rationis, per comparationem ad alia, sint fere nihil, inter se nihilominus habent ordinem : ubi tamen secundum proprietates substratorum attenditur majoritas, et minoritas in eis, sicut et entitas. De graduali vero latitudine entium ulterius investigare, est altioris speculationis.

20. Contra etiam illa verba Doctoris in fine, arguunt aliqui sic ; Capio ens rationis in ultimo gradu, quæro aut est intelligibile, aut non, si sic, ergo ipso datur minus,cum passio (cujusmodi est intelligibilitas) sit minus ens suo subjecto ; si non, ergo non est ens. Ad hoc faciliter respondetur. Uno modo, negando suppositum, scilicet quod detur ens rationis in ultimo gradu, quia in ipsis est processus in infinitum, ut dictum est sæpe.

Vel aliter, quod si detur, tale non erit intelligibile, nisi per accidens, quia est ita *quo*, quod non *quod* : sed primus modus dicendi satis securus est. Item, posset aliter argui contra illam solutionem Doctoris, quia absolute debet illa concedi : ***Minus ens ente rationis est non ens***, sicut forte ista : *Minus rationale homine est non homo* ; quia comparativus gradus confundit confuse, et distributive, suum casuale, nisi impediatur. Intellectus igitur est, quod illud quod est minus ens isto ente rationis, et isto, et sic de singulis, est non ens, quod est verum etiam per te. Videtur igitur ex ignorantia hujus distributionis procedere in solutione, imo ista est falsa : *Passio est minus ens ente rationis*, quia sic esset minor seipsa.

21 Posset dici, quod præsupponit hanc dis-

Passio entis rationis non est ens rationis.

tributionem, tanquam notam, et concedo illam, quod passio est minus ens ente rationis ; et quod minus ens ente rationis est non ens. Et cum dicis, quod passio esset minus ens seipsa, nego consequentiam, præsupponit enim falsum, scilicet quod passio entis rationis sit ens rationis, quod nego, proprie loquendo : et hoc, negando univocationem entis talis. Vel dato, quod sit univocum, adhuc negatur : quia sicut in entibus realibus, ita in entibus rationis imaginor, suo modo. Hæc autem est falsa, *Risibilitas est homo*, sed est aliquid hominis, ita quod universaliter passiones non sunt res aliæ a suis subjectis, sed quædam realitates, vel formalitates subjectorum. Sic similiter in entibus rationis est verum, quod passio entis rationis est aliquid entis talis, non tamen aliud ens ab eo, et ideo non sequitur : passio entis rationis est minus ente rationis, ergo est minus seipsa. Et hæc declaratio videtur ad mentem Doctoris Subtilis in littera, ubi dicit quod in ente rationis sunt multi gradus, quorum quodlibet est ens, licet non proprie loquendo, ut jam dixi : sed quia non sunt nihil, ideo sunt ens. Verius autem dicitur, quod sunt aliquid entis. Licet hæc imaginatio satis probabilis sit, et subtilis, posset tamen aliter dici, quod Doctor in littera illam distributionem exprimit, cum dicit, *in ente rationis sunt gradus*, etc. et non ignoravit ipsam. Et tunc hæc propositio non habetur ab ipso, passio videlicet entis rationis est minus ens ente rationis, nisi referendo ad illud idem in numero, cujus est, sicut prius dixit, quod passio est minus ens, non absolute, sed suo subjecto. Elige quod magis sapit. Adverte tamen, quod ibi est comparatio abusiva, *Omne ens minus ente rationis*, quia alter terminorum non participat illud, in quo fit comparatio, aliter non esset nihil. Plura alia lectori omitto. Vide 8. distinct. primi, quæstione ultima, in solutione, simile.

Quinto, circa solutionem principalem quæstionis, num. 2. dubitatur, quæ illarum rationum sit vera definitio, et quæ passio Universalis ? Et videtur primo quod neutra illarum sit ipsius definitio, tum quia dantur per respectus aptitudinales ; tum quia si quælibet indifferenter potest esse definitio, vel passio, ut videtur sequi ex dictis Doctoris, tunc non erit differentia inter passionem, et definitionem, quod est contra Philosophum, primo, et sexto Topicorum, definitio enim indicat essentiam definiti ; passio vero est extra essentiam subjecti. Item, tunc posset dari demonstratio circularis, contra Aristotelem 1. Poster text. comm. 6.

Dicendum breviter, quod illa ratio, quæ ponitur primo Perihermenias, est potius ponenda definitio, quam illa, quæ ponitur 1. et 2. Posteriorum. Tum quia Porphyrius, in definitione omnium quinque Universalium, utitur illa, vel sibi æquivalenti. Tum quia formalior, alia vero magis habet rationem posterioris, et materialis definitionis. Verumtamen forte neutra illarum rationum est proprie, sive stricte, definitio, ex genere videlicet et differentia, et præcipue secundum ponentes *prædicabile* et *esse in multis*, esse passiones Universalis ; circumlocutive ad minus earum rationum possunt esse. Sed sustinendo illam primam esse definitionem, potest dici quod prædicabile est genus, quod contrahitur per *plura*, et *unum*, quæ sunt secundæ intentiones, ut infra cap. de Differentia, quæst. 5. esse autem in multis consequitur prædicari de ipsis, tanquam passio, vel definitio materialis. Convenit enim Universali secundum esse materiale ejus, ut infra, quæst. 8. vel 9. Sive ergo ponatur passio, sive definitio materialis, potest demonstrari de Universali, sic : Omne quod prædicatur de pluribus est unum in multis, et de multis ; Universale est hujusmodi ; ergo, etc. Triplex namque esse Universalis tangitur in illis verbis, scilicet esse materiale, cum dicitur *unum in multis* ; esse quidditativum et essentiale, cum dicitur unum de multis ; esse intelligibile, vel comparatum, cum

dicitur *præter multa*. Et quamvis ista verificantur principaliter de Universali pro substrato, non negantur tamen ab Universali formaliter sumpto, ut infra, quæstione sequenti. Et si objicias, quod prius habet esse in multis, quam dicatur de illis ; negatur, ut Universale in actu est, licet, ut Universale in potentia, forte sit verum. Prius ergo, quantum ad rationem quidditativam, est illud quod secundum esse quidditativum, quam quod convenit secundum esse indivisibile. Vide singularissime istum super 7. Metaph. quæst. de Singulari, et Universali. Ex his ad objecta.

22. Ad primum dico, quod per verba, vel alios terminos aptitudinem importantes, circumloquimur differentias, vel genera plerumque, ut patet in definitione hominis. Vel sicut distinguitur de rationali, ita distingue de prædicabili. Vel dici potest, quod sunt descriptiones convertibiles circumloquentes veras definitiones.

Ad secundum dico uno modo, quod Doctor non specificat quæ illarum sit definitio, sed dicit quod si una accipiatur pro definitione, reliquum erit passio. Vel aliter, quod non inconvenit idem esse definitio, et passio, ut sumitur *passio* in proposito, ut supra, articulo primo, dictum est. Circumloquimur enim passionem per definitionem, et e contra. Et hoc confirmatur per Philosophum 2. Topicorum, ubi dicit quod definitio et proprium nulli aliud est.

Ad aliud dico, quod Aristoteles habet pro inconvenienti circulariter demonstrare in eodem genere causæ, et demonstrationis, non autem in alio, et alio, ut est in proposito. Posset etiam dubitari, quomodo passio hîc sequitur, vel emanat, et quomodo causatur ab objecto, sed hæc sunt supra tacta, quæst. 3.

QUÆSTIO VII

An Universale sit subjectum istius libri Porphyrii

D. Thom. *quæst.* 9. *de objecto lib. Univers.* Okam *quæst.* 2. *procem.* Albert. Parvus *quæst.* 2. *Log.* Tart. *quæst.* 2. *Prædicat.* Brasavol. Joannes Angli. *et* Rodrigues *super hanc q.* Joannes a Magistris *q.* 5. *Logicæ.* Antonius Andreas *q.* 1. *Prædicab.* Ruvius *quæst.* 8. *Univers.* Sotus *quæst.* 4. *Univers.* Tolet. *q.* 1.

Viso quod Universale habet conditio- 1.
nes requisitas ad subjectum scientiæ, quia videlicet est ens, et diffinibile, et passiones habens de eo demonstrabiles : quæritur nunc, *An ipsum Universale sit ipsius libri Porphyrii subjectum*?

Argumenta pro parte negativa.

Quod non videtur ; quia aut Universale est inquantum est intentio, aut inquantum est applicabile rei ; non primo modo ; quia sic intentio habet a Metaphysico considerari. Probo, quia Metaphysicus considerat quodlibet inquantum ens ; igitur et intentionem inquantum est ens; igitur et intentionem inquantum est intentio ; quia idem est intentio, inquantum intentio, et inquantum ens : sicut idem est homo inquantum homo, et homo inquantum ens. Nec secundo modo ; quia sic est illud totum, ens per accidens, de quo non est scientia.

Item, omnis scientia realis est de Universali, quia singularium non est scientia, cum igitur hæc sit scientia rationalis, non erit de Universali. Item, hîc determinatur de istis quinque sub propria ratione, dividendo, et definiendo quodlibet per propria sibi, nullam faciendo mentionem de Universali secundum se, nec quoad ejus *quod quid est*, nec quoad passiones, ergo hæc quinque erunt subjectum, et non Universale.

Ad oppositum : Hæc scientia est una : 2.
ergo habet unum subjectum ; ergo hæc quinque non sunt subjectum, nisi secundum quod conveniunt in uno com-

muni, quod erit primum subjectum, et illud est Universale.

QUÆSTIO VIII

Utrum Universale sit Univocum ad quinque Prædicabilia.

D. Thom. 1. *Contra Gentes cap.* 32. *et Opusc.* 52. *in quæstionibus Univers. quæst.* 2. Boetius *et* Ammon. *super cap. de Genere.* Canterus *in Anteprædicam. cap.* 4. Joan. Angl., Bras. *et* Rodrigues *Super hanc quæst.* Sotus *quæst.* 4. *Univers. et cap. de Genere.* 9. *unica.* Tolet *quæst.* 2. *Univers.* Suarius 1. *Tom Metaph. disp.* 6. *sect.* 8 Javellus *tract.* 4. *de prædicab. cap.*1.5.*et* 6. Ruvius *q.* 7. *Univers. num.* 75. Fuente *q.* 6. *diff.* 6. *art.* 1. Complut. *disp.* 4. *q. Ultima.* Sanchez. *lib.* 2. *q.* 8. Merinero *disp.* 4. *q.* 2.

1. Juxta hoc quæritur de unitate istorum quinque, in hoc quod est Universale. *An videlicet Universale sit univocum ad hæc quinque* ? Quod non probo. Quia omne univocum multis, se habet ad illa sub ratione alicujus Universalis : sed Universale non comparatur ad hæc quinque, sub ratione Universalis : ergo, etc. Probatio minoris, quia non sub ratione alicujus istorum quinque : quia nullum istorum convenit aliis, sed quodlibet est distinctum ab aliis ; si ergo sub ratione alterius, erit sextum Universale.

Argumenta pro parte negativa.

Dicitur, quod comparatur ad hæc quinque, sub ratione Generis, quia prædicatur de istis *in quid*, et hæc inter se differunt specie.

Contra hoc, si Universale est Genus ad hæc quinque,ergo quodlibet istorum est species ; ergo genus est species, quod est falsum, quia species opposita non prædicatur de alia cum hoc verbo *est*, sed Genus, et Species sunt species disparatæ sub Universali, si Universale ponatur Genus istorum quinque.

Item, *Genus non prædicatur de speciebus secundum magis, et minus*, per Porphyrium, capite de differentia, Universale prædicatur secundum magis et minus de istis, quia Genus est universalius quam Species, vel differentia ; prædicatur enim de pluribus ; ergo.

Ad oppositum. Universale prædicatur secundum nomen, et secundum rationem ; igitur univoce. Consequentia patet per Aristotelem in principio Prædicamentorum. Antecedens est manifestum ; quia quodlibet istorum est aptum natum dici de pluribus, per quod definitur Universale 1. Periher. cap. 5. 2.

Ad istam quæstionem dicitur, quod Universale est analogum ad hæc quinque, per prius enim dicitur de Genere, per posterius vero de aliis, ut patet per tertiam rationem ad primam partem. Et secundum hoc respondetur ad aliam quæstionem, videlicet, quod Universale non est hic subjectum, sed quinque Universalia, et tamen scientia est una propter unitatem primi, ad quod omnia alia attribuuntur, quod est Genus.

Opinio Boetii, Ammonii, et Alberti

Contra hoc. In omni genere est aliqua species, quæ perfectius participat naturam generis, quam alia ; ideo dicit Naturalis quod *in genere latent æquivocationes*, 7. Physi. contex. 31. sed Logicus ponit genus univocum, propter unitatem rationis, igitur logice loquendo Universale poterit esse genus istorum quinque, licet Genus aliquo modo sit perfectius aliis. 3.

Refellitur

Item, quoad solutionem alterius quæstionis, non dicitur convenienter, ut videtur, quia in principio 7. Metaph. cont. 5. ex hoc quod substantia est primum ens, concludit Aristoteles, *Quapropter solum, et maxime, et primum de substantia speculandum est.* Ex quo accipitur, quod ad determinandum de multis dictis, per attributionem ad aliquod primum, sufficit determinare de illo primo ; secundum hoc igitur sufficeret Porphyrio determinare de Genere tantum. Item, ratio sic ponentium non concludit, quia numerus est multitudo ex

unitatibus aggregata, tamen non dicitur analogice de binario, et trinario, licet trinarius sit ex pluribus unitatibus, sed simpliciter univoce.

Conclusio. Propter hoc, et propter rationem supra positam ad oppositum quæstionis, dicendum quod Universale univoce prædicatur de omnibus istis quinque.

4. *Ad 1. principale.* Ad primum argumentum dico, quod intentio Generis sibi applicatur, respectu istorum quinque. Cum autem dicitur, quodlibet istorum est distinctum ab aliis, verum est, ideo non prædicantur de se invicem prædicatione essentiali, et exercita ; nec aliquid de uno istorum sub ratione alterius, sed prædicatione signata ; quia ratio Generis est extranea Universali, quando unitur isti per hoc verbum *est*, sicut et animali, quando dicitur, *animal est genus*.

Ad objectiones. Ad primum argumentum contra hoc concedo, quod quodlibet istorum est Species, nec est inconveniens species ejusdem generis in accidentibus, de se invicem denominative prædicari.

Contra. Inconveniens est in speciebus ejusdem generis : nam sicut hæc est falsa, *albedo est nigredo*, ita hæc, *album est nigrum*. Dico, quod non est verum universaliter, licet forte in absolutis ita sit, non tamen in relativis : nam idem est pater et filius, qua ratione enim sequitur, pater hujus, ergo pater ; pari ratione sequitur, filius hujus, ergo filius. Sicut igitur antecedentia stant simul, sic etiam consequentia similiter. Et relativa talia possunt dici de eodem, et de se invicem : non tamen relative opposita, quia non sunt opposita, nisi respectu ejusdem. Sunt autem relativa secundum communem rationem suam : pater enim primo refertur ad filium, non pater hujus, ad filium hujus : ita in proposito, Genus est species, sed non respectu ejusdem.

Aliter dicitur, quod tales propositiones, *Genus est species*, possunt esse veræ denominativa prædicatione. Quælibet enim istarum intentionum potest accipi ut *quid*, vel ut *modus ;* quando enim est illud, quod intelligitur, tunc est *quid* ; quando autem est ratio, sub qua aliquid intelligitur, tunc accipitur ut *modus*, ut *Genus est species*. Secundæ igitur intentiones non opponuntur, nisi ut utraque accipitur ut *quid*, vel utraque ut *modus*. Hic autem, *Genus est species*, vera est, ut genus accipitur ut *quid* ; quia in comparatione ad Universale, quod est genus suum, species vero ut *modus* ; quia sub tali modo intelligitur Genus respectu Universalis. Sed si inferatur, ergo prædicatur oppositum de opposito : fit fallacia figuræ dictionis, commutando *modum*, in *quid*, vel e converso : verbi gratia, *Plurale est singulare*, hæc est vera, ut *plurale* accipitur ut *quid*, et *singulare* ut *modus*, quia quod significatur per *singulare*, est modus ejus, quod significatur per *plurale* ; nec sic est oppositio. 5. *2. Intentio potest accipi dupliciter.*

Dicitur tamen, quod etiam *singulare* dicit *quid* ; quia accipitur pro suo significato respectu subjecti ; *plurale* dicit *modum*, quia accipitur pro suo modo respectu prædicati : nam pro re significata non inest sibi prædicatum, et si utroque modo sumatur, non est differentia ad propositum. 6.

Ad aliud dico, quod Genus non est magis Universale ; quia *magis* dicit intentionem formæ ejus, cui adjungitur ; sed est quodammodo majus Universale, quia extenditur ad plura, quemadmodum quaternarius est major numerus binario, non magis, sicut etiam una species specialissima non dicitur magis species, licet plura sub se habeat contenta. *Ad secundum principale.*

Ad primam quæstionem dicendum, quod *Universale est hujus scientiæ sub-* *Respondetur quæstioni* 7.

jectum. Cum enim tres sint principales conditiones subjecti, Universale primam habet : supponitur enim hic *quid est*, et *quia est*, tanquam notum : nec enim esset possibile aliquam speciem ejus sciri, ignoto de ipso *quid est*, et *quia est* : hic autem ejus species definiuntur, nec oportuit hic definitionem Universalis poni, quam supponit Auctor sufficienter assignatam fuisse ab Aristotele 1. Periher. vel 1. Poster. unde ratione Universalis, scilicet *prædicari de pluribus*, utitur in definitione istorum quinque Universalium.

Habet etiam secundam conditionem subjecti, quia si qua passio univoca istis quinque, de his ostenditur, per rationem Universalis, illa per hoc ostenditur de Universali, tanquam de proprio, et primo subjecto ; et si de uno aliqua passio hic demonstratur, per rationem Universalis, quæ est *prædicari de pluribus*, etiam hoc ostenditur de Universali : quia medium demonstrationis æquatur passioni, aliter esset commune, et fallacia Consequentis, sed hoc fit hic, ut patet : quia differre ab individuo demonstratur de Genere, per hanc particulam, *prædicari de pluribus*, et ita supponitur de aliis posse ostendi.

7\. Tertia conditio manifesta est, quia quodlibet istorum est ejus species, cum ipsum dividatur a Porphyrio in hæc quinque. Posita enim Generis definitione ad ejus declarationem, ponit divisionem cujus unum membrum est *prædicari de pluribus*, per quod intelligit Universale, quod subdividit in hæc quinque.

Ad argumenta quæstionis 1. Ad primum argumentum dico, quod hæc divisio non est per opposita, quia intentio secundum quod intentio, est applicabilis rei, unde concedo utrumque membrum, cum sint idem.

Cum autem objicitur contra primum membrum, dici potest, quod Metaphysicus omne ens reale considerat, non ens rationis, cujusmodi est Universale, ut hic loquitur, vel si concedatur quod considerat intentionem inquantum ens, non tamen sequitur, quod intentionem inquantum intentio, quia non sunt idem, quod universaliter accidit, quando terminus sequens reduplicationem, non significat absolute essentiam, sicut non est idem mobile in quantum mobile, et mobile in quantum ens. Per hoc patet ad exemplum de homine, quia non est simile. 8.

Metaphysicus ens reale considerat.

Quod objicitur contra illud membrum de ente per accidens, dico, quod non est ens per accidens sicut aggregatum, quia res non cadit in intellectu illius totius, ut pars, sed ut terminans respectum. Hoc modo intelligitur accidens in dependentia ad substantiam, nec tamen ut ens per accidens. Ad secundum, quod scientia realis est de Universali primo modo, quod est res, sed Logica est de Universali secundo modo, quod est intentio. Ad tertium patet per dicta in solutione quæstionis, etc.

EXPOSITIO

Viso (1) quod Universale habet conditiones requisitas ad subjectum, videlicet *Quid est*, *et quia est*, et passiones demonstrabiles, de quibus supra, quæst. 3. ubi adverte quod communiter libri habent sic, quia videlicet *est ens, et definibile*, sed loco *definibilis* posset poni *intelligibile*, quantum ad secundam istarum quæstionum præcedentium : hoc tamen non obstat, quia ens definibile includit esse intelligibile, licet non e contra, et hoc definitione distincte *quid res*. Nunc quæritur, *an Universale sit subjectum libri Porphyrii* ? 9.

De primo, quod *Universale*, quod subjec-

(1) Mauritius exponit simul quæstiones 7 et 8 apud Scotum.

tum, prius dictum est, et quoties sumantur.

Liber hîc ponitur pro contentis in eo, scilicet pro habitu scientiali, instrumentaliter per librum importato.

Porphyrium vero constat auctorem, et causam efficientem, licet non principalem hujus libri fuisse, ut communiter tenetur.

Ordo quæstionis patet : divisio ejus communis.

De Secundo, partem negativam arguit
* quæst. 7. num. 1. tribus rationibus*. Prima procedit per locum a divisione Universalis, ut intentio, vel ut rei applicabile, quæ ut videlicet potest reduci ad istam. Universale potest considerari, aut inquantum in se quidditas, vel ens, vel abstractum ; aut inquantum alteri inhærens, vel concretum, vel in alio ens. Nec sic, nec sic, est subjectum, ergo nullo modo. Membra probantur satis clare in littera, et magis infra patebunt. Secunda ratio procedit ex distinctione objectiva scientiæ realis, et rationis. Tertia ratio procedit ex negatione conditionis subjectivalis principalis, videlicet considerationis, et determinationis. Ad oppositum unica ratione arguit, quæ procedit ex unitate scientiæ, extrinseca saltem.

10. Aliam quæstionem*, ortum habentem ex
* quæst. 8. argumento post oppositum, de univocatione Universalis respectu istorum quinque, movet, quam lateralem appellare possumus, et consimiles plerumque in omni facultate, in qua scribit, movet iste ; et hoc, vel quia connexionem habent in solutionibus, vel gratia brevitatis ; vel quia dum unum, licet minus principale, vel commune interdum discutit, alterum menti occurrit, et tales laterales hîc sub eodem numero cum principalibus computo, licet possem ponere in numerum, ut communiter numerantur, sed in aliis hoc non servabo.

Quid *univocum*, patet ex principio Prædicamentorum. Solet apud Scotistas univocum accipi tripliciter, videlicet Metaphysice, Physice, et Logice.

Univocum quid e quotup

Item, univocum aliud univoce dictum ; aliud denominative, et hoc aut denominatione a priori aut denominatione a posteriori. Item, univocum aliud univocans ; aliud univocatum. Item aliud pro substrato ; aliud pro formali. Item, univocationis quatuor solent assignari gradus. De his omnibus infra forte erit sermo, et alibi ubi occurrent. Breviter in proposito intelligo univocum Logicum univoce dictum pro substrato, et univocans infra ultimum, et primum univocationis gradum.

Quod additur in titulo quæstionis primæ, *ad hæc quinque*, patet quod ly *hæc* est 11.
pronomen demonstrativum ad intellectum, vel sensum. Primo modo sumitur hîc. Quinarius vero est species numeri imparis, cujus proprietates considerare spectat ad Arithmeticum.

Ordo quæstionis, licet videatur præposterus, salvatur tamen ex prioritate solutionis. Divisio fere communis. Arguit unica ratione negativa, et ratio clara est, nisi quia major est ambigua, de qua in tertio articulo. Eamdem propositionem habet infra, quæstione quarta Anteprædicamentorum, post oppositum, ratione tertia ; et videtur regula famosa in his Logicalibus.

Adjungit evasionem immediate, quam infra tenet, quod sæpe solet facere, ut inducat replicas aliorum, vel proprias, contra quam arguit dupliciter in primo argumento. Cum dicit quod species opposita non prædicatur de alia cum hoc verbo *est*, habet intelligi ut disparatæ sunt, id est, separatæ vel distinctæ, non tamen formaliter oppositæ, nisi large sumpta contrarietate. Sunt autem species substantiæ disparatæ, tam in concreto, quam in abstracto ; accidentium vero in abstracto tantum. Dicit etiam cum hoc verbo *est*, ad differentiam verborum accidentalium, actum signatum importantium, ut Genus *prædicatur*, vel *dicitur*, vel *refertur* ad speciem. Alia ratio est ex Porphyrio, capite de Differentia, ubi dicit quod neque Genus secundum magis et minus prædicatur de eo cujus est Genus, neque Generis differentiæ, secundum quas divi-

ditur. Probando minorem, dicit quod Genus est universalius, quam Species, quia prædicatur de pluribus, ly *pluribus* debet accipi comparative, et non positive.

12. Consequenter solvit secundam quæstionem* primo, quia ex ejus solutione dependet solutio primæ. Prius enim videndum est Universale esse univocum, quam subjectum alicujus scientiæ ipsum assignare, cum de æquivocis non sit scientia. Et primo ponit opinionem aliorum, et maxime Albertorum tenentium analogiam Universalis ad hæc quinque. Imaginantur enim analogiam tanquam medium inter univocationem, et æquivocationem, et male. Analogia namque conjungitur nunc æquivocationi, nunc univocationi, quia potest esse in sola voce, et tunc est in æquivocis, et maxime a consilio. Potest etiam esse in conceptu ; et tunc stat cum univocatione. Inter univocationem vero, et æquivocationem nullum cadit medium, aliter inter contradictoria medium, ut patet ex rationibus earum in Anteprædicamentis. Quoties autem sumitur *Analogia*, infra, quæst. 4. Anteprædicamentorum, habet iste egregie, et super libros Elenchorum quæst. 15. optime logice ad propositum habet.

quæst. 8. n. 3. et 4.

13. Consequenter respondent ad primam quæstionem* ponentes quinque Universalia subjectum hujus libri, et non Universale, quia sicut nec purum æquivocum, ita nec analogum esse subjectum alicujus scientiæ opinantur, et in hoc concedunt argumenta principalia illius quæstionis.

Ubi supra n. 2. et 3.

Ad argumentum vero post oppositum respondent, quod unitas scientiæ non sumitur a subjecto adæquato, sed a parte principali ejus, quam in proposito genus esse asserunt.

Arguit Doctor contra hunc modum dicendi, et primo contra solutionem secundæ quæstionis, ex intentione Aristotelis 10. Metaph. text. com. 5. 6. et 7. Physicorum, text. comment. 31. Ubi advertendum, quod quatuor assignantur gradus univocationis. Primus et maximus est, quando est identitas rationis, modi essendi, ordinis, et gradus perfectionalis. Secundus ubi sunt tria priora, dempto quarto. Tertius ubi removentur duo ultima. Quartus et minimus ubi tantum primum reperitur. Exemplum primi, ut Species specialissima est univoca. Exemplum secundi, ut Genus aliquod subalternum, et generalissimum etiam, puta animal, vel substantia et hæc in Species immediatas divisum. Exemplum tertii, ut numerus, vel figura. Exemplum quarti, transcendentia, puta ens etc. Æquivocationem ergo Physicam, vel ut opponitur univocationi strictissime dictæ, latere in generibus dicit Naturalis. Ideo Aureolus ait quod alia occulta, ut Generis; alia manifesta, ut Speciei specialissimæ est univocatio. Cum hoc tamen stat quod logice loquendo, Genus sit vere univocum. Et hic applicat Doctor ad propositum de Universali, quod est genus ad hæc quinque. Et cum dicit in fine argumenti, *licet Genus sit aliquo modo perfectius aliis*, optime dixit Doctor aliquo modo, et non absolute. Nam habendo respectum ad substrata, Species, vel differentia esset perfectius. Sed habendo respectum ad hoc, quod est de pluribus prædicari, videtur quodammodo id perfectius tale quod extensius prædicatur : et hoc loquendo de perfectione permissiva, et non positiva, de qua forte statim, in tertio articulo.

Quatuor gradus univocationis explicantur.

Consequenter contra solutionem secundæ quæstionis arguit, ex intentione Philosophi 7. Metaphys. text. comment. 4. et 5. Rationem autem, (cui innituntur ad ponendum analogiam, et ad negandum univocationem Universalis ad hæc quinque, quam dicit Doctor esse tertiam, ad primam partem, scilicet negativam secundæ quæstionis, quæ tamen est secunda replica contra evasionem rationis unicæ, sed pro quanto facit ad principale potest dici tertia, ubi dicit arguens quod Genus est magis universale, quia prædicatur de pluribus comparative, ut prædixi) tollit Doctor per instantiam exemplum ex definitione numeri, quam ponit Philosophus 10. Metaph. text. comm. 4. et Boetius 1. Arithmeticæ, cap. 3. 14.

Consequenter tenet conclusive univoca-

tionem Universalis ad hæc quinque, et in hoc solvit secundam quæstionem. Deinde respondendo ad primum argumentum primæ quæstionis, tenet responsionem prius datam supra, quod videlicet intentio Generis, id est, *Genus* pro formali (ut modus tamen) applicatur Universali respectu istorum quinque, quia (ut dictum est prius) non modo primarum intentionum, imo etiam sibi invicem sunt modi intelligendi secundæ intentiones. Dicit igitur *applicatur*, ut denotetur prædicatio modalis, et denominativa, ut distinguitur contra quidditativam. Et addit quod propter definitionem, et disparationem istorum inter se, nullum eorum prædicatur essentialiter, et in actu exercito de alio, sed bene in actu signato. Nec etiam sic, aliquid aliud de uno eorum, sub ratione alterius, prædicatur.

15. *Actus signatus ut fit.* Ubi breviter pro nunc sciendum, quod *actus signatus*, vel significatus, vel prædicatio signata, vel significata (potest enim utroque modo dici, sed melius sonat signatus, vel signata, ubi activum debet intelligi per passivum) fit mediantibus verbis, vel aliis terminis verbalibus secundo-intentionalibus, ut puta *prædicari*, *dici*, *subjici*, *signari*, *excludi*, *excipi*, *definiri*, etc. *Actus exercitus.* Prædicatio exercita fit maxime mediantibus verbis substantivis, vel sibi æquivalentibus. Dicitur enim prædicatio *signata*, quasi significativa, vel figurativa, vel implicite, sive obscure, importans in communibus conceptionibus prædicationem exercitam. *Exercita* vero, quia ad exercitium, et operationem, vel practicam, ut ita loquar, deducit id quod theorice, et mystice, et confuse, et indifferenter prius dictum est, nam cum dicitur, *Genus prædicatur de Specie*; vel, *Definitio, convertitur cum definito*; vel, *Subjectum infert prædicatum*; non habetur aliqua determinata notitia, sed adhuc expectatur exercitium hujus locutionis, et verificatio in fundamentis, ut dicendo, *Homo est animal*, vel, *Animal rationale est, ergo homo*; vel, *Homo est, ergo animal*; et sic de aliis.

Omnia enim in figura, et mystice contingunt illis prædicationibus; ideo merito *signatæ*, quod melius dicitur, quam *significatæ*, quia magis indifferenter ad activum, et passivum, (quod tamen parum refert) dicuntur, de qua prædicatione magis infra cap. de Genere, quæst. 1. habetur, et ubique in his logicalibus præsupponitur notitia ejus. Bene etiam addit Doctor ibi ly *essentiali*, quia licet hæc sit vera, *Genus est Species*, non tamen prædicatione essentiali, sed denominativa accidentali.

Sed ad probandum illud secundum dictum (ubi dicit quod nec aliquid de uno istorum, sub ratione alterius, prædicatione exercita, et essentiali prædicatur, in quo magis dubitari posset) adducit probationem satis obscuram multis, dicens*, quod ratio Generis extraneatur Universali, quando unitur istis per hoc verbum *est*, sicut et animali, cum dicitur, *Homo est animal*. Ubi advertendum, quod secundum diversas acceptiones significati termini communis, vel singularis, etiam termino tali attribuuntur diversa prædicata, et aliqua sibi uno modo conveniunt, et alio modo eadem disconveniunt. Significatum autem hujus termini *homo* (ut quæst. sequenti habetur) potest accipi tripliciter, videlicet secundum esse materiale, vel suppositabile, vel Physicum; secundum esse quidditativum, vel prædicabile, vel Metaphysicum; vel secundum esse intelligibile, vel actu universale, vel comparatum, vel Logicum. Primo modo conveniunt sibi accidentia communia, et Physica. Secundo modo prædicata quidditativa. Tertio modo intentiones secundæ. Eodem modo intelligendum est de animali, et aliis fundamentis. Et non modo istud habet verificari, licet tamen principalius in primis intentionibus, sed etiam in secundis, quia, suo modo, possunt habere illud triplex esse. In duabus igitur primis acceptionibus proprie fit actus exercitus, et extraneus est actus signatus. Variatur tamen actus exercitus ibi, quantum ad esse existentiæ, et essen- 16.

* quæst. 8. num. 4.

tiæ, caute intelligendo illorum distinctionem. In tertia vero proprie fit actus signatus, et extraneatur exercitus.

17. Et si quæras, qualiter habet discerni illa triplex acceptio termini; dicendum quod secundum exigentiam prædicati, juxta illam regulam Boetii de Trinitate (licet e contra ponat eam, ut patet ibi, sed hoc parum refert) *Talia sunt subjecta, qualia permittunt prædicata*. Id est, secundum exigentiam prædicati variatur acceptio, et suppositio subjecti. Refert ergo dicere, *Homo est animal*, et dicere, *Animal prædicatur de homine*; quia variatur suppositio, et acceptio, licet non significatio.

Secundo modo sibi convenit ratio Generis proprie. Primo modo extraneatur ei, propter descensum ad particularia, quorum nullum est Genus.

18. Vult ergo breviter Doctor, quod ratio generis (ut est intentio secunda, et modus intelligendi cujuslibet communicabilis pluribus speciebus, et per consequens Universalis respectu istorum quinque) sit extranea Universali, cum dicitur, *Genus est Universale*; vel, *Species est Universale*. Quia in talibus prædicationibus supponit *Universale* personaliter, sicut *animal*, cum dicitur, *Homo est animal*. Dum autem sibi convenit ratio Generis, ut modus, supponit simpliciter, sicut et *animal*, cum dicitur, *Animal est Genus*; vel, *Animal prædicatur de homine*. Universaliter enim intentiones secundæ attribuuntur primis suppositionibus simpliciter, id est, pro significato adæquato, et absolute sumpto, ut habet tamen esse cognitum, quod est esse diminutum. In suppositione namque simplici idem supponit terminus quod significat, et hoc formaliter, et non materialiter, contra ineptias quorumdam, de istis suppositionibus Logicam destruentium, contra quos in tractatu per se forte erit sermo. De his etiam infra magis, ubi locus proprie considerationis occurret, et in tertio articulo, ulterius circa ista aliqua tangam.

19. Deinde ad duas replicas contra responsionem hic, et supra in pede quæstionis datam, respondet. Dicit igitur uno modo quoad primam, quod non est inconveniens Species ejusdem Generis accidentales de se invicem prædicari, denominative saltem, et aliquid de uno sub ratione alterius eodem modo. Sed objicit, quia hoc non est verum, etiam in accidentibus; et exemplificat de albedine, et nigredine. Dicit ad hoc Doctor, quod licet forte instantia habeat locum in absolutis accidentibus, non tamen in relativis. Idem habet infra quæstione sexta Antepraedicamentorum, solvendo secundum principale. Et bene dixit *forte*, propter prædicamentum Quantitatis, cujus una Species denominat aliam, ut infra cap. de Quantitate tangit. Propter etiam aliquas qualitates (disparatas saltem) quæ de se invicem prædicantur, ut *Album est Musicum*, et sic de aliis: sed ibi posset forte negari prædicatio denominativa, quæ proprie est, quando quod natum est subjici, subjicitur, et quod natum est prædicari, prædicatur; et, ut breviter dicatur, quæ est accidentis de subjecto, non autem accidentis de accidente, non habente magis rationem subjecti, quam accidentis. Quod dico propter ea quæ tractata sunt quæstione præcedenti. Declarat autem quod hoc est verum in accidentibus respectivis, quia hæc est vera, *Pater est filius*; quod probat; quia non magis repugnat commune communi, quam particulare particulari. Sed hic pater, et hic filius, dicuntur de eodem, et per consequens de se invicem; ut demonstrato Socrate, verum est dicere quod est pater hujus, puta Ciceronis; et filius hujus, puta Platonis. Sed ad patrem hujus, sequitur pater, sicut totum in modo ad partem, et ad filium hujus filius. Sicut ergo antecedentia stant simul, scilicet pater hujus, et filius hujus, respectu diversorum de eodem, et in eodem, non fundamentaliter, sed subjective; ita et consequentia, puta pater et filius; ubi tangit differentiam inter relativa, et relative opposita, propter instantiam, sed objectionem tacitam, ne quis dicat, quod opposita prædicarentur de eodem. Non enim omnia

Prædicatio denominativa quæ.

Differentia inter relativa, et relative opposita. relativa, ut sic sunt, relative opposita : sed oportet præter hoc, quod comparentur ad idem, et secundum idem. Relative enim opposita includunt duo, scilicet relationem et oppositionem. Inquantum relativa, sunt diversa ; inquantum habent oppositionem, habent comparari ad idem, et secundum idem, quod forte non est generale omnibus oppositis, de quo magis infra, in Postprædicamentis, et alibi. Tangit ulterius de relativis primo, et non primo incidentaliter, et applicat.

20. Aliter respondet * ad argumentum, recurrendo ad illam distinctionem de *quid*, et *modus*, describendo utrumque, ut supra tetigi, et applicat. Generaliter ergo tenet, quod istæ intentiones de se invicem prædicantur denominative, capiendo unum ut *quid*, et alterum ut *modus* ; et non sequitur oppositio aliqua ; quia non opponuntur nisi dum uniformiter accipiuntur, et sic non prædicantur de se invicem formaliter, et per se saltem. Pondera tamen optimam instantiam hîc, ut habet infra cap. de Qualitate, quæst. ultima, ante oppositum, et cap. de Oppositione, ubi hæc resolvuntur egregie, ut patet. Et exemplificat in modis significandi Grammaticalibus, ut, *Plurale est singulare* : quod exemplum est difficilius aliquibus ipso principali. Ubi notandum, quod *numerus* est quidam modus significandi, attributus parti orationis, ad designandum rem suam, per modum unitatis actualis, vel pluralitatis talis. Ut huic dictioni *homo*, singularis ; huic vero dictioni *homines*, pluralis numerus applicatur.

* ubi supra num. 5.

21. Sicut igitur hæc dictio *homo* declinatur in numero singulari, et plurali, ita hæc dictio *plurale* : ut *hic* et *hæc pluralis*, et *hoc plurale* ; vel, *hoc plurale* absolute, *hujus pluralis*. Plurale igitur est singulare, id est, singularis numeri, ut modus : sicut *homo*, materialiter capiendo utrumque. Illud enim quod significatur per singulare, id est ille modus significandi, videlicet unitas actualis, est modus ejus quod significatur per *plurale*, id est, pluralitatis actualis. Imo dico quod *plurale* potest esse modus suiipsius, ut *pluralia* est pluralis numeri, et singulare, singularis, ut *singulare* est singularis numeri. Sicut *Nomen* est modus significandi nedum aliarum partium orationis formaliter, vel materialiter significatarum, imo suiipsius, ut *Nomen est nomen*, sicut *Verbum est nomen*. Advertendum tamen, quod isti modi significandi sunt in intellectu effective, et in voce significativa subjective, et in rebus significatis fundamentaliter, et originaliter : quia sunt respectus rationis, ut intentiones Logicales. Ideo cum dicitur quod singulare est modus ejus, quod significatur per plurale, debet intelligi quod est modus illius vocis *plurale*, significative tamen capiendo ipsam : ideo dicitur modus significati, quia modus vocis significantis subjective dico, licet fundamentaliter absolute verum sit.

Sed Doctor dicit, quod aliquibus videtur oppositum hujus quod dicitur in exemplo, videlicet quod cum dicitur *Plurale est singulare*, sumitur *plurale* ut modus, et *singulare* ut quid : quia significatum pluralis non est singulare ut modus, sed potius plurale. Sed quia disputatio ulterior hujus non est ad propositum, sed potius spectat ad Grammaticum speculativum, ideo dicit Doctor, quod non refert sive sic, sive sic dicatur, quia utroque modo habetur intentum, videlicet quod duarum Specierum dividentium aliquod Genus, una denominat aliam ut modus, sicut patet in his duabus speciebus numeri secundo-intentionaliter accepti, sed aliquantulum de hoc in tertio articulo, et magis in tractatu modorum significandi, quem intendo, vita comite, adjungere huic expositioni, sine quorum cognitione, quasi impossibile est in doctrina hujus Doctoris proficere.

Demum solvit secundam replicam principalem * per distinctionem horum terminorum *magis*, et *majus*, et satis clara est. 22.
Deinde primam quæstionem solvit, tenendo conclusionem affirmativam, quam probat, applicando tres conditiones subjecti, de quibus supra quæst. 3. ad propositum, vi-

* quæst. 8. num. 6.

delicet quod habet *quid est*, et *quia est*, et quod per suum *quid est* demonstrantur (implicite saltem) in hoc libro passiones ipsius de ipso.

Universale est subjectum attributionis hujus libri

Ubi nota in applicatione secundæ conditionis subjecti, quod videtur determinare se Doctor, ubi prius quæstione præcedenti problematice processit, videlicet quod illa ratio, quæ ponitur 1. Perihermenias, sit propria ratio definitiva ipsius Universalis. Item ibidem cum dicit Doctor quod medium demonstrationis æquatur passioni, aliter consequens, id est, fallacia Consequentis, ubi libri communiter, et male, habent communius. Exemplum hujus, nam si quis vellet demonstrare risibilitatem de homine, per substantiam animatam sensibilem, committeret fallaciam Consequentis, sic arguendo, *Homo est substantia animata sensibilis, ergo risibilis*, est positio Consequentis, ut patet : vel si vellet quis probare aliquid non esse sensibile, per hoc quod non est animal rationale, committeret Consequens a destructione Antecedentis. Requiritur ergo adæquatio passionis, et medii demonstrationis. Idem tangit infra quæst. 2. Anteprædicamentorum, ad finem, et quæst. 1. cap. de Relatione, et alibi sæpe. Habet etiam tertiam conditionem, ut patet, reducendo Speciem ad Genus. Est ergo subjectum attributionis hujus libri Universale formaliter dictum.

23. Ad primum primæ quæstionis dicit *, quod divisio illa non est conveniens, qua dividitur Universale in intentionem, et in applicabile rei, quia membra coincidunt, cum nominis intentio sit applicabilis rei. Inconvenienter enim corpus animatum divideretur per animal, et hominem. Tenet ergo quod utroque modo est subjectum.

* quæst. 8. num. 8.

Ad argumentum contra primum membrum, uno modo respondet * per distinctionem entis, realis et rationis. Alio modo concedendo quod Metaphysicus considerat etiam entia rationis, vel intentiones secundas, inquantum habent rationem entis, id est, quidditatis. Non tamen ex hoc sequitur quod consideret intentiones, inquantum tales, quia aliud est intentio inquantum intentio, et aliud intentio inquantum ens; quia primo modo consideratur in concernentia ad subjectum : secundo modo abstractive, et absolute, ut saltem respectivis convenit absoluta consideratio, de quo statim. Ideo per modum regulæ dicit, quod hoc universaliter accidit, etc. et ideo exemplum de homine non est ad propositum, quia *homo* significat absolute essentiam, cum significet substantiam, quæ non concernit subjectum, nec fundamentum : secus est de mobili, et Universali.

* ibid. n. 9.

Ad aliud contra secundum membrum, negat assumptum. Aliud enim est ens absolutum, vel ad se ; aliud est ad aliud ; aliud ens per se, aliud ens per accidens : ut homo, pater ; lapis, lapis albus. Intentio ergo, ut applicabile rei, non indicat ens per accidens, sed ens ad aliud, de quo bene potest esse scientia, aliter de nullo accidente scientia, cum omne accidens dicat ordinem, et dependentiam ad substantiam, licet diversimode tamen. Dicit ergo optime Doctor, quod cum dicitur intentio ut applicabile rei, non dicitur totum per accidens, cujus una pars est intentio, et alia res. Sed denotatur concernentia aptitudinalis, vel respectus etiam actualis ipsius intentionis ad fundamentum, et terminum. Cadit ergo res ibi, ut terminans illam dependentiam. Idem dicit expresse quæst. 2. quarti Sententiarum, articulo 1. et licet intentio sit subjective in illa re, abstrahentium tamen non est mendacium. 24.

Secundum principale solvit per distinctionem Universalis, supra habitam. Et cum dicit ibi *Logica*, intelligendum est partialiter, pro scientia hujus libri, vel si universaliter, intelligendum est de Universali ut *modo*, non ut *quod*.

Tertium argumentum solvit ex his, quæ dicta sunt in corpore quæstionis applicando secundam, et tertiam conditionem subjecti.

De Tertio, circa primum argumentum primæ quæstionis *, et solutionem ejus, posset dubitari. Videtur enim quod aliud sit intentio inquantum intentio, aliud in- 25.

* quæst. 7. num. 1. et 3. num.

tentio inquantum applicabile rei, sive ly *inquantum* teneatur proprie reductive, sive specificative, et maxime si reduplicative, ut hic videtur accipi : quia applicabilitas ad rem primæ intentionis, non est de ratione formali ipsius secundæ intentionis. Unumquodque autem est formaliter ipsum. Igitur videtur quod Metaphysicus consideret intentionem inquantum intentio, quia considerat non solum absoluta, sed respectiva, et unumquodque secundum suam rationem formalem : licet plerumque in proprietatibus communibus. Cum igitur intentio sit formaliter ad aliud, consideratur a Metaphysico, ut ens ad aliud, et ita sequitur quod si intentionem, inquantum ens ; et intentionem inquantum intentio ; cum nihil possit quidditative considerari, absque illo quod includitur in ratione sua quidditativa, hujus in respectivis est dependentia ad terminum maxime. Per idem posset probari quod idem sit mobile inquantum mobile, et mobile inquantum ens. Item, contra illud quod dicit in principio responsionis, videlicet quod intentio inquantum intentio, est applicabilis rei. Abstractum, ut tale, non est applicabile rei, sed hujusmodi est intentio inquantum intentio ; ergo, etc. Assumptum patet infra cap. de Proprio, quæst. 2. solvendo tertium principale, ubi dicit quod proprietas (supposito quod sit secunda intentio) significatur sub modo opposito ei, cui convenit actu accidere, scilicet sub modo abstractionis, igitur, etc. Item, quod intentio, ut applicabile rei, sit ens per accidens, probo : Omne complexum includens plures conceptus, ex quibus non fit per se unus conceptus, est ens, vel totum per accidens : hujusmodi est hoc totum ; ergo, etc. Item, quod non sit idem homo, inquantum homo, et homo inquantum ens, videtur : quia homo, inquantum homo, includit ens, et substantiam, et alia genera, et differentias, usque ad ultimam : sed inquantum ens non includit illa, quia prius est ens, quam substantia, et sic de aliis ; ergo, etc.

Pro solutione hujus dubii, sciendum est 26.
primo quod aliqua sunt de consideratione Metaphysicæ per se, et primo ; aliqua per se non primo ; aliqua reductive ; aliqua per accidens. Per se et primo, ut ens, et passiones entis. Per se non primo, ut partes subjectivæ entis. Reductive et per accidens, ut non entia, privationes, negationes, secundæ intentiones.

Secundo advertendum, quod considerare aliquid inquantum ens, est considerare ipsum sub præcisissima ratione entitatis transcendentis. Considerare vero ipsum inquantum tale, est considerare illud non solum sub ratione entis, sed proprii *quod quid est*, quod plerumque plura addit ad ipsam entitatem.

Tertio notandum, quod aliquid esse applicabile alteri, potest intelligi aptitudinaliter, vel actualiter, et hoc vel in ratione termini, vel fundamenti, vel subjecti.

Quarto considerandum est, quod dependentia, vel habitudo ad terminum in relativis formaliter, est de ratione formali dependentis. Ideo Aristoteles cap. de *Ad aliquid*, definiens relationem, inquit quod *ipsius esse* scilicet quidditativum et formale, *est ad aliud se habere*.

Quinto præmittendum est, quod ens per accidens solet (ex fundamentis hujus Doctoris) distingui in Metaphysicum, et Logicum. Primo modo includit conceptus diversorum Generum, ex quibus non fit unum per se. Secundo modo sumitur in Elenchis pro extraneo, quando videlicet aliqua, quantumcumque eadem, non dicunt eumdem conceptum formalem, vel quorum unum non includit formaliter alterum, vel ambo saltem non includuntur in conceptu tertio.

Ex his ad objecta respondeo. Ad primum 27.
dico quod applicabilitas talis si importat respectum ad terminum, est de ratione formali ipsius intentionis, si ad subjectum cum sit aptitudinalis, non est aliud, imo idem sibi.

Ad secundum dico, quod quærit illam difficultatem nodosam de consideratione

Metaphysici, videlicet an in Universali, an certe in particulari, considerat quidditates. Sed breviter ad propositum dico, quod non sequitur de forma : Metaphysicus considerat intentionem, inquantum ens, igitur inquantum intentionem quia prima consideratio abstrahit a secunda. Dato etiam quod consideraret intentionem, inquantum tale ens, puta ens ad aliud, non sequitur quod ut applicabile rei, scilicet subjecto tali, vel tali, quia sic considerat eam Logicus, per passiones enim alias et alias communiter consideratorum differt Logicus a Metaphysico. Intentio autem, inquantum intentio, includit aut formaliter, aut concomitanter, vel identice, illam applicabilitatem, et hoc concretive designata, ut Logicus eam considerat.

Ad hoc vide optime ea quæ dicit iste super primum Elenchorum, quæst. 1. ad finem. Et cum dicitur quod respectus ad terminum sit de ratione formali intentionis, data veritate hujus, non oportet Metaphysicum considerare intentionem, cum illo respectu in particulari, sed in Universali tantum, ut puta quod est ens ad aliud. Vel si contendas quod Metaphysicus considerat hoc in particulari, potest dici quod hoc est per accidens. Logicus vero hoc per se considerat, et in hoc differunt. Vel aliter, quod Logicus considerat applicationem subjectivam, et prædicationem actualem, Metaphysicus vero, objectivam tantum abstrahendo, ut in aliis.

Sed quomodo tunc Logica est scientia? Respondeo quomodo Philosophia naturalis scientia, et quomodo differt a Metaphysica in consideratione rerum naturalium, sicut ibi salvas apparentia, ita hic meditare. Ex his potest dici ad argumentum, quod fieret de mobili inquantum tale.

28. Ad aliud dico, quod Doctor hic per *intentionem* intelligit rem secundæ intentionis concretive sumptam, quam Logici communiter *intentionem* appellant, licet improprie, ut supra dixi, quæst. 3. Vel aliter, dato quod esset absolutum, adhuc est applicabilis aptitudinaliter, et in potentia remota saltem, et sic considerat eam Logicus. Et per hoc patet ad confirmationem et facit optime ad propositum, et veritatem hujus responsionis, cum dicit Doctor ibi, *cui convenit actu* : non dicit aptitudine et potentia, sed *actu*.

Ad aliud dico, quod si res ponitur ibi tanquam terminus, ut dicit Doctor, non accidit, imo necessario, et formaliter dependentia talis convenit intentioni : si autem tanquam subjectum, adhuc cum ly *applicabilis* dicat inhærentiam aptitudinalem, et si ibi est per accidens Logicum, non tamen Metaphysicum, quod negat Doctor in proposito accidere. Breviter enim aliud est aggregatum ; aliud totum per modum informabilis, et informantis ; aliud per modum terminabilis, et terminantis. Ad hoc nota ea quæ tangit infra, in Anteprædicamentis, quæst. 8.

Ad ultimum, quod tangit bonam difficultatem, dico uno modo, quod non asserit Doctor in solutione, hominem inquantum ens, et inquantum tale, esse omnino idem, sed dicit quod ibi minus apparet diversitas, propter entitatem absolutam, quam significat homo, in qua non includitur respectus ad aliud extrinsecum. Ideo minus apparet diversitas hic, quam ibi.

Vel aliter, quod homo inquantum homo, includit per se, et formaliter entitatem, et ideo est idem formaliter, et per se enti, hæc est igitur per se : *Homo est ens*. Intentio vero, inquantum talis, ut includit applicabilitatem ad substratum, forte non est per se, et formaliter ens : quia de conceptu non formaliter uno, nihil formaliter, et per se, prædicari potest. Nec tamen ex hoc sequitur, quod sit ens per accidens Metaphysice loquendo, ut dixi. Considerabis alias ulteriores, quæ tangere volunt propositum. Unde aliud est dicere intentionem cum re, et intentionem applicabilem rei ; et rem sub intentione. Quære in simili Boetium 1. Metaphysicæ, ut supra notavi.

Secundo principaliter posset dubitari circa secundum principale, ubi dicitur quod omnis scientia est de Universali. 29.

quia singularium non est scientia. Instantia de Theologia, et de singularibus per se prædicabilibus, sed quia hoc est altioris negotii, dico breviter quod propositio illa est vera de scientia naturaliter, pro statu isto acquisita, respectu objecti per se, et primo ejus.

Tertio dubitari posset, circa illam propositionem majorem in primo argumento

* quæst. 8. num. 1. secundæ quæstionis * *Omne univocum multis*, etc. Videtur enim falsa, tamen tenendo univocationem entis, quod negat iste alibi esse Universale, tum quia Deus de tribus suppositis divinis univoce prædicatur.

Dicendum breviter, quod propositio est vera de univoco univoce dicto, et logice sumpto, quod præcise est limitatum, et prædicabile. Vel quod loquitur de Universali, tam in Genere, quam extra Genus. Ens igitur potest dici Universale transcendens, vel extra Genus, licet non in Genere, de quo infra. Quod tangitur de Deo respectu Personarum divinarum, posset negari assumptum, loquendo de prædicatione univoca, univoce sumpta, et perseica, de quo alias. Vel dic (dato quod assumptum esset

An Deus sit univocum tribus Personis. verum) quod non est ad propositum, quia non limitatum, etc. Bene etiam dicit Doctor, *Omne univocum multis*, ad differentiam univocationis singularis. Personæ enim divinæ non sunt plures, vel multa, nisi cum determinatione diminuente, ut iste dicit in primo, distinct. 24.

30. Quarto dubitatur, circa illam propositionem, in secunda ratione, contra evasionem, videlicet quod Genus non prædicatur de Speciebus, secundum magis, et minus. Videtur enim hoc esse falsum, ut patet in numeris, et figuris, et in proposito de Universali, et universaliter in omni Genere, 10. Metaph. text. comm. 5. et 6. et aliqualiter idem ibidem text. comm. 2. 3. et 4. In omni Genere est unum primum, quod etiam infra, contra opinionem Doctoris asserit, et patet ex aliis gradibus univocationis supra.

Dico breviter, quod Species Generis possunt comparari, vel secundum rationem Generis; vel secundum rationem differentiarum, quibus abundant a Genere. Primo modo omnes sunt coæquævæ, et ejusdem perfectionis. Genus enim cum sit proportionabile materiæ, non suscipit magis, et minus, nec aliqua secundum rationem ejus, et sic loquitur Doctor. Secundo modo Species sunt sicut numeri, ut habetur 8. Metaphys. text. comm. 10; quia differentiæ sunt sicut formæ, inter quas datur prima, et ultima, secundum entitatem, et perfectionem. Et illo modo solvuntur instantiæ. Genus igitur ut Genus, non dicitur secundum magis, et minus : sed bene Genus, ut contractum per tale, vel tale determinans. Ideo latent æquivocationes in Generibus.

Quinto posset dubitari, circa illam propositionem in prima ratione, contra opinionem * ubi dicit *licet Genus sit quodammodo perfectius*. 31. * quæst. num. 3.

Sed dic breviter, ut supra tetigi, in expositione, quod loquitur de extensiva, vel permissiva perfectione, non autem positiva, vel intensiva.

Sexto posset dubitari, circa illam propositionem 7. Metaph. quod ad determinandum de analogo sufficit determinare de primo analogatorum.

Dico breviter (quia alterius negotii) quod loquitur Antonomastice, ut habet Commentator ibidem, quia substantia est prima omnium quidditatum, ad quam multiplicem dependentiam habent omnia alia. Ideo ipsa cognita, faciliter alia cognoscuntur : non excludit tamen ex hoc alia a consideratione Metaphysici, ut patet ibidem, text. comm. 14. Sed secus forte est de aliis analogatis, licet aliqualiter potest verificari in omnibus, sed de his alias.

Septimo, quod ibi tangitur de numero, 32.
et definitione ipsius, posset habere specialem difficultatem.

Sed breviter dic quod est ens per se, formaliter capiendo ipsum, et quod unitates sunt ipsius materialia, suam vero formalem unitatem ut cætera entia, habet. Licet autem Doctor dicat ipsum univoce præ-

dicari de suis Speciebus, et per consequens non analogice, ut excludit univocationem : non tamen ex hoc intendit in numeris negare ordinem, et analogiam univocationem concomitantem, imo maxime in numeris reperitur. Dividitur enim per par, et impar ; perfectum, et imperfectum ; et sic de aliis, inter quos est ordo, ut patet. Utrum tamen ille ordo dicat simpliciter perfectionem, dubium habet, propter processum in infinitum, de quo ad Metaphysicum spectat pertractare. Quære singularissime istum, super 1. Metaph. quæst. 2. et 1. Reportationum distinctione 25. et alibi, et alios.

33. Octavo circa solutionem secundæ quæstionis * dubitatur. Videtur enim quod Universale non sit univocum ad hæc quinque : tum quia nullum univocum contrahitur ad univocata per æquivoca : sed Universale, vel ratio ejus, contrahitur per æquivoca, puta per *in quid*, et *in quale*, ad hæc quinque ; ergo, etc. Major videtur manifesta. Minor est istius infra, cap. de Differentia, ubi tenet quod *in quid*, est æquivocum ad Genus, et Speciem. Eodem modo vel magis, *in quale* ad quale essentiale, et accidentale, erit æquivocum ; tum quia sicut Animali, homini, rationali, risibili, et albedini, nihil est commune univocum, logice loquendo, ut iste concedit sæpe in his Logicalibus, ita videtur quod nec istis quinque intentionibus illis applicabilibus, cum sicut entitas, ita et unitas secundarum intentionum, accipiatur a primis. Alias instantias considerabis, quia curo præcise dare occasionem juvenibus investigandi subtilitates, in his quæstionibus latitantes.

* ubi supra num. 2.

Ad primum, tenendo cum Doctore suam conclusionem, patebit infra, cap. de Differentia, quæst. 5.

Ad secundum dico, quod major potest esse univocatio in intentionibus, quam in fundamentis, de quo infra, cap. de Genere, et alibi plenius.

34. Nono circa solutionem primi argumenti secundæ quæstionis * dubitatur. Primo enim contra illud quod dicit, quod nullum istorum de alio prædicatione exercita, et essentiali prædicatur, potest argui sic : Per te enim major unitas erit istarum intentionum, quam fundamentorum, ut supra jam dictum est ; sed fundamentum Generis, et Speciei, sic sunt unum, vel idem, quod alterum de altero prædicatione exercita, et essentiali, prædicatur, ut *Homo est animal*, ergo similiter, vel potius Genus de Specie. Species igitur Genus essentialiter erit. Item, contra aliud quod immediate sequitur, nec aliquid de uno istorum, sub ratione alterius, arguitur sic : Universale vere prædicatur de istis quinque prædicatione exercita : nam Genus et Universale, et Species similiter, et sic de aliis. Sed omne quod prædicatur, prædicatur sub ratione alicujus universalis, ex principiis hujus, igitur, etc. Ulterius ex hoc sequitur quod ratio Generis non est extranea Universali, cum prædicatur de istis per hoc verbum *est* : quia non sub ratione alterius Universalis prædicatur de istis, ut patet inductive : essentialiter autem, et non extranee, de ipsis dicitur, ergo modus sub quo dicitur non est sibi sic extraneus. Per idem potest argui, quod ratio generis non est extranea animali cum dicitur, *Homo est animal*.

* ubi supra num. 4.

Ad primum dico, quod istæ intentiones possunt comparari vel inter se, et hoc, vel ut abstrahunt a concernentia substratorum; vel cum illa concernentia vel quælibet illarum seorsum potest considerari ; vel tertio ad sua superiora, in quibus conveniunt. Si primo modo, et in primo membro, sic sunt incompossibiles, sicut quælibet alia disparata. In secundo vero membro primi modi concedo compossibilitatem illorum, sicut fundamentorum non tamen in eodem genere prædicationis. Sed iste prædicatione signata, et illa exercita, licet illis scilicet fundamentis, possit utroque modus prædicandi convenire, secundum tamen diversas acceptiones. Hæc igitur modo quævis ab utroque membro non est major unitas istarum intentionum, quam rerum, quia eo modo

quo, conceditur prædicatio unius de altero, conceditur in eis unitas, vel identitas, ut supponunt pro fundamentis. Secundo vero et tertio modo principali, concedo majorem univocationem in eis, et unitatem, et sic intelligit Doctor. Magis enim in se, et in aliquo communi habent unitatem, vel univocationem ista, quam omnia fundamenta, quibus applicantur. Non sequitur igitur quantum ad formam argumenti, *Homo est animal, ergo Species est Genus* : sicut non sequitur, *Homo amat, ergo nomen est verbum* ; quia denotatur prædicatio essentialis, vel modalis, quarum nulla est in proposito. Considerantur enim inesse quidditativo, ut sic, de se invicem prædicantur, et cum sint disparata, affirmativa falsa, nisi alterum ut modus subaudiatur. Forte tamen ista prædicatio, *Genus est species*, ut supponunt pro substratis, posset concedi, et esset vera in sensu quo sit, id est, illud quod est Genus et Species : ut animal respectu diversorum, in sensu tamen, quem facit, secus. Species etiam absolute dicta accipitur pro specialissima.

36. Sed dices, quare ista, conceditur, *Album est dulce*, cum præcise sit ibi veritas, ratione identitatis subjecti. Patet responsio ex prædictis. Vel dic, quod aliter permittitur ille modus prædicandi in primis intentionibus, aliter in secundis : tum propter consuetudinem modi inhærendi.

Ad secundum dico, quod illa propositio, *Omne quod prædicatur*, etc. vera est prædicatione signata, ut iste habet infra. Vel si generalius, intelligendum est in potentia propinqua, ut supra, quæst. de entitate Universalis, dictum est, in illa propositione, *Quidquid intelligitur*, etc. Extraneatur igitur ratio Generis ipsi Universali, sicut et aliis fundamentis, quibus applicatur ut modus intelligendi, quando prædicatur prædicatione exercita, et hoc propter rationem in secundo articulo assignatam. Habent enim se, in aliis diversis acceptionibus, tanquam duo termini, ut infra dicit.

37. Decimo dubitatur, quare magis species ejusdem Generis possunt de se invicem prædicari in accidentibus, quam in substantiis.

Dico breviter, quod ratio hujus, est minor convenientia Specierum substantiæ, quam accidentis : nec enim inter se quidditative, nec in tertio conveniunt, et hoc loquendo de Speciebus non subalternatis. Species autem accidentis conveniunt in tertio, ideo concretive (per accidens tamen) una de alia prædicatur, licet forte formaliter denominativa sit in Speciebus Quantitatis, de hoc tamen erit sermo. Sic tamen convenire, et de se invicem prædicari, arguit potius imperfectionem, quam perfectionem in accidentibus.

Undecimo dubitatur, utrum hoc sit verum in omnibus accidentibus ? Respondeo, accidentium quædam sunt absoluta (formaliter saltem) quædam respectiva. Absolutorum autem quædam contraria, quædam disparata tantum. Dico igitur, quod tam in accidentibus absolutis, quam respectivis (disparatis saltem, potest verificari illa propositio, licet forte non in omnibus. In contrariis autem absolutis, dummodo sit extrema contrarietas, non erit vera, ut arguit Doctor in littera. In respectivis vero est vera, licet non in omnibus decem Generum.

Sed dubitatur, quare potius in respectivis, quam in absolutis est vera. Dico quod propter formalem repugnantiam in absolutis, quæ non est in respectivis, ut iste habet distinct. 10. quarti, et distinct. 2. secundi.

Duodecimo dubitatur, utrum prædicatio unius accidentis de alio propter convenientiam eorum in tertio debeat dici denominativa. 38.

Prædicatio denominativa triplex.

Respondeo, quod prædicatio denominativa est triplex, *propria*, quæ est concreti accidentalis de suo subjecto; *communis*, quæ est concreti cujuslibet, aut de subjecto, aut de supposito, seu contractivo quocumque; *communissima* cujuslibet prædicati de quolibet subjecto. Similem distinctionem habet iste infra cap. de Accidente, quæst.

2. Alii distinguunt prædicationem denominativam, in denominativam a posteriori, aut a priori, sive prius sit de conceptu posteriorum, sive non : et ita est iterum triplex. Exemplum primi, ut *homo est albus*. Exemplum secundi, ut *Rationale est substantia*, vel animal. Exemplum tertii, ut *homo est animal*. Sed alia distinctio magis est hîc ad propositum, licet utraque bona. Item, accidentium quædam habent ordinem subjectivalem, ut quantitas, qualitas, relatio; quædam, ut Species ejusdem generis, vel diversorum aliquando. Dico ergo, quod prædicatio unius accidentis de alio, propter solam convenientiam eorum in tertio, non est proprie denominativa : communiter tamen, vel saltem communissime, sic : et ita intellexit Doctor.

Posset ulterius dubitari, circa illa quæ tangit de relativis, et relative oppositis, et relativis primo, et non primo : sed usque ad caput de Relatione, et de Oppositione omitto.

Decimo quarto dubitatur, quomodo differt secunda responsio de *quid*, et *modus*, ab illa prima de denominativa prædicatione.

quæst. 8. num. 5.

Potest dici, quod in prima comparantur intentiones ad invicem, propter convenientiam earum in tertio. In secunda vero ut una est accidens, vel modus formaliter denominans aliam. Vel dici potest aliter, quod non differunt, nisi in verbis tantum. Nam intentio, quæ prædicatur de alia, ut modus, denominative sibi convenit. Secunda igitur responsio, est declarativa primæ, in terminis specialibus.

39. Decimo quinto dubitatur, quis illorum duorum modorum dicendi, in illo exemplo de plurali, et singulari, sit convenientior.

Dico, salvo meliori judicio, quod primus, tum quia *quid* non prædicatur de *modo*, proprie loquendo. Sed e contra, tum quia modus significandi, respectu illius cujus est modus, non est *quid* : singulare autem ut modus significandi attribuitur ipsi plurali, et non e contra, ergo non sumitur ut *quid* respectu ejus : tum quia ratio illius intellectus male assignatur, ut dictum est in secundo articulo. Non attribuitur etiam singularitas rebus significatis per plurale absolute, sed ut per vocem singularem, vel singularis numeri, importantur. Vel aliter, quod falsum supponit. Plurale enim, ut modus significandi est, non significat plures res : sed vox, cui adjungitur ut modus, ut ly *homines*, vel *lapides*, etc. Verum tamen est quod differt dicere *plura*, vel *pluralitas*; et dicere *plurale*, vel *pluralis numerus*, ut in Tractatu de modis significandi habet pertractari : facit ad hoc mihi fidem modus exemplificandi, eodem exemplo hujus Doctoris, in primo distinct. 2. quæst 2. patet ibi, solvendo argumenta opinionum. Infra etiam cap. de Differentia, quæst. penultima, idem habet.

Decimo sexto posset dubitari, utrum universaliter verum sit, quod quælibet intentio potest sumi ut *quid*, vel ut *modus*. 40.

Et videtur quod non, quia licet aliquid sit *quo*, et *quod*, respectu diversorum, aliquid tamen est *quod* ita, quod non *quo*; aliquid *quo* ita, quod non *quod*.

Item, sicut in moventibus, et motis, est reperire movens, et motum; movens et non motum ; et motum non movens 7. et 8. Physicorum, ita videtur in modis intelligendi.

Sed dico breviter, quod secus est in respectibus rationis, secus in rebus. In his enim contingit procedere in infinitum, in illis vero non. Quantumcumque namque sit aliquid *quo*, vel minimæ entitatis, intellectus adhuc potest ipsum comparare ad aliud, vel aliud ad ipsum, et ita habebit rationem *quod*.

Decimo septimo dubitatur, utrum illa propositio sit tantum vera in secundis intentionibus. 41.

Dico quod non, licet maxime habeat veritatem in illis. Accidentia etiam realia, et quædam substantiæ, possunt sumi ut *quid*, vel ut *modus*, ut albedo est modus cognoscendi cygnum, vel margaritam : in se tamen est quid intelligibile. Item diadema est modus cognoscendi regem, et habitus

cum chorda fratrem Minorem. Signa sensibilia sacramentorum, gratiam inhærentem, vel subsistentem. In quibus omnibus verificantur illæ descriptiones notabiles Doctoris. Quando videlicet sunt *quod* intelligimus, sunt *quid* : quando vero *quo* alia cognoscimus, sunt *modus*. Sed quare in rebus idem non est modus suiipsius, in intentionibus vero sic, ut Species est species, non tamen album album, nisi per se, vel identice ; responsionem quære ex jam habitis.

42. Decimo octavo dubitatur, circa solutionem ultimi argumenti secundæ quæstionis : tum quia videtur contradictio in dictis Doctoris, cum dicit quod Genus non est magis, licet sit magis Universale, et hoc, quia *magis* dicit intentionem formæ, quæ pertinet ad perfectionem gradualem rerum, supra tamen dixit in prima ratione contra opinionem, quod Genus est quodammodo perfectius aliis : *tum* quia *magis*, et *majus* idem videntur significare, et valet argumentum ab uno ad aliud per locum a Casibus. Sicut sequitur : *Justum est bonum; ergo quod juste fit bene fit*; ita hîc, *Genus est majus Universale*, ergo quod genetice, prædicatur, magis prædicatur.

Ad primum, dictum est prius quod non intelligit perfectionem positivam, vel intensivam, sed extensivam. Contra primum, analogum est perfectius. Dico quod verum est, quando est analogia concernens entitatem, vel perfectionem, cujusmodi non est in proposito. Sed qualiter Genus prædicatur de pluribus comparative, quam Species, loquendo de intentionibus, infra, capitulo de Genere; dicetur.

43. *Majus et magis conveniunt et differunt.* Ad secundum dico, quod *majus*, *et magis* conveniunt dupliciter, sed differunt quadrupliciter. Conveniunt enim, quia utrobique comparatio, et comparatio non quæcumque, sed disquiparantiæ. Differunt autem, quia *majus* dicit comparationem duorum præcise; *magis* vero in ordine ad tertium. *Majus* etiam est Nomen, ideo quidditatem, vel formam significat; *magis* vero Adverbium, ideo modum formæ dicit. Item, *majus* de ipsa forma, *magis* vero de participantibus formam dicitur. Ultimo *majus* præsupponitur *magis*, et non e contra. Ex his ad argumentum patet quod non significant idem penitus. Aliud enim est loqui de Conjugatis, aliud de Casibus, quia ibi unum ab alio, hîc ambo a tertio oriuntur. Et quod ibi arguitur, forte posset concedi ad bonum intellectum, quod illud quod generice prædicatur magis prædicatur. Vel melius, quod locus a Casibus tenet saltem cum ly *magis* in suscipientibus intentionem, et remissionem, cujusmodi non sunt intentiones, ut supra tactum est, nisi forte ratione fundamenti. Dictum est autem in quarta differentia, quod ubicumque est *magis*, ibi est *majus*, et non e contra, ut patet de quantitate. *Majus* etiam molis; *magis* vero virtutis quantitatem concernit.

Circa solutionem primæ quæstionis, nihil pro nunc, gratia brevitatis, dico, præter ea, quæ dicta sunt supra, quæst. 3. de illis tribus conditionibus subjecti, et alia quæ in quæstionibus de Universali, supra dicta sunt : sed propter scrupulum synteresis occurrit ibi unicum verbum, non pertranseundum, cum dicit Doctor quod non esset possibile aliquam speciem Universalis scire, ignoto de ipso *quid est*. Contra, prius cognoscitur Species, quam Genus; et Individuum, quam Species, secundum alios. Dico breviter quod licet hoc sit verum de cognitione confusa, non tamen scientifica, et distincta : ideo dixit optime Doctor, *scire*, et non absolute cognoscere. 44.

QUÆSTIO IX

In quo est Universale ut in subjecto? Utrum in re, vel in intellectu?

Antonius. Andr. *q.* 1. *Univers.* §. *Quantum ad quartum*. Joan. Angl. *et* Bras. *super hanc quæst.* Merinero *in recapitulatione textus cap. de Genere* Rodrigues *q.* 5. *Univers. art.* 1.

Quæritur de *Universali*, cum sit accidens, ut hîc loquimur, *in quo est*, *ut in subjecto* : *utrum in re*, *vel in intellectu*. Quod non in re, probo ; Omne accidens, 1.

quod est in re, est proprium, vel commune ; si proprium, inest individuis, licet non primo (quia proprium per se primo inest speciei, *per se* enim præsupponit *de omni*.) Si commune, inest primo individuis ; si ergo esset accidens in re, inesset primo in individuis ; sed hoc est falsum ; quia tunc individuum esset Universale, ergo.

Item, *Intellectus est virtus passiva*, per Aristotelem 3. de Anima. Context. 5. et inde. cap. 2. ergo non agit extra mittendo, sicut est de sensu per Aristotelem 1. Top. cum ergo causet Universale, non extra mittet illud ; ergo non est in subjecto aliquo extra ipsum.

Item, *Ex intellectu, et intelligibili, fit verius unum, quam ex materia et forma*, per Comment. 3. de Anima. Cap. 5. sed forma non est extra materiam, nec e converso ; igitur nec intelligibile extra intellectum ; ergo nec modus intelligibilis extra intellectum ; igitur nec Universale.

2. Ad oppositum : *Materia et efficiens non coincidunt*, per Aristotelem 2. Phys. Context. 10. intellectus est causa efficiens Universalis, ergo non est materia, ergo nec subjectum ; quia accidentia non habent aliam materiam, nisi *in qua*, quæ dicitur subjectum eorum.

Item per Commentatorem super primum de Anima. Cap. 8. *Intellectus facit universalitatem in rebus* ; ergo illa est in re, non in intellectu, etc.

Item accidens est in illo, ut in subjecto, quod denominat ; Universale denominat rem, non intellectum, igitur, etc.

QUÆSTIO X.

An hæc sit vera, Homo est Universale.

D. Thomas *de Ente et Essentia* [illegible] Hurtado *disp. 3. de Prædicabilib. sect. 3.* §39 Compl. *disput.* [illegible] Angli. et Bras. *super hanc quæst.* [illegible] *art. 2.* Vide [illegible] *quæst.* [illegible]

Juxta hoc quæritur de veritate istius propositionis, *Homo est Universale*, et consimilium, ubi prædicatur intentio de re. Quod sint falsæ, probo. Subjectum significat veram naturam ; ergo pro illa supponit : prædicatum non prædicat veram naturam, quia non significat eam ; igitur prædicatur non vera natura, de vera natura : ergo oppositum de opposito. 1. Argumenta principalia

Item, si homo est Species, et Species est intentio : ergo homo est intentio : conclusio est falsa, ergo et aliqua præmissarum ; sed non minor, ergo major.

Item, omnis prædicatio vera in abstracto, est vera per se primo modo : hæc non est vera per se primo modo, *Homo est species*, et prædicatum, et subjectum sunt abstracta : ergo propositio falsa.

Ad oppositum : De quocumque prædicatur definitio, et definitum : sed homo prædicatur de pluribus differentibus numero : ergo homo est species, ergo Universale. 2.

QUÆSTIO XI

An hæc sit per se, Homo est universalis.

Vide [illegible]

Quod sic videtur, cui enim per se inest definitio, per se inest et definitum : sed homo prædicatur per se de pluribus differentibus numero : ergo homo per se est species. 1. [illegible]

•

Item, quod est per se intelligibile, est per se Universale : homo est per se intelligibile : ergo, etc. Minor patet, quia per suum *quod quid est*, quod est idem sibi. Item, Universale convenit homini, secundum quod abstrahitur ab omni accidente ; ergo non convenit ei, ut accidens. Antecedens est verum, quia homo ut conjungitur accidentibus, est singulare.

2. Ad oppositum : *Per se* præsupponit *dici de omni* ; ergo si homo est per se Universale, omnis homo erit Universale. Consequens est falsum, ergo et Antecedens.

Responsio ad quæst. 9. Ad Primam quæstionem dicendum, quod Universale est in re, ut in subjecto, quia illam denominat, non intellectum ; sed in intellectu est veluti in efficiente, et ut cognitum in cognoscente.

Triplex acceptio termini communis significantis veram naturam. Sciendum tamen, quod significatum termini communis, significantis veram naturam, tripliciter potest considerari. Uno quidem modo secundum esse in suppositis, quod dicitur *esse materiale* ejus, et hoc modo insunt sibi accidentia communia. Secundo modo consideratur absolute secundum *esse quidditativum*, et sic insunt ei prædicata essentialia. *Intellectus quomodo efficit Universale.* Tertio modo ut per formam intelligibilem, ab intellectu apprehenditur, quod est *esse cognitum*, et sic insunt ei intentiones. Intellectus enim considerans naturam hominis unam in multis, et de multis, ab aliqua proprietate reperta in natura sic considerata, movetur ad causandum intentionem, et illam causatam attribuit illi naturæ, cujus est proprietas et a qua accipitur.

3. *Ad argumenta quæst. 9.* Ad primum argumentum dico, quod procedit de accidente reali, quod inest naturæ, secundum esse materiale. Ad secundum dico, quod non attribuit aliquam proprietatem rei, per ejus transmutationem, quia non est virtus factiva : potest tamen aliquam attribuere, quæ dicit habitudinem rei ad intellectum, præsertim si accipiatur a proprietate illius rei : sicut attribuit modos significandi dictioni significativæ, qui sunt in voce, ut in subjecto, effective tamen ab intellectu.

Ad tertium dico, quod illud dictum Commentatoris non potest intelligi, quod fiat unum compositum ex illis : quia tunc intellectus esset compositus ex quidditatibus omnium rerum sensibilium : sed intelligendum est, quod intellectus in actu verius recipit prædicationem unius cum intelligibili in actu, quam materia cum forma : quia intellectus in actu est intelligibile in actu : quia per speciem intelligibilem in actu, potest seipsum intelligere reflectendo : materia autem non est forma per hoc quod ponitur cum forma.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod est vera eo modo, quo nunc dictum est accidens inesse rei ; quia definitio intentionis inest rei, isto modo. Contra hoc, Species inest homini, secundum quod homo dicitur de pluribus, etc. sed non dicitur de illis, nisi secundum quod est in illis, et hoc est secundum esse materiale ; ergo primo modo propositio est vera. 4. *Responsio ad quæst. 10.*

Ad hoc dico, quod Species inest homini, secundum quod homo prædicatur de individuis, loquendo de prædicatione *signata* : non de prædicatione *exercita*, id est, non secundum quod est idem suppositis, quod est primum membrum distinctionis.

Ad primum argumentum dico, quod vera natura potest sumi tripliciter, non tamen propositio distinguenda est, quia diversitas suppositionis stat cum unitate subjecti et significati. Sed est magis multiplicitas figuræ dictionis, si qua sit. Est igitur propositio simpliciter vera, 5. *Ad argumenta quæst. 10.*

quia secundum quod subjectum supponit veram naturam : ut tamen comparatur ad intellectum, inest ei tale accidens : multiplicitas enim figuræ dictionis non est vera multiplicitas, sed tantum phantastica, unde hic non distinguitur *Socrates est homo*, sed esset falsa, si acciperetur *homo*, ut accipitur hic *Homo est species*.

Ad secundum dico, quod hæc est falsa, *Species est intentio*, sicut hæc, *Album est color* quia *species* denominative importat aliud, quam intentio in abstracto. Contra, tunc hæc est vera, *Species est intentionale*, et ita sequitur, *ergo homo est intentionale*. Dici potest quod hic est fallacia Accidentis ; quia species respectu hominis accipitur ut *modus*, respectu vero intentionis ut *quid* quia quodlibet in suo genere est *quid*.

Ad tertium dico, quod non est ibi prædicatio in abstracto, quia *species* est concretum, et denominative prædicatur de re.

6. *Solutio quæstionis* 12. Ad tertiam quæstionem dicendum, quod tales non sunt per se : quod patet de primo modo, prædicatur enim in primo modo definitio, vel pars definitionis de definito. Impossibile est autem aliquam rem secundæ intentionis, definire rem primæ intentionis : quia tunc illa res secundum suam essentiam partim esset a natura, et partim ab intellectu, et ita a diversis non ordinatis ; quare non esset unum essentialiter ; ergo impossibile est aliquam intentionem per se primo prædicari de re. Nec secundo modo ; quia non causatur intentio ex per se principiis subjecti. Nec quarto modo ; quia res non est causa efficiens intentionis, sed intellectus. Nec universaliter aliquo alio modo ; quia tunc esset natura sufficiens causa talis accidentis. In quocumque igitur esset illa natura, illi inesset accidens quod falsum est.

Ad primum argumentum negatur minor. Contra, si non prædicatur per se, prædicatur per accidens : igitur hæc est per accidens, *Homo est animal*, etiam ista responsio est contra communem modum loquendi. 7. *Ad argumenta.*

Ideo dico, quod ly *per se*, in minori potest determinare inhærentiam hujus prædicati, *prædicatur de pluribus* ; vel inhærens, scilicet, prædicatum. Primo modo est falsa, et sequitur conclusio falsa. Secundo vero modo est vera, non tamen infert tunc consequens sic. Simile patet hic : *Accidens est per se inhærens*, si determinat inhærentiam, vera est : si inhærens, falsa.

Ad secundum per idem, minor est vera, *ut per se* determinat inhærentiam : et sic major est falsa.

Ad tertium dico, quod Universale inest homini, ut abstrahitur ab omni accidente reali, quod sequitur ipsum secundum esse materiale ; non autem ab accidente intentionali, quare, etc.

EXPOSITIO

Octavo (1) principaliter quærit, in quo est Universale, ut in subjecto, cum sit accidens, præsupponendo etiam accidens esse in subjecto, juxta illud 7. Metaph. text. comm. 2. *Accidens est ens in eo quod entis*, et alibi sæpe, idem habetur : et quia omne accidens subjective existens aut est in anima aut est in rebus extra animam, ideo specificat se ad illa duo et strictius quia in anima sunt plures potentiæ, præter essentiam ejus. Licet autem 8

(1) Mauritius exponit simul quæstiones 9, 10, 11 apud Scotum.

respectus rationis possint causari operatione cujuslibet potentiæ collativæ, intentiones tamen secundæ, de quibus loquitur logicus, fiunt operatione intellectus maxime, ideo specificat se ad intellectum ad differentiam aliarum potentiarum. Vel potest exponi *intellectus* per essentiam, vel per participationem, ut supra de ratione dixi.

9. De Primo. quid sit *Universale*, et quoties dicitur, supra habitum est. *Accidens* qualiter hîc, accipitur, vide infra, cap. de Accidente, quæst. 1. in divisione accidentis valde notabili.

Subjectum hîc intelligitur pro subjecto inhæsionis, vel informationis, vel pro materia *in qua Res* hîc amplissime sumi debet, ut dicitur de omni illo, quod non est nihil: vel ut dicitur a *reor*, et non modo a *ratus*. Intentiones enim secundæ sunt applicabiles (ut dictum est prius) omnibus, quæ possunt ab intellectu apprehendi. Vel forte potius loquitur Doctor, ut infra dicam, de rebus hîc, quæ habent esse in esse subjectivo, et non intellectivo, vel objectivo; sed primum magis placet, quia tenet Universale esse in re, sed non nisi ut in esse cognito. Intendit igitur nomine *rei*, omne pluribus communicabile, sive sit reale, sive rationis, sive positivum, sive negativum, dummodo pluribus possit communicari (ut infra, in Antepraedicamentis, quæst. ultima habet) excluso solo intellectu; et qualiter illa exclusio habet intelligi, in tertio articulo forte tangam.

Ordo conveniens est, quia prius determinandum erat de Universali secundum esse quidditativum, et scientificum, et objectivum, quam secundum esse subjectivum. Divisio vero communis.

10. Alias duas quæstiones laterales introducit. Prima est de veritate prædicationis, in qua intentio secunda prædicatur de prima, ut dicendo, *Homo est Universale*. Ubi advertendum, quod veritas hîc intelligi debet pro veritate complexa, quæ habet esse in intellectu formaliter, licet mediate actu complexo, et objective, quæ est habitudo conformitatis, et similitudinis actus complexi ad objectum complexum.

Propositio sumitur hîc pro denominato. Quid *homo*, quid *Universale*, quid *res*, quid *intentio*, prius dictum est, et infra de homine magis.

Ordo hujus ad præcedentem patet, quia prius accidens inest, quam Universale prædicetur de aliquo. Ideo quæstio de inhærentia præcedit quæstionem de veritate inhærentis inhærentiæ.

Tertia quæstio est de perseitate talis prædicationis. Quid sit *per se*, et quoties accipitur, patet primo Posteriorum text. comment. 9. et infra, in secundo articulo magis. Breviter (secundum quod habet iste 1. Reportationum distinct. 26. quæst. 2.) illa est *per se*, quando in subjecto includitur causa prædicari. Illa vero *per accidens*, quando in subjecto non includitur causa prædicati, ut patet inductive.

Ordo hujus patet ad præcedentes. Prius enim convenit de veritate, quam de perseitate propositionis disputare, cum omnis per se vera, non e contra, et communiora ordine doctrinæ sunt priora. Divisio harum duarum communis.

De Secundo. Triplici ratione arguit ad 11.
primam quæstionem *, quod Universale non * quæst. 9.
sit in re subjective. Prima ratio infert hoc num. 1.
inconveniens quod Universale, si esset in re, extra intellectum, inesset individuis, et tunc individuum esset Universale, quia in quocumque est albedo, est album; ubi tangit illam differentiam accidentium communium, et per se, quia hæc primo insunt individuis, illa vero speciebus. Sed secundario hæc illis, et illa istis, quam ponit Porphyrius in communitatibus. Ibi etiam tangit auctoritatem Aristotelis 1. Posteriorum text. comment. 8. 9. et 11. quod videlicet *per se* præsupponit *de omni*.

Secunda ratio procedit ex fundamentis Aristotelis 3. de Anima, ubi supra, quæst. 1. de Universali, et 4. Topicorum cap. 2. et potest confirmari ex 2. de Anima text. comm. 51. et sequentibus, et maxime text. comm. 59. et 74.

Tertia ratio procedit ex auctoritate Averrois super tertium de Anima, comment. 5, licet non formaliter in eisdem verbis, sed in similibus, saltem ubi comparat unionem intentionis intellectæ in actu cum intellectu materiali ad unionem materiæ cum forma. Ubi adverte tres consequentias, quæ patent ex supradictis.

Ad oppositum, triplici ratione arguit, quarum prima procedit ex illa auctoritate vulgata, quæ imponitur Aristoteli 2. Physicorum, sed non habetur expresse in textu tamen elici potest text. comm. 70. ubi vult quod tres causæ, scilicet forma, efficiens, et finis, coincidunt, aut in idem numero, ut forma et finis, aut in idem specie, ut forma et efficiens. Ex quo elicitur quod quarta causa, scilicet materia, non coincidit, nec in idem specie, nec in idem numero. Ibi etiam Doctor adducit aliam propositionem communem de materia accidentium, quæ habetur originaliter 8. Metaph. text. comment. 12. Secunda ratio fundatur in auctoritate Commentatoris 1. de Anima, comment 8. Tertia ratio procedit ex denominatione intrinseca, scilicet accidentis, et patet.

12. Consequenter ad negativam primæ lateralis *, arguit triplici ratione, quarum prima ostendit ibi esse prædicationem oppositi de opposito, quæ universaliter est falsa: ubi tangitur distinctio de ente naturæ, et ente rationis, vel secundum intellectum. Secunda ratio infert hominem posita hypothesi esse secundam intentionem, quæ potest confirmari per illam regulam Antepraedicamentalem, *Quando alterum de altero*, etc. et per locum a Specie ad Genus constructive. Tertia ratio innititur illi regulæ supra, quæst. 1. habitæ, et infra, quæst. 3. de Genere.

* quæst. 10. num. 1.

Ad oppositum unica ratione arguit, per locum a definitione constructive.

Demum ad affirmativam secundæ lateralis *, arguit tripliciter. Prima ratio procedit per locum a definitione constructive.

* quæst. 11. num. 1.

13. Secunda ex intelligibilitate, quæ per se Universali convenit, 2. de Anima et 1. Poster. et alibi. Tertia ex abstractione subjecti, in tali prædicatione, ab omnibus prædicatis accidentalibus: quod ergo sic sibi convenit, necesse est ut per se ei conveniat.

Ad oppositum, unica ratione arguit, quæ procedit ex fundamentis Aristotelis 1. Poster. text. comment. 8. 9. et 11.

Deinde ad primam quæstionem respondet, ubi tenet conclusive quod Universale est in re subjective: quod probat resumendo tertiam rationem post oppositum. In intellectu tamen est, ut in efficiente, sicut universaliter omnis effectus dicitur esse in sua causa, et etiam ut cognitum in cognoscente, sicut lapis dicitur esse in anima, vel alia objecta cognita, vel in se, vel in suis repræsentativis. 14.

Pro majori tamen declaratione hujus conclusionis, et propter solutionem argumentorum, ut etiam cavillationes, et impugnationes plures excludantur, adducit unam distinctionem, sive regulam valde in his logicalibus necessariam. Valet certe, ni fallor, aureum talentum. Imprime igitur ipsam synteresi, terque quaterque resume, quæ talis est: *Significatum termini communis, significantis veram naturam, tripliciter potest considerari.* Dixit notanter *significatum termini communis*, et non terminus communis, contra Terministas, Universalia vel communia realia negantes, et asserentes terminum communem significare adæquate omnia sua singularia, et bestialiter certe. Nam quod unum non significat, nihil significat, saltem univoce, 4. Metaph. text. comment. 10. Quomodo ergo magis univocum *homo*, quam *canis*. Sed de hoc contra istos alias erit sermo. Item, ex hoc quod dicit *significatum*, et non *terminus*, nota contra eosdem, quod suppositio simplex, sicut personalis, convenit termino, non pro significato materiali, quod ponunt aliud a formali, ideo subdit *significantis veram naturam*, quod etiam forte addidit contra Terministas. Item, ad differentiam terminorum significantium non entia, et quæ non habent

esse materiale, licet possint habere esse quidditativum, vel saltem cognitum, de quo magis in tertio articulo.

14. Ulterius advertendum, quod primum esse, vel prima acceptio talis significati, potest dici esse Physicum, secundum Metaphysicum, et tertium Logicum. Esse namque materiale est individuale esse, quod appellatur materiale similitudinarie, quia sic ens est in ultima subjicibilitate, et susceptivum omnium prædicatorum realium, supposito personaliter convenientium, ut puta cum *hîc* et *nunc*, et cæteris circumstantiis individuantibus, ut materia omnium formarum, et sic insunt ei, ut inquit Doctor, accidentia communia, scilicet primo, et etiam propria, sed non primo. Verumtamen scientifica Physici consideratio abstrahit suo modo. Esse quidditativum est esse abstractum ab *hîc* et *nunc*, et prædicabile, et ingenerabile, et incorruptibile, et æternum. Concernit tamen sua supposita, de quibus quidditative prædicatur, et hoc ut etiam prædicamentaliter considerantur, et sic convenit sibi suppositio personalis determinata, indeterminate tamen, nisi natura adjuncti aliud expostulet. Primo vero modo communiter supponit determinate, et determinate plerumque, sed interdum indeterminate secundum exigentiam additi, vel prædicati. Esse vero intelligibile, vel comparatum, vel cognitum, (licet comparatum aliquid addat) est quando per formam intelligibilem, id est, speciem, vel repræsentativum, apprehenditur ab intellectu tale significatum, et sic supponit simpliciter, id est, pro ipsa natura absolute sumpta, non habendo respectum nec ad contenta, nec ad continentia, et sic intentiones logicales insunt primis, et etiam sibi ipsis ad modum primarum, ut supra de Universali, et infra magis dicetur. Et tangit qualiter movetur intellectus ad causandum secundas intentiones, ut supra dixi : et exemplificat in modis significandi. Nam aliud est eorum subjectum, et aliud efficiens.

15. Et nota breviter quod summaria cognitio hujus diversæ acceptionis, potest haberi secundum exigentiam prædicati : nam talia subjecta, id est, taliter accipiuntur, et supponunt, qualia permittunt prædicata, ut inquit Boetius 1. de Trinitate, licet e converso videatur dicere, sed nihil refert ad propositum, ut patet. Exemplum, cum dicitur *Homo currit*, accipitur secundum esse materiale, quia tale accidens non convenit sibi ut abstrahit a conditionibus materialibus. Cum autem dicitur, *Homo est animal*, vel *rationalis*, vel *ens*, vel *risibilis*, accipitur secundum esse quidditativum, et essentiale, quia sive actu existat, sive non, talis prædicatio est vera. Cum vero dicitur, *Homo est Species*, vel *Universale*, vel *prædicatum* vel *subjectum*, et sic de aliis, tunc accipitur secundum esse cognitum, et comparatum, quia illi respectus rationis non attribuuntur sibi, nisi dum actu est universale, vel comparatum, vel cognitum esse habet, quod esse potest vocari recte *esse rationis*, et habens illud esse potest vocari *ens rationis*, vel *ratio*, ut singularissime habet iste, quæst. 3. Quodlibeti, articulo 2. et alibi, ut notavi ibi, quod declarat plura dicta Auctorum de talibus. Ubi adverte, quod licet exemplificavi per propositiones, intelligo tamen in duobus primis membris compositionem ex natura rei, et præcedentem omnem actum intellectus, quæ in tertio membro non potest esse, et ita variantur quoad esse cognitum, vel quoad esse cognitum præcise, et non præcise. In tertio enim membro requiritur præcise esse cognitum; in duobus aliis reale esse, vel actu quoad primum, vel possibile quoad secundum, ut infra magis.

Vult ergo Doctor, quod intentiones secundæ, puta Universale, etiam subjective sunt in rebus, et non in intellectu. Hoc tamen debet intelligi non secundum quamcumque acceptionem rei, sed præcise in illa tertia acceptione. Et hoc idem habet expresse dist. 35. Primi, et alibi sæpe, sic ad quæstionem.

Ad primum argumentum respondet, * 16.
quod procedit de accidente reali, quod convenit scilicet rebus secundum esse mate- * quæst. 11 num. 3.

riale, vel quidditativum : non autem de intentionibus, quia subjecta earum supponunt simpliciter, abstrahendo ab omni concernentia ad supposita, et subjecta. Hoc idem habet infra cap. de Accidente, quæst. 1. optime.

Ad secundum dicit, quod intellectus non attribuit aliquid extra se per transmutationem realem, quia non est virtus factiva, sed bene activa : respectum tamen rationis (qui est habitudo rei ad intellectum, vel unius cogniti ad aliud, ubi semper connotatur habitudo ad intellectum,) potest attribuere. Exemplificat de modis significandi. Vel posset aliter dici, quod non agit extra mittendo, quia objectum cognitum, cui attribuit intentionem, non est extra ipsum, ut magis in tertio articulo.

Ad tertium valde singulariter, primo excludendo intellectum falsum auctoritatis Commentatoris, glossat ipsam, sive illa fuerit intentio Commentatoris, sive non, saltem ut potest salvari illa, debuit esse intentio sua.

17. *Intellectus et intelligibile fiunt verius unum, quam materia et forma quomodo.*

Vult breviter dicere, quod intellectus, et intelligibile fiunt verius unum, quam materia et forma, quia nunquam materia est forma, nec e contra : et hoc intelligendum est de materia prima, et forma specifica, vel quacumque. Aliquid enim respectu unius potest dici forma, et respectu alterius, materia, vel quasi materia, et e contra, ut patet in formis ordinatis, in habentibus plures formas : patet etiam in genere, et differentia. Intellectus autem fit intelligibile, quia intellectus non modo alia, sed seipsum potest intelligere, 3. de Anima. text. comment. 8. licet non ante intelligere aliorum, ibidem, text. comment. 5. Cum ergo intelligit se ipsum, tunc idem numero est intelligens, et intellectum. Fit igitur verius unum, quia ex materia, et forma, fit tertium, non tamen unum est alterum : ideo minus unum, quam intellectus, et intelligibile : et hoc cum intelligit seipsum. Ubi advertendum, (quod etiam non omisit Doctor) quod ille actus, quo intellectus intelligit se, est reflexus. Et notanter dicit, *intellectus in actu etiam*, quia licet ista sit vera, *Materia est in potentia ad formam.* ; vel, *Forma est in potentia materiæ*, vel *Materia habet formam in potentia*, et sic de aliis, non tamen ista, *materia est forma*, sicut ista, *Intellectus est intellectus*, vel *intelligibile in actu*, etc.

Deinde ad primam quæstionem lateralem,* dicit partem affirmativam, et hoc accipiendo subjecta talium propositionum, in illa tertia acceptione prædicta. Sed statim objicit, inferendo quod potius secundum esse materiale intelligendo subjecta, tales sunt veræ. Respondet recurrendo ad prædicationem exercitam, et signatam. Nam prima convenit fundamentis intentionum, secundum duas primas acceptiones, secunda vero secundum tertiam.

* quæst. 11. num. 4

18. Ad primum principale respondet, quod licet vera natura possit sumi tripliciter, ut jam in solutione primæ quæstionis dictum est, propositio tamen non est distinguenda, in qua non vera natura prædicatur de vera natura, sed simpliciter concedenda ; et hoc in illa acceptione, in qua non vera natura, (id est, entia rationis vel intentiones secundæ) nata est convenire veræ naturæ, id est, enti naturæ : et hoc est in illa tertia acceptione prædicta. Ubi notabiliter dicit, quod diversitas suppositionis stat cum unitate subjecti, vel significati : et hoc est verum secundum variationem prædicati, ut dictum est prius. In istis enim tribus propositionibus, *Homo est albus, homo est animal*, et *homo est species*, iste terminus *homo* idem significat, suppositione tamen alia et alia. Dicit igitur quod ibi est multiplicitas figuræ dictionis, si qua sit, quam plasticam multiplicitatem appellat. Et ponit exemplum de hac propositione, *Socrates est homo*, quæ licet sit multiplex, non tamen est distinguenda.

Terminus idem interdum varie supponit.

Ad secundum dicit, quod illa est falsa, *Species est intentio*, quia prædicatur abstractum superius de concreto inferiori, ut *Album est color*, quam dicit esse falsam. Statim objicit, quia ad minus hæc, *Species est intentionale*, ubi concretum superius

de concreto inferiori prædicatur) est vera, ut ista, *Album est coloratum.* Si ergo vere homo est species, vere est intentionale ; quod scilicet est falsum. Dicit Doctor consequentiam non valere, propter accidens. Mutatur enim medium respectu extremorum, quia respectu unius est *quid* ex primo Topicorum, cap. 7, respectu alterius ut modus. Est etiam figura dictionis.

Ad tertium negat assumptum, pro secunda parte minoris.

19. *Quatuor modi dicendi per se explicantur.* Ad secundam quæstionem lateralem, tenet conclusionem negativam, discurrendo per omnes modos dicendi per se. Ubi advertendum, quod quatuor sunt modi dicendi per se, 1. Poster. ubi prius; ubi dicit Linconiensis, quod *propositio per se* est illa, cujus quidditas unius extremi egreditur a quidditate alterius. Quandocumque igitur quidditas subjecti egreditur a quidditate prædicati, talis prædicatio est in primo modo dicendi per se.

Habet autem primus modus, ut communiter dicitur, quatuor gradus.

Primus quando per se superius in *quid* prædicabile, prædicatur de suo per se inferiori, sive tale superius sit transcendens, sive Genus, sive Species.

Secundus gradus, quando prædicatum intrinsecum, dicens quale, prædicatur de illo, cujus est intrinsecum constitutivum, sive sit differentia, sive modus intrinsecus, secundum aliquos.

Tertius gradus, quando tota ratio intrinseca prædicatur de suo constituto.

Quartus, quando idem prædicatur de se ipso, sed de hoc ultimo varia est opinio. Linconiensis tamen, ubi supra, aliter assignat illos gradus.

Secundus modus dicendi *per se* est, quando quidditas prædicati egreditur a quidditate subjecti, et habet duos gradus. Primus, quando passio adæquata prædicatur de suo subjecto adæquato. Secundus, quando passio adæquata superiori prædicatur de inferiori. Sed Linconiensis assignat tertium gradum, quando videlicet passio inferioris de superiori prædicatur. Hoc tamen minus recte dicit, quia *per se* præsupponit *de omni*, licet posset sustentari.

Tertius modus, ut communiter dicitur, non est modus prædicandi, sed potius essendi : et sic omne illud est per se, quod non est in alio, ut Deus, et substantiæ primæ. Reducitur autem hic modus ad agere, et operari. 20.

Quartus modus est, quando effectus formalis prædicatur de aliquo, mediante sua causa formali, vel quando actus egrediens a causa formali, dicitur de effectu formali, mediante causa formali. Vel quando effectus per se dicitur de suo immediato principio productivo. Exemplum primi, ut *Homo est albedine albus.* Exemplum secundi, ut *Album albedine disgregat.* Exemplum tertii, ut *Intellectus intelligit, voluntas vult.* Vel, secundum Linconiensem, quartus modus est, quando subjectum est causa quare prædicatum sibi inest, et habet tres gradus secundum ipsum. Primus, quando subjectum est causa immediata quod prædicatum inest sibi, et alii : ut *Animal rationale est risibile.* Secundus, quando subjectum includit essentialiter causam prædicati ; ut *Homo est risibilis.* Tertius, quando actus alicujus causæ formalis prædicatur de effectu illius causæ : ut, *Calefaciens calefacit.* Sed alius modus assignandi magis sapit. Differunt autem isti modi, quia duo primi sunt modi dicendi, sive prædicandi, tertius vero essendi, et quartus causandi.

Dicit igitur Doctor, quod propositio ista, de qua quæritur, non est in primo modo, quia intentio secunda non est pars definitionis, nec tota definitio rei primæ intentionis. Ubi tangit implicite tres gradus : de quarto vero patet, quia non sunt simpliciter idem, et quod non sit definitio, nec pars ejus, ostendit, quia tunc talis res partim esset ab intellectu, pro quanto dependeret essentialiter ab intentione secunda, quæ habet esse ab intellectu ; et partim a natura, quia ens reale, vel res primæ intentionis, et ita a diversis non ordinatis. Licet enim ab his quæ habent ordinem in cau- 21. Homo est species, *non est in 1. modo per se.*

sando, quantumcumque inter se diversa, aliquid possit produci, vel constitui, secus tamen in non habentibus ordinem, ut sunt res primæ intentionis, et secundæ, ex quibus nihil per se unum, licet bene per accidens potest constitui. Quod autem non sit in secundo modo, ostendit et patet. Quod etiam non in quarto modo, ostendit : et videtur loqui secundum Linconiensem, vel secundum alium modum assignandi quartum modum. Removet a proposito tertiam partem disjunctivæ prædictæ. Sed an quartus modus sit modus inhærendi, dubium est, de quo forte infra, et primo Posteriorum, secundum diversas opiniones, habet videri. Et addit, ne omittat tertium modum, quod nec universaliter aliquo alio modo, quia tunc res esset sufficiens causa talis prædicati, vel accidentis, quod falsum est : quia fit ab intellectu. Et si assumptum esset verum, tunc cum illa natura, ut homo, etiam seclusa operatione intellectus, sit in suis individuis secundum esse materiale, illa intentio sibi inesset, et etiam individuis, secundum tale esse. Sicut igitur hæc est vera, *Homo est albus*, vel risibilis, vel ridet, et per consequens Socrates, vel Plato ; ita sequeretur de Specie, quia accidentia, quæ ex natura rei, seclusa operatione intellectus, insunt communibus, et etiam insunt suis inferioribus.

22. Ad primum argumentum illius quæstionis, * negat minorem cum dicitur, homo prædicatur per se de pluribus, etc. Sed statim replicat, si non per se, igitur per accidens ; et infert, igitur hæc, *Homo est animal*, est per accidens ; vel, ut habent alii libri, hæc, *Socrates est homo*, et est magis ad propositum, licet utraque littera possit stare. Vult dicere Doctor, si homo prædicatur per accidens, et non per se, de pluribus, igitur mutando scilicet prædicationem signatam in exercitam, hæc erit per accidens, *Socrates est homo* ; vel sic, ut salvetur alia littera, qua ratione homo per accidens prædicatur de pluribus, pari ratione et animal. Hæc igitur est per accidens, *Homo est animal*, et adjungat quod talis responsio est contra communem modum dicendi.

* quæst. 11. num. 7.

23. Ideo aliter respondet dicens, quod ly *per se* potest determinare *inhærentiam*, vel *inhærens*, qui termini sunt speciales. Ubi intelligendum quod præter essentialia propositionis, quæ sunt materia et forma ejus (materiam autem propositionis appello subjectum, et prædicatum, et loquor hic de propositione primo-intentionaliter sumpta et similiter de subjecto, et prædicato; formam vero copulam, licet prædicatum respectu subjecti sit forma, maxime in prædicatione formali) adduntur alia accidentalia, vel determinationes quædam, ut ly *per se*, *per accidens*, *formaliter*, *in primo modo*, vel *secundo modo*, *materialiter*, et sic de aliis. Et hujusmodi determinationes aliquando determinant inhærentiam, quæ est respectus fundatus in copula, conjungente prædicatum cum subjecto, saltem immediate. Sicut similitudo in forma communi utrique similium, ut cum dicitur, *Homo per se est animal*, ly *per se* potest determinare inhærentiam ; et est sensus, inhærentia animalis respectu hominis, quæ fundatur in hoc verbo *est* exprimente unum in alio, vel includere aliud, est inhærentia perseica, et non per accidens. Vel forte verius est ipsam inhærentiam fundari in ipso prædicato, et terminari ad subjectum, ut infra, quæst. 13. 1. Perihermenias habet iste. Est enim habitudo prædicati ad subjectum, et potest dividi in actualem, potentialem, seu aptitudinalem, ut habet videri 7. Metaphysicæ hujus, et 12 dist. 4. Sunt igitur in propositione subjectum, et prædicatum, quæ comparantur sicut materia, et forma ; et est compositio, quæ est ipsum verbum quod se tenet maxime a parte prædicati, vel ut totum, vel ut pars, vel ut specificativum ejus ; et præter ista sunt habitudines forte plures, quarum una est inhærentia talis. Aliquando vero determinat inhærens, idest, totum prædicatum, vel respectum in prædicato, ut tamen personaliter supponit. Inhærens enim inhærentia inhæret, sicut simile similitudine

Inhærens et inhærentia exponuntur.

dine est simile. Prædicatum autem, pro quanto præsupponit subjectum, vel ut forma materiam, merito inhærens nuncupatur, licet non semper accidens ejus censeatur. Et de hoc membro est exemplum in littera, cum dicitur, *Homo est per se species*, vel *homo per se prædicatur de pluribus*. Sed cum dicit Doctor, *Accidens est per se ens*, propositum enim Doctoris est de uno membro distinctionis, et exemplum de opposito, quod convenienter potest fieri, quia unum oppositorum facilius cognoscitur, reliquo intellecto.

24. Intentio igitur secunda, cujusmodi est *species*, vel *prædicari de pluribus*, non inhæret per se, sed per accidens rei primæ intentionis. Ideo illa inhærentia non est perseica, sed denominativa accidentalis. Cum tamen unumquodque non per accidens unum sit quid in suo genere, et ipsum per se sit ipsum, et quæstio quærens quare ipsum sit ipsum, est nulla, 7. Metaph. text. comment. 59. ideo species est per se species, et prædicari de pluribus per se est tale, et album per se album, et sic de aliis. Quare licet hæc prædicatio non sit per se, *Homo est Species*, vel *Homo prædicatur de pluribus*, ideo inhærentia non est perseica, ut tamen ly *per se* cadit super ipsum prædicatum, quod inhærens dicitur, in se tunc est vera propositio, et est sensus, homo est species, quæ species est per se species. Et potest distingui in talibus secundum compositionem, et divisionem, quia est multiplicitas potentialis in eis, ut patet infra, cap. de Accidente, quæst. ultima. Inhærentia igitur est per accidens, et inhærens per se.

25. Notandum ulterius, ad majorem hujus passus declarationem, quod aliquando *per se* (et ita contingit in aliis determinationibus) determinat tam inhærentiam, quam inhærens, vel saltem determinare potest, ut hîc, *Homo per se est animal*. Aliquando inhærentiam tantum, ut in exemplo Doctoris, *Accidens est per se ens*. Quia si ly *per se* determinaret inhærentiam, et inhærens: tum cum ens dividitur in ens per se, et in ens in alio; ens vero per se est substantia, in alio autem accidens; esset sensus, quod accidens esset substantia, quod est impossibile. Aliquando autem inhærens tantum, ut in proposito quæstionis. Aliquando neutrum, ut cum dicitur, *Homo albus est animal currens*, et universaliter ubi de ente per accidens uno, aliquid dicitur, vel ipsum de aliquo, vel aliquid de et maxime quando ponitur a parte prædicati. Et sicut dixi de ly *per se*, ita intellige suo modo de aliis determinationibus. Secundum principale solvit recurrendo ad eamdem distinctionem. Tertium vero recurrendo ad illam distinctionem significati termini communis, et duplicem abstractionem hominis, respectu duplicium accidentium sibi convenientium.

De Tertio, posset primo dubitari, 26.
circa titulum quæstionis *, tum quia vide- * quæst. 9.
tur quod Universale non sit accidens, quia tunc non esset genus ad alia quatuor. Tum quia illa divisio non videtur conveniens, cum dicit utrum in re, vel in intellectu, quia membra coincidunt. Intellectus enim est res, ut patet.

Ad primum dico, quod est accidens ut modus, vel melius quod accidens est æquivocum, ut infra quæst. de Accidente. Sustinendo primam responsionem posset dici, quod sicut in ordine ad sua inferiora ejusdem denominationis, Universali convenit modus speciei, et alterius denominationis modus generis; ita in ordine ad subjectum convenit sibi modus accidentis, ut est quintum Universale. Nam sic potest dici prædicatum in quale accidentale non convertibile, sicut album. Et si objiciatur quod tunc inesset primo individuis, sicut albedo, et tunc indiduum esset Universale: posset dici quod illud famose dictum de accidente communi, debet intelligi de fundamento accidentis, quod habet esse ex natura rei: nam sic oritur ex principiis individui. Secus est de fundamento ejus, fabricato ab intellectu: ibi enim sufficit salvari quod essentiale est in accidente, etsi non quod ac accidentale. Et si instetur

de esse materiali Universalis, ut supra dictum est, distingue de accidente communi plura addendo.

Ad secundum dico, quod accipit *rem* non simpliciter, sed contracte ut convenit præcise his, quæ non sunt intellectus, vel generalius quæ non sunt ipsa anima, sed extra saltem quidditative, licet non subjective, vel objective.

Si objiciatur, quod intellectus prædicatur de pluribus, sicut aliæ quidditates, igitur est universalis. Potest dici quod Doctor hic loquitur de intellectu hoc, vel illo, per modum potentiæ, et non per modum quidditatis considerato. Intellectus enim potest considerari subjective, vel objective, sicut aliæ res : et ita potest titulus quæstionis intelligi generaliter nomine *rei*, de quocumque de pluribus prædicabili, et nomine *intellectus* de potentia, ut considerativa est, et non ut quidditas objectiva. Vel posset negari assumptum, ut alias habet tractari.

27. Secundo posset dubitari, circa primum argumentum, et solutionem ejus, quare accidentia communia individuis, propria vero speciebus primo insunt, et quare non ita de accidentibus intentionalibus æque verificatur, sicut de realibus ; sed hoc infra cap. de Proprio et Accidente habet examinari. Breviter pro nunc dicendum, quod accidentia communia sequuntur principia individui, ut puta materiam, vel qualitates activas, vel passivas, ut infra cap. de Proprio, quæst. 3. vel 4. secundum alium ordinem. Accidentia vero per se sequuntur principia speciei, vel specificam formam, et hoc quantum ad primum. Accidentia etiam realia conveniunt subjectis suis supponentibus personaliter, intentionalia vero supponentibus simpliciter. Illa vero verificantur de individuis mediate, vel immediate, hæc minime : et hoc quoad secundum.

Quantum ad secundum argumentum, et solutionem ejus pertranseo, quia difficultates, quæ ibi occurrunt, ad Philosophum naturalem, et perspectivum pertinent, et supra quæst. 4. et 5. [illegible] sed quod ibi tangitur de [illegible] di, et subjecto eorum, videbitur in tractatu suo.

Tertio dubitari posset, circa tertium argumentum, et solutionem [illegible] glossa illa Doctoris qualiter ex intellectu et intelligibili, fit verius unum, et sit ad mentem Commentatoris. Et dico breviter, quod [illegible] ubi supra, scilicet commento quinto ad hoc propositum [illegible] butientesque imaginationes, quas nec ipse, nec alius de mente sua exprimere valet [illegible] materiali introducit, ut tamen aliquem bonum intellectum habere possit, subtilissime eum Doctor glossat. Est ergo glossa aurea super textu plumbeo. Ibi etiam posset invenire contradictionem in dictis Averrois et in 1. Physic. comm. 17. de tertia entitate, quam negat ipse, et Scotus ponit. 28

Quarto dubitatur utrum argumenta post oppositum, sufficienter ostendant propositum Doctoris, videlicet quod *in re subjective est Universale*. Dico breviter, quod licet persuadeant ad hominem, non tamen simpliciter concludunt, imo primum eorum solvit Doctor in simili infra, cap. de Proprio, quæst. 3. vel 4. secundum alium ordinem, ubi distinguit de materia et efficiente. 29

Secundum vero potest solvi ex dictis ejus 7. Metaph. de Universali distinguendo. Facit enim intellectus de Universali in potentia remota, Universale in potentia propinqua, et illud est Universale reale, et loquitur secundum aliquos de potentia agentis.

Tertium argumentum [illegible]

tem faciliter probari minor sic, sed omitto gratia brevitatis.

30. Quinto dubitatur, circa solutionem principalem hujus quæstionis *, videtur enim contradictio hic in dictis hujus Doctoris, et in 7, Metaph. Ibi enim tenet Universale esse in intellectu, et non in re, et non præcise tanquam in efficiente, sed subjective. Item, videtur quod sicut esse cognitum convenit lapidi per denominationem extrinsecam, a cognitione videlicet quæ est in anima, et non in lapide formaliter, ita esse universale convenit homini, vel animali.

* quæst. 11. num. 2.

Respondeo, hic est triplex modus dicendi; quibusdam enim videtur quod intentiones secundæ, et universaliter entia rationis, non habent esse subjectivum in aliquo, nec videlicet in intellectu, nec in re extra intellectum, et hoc forte propter minimam eorum entitatem, et facit ad propositum ipsorum hoc motivum, licet quodammodo altioris negotii. Secundum veritatem enim Theologicam in Deo nullum accidens cadit subjective, sed de Deo dicuntur aliqua entia rationis, ut puta Dominus, creator, conservator, individuum, terminus, incomplexum, subjectum, prædicatum, etc. Imo intellectus divinus comparat et se, et suam essentiam ad alia, et ita videtur, causare respectus rationis, licet non novos. In quo ergo erunt subjective? Si in Deo, igitur accidens in Deo; si in intellectu Divino, idem, quia Deus. Nec valet dicere quod transirent in identitatem cum essentia Divina, quia ens rationis transire in identitatem cum ente reali, videtur impossibile, ut habet iste 5. Metaph. et quæst. 3. Quodlibetica, et alibi sæpe. Videtur autem aliis quod in intellectu habent esse non modo objectivum, sed etiam subjectivum. Aliis quoque videtur quod in rebus comparatis, ut tamen habent esse cognitum, vel volitum.

31. Sed tenendo cum Doctore, placet mihi conclusio sua: vult enim plerumque in his quæstionibus quod Logicus considerat intentiones secundas, ut concernunt concretionem ad subjectum, et fundamentum primas, et hoc vult Boetius, nec contradicit sibiipsi Doctor. Vult enim 7, Metaph. quod Universale habet esse objectivum in intellectu. Vel si contendas quod intendit de esse subjectivo, adhuc potest salvari controversia, quia intendit in Metaphysica quod Universale Logicum non est in re extra, ut rem considerat Metaphysicus, videlicet secundum esse quidditativum, vel ut rem considerat Physicus, videlicet secundum esse materiale. Non tamen ex hoc sequitur quod non sit in re, ut rem considerat Logicus, videlicet secundum esse cognitum. Ideo dixit quod Universale est in intellectu, scillicet mediate, quia in re quæ habet esse in intellectu immediate sicut albedo, quæ immediate inhæret quantitati, dicitur esse in substantia, licet mediate. Vide eum super 5. Metaph. quæst. 1. de Relatione, conclusione tertia, ad finem, ubi expresse hæc glossa habetur. Hic vero dicit quod est in re, scilicet immediate, ut tamen habet esse in intellectu, ideo illam distinctionem de significato termini communis non ab re adjungit.

Nec motiva primæ viæ movent. Cum primo dicitur quod propter eorum minimam entitatem habent tantum esse objectivum, facit ad oppositum. Accidens enim ideo esse subjectivum exquirit, quia per se esse nequit, licet aliud concurrat, quanto autem minoris entitatis, tanto magis eget subsistente sustentificante, minusque per se stare valet, igitur si minimæ entitatis maxime subjectum requirit. Patet consequentia per regulam 5. Topicorum: *Si simpliciter ad simpliciter, magis ad magis, maxime ad maxime.* Hujus etiam confirmatio est quod accidentia respectiva non modo subjecta, sed fundamenta expostulant. Quod tangit de respectibus rationis Deo convenientibus, posset uno modo dici, quod non est necessarium ponere hujusmodi respectus in Deo, ad creaturam, saltem quia potest terminare relationem creaturæ ad ipsum absque quocumque respectu in ipso, ut 30. dist. Primi habet iste, et alibi sæpe. Vel dicit potest secundo, 32.

quod sunt in Deo, ut habet esse objectivum in intellectu creato, quod non ei convenit. Vel dic tertio, quod non est inconveniens ponere hujusmodi respectus in Deo, ut etiam habet esse cognitum, vel volitum in intellectu, vel voluntate suipsius. Et quod dicitur de accidentibus, habet intelligi de accidentibus realibus, perficientibus suum subjectum, atque supervenientibus post ejus esse completum quod non convenit Deo. Tales vero respectus rationis non sunt hujusmodi. Non magis repugnat Deo, ut video, quod sibi attribuantur secundum esse cognitum modi intelligendi Logicales, vel saltem transcendentes, quam modi significandi Grammaticales, quos nullus sibi convenire negat. Vide hunc in 2. dist. 1. quæst. 5. et 35. dist. 1. et alibi sæpe, expresse ad hoc.

33. Sed videtur repugnantia in dictis Doctoris, quia supra, quæst. 4. dixit quod *esse in* convenit accidentibus realibus, et *dici de* intentionalibus. Ad hoc ibi dixit satis diffuse, et infra, cap. de Accidente, quæst. ultima, patebit. Ad hoc facit expresse quod habet iste in 4. dist. 12. quæst. 1. in solutione principali, de inhærentia accidentali accidentium respectivorum, et quæst. 1. ejusdem distinctionis. Sed considera instantias altius. Alii duo modi dicendi possunt concordari ut prius. Stant enim simul quod intentiones secundæ sint in intellectu, et quod sint in re extra, intelligendo ista ut prædixi. Habent enim esse subjectivum, diminutum tamen, quia in habentibus esse objectivum, ideo dicuntur habere esse objectivum, cum accidens non sit majoris entitatis suo subjecto, et in hoc salvabis controversias, plura addendo, distinguendo de esse objectivo, et subjectivo, ut nosti.

34. Sexto dubitari posset, juxta illam regulam Doctoris de significati termini communis triplici esse*, utrum significato termini discreti particularis possit convenire hujusmodi triplex esse? Dico breviter, quod sic, alio tamen et alio modo. Habet namque primum esse non quod sit in suis inferioribus, quia nulla habet, sed quia consideratur ut individuum [illegible] convenientissimum, ut [illegible], et nunc et cum talibus, et talibus accidentibus, et ut generabile, et corruptibile, non modo ut *quo* sed ut *quod*: sicut *Magister Joannis filius* [illegible] *albus*, etc.

* quæst. 11. num. 2.

Habet etiam secundum esse, videlicet quidditativum, non quod sit prædicatum, nec primo habens rationem quidditativam, sed ut individuum signatum hæcceitate tantum, vel certe ut individuum vagum, de quo prædicantur per se, et necessario sua superiora, et de quo vere est scientia, licet non primo (ut hunc sequar) licet aliis aliter videatur, ut sic per se est in genere, et ingenerabile, et incorruptibile, ut quidditates specificæ.

Habet etiam tertium esse, quia non solum quidditatibus communibus, verum ipsis singularibus et modos intelligendi, et significandi, licet aliter intellectus attribuat, dicuntur enim *supposita, personæ, singularia, individua, particularia, substantiæ*, etc. Dixit tamen Doctor *significatum termini communis*, tum quia in talibus magis patet illa triplex receptio, tum quia in proposito loquitur de Universali, quod non convenit nisi communibus, tum ut Terministarum novitates excluderet. Quare autem dicit veram naturam, tetigi supra. Non solum enim hoc in istis habet veritatem, sed etiam in omnibus, in quibus coordinatio reperitur, ut certum est prius de Universali. Tamen verum est quod in talibus realibus expressius patet. Possunt contra regulam etiam adduci aliqua ex dictis hujus in Quodlibeto, quæst. 3. et 4. quæ relinquantur sagaci lectori.

Septimo dubitatur juxta eamdem regulam, quia non videtur congrue loqui, cum dicat* assignando primum modum [illegible] *esse in suppositis*, quia [illegible] non convenit [illegible] [illegible] supposito, vel [illegible] in natura [illegible] vel [illegible] in natura [illegible] *suppositum* vero reperiatur in natura [illegible] 35.

* quæst. 11. num. 2.

tiva, vel saltem vivente ; *individuum* quoque, vel *singulare*, quod tripliciter accipi potest, ut supra, reperitur in omni genere, imo extra genus, saltem Metaphysice : Doctores nihilominus utuntur indifferenter his terminis, et maxime *supposito*, et *individuo*, vel *singulari*. Loquitur igitur Doctor ut plures, licet sentiat ut pauciores, juxta doctrinam 2. Topicorum. Exemplum *substantia, natura, essentia*, quidditas, vel *formalitas*, accipiuntur plerumque indifferenter, licet, proprie loquendo, habeant se ut magis, et minus commune. Ita hic. Quære in 5. dist. primi, quæst. 1. ad hæc. Quid autem sit *persona* vide 23. dist. primi.

Suppositum quid. Quid vero *suppositum* patet 9. quæst. Quodlibeti. *Est* enim *per se ens, habens ultimatam actualitatem, non ordinabilem ad ulteriorem per se actum, nec est alteri ratio essendi formalis.* Quid etiam sit *individuum* patet ex Porphyrio cap. de Specie, et alibi sæpe habetur. Vel posset aliter describi *suppositum*, quod *est ens completum non constituens cum alio aliquod unum, nec alteri inhærens, nec ab alio sustentatum*. Quæ descriptio potest colligi ex 9. et 19. quæstione Quodlibeti, et alibi sæpe.

36. Octavo dubitatur circa solutionem primæ quæstionis lateralis, cum solvendo objectionem immediate factam contra solutionem, dicit Doctor * quod *Species inest homini, ut prædicatur de individuis, loquendo de prædicatione significata, non exercita*. Contra, talis prædicatio accidit rebus per ipsum infra cap. de Genere, quæst. 1. † Item, cum glossando se, dicit *, *id est, non secundum quod est idem suppositis.* Videtur igitur quod homo secundum esse cognitum, non sit idem suppositis, quod videtur falsum : quia sicut cum identitate signati stat diversitas acceptionis, vel suppositionis, ita et identitas signati cum quocumque non variatur, propter variationem acceptionis ejus.

* quæst. 11. num. 4.
† quæst. 14. num. 4.
* quæst. 11. num. 4.

Ad primum dico, quod stant simul accidentalitas prædicationis signatæ hominis de suis inferioribus, et veritas propositionis enunciantis intentionem speciei, vel Universalis de homine. Vel posset dici, quod loquitur Doctor infra *, de rebus secundum esse quidditativum, vel materiale, hic vero † secundum esse cognitum, in quo forte non accidit eis talis prædicatio. Prima tamen responsio magis sapit.

* quæst. 1 num. 4.
† quæst. 1 num. 4.

Ad secundum nego illud quod infertur. 37.
Nam licet homo in esse cognito abstrahat a suppositis, maxime cum sibi applicatur intentio secunda, in re tamen est identitas, quia *Abstrahentium non est mendacium :* et non est abstractio divisiva, sed præcisiva. Pro tanto tamen est non identitas, quia non supponit pro eis, nec prædicatum, quod sibi sic convenit, verificatur de aliquo, nec pro aliquo suppositorum : secus in prima acceptione. Vel posset dici, quod non est identitas totalis, licet partialis ; vel quod est identitas Metaphysica, vel Physica, non autem Logica ; vel quod non est identitas in esse secundum *quid*, sed bene in esse simpliciter. Consideratur enim in prædicatione *exercita* homo, vel aliud commune, maxime respectu prædicatorum accidentium realium, non ut aliud, nec abstractum a suis suppositis, sed pro uno, vel omnibus. In prædicatione vero *signata*, ut commune, et abstractum, et ex natura rei distinctum. In secunda etiam acceptione forte similiter est dicendum.

Nono dubitatur, circa solutionem primi 38.
argumenti ejusdem quæstionis. * Videtur enim primo quod non solvat formaliter ipsum argumentum. Item, illa propositio, videlicet quod *Diversitas suppositionis stat communitate significati*, non videtur vera, tum quia tunc terminus supponens materialiter, personaliter, et simpliciter, idem significaret, quod est falsum, maxime secundum ponentes significatum materiale, et formale ; etiam secundum ponentes terminum communem significare sua singularia, saltem secundario. Aliud ergo significatum in suppositione materiali, quia materiale, et personali, quia formale secundarium saltem ; et simplici, quia secundum alios materiale, vel secundum alios, et melius, primarium formale. Item, videtur quod *terminus* in

* quæst. 1 num. 5.

illa triplici acceptione prædicta, (ad quam referuntur verba Doctoris,) hic non significet idem, quia quod est simpliciter tale, et quod est secundum *quid* tale, non sunt idem: sicut *Homo*, et *Homo mortuus*; *Homerus*, et *Homerus in opinione*: imo arguendo in talibus, fit fallacia a secundum *quid* ad simpliciter: et videtur secundus modus Æquivocationis, ut habetur 1. Elenchorum. Sed homo secundum esse materiale, est simpliciter homo; secundum esse vero cognitum, vel intelligibile, est secundum *quid* homo, ergo non manet identitas significati, sicut nec suppositionis.

Eodem modo posset argui de secunda acceptione, et tertia. Major est nota. Minor vero patet secundum istum in multis locis, qui tenet quod esse actualis existentiæ cujuslibet, est simpliciter, et perfectissimum esse ejus; saltem inquantum tale, licet non absolute, et hoc maxime in ordine ad intellectum perfectiorem entitate cogniti. Item, respondens ad multiplex non præfata distinctione, de facili reducitur ad metas. Multiplex namque distinctio parit confusionem. Videtur igitur minus recte loqui Doctor, cum concedit propositionem, in qua prædicatur secunda intentio de homine, esse multiplicem; ipsam tamen dicit non esse distinguendam.

Item, quod figura dictionis non includat tantum phantasticam multiplicitatem, ut videtur velle Doctor, arguitur sic, quod vere impedit formam Syllogisticam, veram operatur multiplicitatem: sed figura dictionis est hujusmodi, ergo, etc. Major patet, quia si non esset vera multiplicitas, medium in veritate posset uniri extremis. Minorem probo, quia omnes loci in dictione, et extra, peccant, eo quod sunt immodificati. Item, Aristoteles 1. Elenchorum, cap. 4. dicit, quod Æquivocatio, Amphibologia, et similis figuratio, peccant secundum duplex: sed ubi duplicitas, ibi multiplicitas. Item, omnes loci in dictione fiunt ex hoc, quod eisdem nominibus, et orationibus, non idem significamus: sed figura dictionis est locus in dictione, ergo, etc.

Ad primum dico, quod licet non expresse, implicite tamen respondet Doctor ad formam argumenti, negando consequentiam: quia est fallacia figuræ dictionis, propter variationem veræ naturæ in majori, et minori; et hoc formando argumentum syllogistice, etc. Quandocumque prædicatur non vera natura de vera natura, prædicatio est falsa, quia oppositi de opposito: sed dicendo *Homo est Universale*, prædicatur non vera natura, etc. 2.

Sed alii distinguunt hic de vera, et non vera natura, aut scilicet formaliter, aut materialiter loquendo. Sed hæc distinctio parum valet hic, tum quia manifestum est quod loquitur Doctor de substratis illorum extremorum; tum etiam, quia forte illa distinctio non est vera; tum etiam, quia capiendo illa formaliter, adhuc prædicatio unius de altero, saltem signata, potest sustineri. Illud igitur quod est *non vera natura*, id est, intentio secunda, quæ non est ens naturæ, potest prædicari de illo, quod est *vera natura*, id est, de re primæ intentionis, vel de prima intentione, ut communiter loquimur: et hoc non secundum quamcumque acceptionem, sed præcise secundum esse cognitum, et quando sic prædicatur, non oportet distinguere propositionem, quia talia sunt subjecta, etc. Ideo dixit egregie Doctor, quod si qua est multiplicitas, tantum figuræ dictionis. Potest enim teneri, quod nulla est multiplicitas, quia multiplicitas figuræ dictionis nunquam operatur, nisi addatur minor, vel consequens ad majorem, vel antecedens. Dicendo igitur absolute, *Homo est Universale*, vel *species*, nulla est multiplicitas proprie: sed si addatur, *Socrates est homo, ergo*, etc. tunc est figura dictionis.

Ad formam tamen argumenti Doctoris aliter respondetur, sicut ad illud ex 1. Physicorum, text. comment. ... quo probatur materia non esse ens: *Quod non est*, etc. Distinguo enim de non vera esse. Aut sumitur pro illo, quod nullo modo est aliquid positivum, nec reale, nec rationis. Aut pro illo, quod non est ens naturæ,

seu præter opus intellectus, sed præcise habet esse per opus collativum intellectus, vel habet esse diminutum. Eodem modo distingui potest, per oppositum, de vera natura : primo modo sunt opposita contradictoria, et unum non prædicatur nec quiditative, nec denominative vere de alio. Secundo modo, licet unum non possit prædicari de alio quidditative, denominative tamen sic : et ita est in proposito. Potest poni exemplum de substantia, et accidente, etiam reali, et applicari ut scis.

40. Pro secundo argumento solvendo, dico primo quod voces significativæ rerum, positivorum saltem (ut habet videri super librum Perihermenias) non sunt primo rerum, ut existentium, quia existentia actualis accidit significatis, ut sic ; nec rerum, ut in esse cognito, quia etiam cognitio accidit eis ; sed sunt rerum, ut indifferenter se habentium ad talia esse.

Equinitas enim est tantum ipsa. Nec obstat quod voces dicantur notæ passionum in anima 1. Perihermenias, quia hoc denotat ordinem signorum in significando. Vox enim, licet significet rem mediante conceptu, et per consequens ut cognitam permissive, vel specificative, non tamen reductive, nec tamen ipsum conceptum vere significat, nisi eo modo, quo prima pars medii illuminata illuminat secundam.

Secundo dico, quod bestialis, et fatua est illa imaginatio quorumdam, dicentium terminos communes significare primo, et adæquate sua singularia : imo posito quod nullum singulare haberent, idem significarent : destruunt enim tales et scientiam, et definitionem, et demonstrationem, et univocationem, ut alias dicetur. Potest tamen quodammodo dici, quod significant sua inferiora secundario, primario autem ipsas quidditates communes.

41. Tertio dico, quod licet *significare* et *supponere*, differant, loquendo de suppositione personali, non tamen loquendo de suppositione simplici : quia sic terminus supponit quod significat, ut infra, in Anteprædicamentis, quæst. 8. habet iste. Ideo refert dicere, *terminum aliquid supponere*, et *ipsum pro aliquo*, vel *aliquibus*, *supponere*.

Quarto dico, quod illa distinctio multorum, de significatione materiali, et formali terminorum, salvo meliori judicio, videtur mihi nulla. Voces enim ita sunt signa, quod non significata, saltem vocum. Licet etiam supponant pro se ipsis, quod est materialiter supponere, quam tamen suppositionem aliqui (et inepte) ad suppositionem simplicem extendunt, non tamen se ipsas significant. Et his patet ad argumentum. Non enim dixit Doctor quod in omni suppositione terminus idem significaret ; ideo quod tangitur de suppositione materiali, potest solvi; et hoc ponendo significatum materiale; sed negando dic consequenter. Loquitur etiam de significato primario, et non secundario.

Ad aliud patet quod iste terminus *homo* significat quidditatem indifferentem ad esse cognitum, et existentiæ actualis. Et quod tangitur de secundum *quid*, et simpliciter, et de fallacia æquivocationis, patet quod iste terminus *homo* non habet illa diversa esse, tanquam diversa significata, sed adveniunt ipsius significato. Ideo inter se corporata causant fallacias secundum exigentiam verbi, vel prædicati : nullo enim homine existente, ista est vera, *Homo est animal*, licet ista sit falsa, *Homo est*, de quo tamen altius super libros Perihermenias habet pertractari. Arguendo igitur a significato termini indifferenter sumpto, ad determinatam ipsius acceptionem, vel ab una acceptione ad aliam, accidit illa multiplicitas, vel fallacia, quæ non est ex parte ipsius significati in se. 42.

Multiplicitas va[rie] sumitur

Ad aliud dicitur communiter, et maxime de mente hujus 1. Elenchor. quæst. 19. quod *multiplex* aliud actuale, et hoc vel in voce tantum, ut æquivocatio; vel in oratione, ut Amphibologia ; aliud potentiale, et hoc iterum vel in voce, ut accentus ; vel in oratione, ut compositio, vel divisio ; aliud phantasticum, ut figura dictionis. Respondens igitur ad multiplex actuale, vel potentiale, non præfata distinctione,

cito redarguitur, secus in multiplici phantastico.

Ad alia argumenta quæ probant figuram dictionis includere veram multiplicitatem, et non solum phantasticam, quod forte verum est, non hic, sed super primum Elenchorum. Aliqui enim voluerunt quod dicit tantum apparentem, ut Alexander Commentator, cujus auctoritas est in littera hic, quam recitat hic primo Elenchorum quæst.35. et 36. numerando singulas : alii vero quod includit veram. Doctor autem noster ibi mediam viam tenet, quære ibi eum, valde subtilem.

43. Decimo dubitatur, circa solutionem secundi argumenti ejusdem quæstionis * ubi negat Doctor hanc prædicationem, *Species est intentio*. Videtur enim quibusdam quod hic non loquitur secundum opinionem propriam, nam communiter ipse et omnes Logici appellant hic quinque intentiones secundas : et bene sequitur, *Species est intentio secunda, ergo intentio* : quia æqualiter est abstractum utrobique, et quia non arguitur cum determinatione diminuente, nec distrahente, quod tamen posset negari. Item, ad quod refertur relativum inferius per se primo, et relativum superius per se, licet non primo : igitur sequitur, *Species est generis species, igitur species est intentio generis* : sicut sequitur, *duplum est dimidii duplum, igitur est multiplex dimidii*. Quære hunc in primo, dist. 25. in simili.

* quæst. 11. num. 5.

Sed sustinendo hanc responsionem esse de mente Doctoris, (ut satis reor) potest dici, quod sive sumatur intentio pro actu concipiendi, vel pro respectu rationis, ut supra dictum est, de multiplici acceptione intentionis, hic potest negari, *Species est intentio*, et etiam hic, *Species est intentio secunda*, et hoc stricte, et proprie logice loquendo, ut loquitur Doctor hic, quia non ut plures, sed ut pauciores hic sentit. Gratia tamen brevitatis, et vulgariter, sic communiter loquimur, cum potius *intentionale*, vel *res secundæ intentionis*, vel *respectus rationis*, dicere deberemus. Et hoc intelligo loquendo de prædicatione formali, ut loquitur Doctor hic, quia forte prædicatione identica esset concedendum, sed de tali prædicatione non tradidit Aristoteles Logicam, ut dist. 8. primi. habet late. Habet etiam talis prædicatio locum in his quæ sunt formaliter, vel permissive infinita, cujusmodi non est intentio secunda, dato quod sit transcendens. Habet etiam locum dum abstractum de abstracto, vel concretum de concreto verificatur, quod contingit in proposito, ut patet.

Ad illam rationem de relativo inferiori et superiori patet quod procedit accipiendo illa uniformiter, scilicet concretive, quod non contingit hic.

44. Undecimo dubitatur, circa solutionem Replicæ immediate sequentis, ubi Doctor concedit istam, *Species est intentionale*, et tamen negat istam, *Homo est intentionale*. Videtur enim bene sequi, si homo est species, quod sit intentionale, sicut sequitur, *Homo est albus, igitur coloratus*. Et generaliter de quocumque prædicatur concretum inferius, et superius.

Potest dici uno modo, quod Doctor non negat hanc prædicationem, *Homo est intentionale*, sed negat consequentiam de forma valere, propter accidens. Aliter enim arguitur hic, *Homo est species, igitur intentionale*, et hic, *Homo est species, species est intentionale*, ergo, etc. sicut in alio exemplo, de homine albo, et colorato. Vel aliter posset dici, quod illa prædicatio, *Homo est intentionale*, posset simpliciter negari, non solum propter causam dictam, sed quia hoc prædicatum *intentionale* vel est æquivocum, vel si in uno sensu sumatur, adhuc est concretum, includens abstractum a [illegible] in concretis accidentium realium est verum. Nam licet concedatur quod homo est albus, vel coloratus, non tamen quod sit qualis. Vel licet concedatur quod homo sit pater, non tamen quod relativum superpositionis, vel relativum absolute. Et hoc

verius est hoc in respectivis, quam in absolutis; et in respectivis rationis, quam realibus. Unde frater Adam in 1. distinct. 8. inquit quod aliqua sunt prædicata, quæ non sunt nata in forma sua regulari, nisi de illis, de quibus immediate dicuntur. Exemplum accidens dicitur de albo, et non dicitur de Socrate, qui est albus : quia accidens non est natum convenire, nisi illis, quibus primo, et immediate convenit. Et applicat ad propositum de prædicatis, quæ dicuntur de Deo per communicationem idiomatum, et quæ non. Nam dicitur quod Deus est passus, sed non quod sit creatura, vel compositum, vel distinctus a Deo, sed non dicit propter quid.

45. Sed posset objici de quanto, et aliis. Responsionem quære. Prima responsio videtur sufficiens ad mentem Doctoris. Si volueris sequi secundam, considera plura alte, et vi armata te defende. Multa enim quæ uniformem habent veritatem ex parte rei, vel significati, difformiter se habent, quantum ad concedi, vel negari : ut habet iste, in tertio, dist. 1. quæst. 2. ad finem, ubi dicit quod hæc conceditur, *Natura est assumpta ad unitatem personæ*; non tamen hæc, *Natura est assumpta ad unitatem naturæ*, posito quod terminus primus illius unionis esset natura, ubi præcise est varietas modi construendi, et loquendi. Simile 8. distinct. quarti, et 5. distinct. Primi. Ita in proposito : denotatur enim ex usu loquendi, quod hæc, *Homo est intentionale*, significat vel formaliter, vel identice, ipsum esse respectum rationis. Et ad hoc potest applicari illa regula Doctoris, in Quodlibeto, quæst. 6. articulo 2. dicentis, quod *Nihil dicitur vere competere alicui secundum* A, *si* A *sit ratio transcendens : et hoc sive ratio formalis, sive fundamentalis* : et hoc, inquit ipse, verum est logice loquendo : ita igitur est dicendum hîc, quod hæc denominatio est nimis transcendens, ideo, etc. Unde si consideratur ista consequentia, *Homo est species, igitur intentionale*; posset consequenter probari consequentia facta in littera, per illam regulam famosam, *Omnis consequentia enthymematice tenet*, etc, sed tu consequenter stude.

Duodecimo dubitatur circa solutionem 46.
secundæ quæstionis lateralis *. Videtur enim quod prædicatio intentionis secundæ de fundamento sit in secundo modo dicendi per se, juxta illam descriptionem secundi modi supra tactam, ex Linconiensi. Item, videtur quod intentiones secundæ possint definire primas, quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum *quod quid est*, 1. de Anima, text. comment. 11. Item, quod e contra, quia omne accidens habet definiri per subjectum; et relativum per fundamentum; et materiatum per materiam : erit igitur ad minus prædicatio fundamenti de secundis intentionibus per se primo modo, saltem in obliquo, secundum doctrinam Linconiensis. Item, videtur quod male dicat quod intentio, et res sunt diversa non ordinata, quia substantia omnium prior, et accidens habet ordinem ad substantiam. Item, videtur quod res sit causa efficiens intentionis, quia est causa ejus, et non in alio genere, ut patet discurrendo. Item, quod dicitur in fine solutionis, de perseitate tertii modi illative, scilicet *In quocumque igitur*, etc. videtur falsum. Dato enim quod Socrates per se trahat navem, et sit sufficiens causa tractus, non tamen sequitur quod ubicumque sit trahat navem. Ad ista respondeo.

* quæst. 11. num. 6.

Ad primum dico, quod illa descriptio 47.
intelligitur, quando prædicatum ex natura rei egreditur ex principiis quidditativis subjecti, quod non contingit in proposito.

Ad secundum dico, quod illa auctoritas intelligitur de accidentibus realibus, quorum cognitio præcedit cognitionem subjecti, non de intentionalibus, quorum cognitio sequitur. Intelligitur etiam maxime de accidentibus propriis, et ita non est ad propositum.

Ad tertium, dato quod definiantur per fundamenta, non tamen sequitur perseitas prædicationis, quia in quidditative defini-

tionibus, et non in additative, habet attendi perseitas talis. Vel, ut infra videbitur, posset negari accidens intentionale definiri per subjectum. Quod tangitur de prædicatione materiæ in obliquo, dico quod etsi verum sit de materia *ex qua*, non tamen de materia *in qua*. Si quæratur de ista prædicatione, *Intentio est ab intellectu*, vel propter cognitionem fundamenti, posset forte concedi quod esset per se.

Ad quartum dico, quod licet ibi possit reperiri ordo quodammodo in essendo, non tamen in causando, vel intrinsece constituendo aliquod tertium.

Ad quintum dico, quod non est proprie causa intentionis efficiens dicendo, nisi dicatur quod causa occasionativa, vel sine qua non, habet reduci ad causam efficientem. Potius igitur reducitur ad causam materialem, quia materia *in qua*, et quodammodo *ex qua*, ut patet consideranti.

Ad ultimum, patet supra, articulo 2. Et breviter dico hic, quod licet non teneat illa propositio Doctoris in libere agentibus, tenet tamen in necessario, vel naturaliter agentibus, cujus modi esset fundamentum respectu intentionis, si haberet activitatem perseitatis tertii modi.

48. Decimo tertio dubitatur, circa solutionem primi argumenti illius quæstionis. Videtur enim quod prima responsio, ibi data, sit conveniens, quia sicut species per accidens, et non per se, prædicatur de homine, ita definitio speciei, non per se, sed per accidens, sibi convenit: bene igitur negat minorem argumenti. Nam sicut homo per accidens est albus, ita per accidens est coloratum disgregativum visus. Nec objectio, seu replica sequens valet. Posset enim concedi prima consequentia ejus, et negari secunda, quia arguit a negatione perseitatis in prædicatione signata, ad negationem perseitatis in prædicatione exercita: et licet valeret ex intentionibus proportionalibus ad fundamenta, non tamen ex fundamentis ad fundamenta.

Item, videtur quod illa distinctio de determinatione inhærentiæ, vel inhærentis sit inconveniens, quia per omnia propositio esset per se, et illa talis, *Homo est albus*, quia album est per se album, quod coincidit cum illa dementia quorumdam dicentium hanc esse in primo modo, distinguentium de formaliter, et reductive perseitate primi modi.

Item, videtur quod hæc sit vera, *Accidens est per se ens*, ut etiam ly *per se* determinat *inhærens*, et hoc ponendo æquivocationem entis, ut communiter hic ponit Doctor: quia tunc ens accipitur pro ipsomet accidente, et accidens est per se accidens.

Ad primum dico, quod quamvis illa responsio possit sustineri, quia tamen est contra communem modum dicendi, nec ita subtiliter investigat illam distinctionem; ideo Doctor postponit eam. Arguit autem contra ipsam, ex communiter apparentibus et topice. Et forte argumentum tenet, ut prædicatio signata supponit pro exercita. Et licet non teneat consequentia illa de forma, ut infra patebit, tenet tamen de materia.

Ad aliud nego consequentiam, quia nec prædicatio, nec propositio dicitur per se, nisi ut ly *per se* determinat inhærentiam. Dicitur tamen vera aliquando sic; aliquando ut determinat inhærens; aliquando utroque modo, ut supra notavi. Vult igitur Doctor subtiliter investigare veritatem, et falsitatem illius prædicationis, *Homo per se prædicatur de pluribus*, vel, *Homo per se est species*, etc. Nec illud quod infertur de prædicatione primi modi, secundum illos balbutientes, est simile, quia quandocumque dicitur prædicatio primi modi, denotatur perseitas inhærentiæ, quæ ibi non habetur, de quo alias forte erit sermo. Notabilis igitur, et valde singularis est illa distinctio Doctoris quam etiam in materia alibi, ut in Theologia, et Metaphysica, recitat.

Ad ultimum dico, quod etsi hæc possit concedi, *Accidens est per se accidens* ut ly *per se* determinat inhærens, non tamen ista, *Accidens est per se ens*, quia statim cum

dicitur *per se ens*, intelligitur substantia, propter famosam divisionem entis, in ens per se, et in ens in alio, et æquivocationem, logice loquendo. Refert ergo dicere, *Accidens est ens*, et *per se ens* : quia in prima accipitur *ens* pro significato, quod est accidens ; et in secunda, pro substantia, et maxime ex usu loquendi, de quo super libros Elenchorum, q. 16. et infra cap. de Accidente, adhuc ista habent videri, et alibi.

QUÆSTIO XII

Utrum Universalia sint tantum quinque ?

D. Thom. *in Summa Log. cap.* 1 *et* 1 *contra Gentes, cap.* 32. Boetius *in Porphyr. cap. de Genere.* Averroes *ibidem, et in Epitome Log. cap.* 1. Albert. Mag. *Tract.* 2. *in Prædicab.* Tarta. *quæst.* 3. *Proœm.* §. 2. *Sciendum*, Joan. Angli. *et* Bras. *super hanc quæst.* Albertus Parvus *quæst.* 6. *proœmii* Conimbr. *in Præfat. Porphyr. quæst.* 7. *art.* 1. Compl. *disp.* 4. *de Passion. Univers quæst.* 6. Ruvius *q.* 9. *Univers.* Merinero *disp.* 4. *quæst.* 3. Fuentes *quæst.* 6. *diff.* 7. *art.* 1. Rodriguez *quæst.* 6 *Univers. art.* 1. Aversa *quæst.* 8. *sect.* 16.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur. Quia *prædicari* est Universali proprium : quot igitur sunt prædicata, tot Universalia. Sed 1. Topic. cap. 3. non ponuntur, nisi quatuor prædicata : igitur, etc. Per idem ostenditur, quod sint tantum tria, quia ibi non ponuntur Species et Differentia ; igitur ista non sunt Universalia. Et quod sint sex, probatur, quia ibi ponitur definitio : igitur præter hæc quinque illud est sextum Universale.

Item, *Quot modis dicitur unum oppositorum, tot modis et reliquum*, per Aristotelem. 1. Topic. cap. 12. Universale, et singulare sunt opposita, et singularia sunt infinita, ergo et Universalia.

Item, Individuum est Universale, quia prædicatur de pluribus, et nullum istorum quinque est, ut patet inductive, igitur, etc.

Item, Ens est Universale, et non est genus per Aristotelem 3. Metaph. cont. 10. prædicatur enim per de Differentia, nec est Species; quia tunc habebit Genus supra se, nec est aliquod aliorum trium Universalium ; quia illa prædicantur *in quale*, ens vero prædicatur *in quid* de omnibus, ut patet per Aristotelem 8 Metaph. tex. com. ultim.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum, quod sunt tantum quinque Universalia, sed illud diversimode ponitur, uno quidem modo accipitur eorum sufficientia sic ; Universale vel significat substantiam, vel accidens; si substantiam, vel totum, vel partem ; si partem, vel materialem, et sic est Genus ; vel formalem, et sic est Differentia ; vel totam substantiam, et sic est Species. Species enim dicit totum esse individuorum. Si accidens vel convertibile, et sic est proprium, vel non convertibile, et sic est quintum Universale, scilicet Accidens. Cum ergo non sit possibile significari aliquid dicibile de pluribus, nisi aliquo istorum modorum, non erunt nisi hæc quinque Universalia. 2. *Conclusio. Primus modus colligendi 5. Universalia.*

Contra hunc modum, Universalia cum sint intentiones secundæ, accidunt rebus primæ intentionis ; sed nihil per se distinguitur secundum illud, cui accidit ; ergo nec intentiones distinguuntur per se penes res; sed Logicus per se considerat intentiones ; ergo hæc divisio non est Logicalis. 3. *Rejicitur.*

Item omnia Universalia inveniuntur in genere accidentis ; ergo male distinguuntur per significare substantiam, vel accidens.

Ideo datur aliter eorum sufficientia penes ordinari. Dicitur enim, quod quia hic liber immediate ordinatur ad librum Prædicamentorum, ubi determinatur de ordinabili in genere, ideo hic loquitur de Universalibus secundum quod in ge- 2. *Modus.*

nere sunt ordinabilia, et datur sic eorum sufficientia : Ordo enim potest esse eorum quæ sunt in eodem genere inter se : vel eorum quæ sunt in uno genere, ad illa quæ sunt in alio genere. In eodem genere potest esse ordo directus secundum *sub*, et *supra* ; et sic sunt duo Universalia, scilicet Genus, et Species : vel indirectus, et sic est Differentia, quæ est indirecte supra Speciem, et sub Genere. Accidentium autem ad substantiam est ordo convertibilium, vel non convertibilium, et sic sunt alia duo Universalia.

4. *Rejicitur.* Contra hunc modum arguitur : quia aliqua secundum quod sunt ordinabilia in Genere, secundum *sub*, *et supra* sunt prædicabilia, et subjicibilia. Sed hic determinatur de istis inquantum sunt prædicabilia tantum : ergo non inquantum sunt ordinabilia ; quia ut sic non sunt tantum prædicabilia, sed etiam sunt subjicibilia. Patet major : quia unumquodque diffinitur hic per *prædicari*, vel ei æquivalens.

Item, si per hoc bene datur diversitas inter hunc librum, et librum Topicorum : tunc Differentia magis ibi esset enumeranda, quam hic, cum magis habeat rationem prædicabilis, quam ordinabilis.

Item, Individuum est per se ordinabile in genere ; ergo licet non prædicetur proprie, tamen esset ponendum hic sextum Universale, quia per sic dicentes hic non agitur de istis, inquantum sunt prædicabilia, sed inquantum ordinabilia.

Item, sicut accidentia ordinem habent ad subjectum eorum, quod est substantia, vel aliquod accidens, ita subjectum ad accidens ; ergo ex parte subjecti accipi possunt duo alia Universalia penes ejus ordinationem duplicem ad accidens, sicut est a parte accidentis.

5. *Modus Doctoris colligendi esse tantum quinque Universalia.* Propter istas tres rationes omittendus est iste modus : et dicendum aliter, quod eorum sufficientia accipitur penes *prædicari* sic : *Prædicari* enim dividitur in prædicari, *in quid*, et *in quale*, tanquam in per se differentias : quia isti sunt primi modi prædicandi. *Prædicari in quid*, est prædicare essentiam subjecti, per modum essentiæ, id est, per modum subsistentis, et non denominantis : et hoc contingit dupliciter ; vel quod prædicet totam essentiam subjecti, et sic est Species. Si enim aliquid esset in essentia individui, præter essentiam Speciei, duo individua essentialiter differrent ; et per differentias acceptas ab illo quod plus est in hoc, et in illo, posset Species formaliter dividi, et individuum diffiniri, quod est inconveniens. Si vero partem essentiæ, sic est Genus. Si enim totam ipsam Genus speciei essentiam diceret, sufficeret ad definiendum Speciem, et Differentia superflueret.

Prædicari in quale, est prædicari per modum denominantis, quod contingit dupliciter ; vel quod prædicet subjecti essentiam, per modum denominantis ; et tunc prædicatur *in quale substantiale*, sive *essentiale*, et sic est Differentia. *Est enim Differentia substantiæ qualitas*, per Aristotelem 5. Methaph. : vel quod prædicet accidens per modum denominantis, et tunc prædicatur *in quale accidentale* : vel ergo prædicat accidens convertibile, egrediens a principiis subjecti, et sic est proprium ; vel accidens commune, et sic est ultimum Universale : nam de tali accidente se exponit Porphyrius intelligere, ubi ponit divisionem ad declarandum definitionem Generis. Cum igitur *prædicari de pluribus*, non contingat, nisi aliquo istorum quinque modorum, qui per se dividunt *prædicari de pluribus*, quod est ratio ipsius Universalis, sequitur quod Universale dividitur in hæc quinque tantum. 6. *Prædicari in quale dupliciter contingit.*

Hæc divisio videtur esse conveniens ; quia dividit rationem Generis per differentias per se. Et ex hoc etiam non tantum patet sufficientia Universalium, sed etiam ordo, et ratio ordinis quem tenet Porphyrius in determinando de istis.

Contra hunc modum objicitur ; quia si hic determinatur de istis quinque, secundum quod sunt prædicabilia, et ita loquitur Aristoteles 1. Topic. de eis : tunc videtur, quod non possit solvi controversia hic, et ibi ; sed hoc patebit respondendo ad argumenta.

7. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dico, quod Aristoteles in 1. Topic, diversificat prædicata penes hoc, quod est prædicare essentiam, vel non ; convertibiliter, vel non ; et sic non contingit esse, nisi illa quatuor quæ ponit ibi ; hic autem, licet consideretur de Universalibus, penes *prædicari* : non tamen quoad illa quæ ibi ; quia istorum quinque, tantum unum prædicatur convertibiliter, tria prædicant essentiam, non convertibiliter ; sed penes prædicari *in quid*, vel *in quale*, ut prius dictum est. Non ponit ergo ibi Differentiam ; quia illa, ut ibi dicitur, reducitur ad Genus : prædidicat enim essentiam subjecti, non convertibiliter. Unde 4. Topic. ubi docetur construere, et interimere Genus ; docetur etiam hoc de Differentia. Aliqua est etiam Differentia ultima, et specifica, quæ convertitur cum Specie, et prædicatur de ea conversim, quæ reducenda est ad definitionem : et forte propter talem diversitatem differentiarum non posuit Differentiam cum aliquo uno prædicato.

Diffinitionem hic non ponit, quia non habet aliquem unum modum prædicandi *in quid*, vel *in quale*. Speciem ibi non ponit, vel quia reducitur ad definitionem; cum definitio sit proprium Specieii; vel potius ad Genus : quia Species scilicet prædicatur de quo prædicatur essentialiter, non convertibiliter. Et ideo ex 4. Topic. habentur considerationes, interimendi, vel construendi problema de Specie, sicut de Genere. Vel quidem species non est prædicatum propositionis Dialecticæ, quia illa non est communiter singularis ; excludit enim Aristoteles 1. Topic. cap. 9. ab intentione dialectica illa quæ sunt manifesta sensui. Non oportet autem omne problema, nec omnem positionem considerare ; sed quando dubitabit aliquis ratione indigentium non pæna, vel sensu. Minimum autem commune est Species, et ideo magis subjicitur in propositione Dialectica, quam prædicetur.

Ad secundum dico, quod iste est sen- 8.
sus illius propositionis : *Quot sunt significata unius oppositi, tot et alterius*, si secundum omnem significationem alterum sibi opponatur, non quot supposita : ideo non est ad propositum.

Ad tertium dico, quod individuum est Species respectu intentionis, et quomodo intentio disparata prædicatur de altera, dictum est superius, quæst. 8.

Ad quartum dicendum quod ens est æquivocum, ideo non prædicatur, id est, prius alio dicitur, quia quod est prius alio, est univocum, ideo nec est Universale.

Contra, accipiatur ens in genere subtantiæ, est univocum : ergo universale, et nullum istorum quinque, ut argutum est prius.

Dicitur quod adhuc in genere substan- 9.
tiæ, est æquivocum ad tria. Impossibile est enim aliquod univocum prædicari per se primo modo de speciebus, et differentiis, vel de differentia una, et alia opposita, nisi differentia superior, de differentiis inferioribus oppositis prædicaretur univoce, et tunc respectu ejus, differentiæ specierum essent spe-

cies in recta linea, et per consequens differentiæ, respectu specierum quarum sunt differentiæ, essent genera, quod est impossibile; ideo ens in substantia est æquivocum, ut dicitur de speciebus in genere, et differentiis, ex una parte, et de differentiis opposita ex alia parte et ideo concedit Avicenna quod tria sunt prima entia in quolibet Genere, non tamen tot Prædicamenta, quia duæ coordinationes Differentiarum in omni Genere, reducuntur ad coordinationem Specierum.

EXPOSITIO

10. De Primo. Quid *Universale*, quid *numerus*, quid *tantum*, quid *quinarius*, satis patet : licet de *numero* et *quinario* multa possent dici, quæ Arithmetico relinquenda sunt. Ly *tantum* in proposito debet exponi ratione pluralitatis, et non alietatis, quia additur termino numerali. Prima exponens est *Quinque sunt Universalia*. Secunda, *et non plura quinque*.

Divisio communis, nisi quod in secunda parte tria facit, secundum quod tres modos dicendi adducit. Primos duos impugnat, tertium tenet.

Ordo vero satis patet, prius enim de entitate, intelligibilitate, scibilitate, et unitate, atque modo essendi, et prædicandi ipsius Universalis, habendus erat sermo, quam de ipsius in partes subjectivas divisione, sufficientia, numeroque, ut patet cuilibet speculanti.

11. De Secundo, arguit partem negativam quadruplici ratione. Prima ratio ostendit primo contra primam exponentem quod non sint quinque, tum quia tantum quatuor, tum quia tantum tria, ex fundamentis Aristotelis 1. Topicorum, cap. 2 ubi quatuor prædicata, scilicet *Genus, Definitionem, Proprium* et *Accidens*, assignat. Secundo contra secundam exponentem ostendit quod sunt plura quinque. Secunda ratio est contra secundam exponentem, ex Aristotele 1. Topicorum cap. 12. Tertia ratio est contra eamdem exponentem. Quarta ratio est etiam contra eamdem exponentem ex fundamentis Aristotelis 4. Metaph. text. comment. 10 et 4. Metaph. t. 10 et 8. expressius text. comment. [illegible], de qua erit sermo prolixior statim.

Ad oppositum, arguit auctoritate Porphyrii tantum quinque ponentis, ut patet ex processu suo, cum quo conveniunt omnes Logici. Deinde conclusionem affirmativam ponit, sed circa modum ponendi sufficientiam Universalium tres modos dicendi recitat.

Primus est penes significare substantiam, et accidens, qui satis clarus est. Contra hunc modum duplici medio arguit. Prima ratio ostendit quod talis divisio non est per se, nec prima. Secunda quod est insufficiens, vel non per opposita. 12.

Secundus modus dicendi est penes coordinationem prædicamentalem ejusdem Generis, et aliorum ad alia. Contra hunc modum arguit quinque rationibus, tres tamen ultimas ponderat, ut patet in littera cum dicit, *Propter istas tres rationes*, etc. Prima ratio ostendit quod ex hoc modo sequitur, quod potius penes *prædicare* deberet sufficientia eorum assignari. Secunda ratio idem confirmat. Tertia ostendit quod tunc differentia potius ab Aristotele debuit poni inter prædicata, quam a Porphyrio inter Universalia, quia non directe ordinatur, formaliter tamen, et quidditative prædicatur. Quarta ratio ostendit quod individuum tunc esset Universale, quod per se in genere ordinabile, ex hoc ut abstrahat ab *hic* et *nunc*, ut dictum est prius, et maxime verum est loquendo de substantiis. Quinta ratio ostendit quod tunc essent septem Universalia.

Tertius modus, quem sequitur, ponit sufficientiam eorum penes *prædicare*, sic : 13.
Quia omne Universale prædicatur de pluribus quia est ratio Universalis ut communis, sicut omne animal est substantia animata sensibilis. Aut igitur prædicatur in *quid* aut in *quale*. Si primo modo,

aut prædicat partem essentiæ sui subjecti, et maxime individui, aut totum : si primo modo, sic est genus ; si secundo modo, sic est species. Si autem prædicatur in *quale*, aut in quale substantiale, vel essentiale, et sic est Differentia ; aut in quale accidentale, et hoc dupliciter, aut scilicet convertibiliter, et sic est Proprium ; aut non convertibiliter, et est Accidens per accidens, vel commune.

Quid autem sit *prædicari in quid*, declarat Doctor notanter, dicens, quod *est prædicare essentiam per modum essentiæ*, id est, per modum subsistentis, et non denominantis. Sicut enim, Physice loquendo, materia est tanq am basis, fundamentum et receptaculum formarum, ita, Metaphysice, vel Logice, Genus habet se tanquam fundamentum differentiarum, et receptaculum earum, et principium radicale quidditativum Speciei : et sicut totum physicum est quoddam perfectum ex partibus, ita Species, vel quidditas specifica Metaphysice. Et sicut forma substantialis est tanquam perfectio essentialis, et intrinseca ipsius compositi, ita differentia speciei.

14. Vult igitur Doctor, quod *prædicari in *quid*, sicut definitum, convenit principio materiali, ut puta Generi, quod prædicat essentiam per modum subsistentis, et proprie partem, appropriate tamen per modum totius. Importat enim partem quidditatis, sed quia concretive, et in recto prædicatur, ideo ex consequenti totam quidditatem dat intelligere. Species vero prædicat totam quidditatem individuorum, ut etiam primus modus dicendi asserit, quod probat Doctor, quia aliter in essentia individui aliquid præter speciem, et in specie inclusa, contineretur ; et qua ratione in unius, pari ratione et in alterius, et ita distinguerentur ab invicem essentialiter per talia : et sic possent definiri individua, et species ut genera dividi. Verbi gratia, si in Socrate, et in Platone, præter naturam humanam includerentur *A*, et *B*, igitur natura humana contraheretur ad unum per *A*, et ad aliud per *B* : sicut animal per rationale, et irrationale, quæ accipiuntur ab aliis rebus, vel realitatibus, a re, vel realitate correspondente animali, et tunc non e set status ad specialissima, contra Platonem. De individuis esset scientia, et demonstratio, et plura alia, contra principia Philosophiæ, et veritatem, sequerentur.

Quod autem genus non dicat totam quidditatem, saltem ex primaria institutione, vel significatione, ostendit, et idem infra magis cap. de Genere, quæst. 3. et penultima, ubi ista omnia tractantur prolixius. 15.

Quid autem sit *prædicari in quale*, ostendit dicens, quod *est prædicare essentiam subjecti vel suppositi, per modum denominantis*. Ubi distinguit de denominatione essentiali, et accidentali : utrumque tamen formalis. Quod autem Differentia possit prædicari in *quale*, et quod sit qualitas, patet 5. Metaphysic. textus comm. 19. ***Prædicari in quale quid.***

Prædicari vero in quale accidentale subdividit ut prius, secundum quod duplex est accidens, proprium videlicet, et commune : et adducit pro secundo testimonium Porphyrii cap. de Genere, ubi dicit, *Et accidentia communiter, et non propria alicui*, de quibus in locis suis videbitur.

Exempla prædictorum patent in his prædicationibus, *Socrates est animal*, *Socrates est homo*, *Socrates est rationalis*, *Socrates est risibilis*, *Socrates est albus*. Vel potius exemplifica, accipiendo speciem pro subjecto, præterquam in secundo.

Concludit consequenter hanc divisionem esse sufficientem, et convenientem, et per se : quia Generis in Species, per differentias essentiales. Et qualiter ordo determinationis Porphyrii correspondet huic sufficientiæ, adjungit. Deinde objicit contra dicta, sed remittit se ad solutionem primi argumenti, ubi talis objectio evacuatur.

Dicit igitur ad primum principale quod aliter,* et penes alia, assignat Aristoteles numerum prædicatorum, primo Topicorum, et Porphyrius hic numerum Universalium. Diversificat namque Aristoteles prædicata penes has duas combinationes, quarum una non est subdivisio alterius, vide- 16

licet penes prædicare essentiam, vel non : convertibiliter, vel non : et supple litteram ut scis. Duo enim de numero quatuor prædicatorum convertibiliter prædicantur, scilicet *definitio*, et *proprium* : alia duo non convertibiliter. Item, duo prædicant essentiam, scilicet *genus*, et *definitio* : alia duo non, videlicet *proprium*, et *accidens*. Proprium enim licet sit idem essentialiter subjecto, non tamen prædicat essentiam, quia non est de essentia, nec formaliter ipsa essentia subjecti : hæc autem quinque diversificantur penes prædicari in *quid*, et in *quale* absolute, non habendo respectum ad essentiam, nec convertibilitatem : et ita patet ad primam partem argumenti.

Deinde ostendit quare Differentia ponitur hic, et ibi non expresse. Vocat enim Aristoteles ibi aliqua annexa prædicatorum, ut Differentia, et Species respectu Generis. Eadem ergo doctrina construere, et destruere Genus, et Differentiam, docet Aristoteles 4. Topicorum. Assignat aliam rationem, quare forte Differentiam non posuit Aristoteles prædicatum per se unum, quia duplex est Differentia, ultima videlicet, et intermedia, ut infra patebit. Reducitur ergo ultima ad definitionem, et intermedia ad Genus.

17. Quantum ad aliam partem argumenti, de definitione, declarat quare hic non ponitur definitio, ut Universale : quia videlicet non habet unum modum prædicandi horum, de quibus hic agitur : licet bene illorum, de quibus ibi. Quia enim includit Genus, et Differentiam, ideo ratione unius convenit sibi prædicari in *quid* et ratione alterius in *quale* : ideo remanet *quale quid* : non ergo Universale. Quare autem species non ponitur ibi inter prædicata, assignat duas rationes, vel duos modos dicendi. Prima, quia est annexum definitionis, imo omnia prædicata sunt annexa definitionis, ut ibi habet Aristoteles : vel, ut prius dictum est (et habet Aristoteles expresse ibidem) habet reduci ad Genus, quia conveniunt in modis prædicandi, de quibus ibi, et confirmat hoc ex 1. Topicorum.

Secunda ratio, vel secundus modus dicendi, est, quia Species non est prædicatum, sed tantum subjectum in propositione Dialectica : quia Species est communis tantum singularibus, et hoc loquendo de Specie specialissima. Propositio vero Dialectica non est singularis, saltem communiter : quod probat auctoritate Aristotelis 1. Topicorum cap. 9. Ubi dicit sic : *Non oportet autem omne problema, nec omnem positionem considerare ; sed quando dubitabit aliquis rationis indigentium, et non pœnæ sensusve. Nam qui dubitant utrum oporteat Deos vereri, et parentes honorare, vel non, pœnæ indigent. Qui vero utrum sit nix alba, vel non, est sensus. Neque enim quorum propinqua est demonstratio, neque vero quorum valde longe. Nam hæc quidem non habent dubitationem, illa vero magis, quoniam secundum exercitativam.* Hæc ibi. Similem sententiam ibidem, cap. 8. habet Philosophus. Propter ergo minimam communitatem Speciei, videtur potius in propositione Dialectica debere subjici, quam prædicari.

Ad secundum principale respondet notabiliter, glossando illam propositionem famosam, *Quot modis dicitur unum oppositorum*, etc. quod scilicet debet intelligi quoad respondentiam significatorum, non suppositorum. Hoc est dictu, si unum oppositorum est æquivocum, et significat aut duo, aut tria, etc. significabit alterum significabit tot, ut patet de acuto, et obtuso ; sano, et ægro : et hoc si secundum omnem significationem opponuntur, secus si non. Non oportet tamen quod si unum oppositorum prædicatur de multis inferioribus, tamquam de suppositis, et univoce ; quod alterum de tot dicatur, ut patet de rationali, et irrationali ; sano etiam, et ægro in una acceptione sumptis ; albo et nigro ; et sic de aliis, ut infra cap. de Differentia, quæst. ultima tangetur. Sicut igitur Universale aliud in essendo, aliud in prædicando, aliud in repræsentando etc. ita potest distingui de singulari : et forte secundum omnem significationem opponuntur, de quo infra. 18 Quot modis dicitur unum oppositorum, tot et reliquum.

Ad tertium dicit, quod licet Individuum sit Species intentionis secundæ, non tamen universalis. Et quod illa sit prædicatio modalis, *Individuum est Species*, et qualiter possibilis ut modus, dictum est prius, quæst. 8. et alibi. Sumitur enim individuum ut quid commune, respectu hujus individui, et illius; et Species ut modus.

19. *Ens, ut sic, cur non Universale.* Ad quartum, negat ens esse Universale quia æquivocum : omne autem Universale univocum est. In æquivocis enim non est prædicatio, neque contradictio, neque consequentia, neque superioritas, saltem respectu æquivocorum. Sed replicat statim : *Capiatur ens pro uno significatorum*, ut puta pro substantia tantum : *tunc videtur esse Universale, et nullum istorum quinque* ut prius, ergo sextum. Respondet, et videtur responsio aliena, quod adhuc est æquivocum, secundum quod in Prædicamento Substantiæ sunt tres coordinationes, una videlicet Specierum in recta linea; et duæ Differentiarum collateralium. Non videtur possibile aliquid univoce prædicari de Speciebus, et Differentiis, nisi contraheretur ad illa, per aliquam unam differentiam, quæ univoce prædicaretur de illis : sicut non prædicatur animal de asino, et homine, univoce, nisi quia contrahitur per se ad hominem, per rationale, et ad asinum per irrationale. Et quia ratio animalis, (ut puta substantia animata sensibilis) convenit utrique univoce, ita dico de substantia, respectu omnium Specierum substantiæ corporeæ, in quibus univoce includitur hæc Differentia, videlicet *corporeum*, quæ subdividitur per alias Differentias constitutivas specierum inferiorum. Si sic, inquam, prædicaretur Substantia de corporeo, et incorporeo, et de aliis Differentiis inferioribus, oporteret quod contraheretur ad illa per alias Differentias : et sic differentiæ esset Differentia, et Differentia divideretur, et contraheretur per Differentias alias, et ita Differentiæ, quæ erant collaterales in recta linea, essent species, et sic differentiæ specierum essent species disparatæ et distinctæ, vel oppositæ contra suas species, et essent genera respectu aliarum inferiorum, et ita processus in infinitum, et multa inconvenientia sequerentur.

Breviter igitur vult hæc responsio, quod ens non est Universale, quia æquivocum sive sumatur indifferenter ad omnia genera, sive pro uno significatorum, quia ens prædicatur de differentiis, et speciebus, licet æquivoce : in uno tamen sensu forte adhuc univocum, et in alio, et alio, ad illa et illa, ut statim tangam. Et confirmat hoc auctoritate Avicennæ, et patet littera. Textus tamen communiter discorrectus, et obscurus, quem statim amplius declarabo in tertio articulo.

De tertio. Primo circa primum argumentum, et solutionem ejus, licet possent moveri plura dubia, sub uno tamen omnia tangam, ne lectorem tædio afficiam. Primo videtur quod illa propositio sit falsa, videlicet quod prædicari sit proprium Universali : tum propter transcendentia, tum propter illimitata, tum propter singularia. Item, ibi posset quæri, quid sit prædicatum, ut de eo loquitur Aristoteles in Topicis. Item, videtur quod illa propositio vulgata, scilicet *Differentia ultima convertitur cum Specie*, sit falsa, quia a parte ad totum, (loquendo de parte essentiali, vel quidditativa,) non tenet consequentia, sed teneret, si converteretur. Differentia autem pars est Speciei. 20.

Item, videtur quod male reducit Topicus Speciem ad Genus, cum e contra deberet fieri, propter perfectionem Speciei. Imperfectum autem ad perfectum, et non e contra habet reduci. Idem potest argui de differentia, et Genere propter eamdem causam.

Item, videtur quod Species possit esse prædicatum propositionis dialecticæ, ut patet ex definitione prædicati propositionis dialecticæ, et problematis 1. Topic. *Est enim prædicatum dialecticum, quod aptum natum est prædicari de aliquo, in propositione dialectica, terminabili per artem dialecticam, non reducibile, ad aliquid prius eo, secundum easdem considerationes.* Ubi 21.

tanguntur tres conditiones. Prima quod sit natum prædicari, per quod excluduntur individua. Secunda quod possit esse consequens consequentiæ dialecticæ, per locum dialecticum probabile. Tertia quod non sit reducibile ad aliquod prius, per quod excluduntur annexa prædicatorum, de quibus ibi. *Propositio dialectica est interrogatio probabilis, aut omnibus, aut pluribus, aut sapientibus; et his vel omnibus, vel pluribus, vel maxime notis non extranea* 1. Topicorum cap. 8. *Problema dialecticum est speculatio procedens ad electionem, vel fugam, vel ad veritatem, et scientiam, aut ad ipsum, aut adminiculans, aut aliquid aliud hujusmodi.* cap. eodem. Ubi tangit Philosophus tres divisiones problematum. Prima quod quædam sunt, de quibus neutro modo opinamur; et quædam de quibus plures, id est, vulgares contrariantur sapientibus, et sapientes pluribus; et quædam, de quibus sapientes contrariantur sapientibus, et plures pluribus. Exemplum primi, ut *utrum mundus sit æternus, vel non?* Aut, *utrum astra sint paria, vel imparia?* Exemplum secundi, ut, *utrum Dialectica sit melior sutoria arte?* Exemplum tertii, ut, *utrum qualibet stella fixa, visibilis a nobis, sit major tota terra?* Exemplum quarti, ut, *utrum quidditas Generis sit distincta formaliter, ex natura rei, a quidditate Differentiæ, vel a Specie?* Exemplum quinti, ut, *utrum ars pellipparia sit melior arte sutoria?*

Problemata triplicia.

22. Secunda divisio est, quod problematum quædam sunt propter electionem, et fugam, ut *utrum voluptas sit eligenda, vel non?* quædam propter scire tantum, ut *utrum mundus sit æternus, vel non?* Quædam volumus non propter se, sed propter aliud scire, scilicet ut per illa alia cognoscamus.

Tertia divisio est quod problematum neutrorum quædam habent rationes probabiles ad utramque partem; quædam de quibus non habemus rationes propter eorum difficultatem, ut, *utrum mundus sit æternus?* Problema vero neutrum appellat de quo possunt esse contrariæ rationes. Differunt autem propositio dialectica, et problema: quia propositio dialectica quærit solum unam partem contradictionis: ut, *putasne, animal gressibile bipes, sit definitio hominis?* Problema vero quærit utramque partem contradictionis: ut *putasne, animal gressibile bipes, sit definitio hominis, vel non?* Sunt tamen æqualia numero, quia omnis propositio fit problema, et e contra transsumpto modo interrogandi. hæc 1. Topicorum, cap. 3.

Positio quid.

Positio, (de qua etiam Doctor facit mentionem in littera) ut hic accipitur, est opinio extranea alicujus notorum secundum Philosophiam: ut quod non contingit contradicere, vel addiscere, sicut dicebat Antisthenes; aut quod omnia moventur, sicut dicebat Heraclitus; aut quod omnia sint unum ens, sicut dicebat Melissus. Contra quos non debemus disputare, ut etiam primo de Physico auditu, text. comment. 9. habetur. Vel, *positio* est propositio, de qua rationem habemus contrariam opinionibus: ut quod non omne quod est factum vel æternum, ut dicunt Sophistæ. Omnis autem positio est problema, sed non e contra. Hæc 1. Topicorum cap. 9. Aliter tamen definitur 1. Poster. text. comment. 9. Ex descriptionibus itaque prædictis, quas, pro notitia horum terminorum, juvenibus insolitorum, ad plenum introduxi, videtur quod Species possit poni prædicatum dialecticum, contra Doctorem.

Ad ista, sustinendo cuncta dicta Doctoris, respondeo. Ad primum dico, quod *prædicare, sive prædicabile vel prædicatum*, potest dupliciter considerari. Uno modo communiter, ut scilicet est una secunda intentio communis omni illi, quod est aptum natum prædicari, vel omni extremo propositionis, posito post copulam, sive sit singulare, sive Universale, sive æquivocum, sive univocum, sive limitatum, sive transcendens: et sic est in plus, quam Universale; et per consequens non est proprium ejus. Alio modo capitur specialiter, et proprie, ... 23.

licet pro secunda intentione, fundata super natura limitata, nata prædicari de pluribus univoce, vel saltem quæ in se est univocum ; et sic est proprium Universalis. Et licet vocaliter sonet actum prædicandi, debet tamen intelligi, ut dicit aptitudinem : et sic loquitur Doctor. Vel aliter, potest distingui de Universali tantum limitato, vel de Universali indifferenti ad transcendens, et limitatum, ut scis. Posset etiam distingui de proprio, et dici, quod in proposito non accipitur quarto modo. Posset etiam ponderari differentia inter *dici* et *prædicari* Nam *prædicari* est proprie passio *dici*, ut Doctor, quæstione præsenti, in fine, habet ; et convenit, stricte loquendo, his quæ continentur in coordinatione prædicamentali, quibus, et non aliis, applicatur intentio universalis, ut hic accipitur. Quomodo tunc Proprium, vel accidens prædicantur, considera. Tene viam, quam volueris, prima est secura, semper præmittendo distinctionem de *prædicari* primo-intentionaliter, et secundo-intentionaliter sumpto.

24. Ad secundum patet ex dictis. Ad tertium dico, quod alia est convertibilitas definitionis cum definito ; alia propriæ passionis cum subjecto ; alia ultimæ Differentiæ cum Specie. Prima enim est ex completa identitate totali, et formali. Secunda ex identitate reali, et necessaria inhærentia. Tertia vero ex ultimata actualitate, et specifica forma. Non enim dicit totam rei essentiam comprehensive, sed bene ultimate, et completive. Est namque ultima differentia ultimæ formæ, vel realitatis, qua posita, necessario ponitur habens ipsam, et hoc aliis requisitis præsuppositis correspondens. Est igitur convertibilitas ultimi actus completive dantis esse respectu illius cujus est. Et si objiciatur, quod quælibet pars definitionis est in plus quam definitum : dico quod debet intelligi de partibus communiter definientibus, cujusmodi non est differentia ultima , quia ejus notitiam minime habemus, nisi circumlocutive. Loquitur igitur Aristoteles ut expertus est, non quod ita sit in re, si differentia ultima cognosceretur, ideo 7. Metaph. text. comm. 35. dicit quod *partes rationis sunt priores, aut omnes aut quædam*. Ubi nota ly *quædam* propter differentiam ultimam.

Ad quartum dico, quod illa reductio non est ratione perfectionis entitativæ, sed modi prædicandi, qui primo convenit Generi, ut patet. Per idem ad aliud de differentia.

Ad ultimum dico, quod Doctor non asserit Speciem non esse prædicatum, sed tangit hoc, tanquam unum modum dicendi. Vel aliter, sustinendo illum modum dicendi, potest dici, quod definitio prædicati non sibi convenit, quantum ad ultimam partem ejus : est enim annexum Generis, ut dictum est prius. Quidam tamen tenent, super primum Topicorum, tam Speciem, quam differentiam esse prædicatum, sed tene cum Doctore. Vel dicendum, quod licet sit prædicatum, non tamen distinctum modum prædicandi a Genere habens, ut loquitur ibi Aristoteles : ideo ne superfluus videretur, posuit tantum quatuor, hic autem ponitur distinctum, quia alium modum prædicandi habet, ut infra dicetur. Vide ad hoc, et ad solutionem quarti argumenti hujus quæstionis, distinct. 8 primi, quæst. 2. in fine solutionis, optime expositionem hujus, de quatuor prædicatis.

Secundo dubitatur, circa illud dictum Doctoris, in solutione secundi principalis *, *Si secundum omnem significationem alterum alteri opponatur*. Quia videtur quod omnia opposita, secundum omnem significationem opponantur. Dico breviter, quod non inconvenit aliqua, secundum aliqua significata, opponi, licet non secundum alia. Exemplum patet 5. Metaph. ubi ponit significata *unius*, et *multitudinis*, quæ non opponuntur secundum omnia, ut patet ibidem. Vel si diceres quod ista non sunt opposita æquivoca, ut infra videbitur. Pone exemplum in aliis, ut forte in acuto, et obtuso, contingit, vel etiam in proposito, 25.

* quæst. 12 num 8.

de Universali, et singulari : considera bene. Adhuc etiam infra cap. de Differentia, quæst. ultima, de rationali, et irrationali. Patet exemplum. De ente etiam reali, et rationis posset exemplificari.

26. *Individuum quomodo prædicari potest ut species.* Tertio dubitatur, circa solutionem tertii argumenti; videtur enim quod Individuum non possit dici Species, nec ut *quid* nec ut *modus*. Quod non ut *quid*, patet. Quod non ut *modus*, probo ; quia Individuum secundum Porphyrium prædicatur de uno solo ; saltem univoce. Æquivocum autem non est Species, ut patet. Et si dicas quod intelligitur illa descriptio Porphyrii pro fundamento, vel denominato, non autem pro significato : contra, secundum doctrinam hujus, definitiones Logicales intelliguntur principaliter ex intentionibus, et pro intentionibus. Item, si individum est Species, ergo Universale, sicut patet de homine. Consequens est falsum, quia prædicatur oppositum de opposito.

Potest dici, quod licet ibi definiatur intentio individui, ut tamen supponit pro fundamento, quod tantum de uno solo prædicatur. Intellectus tamen ab hoc individuo et illo, abstrahit intentionem Individui in communi, cui applicatur intentio Speciei, ut *modus*. Et si objicias, quod ab hoc Socrate, et ab illo, non abstrahitur aliquod univocum ; dico, quod potest esse major unitas in intentionibus, quam in rebus, ut infra magis. Vel posset dici, quod descriptio illa Porphyrii est intelligenda de individuo signato, non autem de individuo vago, hoc tamen habet infra cap. de Substantia quæst. 1. amplius investigari.

Ad aliud dico, quod Universale ut modus, et Individuum ut *quid*, non opponuntur : secus proportionaliter accipiendo utrumque, *quod quid* enim, *quid*, vel modus, modo ; et non modus, quid ; vel e contra adversatur.

27. Quarto dubitatur, et est principale in hac quæstione, circa solutionem quarti argumenti * : sed ut singula diligentius videantur, recitabo primo argumentum, deinde solutionem, et ultimo adducam motiva contra Doctorem. Dicit igitur, quod ens est Universale, et hoc patet per locum a definitione ; sed [illegible] ergo [illegible]. Consequentia patet cum majore. Minorem probat inductive, primo quod non est Genus, de quo magis videtur allegando Aristotelem ubi supra. Ubi advertendum, quod Aristoteles disputando illam quæstionem utrum prima principia sint prima generum, id est, Genera generalissima, aut ultima prædicata de Individuis, id est, species specialissimæ, et probando quod non sunt communissima genera, dicit quod non prima genera ; sed alia communiora eis, ut puta ens, et unum sunt prima principia. Ens autem, et unum non sunt Genera, quia tunc differentiæ eorum essent nihil, quod est impossibile. Hanc autem consequentiam probat, quia impossibile est species prædicari (scilicet quidditative, ut ibi loquitur) de suis Differentiis, nec Genus sine suis Speciebus. Differentias autem cujuslibet Generis necesse est esse ens, et unum : ex quo habetur quod ens prædicatur de Differentiis Generum per se, ut dicit Doctor in littera. Sed forte hoc non sequitur, si advertatur. Argumenta enim Aristotelis in illo tertio plerumque paralogizant, ut habet iste in primo, distinct. 3. quæst. 3 [illegible]. Tenet tamen iste, idem esse per se prædicari de aliquibus differentiis, et si non de omnibus. Refert namque ad hoc quod sumantur ab alia re, vel ab alia realitate, a illa a qua sumitur Genus, de quo infra. Ubi etiam habetur, quod Genus non prædicatur per se de differentia. Idem 4. Topicorum.

Ens ergo non est Genus, nec est Species : quia [illegible], cum super Speciem Genus ponatur, quod neutrum eorum est de [illegible] ; sed [illegible] de Specie prædicata [illegible]. Neque Differentia, nec Proprium, nec Accidens, quia illa prædicantur in quale. Ens vero in quid de omnibus. Nec est proprium quid, non habens quid inclusum in cujuslibet quid.

Ad hoc argumentum respondet, quia [illegible]

* ubi supra

ponsio satis clara est, usque ad responsionem replicæ, quæ sic incipit, *Dicitur quod adhuc est æquivocum ad tria. Impossibile est enim aliquod univocum prædicari per se primo modo de Speciebus et differentiis quinque*, sed bene denomative, denominatione a priori, et necessario, *vel de Differentia una, et alia opposita, nisi Differentia superior de Differentiis inferioribus oppositis prædicaretur univoce*, quod scilicet est inconveniens propter ea quæ sequuntur, videlicet quia *tunc respectu ejus*, scilicet Differentiæ superioris, *Differentiæ specierum*, id est, Differentiæ inferiores, *essent Species in recta linea.* Nam si animal prædicaretur univoce, et per se de rationali, et irrationali, sicut de homine, et asino ; qua ergo ratione sensibile per se dicitur de homine, pari ratione et de rationali. Et tunc rationale esset Species constituta ex animali, et *A*, vel saltem ex sensibili et *A*. sicut homo ex animali, et rationali, et hoc in linea recta, scilicet aliarum Specierum, vel ad modum illius recta. Lineam enim Specierum quarumcumque rectam appellamus. Vides ergo quod illa littera, scilicet, *Et tunc respectu ejus*, etc. potest habere duplicem intellectum, secundum quod ly *ejus* potest referri ad Genus constitutum, licet non ut Genus, per Differentiam superiorem, vel ad ipsam Differentiam superiorem, quod magis videtur, et sequitur, *Et per consequens Differentiæ respectu Specierum.* Ubi aliqui volunt loco *Specierum* debere scribi *Differentiarum* (sed littera potest intelligi ut jacet) *Differentiæ essent Genera*, vel ut aliis placet *essent Species*, quod magis capit, licet utraque littera salvetur.

29. Vult dicere Doctor, quod si ex hypothesi prædicaretur differentia superior univoce, et per se, de inferiori, ut sensibile de rationali, vel animal mediante sensibili, secundum alium intellectum ; tunc rationale respectu hominis, cujus est Differentia constitutiva, esset Species, scilicet disparata in recta linea, sicut asinus, vel leo. Vel secundum aliam litteram, differentiæ, scilicet Specierum subalternarum, essent Genera, ut sensibile respectu animalis, esset Genus, non animalis, sed rationalis, et irrationalis, quæ in illo casu essent species ejus. Esset ergo sensibile Genus subalternum disparatum contra animal. Vel dic tertio, quod differentiæ, scilicet superiores, essent Genera respectu Specierum, id est, Differentiarum inferiorum, quarum sunt differentiæ, scilicet superiores. Vel dic quarto, ut exponit Foxal. Duo tamen primi intellectus mihi satisfaciunt. Hic autem dicit Doctor esse impossibilia. Nam ipse ostendit 7. Metaph. differentiam inferiorem non includere formaliter, nec per se superiorem, tum quia tunc processus in infinitum in Differentiis ; tum quia tunc Differentia esset Species, ut hic infertur, et tunc plura Genera prima quam decem ; tum quia esset in definitione nugatio. Quare ibi et quarto Sententiarum, habet idem, distinctione 11. et infra tangetur aliqualiter. Tertio autem Metaphysicæ ostendit, quod Genus non prædicatur per se de differentia. Quare alia originalia sic habent : *Impossibile est enim aliquod univocum prædicari per se primo modo de Speciebus et Differentiis, vel de Differentia una et alia opposita, per Differentiam superiorem, quæ de Differentiis inferioribus oppositis prædicatur univoce quia tunc respectu Specierum, respectu quarum sunt Differentiæ, essent Species, quod est impossibile*, etc. Et expone ut prius. Vides quam obscura, et ambigua sit hæc littera, prudens lector, ideo prolixitati parce. Concludit ergo æquivocationem entis, etiam pro uno significatorum, scilicet Substantia tantum, et patet littera satis.

Cur differentia inferior non includit superiorem.

Qui autem vellet postponere tantam difficultatem, et hanc responsionem ambiguam, quæ videtur esse aliena, posset breviter ad illam replicam respondere, sic : Cum enim dicitur, *accipiatur ens in Genere substantiæ ibi est univocum*, transeat, *ergo Universale*, concedo : *sed nullum istorum quinque*, nego, quia ens in Genere Substantiæ, est idem quod Substantia. Sicut igi-

tur Substantia est Genus, ita et ens sic sumptum. Sed quia Doctor (cum non objiciat contra illam responsionem) videtur eam sustinere; nec obstat quod incipit a *dicitur* cum sit ultima : ideo melius est salvare ipsam, ut infra faciam, imo simpliciter est melior : et ista, quam nunc notavi, patitur instantias, Logice loquendo.

30. Nunc circa hoc argumentum, et solutionem ejus occurrunt difficultates. Videtur enim quod ens non prædicetur per se de Differentia : quia tunc Differentiæ non essent simpliciter simplices, nec primo diversæ, imo Differentiæ esset Differentia.

Item, aliqui Formalistæ tenent ens esse Genus, et modos intrinsecos Differentias ejus, ut Bonetus.

Item, quomodo valet illa consequentia, qua probat ens non esse Speciem ? Tenent enim plerique Doctores essentiam divinam vel Deum, esse Speciem, non tamen alicujus Generis.

Item, multi ponunt Speciem prædicatum tantum : imo videtur de mente hujus, infra, qui tenet risibile esse Speciem : sed tamen sustinendo fundamenta ipsius, ut communiter Scotistæ tenent, non est alicujus Generis Species, quia tunc proprii proprium in infinitum ; tunc etiam esset per se in Prædicamento, tunc etiam forte distingueretur realiter a subjecto.

Item, videtur quod sicut ens abstrahit a Qualitate, et Substantia, sic a prædicari in *quid*, et in *quale*. Male igitur dicit, quod prædicatur in *quid* de quolibet.

Item, istud est falsum, secundum istum alibi, ubi excipit plura, de quibus non prædicatur in *quid* ipsum ens.

Item, videtur expressa contradictio in dictis hujus, hic, et quarto Metaphysicæ et in I. Sententiarum, distinct. 3. et 8. et alibi sæpe, ubi tenet univocationem entis, Deo, et creaturæ, substantiæ, et accidenti.

Item, videtur quod illa expositio hujus verbi *prædicatur*, sit diminuta.

Item, quomodo omne prius univocum, cum divisum sit prius dividentibus ?

Item, quomodo valebit illa famosa divisio prædicationis in æquivocum, univocum et denominativum ?

Item, cum ratio Universalis scilicet *prædicari de pluribus*, conveniat enti, quare non definitum ?

Item, qualiter valet illa consequentia replicæ : *est unum non, quod Universale singulare, igitur non Universale* ?

Item, videtur quod Universale in communi possit applicari, ut modus, alicui, dato quod suorum suppositorum nullum illi conveniat : et ita non sequitur posito quod ens sit Universale, quod esset aliquod istorum quinque : sicut enim fundamentum ad fundamenta, ita videtur denominativum ad denominativa.

Item, illa ultima responsio videtur mirabilis, imo aliqui volunt quod non sit de mente Doctoris, ideo dicit, *dicitur*, et non *dico*. Ens enim sumptum in genere, vel pro genere Substantiæ est idem quod ipsa Substantia. Quomodo ergo conceditur communiter, quod substantia univoca sit, si ens pro ipsa acceptum est æquivocum ?

Item, quare potius Substantia Genus generalissimum, quam ens sic dictum ? Videtur ergo hæc responsio contra omnem rationem.

Item, argumento tertio ante oppositum, quæst. 3. de Genere, infra, videtur hic, allegando Aristotelem, velle quod differentia superior includatur per se in inferiori.

Item, quomodo valent illæ consequentiæ de illis Differentiis superioribus, et inferioribus ?

Item, quomodo tria prima entia in omni Genere ?

Ad ista respondeo breviter. Ad primum dico, quod licet de aliquibus non negetur de omnibus Differentiis, ut dictum est supra, ens per se prædicatur. Nec hoc sequitur ex dictis Aristotelis 3. Metaphysicæ. Dum igitur Genus et Differentiæ correspondent alia et alia res, talis prædicatio conceditur : sed tunc non erit Differentiæ Differentia : sed bene modus intrinsecus, et hoc tenendo 31. Ens non prædicatur per se de omni Differentia.

univocationem entis. Tenendo autem æquivocationem, poterit esse prædicatio ejusdem de se forte. Hoc autem altius investigare pertinet ad Metaphysicum, Differentiæ enim ultimæ tantum sunt simpliciter simplices.

Ens qui potest dici Genus. Ad aliud dico, quod proprie accipiendo Genus, et Differentiam, nec ens est Genus, nec modi intrinseci Differentiæ, sed forte metaphorice, ubi tamen plus est dissimilitudinis, quam similitudinis. Vel potest distingui de Genere, videlicet limitato, et transcendenti ; vel de Genere in Genere, et Genere extra Genus. Vide hunc in distinctione octava primi Anglici, et Reportationum, ubi disputat an Deus sit in Genere. Nam ibi habes qualiter ens possit, vel non possit dici Genus, et pondera verba Philosophi 4. Topicorum ibidem.

Ad tertium dico, quod Doctor accipit hîc complete, et proprie Speciem, quæ non modo est prædicata, sed etiam subjecta. In divinis autem dicitur esse Species Metaphysice. An autem detur Species subjecta distincta contra prædicatam, vel e contra, infra cap. de Specie, videbitur. Quod tangitur ibi de risibilitate, etiam infra, cap. de Proprio, habet locum.

Ad quartum dico, quod prædicari in *quid* et in *quale*, sicut *quid*, et *quale*, et quantum vel Substantia, Quantitas, et Qualitas, sunt transcendentia : et sic prædicari in *quid* convenit enti, et prædicari in *quale*, passionibus entis.

Ens de quibus prædicatur in quid. Ad aliud dico, quod illud est Universale accommodatum. Prædicatur enim ens in *quid* de quolibet, scilicet quod est quidditas non simpliciter simplex, et in hoc excluduntur passiones entis, et modi intrinseci, et Differentiæ ultimæ. An autem excludatur Deus, alias erit sermo : sed pro nunc tene breviter quod non. An vero conceptus Dei sit simpliciter simplex, dubium est, de quo alias. Aliter posset dici, et singulariter ad argumentum, quod illa Universalis est universaliter vera, accipiendo *quodlibet* ut quid, licet non ut modum. Quære hunc 4. Metaph. quæst. 1. et considera bene.

Ad aliud, licet infra, in Antepræedicamentis, quæst. 4. prolixe habet discuti illa difficultas satis gravis, pro nunc tamen breviter dico, quod loquitur Doctor hîc de æquivocatione, stricte, et logice loquendo, et non modo physice, ut aliquibus videtur, quia sic etiam omnia Genera æquivoca sunt. Sicut ergo univocum est duplex, limitatum videlicet, et transcendens, ita per oppositum et æquivocum. Voco autem univocum limitatum, conceptum prædicabilem de multis, secundum habitudinem alicujus quinque Universalium, a Porphyrio assignatorum. Hoc quoque modo ens non est univocum, saltem non univoce prædicatur. Ideo dicit Porphyrius quod si *quis omnia entia vocet, æquivoce nuncupabit.* 32. *Univocum limitatum quid.*

Univocum transcendens quid. Transcendens autem, seu Metaphysicum univocum dico, conceptum ea natura rei, natum prædicari de omnibus, vel multis Generibus generalissimis ; vel de uno generalissimo, vel reponibili in ipso, et de aliquo, quod non continetur in Genere. Non obstante igitur univocatione Metaphysicali ipsius entis, Universale minime dicetur, quia præcise conceptibus limitatis convenit, et reponibilibus in Prædicamento.

Item, Universale includit imperfectiones quasdam, videlicet divisibilitatem, et determinabilitatem, et potentialitatem, et plurificabilitatem, ut habet iste in Reportatis, distinct. 19. quæst. 5. et alibi sæpe, et alii ; quæ, ut aliquibus videtur, non possunt convenire enti, eo quod quidditative includitur in Deo. Sed profecto ista non impediunt : quia si bene videatur, omnia ista enti conveniunt, licet non naturæ divinæ in se, vel enti infinito, ut 5. distinct. Primi, habet iste. Sed potissima ratio, quod ens non est Universale, ut puta Genus, vel Species, ad quæ omnia alia reducuntur (ut supra dixi) est, quia non est divisibile nec contrahibile per realitates, nec constitutum ex ipso, et suo contractivo, est compositum, ut præcise tale, nec compositione rerum, nec compositione realitatum. Vide hunc 1. Reportationum, distinct. 25. quæst. 2. et alibi.

33. Et si dicatur, quod quidam sequaces Scoti ponunt ens esse univocum, non modo Metaphysice, sed etiam logice, et expresse videntur dicere ipsum esse Universale; dico quod non reperio hoc de mente Scoti, licet in quæstionibus libri de Anima, quæ sibi attribuuntur, aliqualiter reperiatur, ut infra, quæst. 4. Antepraedicamentorum, tangam. Sed ut ipsis satisfaciam, dico, quod accipiunt multum ample univocationem logicam, et Universale, pro unitate videlicet conceptibilis, sub aliqua intentione secunda, sive sit limitata, sive transdendens. Accipiunt etiam Universale pro communi, vel transcendenti, vel extra genus. Hic vero loquitur Doctor imitando Porphyrium, cujus consideratio de Universali est, ut applicabile est his, quæ Aristoteles, in libro Prædicamentorum, considerat. Nam ex Prooemio suo hunc librum, ut introductionem in Aristotelis Categorias ordinavit: illa autem tantum sunt limitata, et non transcendentia. Qui vellet dicere quod Doctor loquitur hic de æquivocatione entis, secundum viam communem, secundum quam communiter loquitur in his quæstionibus, ubi aliqua Metaphysicalia, vel realia, occurrunt: haberet aliter dicere: sed ut infra, in Antepraedicamentis tangam, credo quod loquitur simpliciter secundum propriam opinionem in proposito. Non est ergo contradictio in dictis Doctoris hic, et in Metaphysica, vel Theologia, quia diversimode loquitur de univocatione.

34. Ad aliud dico, quod accipit Doctor hic *prædicari* proprie, ut est superioris de inferiori, inter quæ est prioritas consequentiæ et naturæ, quod æquivocis non convenit, nec forte transcendentibus.

Ad aliud dico quod non omne divisum est prius (ut loquitur Doctor hic de prioritate) suis dividentibus. Sed præcise, dum dicit unum conceptum, et forte non omne tale.

Ad aliud dico, quod nunquam est prædicatio in æquivocis vera, nisi accipiendo prædicatum pro uno significatorum tantum. Dicitur tamen prædicatio æquivoca, sicut oppositio relativa communiter.

Ad aliud dico quod ratio Universalis, sane intellecta, non convenit enti. Illud tamen quod est prædicabile de pluribus, ut est ratio Universalis, quod est plurificabile per realitates diversas in illa plura. Vel dic ut prius distinguendo de Universali, et similiter *de prædicari de pluribus*.

Ad aliud dico, quod univocatio completa, ut eam definit Aristoteles, convenit terminis, et naturis communibus, et sic loquitur Doctor. Terminus autem singularis respectu plurium est æquivocus, licet respectu unius univocus, sed non proprie, quia non habet propriam rationem quidditativam: sed de hoc alibi.

Ad aliud dico, quod nec accidentia realia, nec rationis inhærent, vel causantur, vel fundantur, nisi in suis inferioribus. Maxime enim superiora abstrahunt a concernentia subjecti, ut prius dictum est. Ideo, secundo Topicorum, dicit Aristoteles quod quidquid denominatur a genere, denominatur ab aliqua suarum specierum. Sicut ergo substantiæ secundæ se habent ad generari, vel corrumpi, vel subjici accidentibus, saltem communibus: ita accidentia communia, id est, universalia, cujusmodi est Universale, ad informare, vel inhærere: nego igitur similitudinem, ut infertur.

Ad aliud, quod cæteris difficilius videtur sustinendo illam responsionem esse de mente Doctoris, advertendum primo, quod univocum esse, et univoce prædicari (ut supra aliquantulum tetigi) differunt, et hoc habet vide infra, in Antepraedicamentis, quæst. 3. et 4. Sententiarum distinct. 3. et 8. Ad univoce enim prædicari requiritur unitas vocis, et rationis, et præter hoc convenientia quidditativa prædicati, et rationis ejus in subjecto. Ad *univocationem* vero *prædicationis* sufficiunt duo priora. Secundo præmittendum, secundum Boetium de Hebdomadibus, et auctorem de Causis, propositione 4. quod prima rerum creatarum est ipsum esse. Differt autem esse, et id quod *est*. Nam ipsum esse nondum est. At vero 35.

Univoce prædicari ac prædicatio quidditativa differunt.

Esse, et id quod est differunt.

quod est, accepta essendi forma, est atque consistit. Primum ergo in unoquoque est sua entitas, cui adveniunt cætera, sive sit in Genere, sive sit extra genus. Nihil enim subterfugit rationem entis, sive sit quidditas, sive pars quidditatis, sive Substantia, sive accidens.

Tertio præmittendum, quod Substantia potest sumi dupliciter, ut infra, cap. de Substantia. quæst. 4.; uno modo ut ens per se, et sic est generalissimum. Alio modo ut dicitur de principiis entis per se. Patet hæc distinctio 2. de Anima, *text. comm.* 2.

Substantia ut de suis inferioribus, et differentiis prædicatur.

Quarto notandum, quod Substantia, ut est generalissimum, prædicatur per se tantummodo de his, quæ sunt in recta linea : de his vero quæ sunt collateralia, prædicatur per accidens, licet necessario. Rationale namque ideo est Substantia (accipiendo rationale pro formali) quia est idem ei, quod est substantia, ut puta homini, et ita de aliis. Vide hunc, cap. de Substantia, quæst. 3. Verior est igitur prædicatio Substantiæ, et cujuslibet Prædicamenti, de suis Differentiis in obliquo, prædicatione dicente, *hoc est hujus*, quam *hoc est hoc*.

36. Ex his ad argumentum dico, quod optime dicit Doctor, quod *ens in Genere Substantiæ est æquivocum*, id est, ut indifferenter se habet ad illa, quæ sunt in recta linea, et collateralia. Ubi accipit *Genus* pro coordinatione prædicabili. Divisio enim entis per totum, et partem, est divisio æquivoci in æquivocata, et hoc logice, quia sic transcendit omnia Genera. Ens autem ut dicitur de his, quæ sunt in recta linea, est totum ; ut vero de collateralibus, pars. Alia ergo, et alia ratio cum unitate vocis. Et cum dicitur quod tunc, cum sit idem ipsi Substantiæ, sequitur æquivocatio in Substantia, quod nullus ponit; dico, quod Substantia ut prius, est etiam æquivocum : et hoc ut est indifferens ad omnia illa, quæ sunt in coordinatione prædicabili. Si autem accipiatur ut est Genus Generalissimum, potest dici, quod adhuc est æquivocum : quia illi quod est per se tale, et illi, quod est per accidens tale, nihil est univocum, saltem nomine tali, ut habet iste distinct. 29. Primi, et infra, in Prædicamentis.

Substantia quomodo æquivocum

Et si objicias, quod est Genus igitur univocum ; dico, quod est Genus, per se Specierum, per accidens vero Differentiarum. Vel dici potest, quod Substantia illo modo est univocum, respectu omnium quæ sunt illius generis, vel coordinationis ; non tamen univoce prædicatur; et sic loquitur Doctor hìc. Accipit namque *æquivocum*, ut opponitur univoco univoce dicto, quod præcise Logicus appellat univocum ; non autem opponitur univoco tantum.

Et cum quæris, quare igitur magis conceditur Substantia esse Genus, quam ens ? Dico quod propterea, quia Differentiæ non sunt proprie Substantia, sed potius substantiæ, sunt tamen vere entia. Ens igitur absque distinctione non potest dici Genus, et sic intelligendo responsionem, defenditur optime Doctor. Ulterior vero inquisitio horum infra, et in Metaphysica. Ad aliud dicam infra, ubi allegatur. Ad aliud, patet ex dictis.

Ad ultimum dico, quod illa tria entia sunt ipsa quidditas generalissimi, et quidditates, et realitates, seu formalitates duarum primarum differentiarum, ut saltem in ipsis includuntur.

Et si quæras, quare non æque prædicantur quidditates primarum differentiarum, et contrahuntur ad Differentias inferiores ; sicut quidditas Generis ad Species, et de Speciebus?

Respondeo, quia hæc pars, et ex consequenti, totum harum, illæ vero nec partes, nec totum illarum. Quare igitur non tot prima entia, quot differentiæ ? respondeo, illa prioritas intelligitur divisive, et constitutive, non autem prædicative.

Quinto dubitatur, circa solutionem principalem quæstionis *. Videtur enim primo quod prima ratio, contra primum modum dicendi, non procedat : quia licet Metaphysicus per se consideret relationes reales, distinguit tamen 5. Metaph. *text.* 37.

* quæst. 12. num. 3.

comm. 20. modos relativorum penes fundamenta.

Item, quomodo accipit *Genus* cum dicit quod omnia Universalia inveniuntur in Genere accidentis? quomodo etiam accidens? et quomodo *esse in?* Videtur etiam eodem modo quod divisio vocis significative per *significare substantiam*, vel *accidens*, nulla esset.

Item, videtur quod ipse modus non accipit Substantiam, ut distinguitur contra alia Genera, aliter nihil valeret.

Item, qualiter valet consequentia primæ rationis contra secundum modum dicendi?

Item, quomodo *adesse* et *abesse*, et etiam *inesse omni, et soli* etc. æquivalet *prædicari?*

Item, quomodo Individuum per se in Genere, cum relinquendum sit ab arte?

Item, quomodo subjectum ordinatur ad accidens?

Item, quomodo prædicari in *quid*, et in *quale*, sunt primi modi prædicandi, cum divisio prima entis non sit per *quid*, et *quale?*

Item (et potest ponderari) quomodo prædicari in *quid*, cum sit intentio secunda, et per consequens respectus rationis, bene describitur? Videlicet quod *est prædicare essentiam per modum essentiæ?*

38. Item, quare differentia non prædicat sic essentiam, cum sit de essentia sicut Genus, vel nobiliori modo, et quod additur expo-
* num. 5. sitive*, *id est, per modum existentis, et non denominantis*: qualiter hoc sit verum de secunda intentione, quæ non existit, nisi in alio, vel præcise esse objectivum participat?

Item, cum omnis secunda intentio sit accidens, quomodo non prædicatur per modum denominantis?

Item, cum Genus, et Species sint æque respectus rationis sicut alia tria, quare hæc potius in *quid* prædicantur, quam alia?

Item, quomodo Genus partem, Species vero totum esse individui prædicat, accipiendo Genus, et Speciem secundo-intentionaliter.

Item, si accipiantur primo-intentionaliter, adhuc videtur falsum, tum quia pars non prædicatur in recto de toto, 4. Topicorum. Tum quia præter naturam specificam Individuum includit aliam realitatem positivam, formaliter distinctam a Specie, ut habet iste 7. Metaph. et in 2. Sententiarum distinct. 3. Videtur igitur quidditas specifica esse potentialis, partialis, et contrahibilis. Ratio ergo sua de divisione Speciei, et definitione individui, videtur concludere verum: aliter ab ipso solvenda est alibi.

Item, utrum respectu ejusdem dicit Genus esse partem, et Speciem totum?

Item, quomodo differentia, cum sit intentio, prædicatur in *quale* essentiale potius, quam alia duo.

Item, quomodo proprium egreditur a principiis subjecti, cum causetur actu collativo intellectus.

Item, videtur quod omnia ista quinque sint unum Universale, quia omnia accidens formaliter. 39.

Item, videtur quod sint plura quinque, quia prædicari in *quid*, ut est indifferens ad Genus, et Speciem; videtur constituere unam Speciem communem ad Genus, et Speciem. Eodem modo potest argui de *prædicari in quale*, ut est indifferens ad alia tria, et de *prædicari in quale accidentale* ut est indifferens ad alia duo, et sic octo. Et quod hoc sequatur probo, quia aut hæc divisio datur in Species specialissimas, aut in Species subalternas: si secundo modo, habeo intentum; si primo modo, ergo Genus generalissimum et subalternum tantum numero differunt. Similiter arguitur de Specie specialissima, et subalterna, et de Differentia ultima, et intermedia. Similiter de accidente separabili, et inseparabili; et de proprio Speciei specialissimæ, et subalternæ. Imo de propriis Generum, et transcendentium.

Item, cum definitio convertatur cum Specie, quare potius convenit unus modus prædicandi Speciei, quam definitioni.

Item secundum hanc sufficientiam, vi-

detur quod prius debuit Porphyrius determinare de Specie, quam de Genere; et prius de Differentia, quam de Genere, vel si attenditur penes prioritatem partium ad totum, quare ergo non prius de Differentia, quam de Specie habuit sermonem? Plura alia, quæ occurrunt, relinquo lectori.

40. *Divisio intentionum per fundamenta.* Tenendo cum Doctore, respondeo ad ista. Ad primum dico, quod illa divisio Aristotelis præsupponit aliam, per differentias essentiales, quam circumloquitur Aristoteles per illam. Et si fuissent nomina imposita, et cognita, aliter divisisset. Hîc autem nomina imposita sunt et cognita, ut patet. Procedit ergo argumentum Doctoris de divisione per se, et prima, quam Logicus (cujus est proprie, et stricte dividere) debet attendere, secus de Philosopho reali. Vel posset negari similitudo, eo quod illa divisio est transcendentis per transcendentia, hîc autem quæritur de divisione Generis in Species, quæ per differentias essentiales debet dari.

Ad secundum dico, quod Genus ibi potest sumi, proprie pro denominato, et accidens, ut se habent indifferenter ad novem Genera, vel pro uno significatorum, ita quod sit sensus, quod omnia Universalia puta Genus, Species, etc. inveniuntur in aliquo novem Prædicamentorum imo in quolibet. Nam in omni prædicamento sunt Genera, Species et Differentiæ, et propria passio; Accidens etiam per accidens, licet non respectu rerum illius Generis. Sunt igitur illæ quinque intentiones applicabiles rebus Prædicamenti accidentalis, ut puta Qualitatis, vel quantitatis, etc. Sicut respectus fundamento, vel accidens suo subjecto: et sic patet qualiter accipitur ibi *esse in*. Vel si volueris accipere Universalia pro denominatis, tunc accipe *esse in*, ut convenit toti respectu partium, et e contra.

Omnia Universalia inveniuntur in Genere accidentis.

Posset aliter dici quod Genus accidentis ibi sumitur pro accidenti, ut est commune ad novem Genera: quod tamen non proprie, nec ut Genus est, sed per quamdam Metaphoram, quia dividit ens contra substantiam, quæ est Genus. Quod ibi tangitur de vocibus significativis, patet in tractatu de modis significandi, prima responsio placet.

Ad tertium, concedo illum modum non valere, ut arguit Doctor, sive accipiat substantiam pro essentia, sive non.

Ad aliud dico, quod pro tanto valet, quia Logicus non considerat ordinem eorum, quæ sunt in linea prædicamentali, nisi pro quanto attribuit eis, ut sic, intentiones secundas, puta *prædicari*, *subjici*, *Differentiam*, *Genus*, *Speciem*, etc. Secundum ergo ea quæ per se considerat, debet sufficientiam, vel divisionem assignare, maxime cum intentiones dividit, ut hîc, etc. 41. *Logici est tribuere rebus secundas intentiones.*

Ad aliud dicetur infra, cap. de Proprio, et Accidente. Ipse etiam Doctor ibi optime declarat.

Ad aliud dictum est prius, distinguendo de Individuo.

Ad aliud dico, quod nedum ordo dicit respectum unius ordinatorum, imo utriusque, ita igitur prioris ad posterius, sicut e contra, sed bene differenter, ut patet discurrenti. Ita in proposito applica secundum diversam prioritatem, et posterioritatem substantiæ, vel generalius subjecti, et accidentis.

Ad aliud posset negari forte quod prima divisio entis non sit in *quid* et *quale*, accipiendo, *quid* pro quidditate, et *quale* pro modo. Vel potest dici aliter, quod in proposito prædicari *in quid*, et *quale*, accipiuntur limitate, et non transcendenter, et ita non est simile de ente.

Pro alio argumento et pluribus sequentibus solvendis, nota primo, quod omnis 42.
descriptio Logicalis, per prædicationem signatam data, habet verificari per prædicationem exercitam in fundamentis, ut infra patebit, et supra aliqualiter tactum est. Exemplum, cum dicitur, *Genus est quod prædicatur de pluribus*, etc. verificatur sic, *Homo est animal*, *Asinus est animal*, et sic de aliis. Supponunt enim prædicata, et

subjecta propositionum secundo-intentionalium, ut eas considerat Logicus pro fundamentis, mutando actum signatum, in exercitum. Secundo sciendum, quod cum intentiones secundæ originaliter, et occasionaliter a proprietate rei dependeant, et hoc generaliter *rem* accipiendo, conditiones, modos, atque proprietates rerum, pro quibus supponunt, plerumque ipsis attribuimus. Unde infra, cap. de Differentia quæst. 5. dicit iste, quod Differentia, secundo - intentionaliter sumpta, transumitur a Differentia primo-intentionaliter dicta. Ex his patet quare *prædicari in quid* est prædicare essentiam per modum essentiæ, quia vel hoc verum est, mutando prædicationem signatam in exercitam, vel ut supponit pro fundamentis, vel ut sibi attribuitur modus, vel proprietas sui fundamenti.

43. Ad aliud dico, quod non omne quod est de essentia, prædicatur per modum essensentiæ, sed requiritur ultra hoc, quod sit ut materia, vel ut totum. Nam sicut (Physice loquendo, ut prius tactum est) materia est tanquam basis, et fundamentum radicale totius, forma vero, etsi perfectior, non tamen primum existens, nec fundamentum; ita metaphysice Genus se habet ut materia, et Differentia ut forma. Ut vero accipiuntur secundo-intentionaliter, eis supponentibus pro fundamentis, attribuit intellectus modum prædicandi, ex proprietate fundamentorum, et non solum hoc verum est in prædicamento substantiæ, sed etiam est cujuslibet accidentis, et etiam in secundis intentionibus, inter se prædicamentaliter consideratis. Contra, si Differentia est de quidditate, igitur prædicatur in *quid*, vel per modum quidditatis, et non in *quale*, vel per modum; aliter quod prædicatur, et modi ejus sunt incompossibilia. Responsionem quære infra, cap. de Differentia, quæst. 6. ad finem, et in Theorematibus hujus, ubi dicit quod essentiale in plus se habet, quam dictum in *quid*. Per prædicta patet ad illud, quod tangitur contra expositionem illam descriptionis *prædicari in quid*.

Non omne quod est de essentia prædicati prædicatur per modum essentiæ.

Ad aliud dico, quod in secundis intentionibus potest attendi duplex prædicatio, exercita, videlicet, vel signata : et exercita adhuc est duplex, aut videlicet de proprio supposito, aut de subjecto, et loquor concretive, et de prædicatione vera. 44.

Prædicatio exercita de supposito et subjecto.

Primo modo communiter est prædicatio essentialis, et variatur secundum *quid*, et *quale*, secundum exigentiam fundamentorum : et ita loquitur Doctor hic. Aliquando tamen est accidentalis, et hoc quia tales prædicationes verificantur in fundamentis, mutando actum. Prædicatio vero exercita primo modo est essentialis in intentionibus suo modo, ut in rebus : sed prædicatio exercita secundo modo est accidentalis, et ita procedit argumentum. Comparando enim intentiones ad fundamenta, ut sunt modi intelligendi eorum, accidentaliter prædicantur de eis, et communiter in actu exercito. Vel breviter dicendum, quod intentiones possunt comparari inter se, vel ad fundamenta. Primo modo reperitur inter eas prædicatio quidditativa, vel ut concernunt fundamenta, vel ut abstrahunt. Secundo modo tantum accidentaliter prædicantur, et sic sunt accidentia. Sed de multiplici acceptione hujus nominis *accidens* infra, cap. de Accidente, videbitur. Quod enim est accidens unius, est *quid* alterius. Recurrendum est etiam ut prius ad proprietates fundamentorum.

Ad aliud patet ex dictis, aut ratione suppositionis, aut attributionis, ut prius.

Ad aliud dico, quod Genus, et Species, accipiuntur ibi ut supponunt pro fundamentis : vel si intentionaliter, dic ut prius, ex secundo modali supra.

Ad aliud quantum ad illud, quod tangit de prædicatione partis de toto, patebit infra qu. 3. de Genere. Quantum vero ad aliud de entitate individui, dico breviter quod intentio Doctoris est quod Species, primo-intentionaliter loquendo, dicit totum esse individui, quantum ad prædicata formalia quidditativa, ut ipse in tertia distinctione secundi libri, quæst. 6. exponit. Nullum enim prædicatum quidditativum 45.

Species est tota quidditas individui.

includitur in individuo, nisi Species, et inclusa in Specie. Nec dividitur Species per differentias formales, nec divisione scientifica, quia descendentibus a generalissimis, etc. Dividitur tamen divisione materiali, et concedo quod per realitates positivas, quæ sunt de ratione individuorum, non tamen proprie quidditativa; quia talem rationem non habent, præter rationem Speciei. Differentia namque individualis materia dicitur, ut habet iste, in pluribus locis, licet aliquo modo habeat rationem formæ. Ratio igitur Doctoris optima est, ad probandum Speciem totam quidditatem individuorum prædicare. Sed de hoc magis in Metaphysica, quæst. 13. septimi libri subtilissime pro, et contra. Ideo notanter dicit iste, in quarto, distinct. 1. quæst. 2. artic. 1. quod Individui non est definitio : quia si sic, tunc in ipsa poneretur aliquid, quod non pertinet ad *quod quid* erat esse. Ad intentiones etiam Speciei, et Individui, potest applicare responsionem ut supra.

Ad aliud dico, quod non, sed respectu diversorum, quia Genus est pars Speciei : Species vero totum individuorum, licet ultimate in Individuo reperiatur realitas correspondens Generi. Distingue ergo secundum mediate, et immediate.

46. Ad aliud, patet ut prius, et similiter ad sequens : verificantur enim tales propositiones, ratione suppositionis, vel attributionis, et ita universaliter in omnibus propositionibus localibus, est dicendum.

Ad aliud æquivocatur de accidente, ut infra cap. de Accidente, vel recurrendum est ad illam distinctionem de *quid, et modus*.

Ad aliud, quod tangit pulchram difficultatem, nego pluralitatem illam. Ad probationem, potest probabiliter sustineri utraque via. Dato enim quod hæc divisio sit in Species subalternas, non sequitur quod infertur, quia prædicari in *quid* est æquivocum, ut infra, cap. de Differentia, qu. 5. Æquivocum vero nullam constituit Speciem quia nec definit, sicut nec definitur; et propter alias nonnullas rationes. Similiter dicendum est de *prædicari in quale*, ut est indifferens ad essentiale, et accidentale : et similiter de prædicari in *quale accidentale*, ut commune ad ultima duo, sed tunc essent nonnullæ difficultates. Videtur enim quod Genus non possit dividi, nec ratio Generis, per differentias æquivocas. Sed de hoc infra, ubi prius, cap. de Differentia. Esset etiam Specialis difficultas de prædicari in *quale accidentale*, quia ponitur in definitione proprii, ut infra. Æquivocum autem non definit. Sed de hoc ibi dicetur.

Breviter pro nunc dico, quod accipitur 47.
pro uno significato, ut patet ex addito. Similiter alia pars probabiliter potest sustineri, et cum ostenditur oppositum de Genere generalissimo, et subalterno, et ita de aliis. Potest dici quod æqualis differentia, formaliter loquendo, est inter illa : quia omnis differentia numeralis, ut talis, est æqualis. Differentia autem accidentis per materiam, cui applicatur, est numeralis, quia materialis, et non formalis, igitur non specifica, ut infra, cap. de Genere, et alibi sæpe, et in 2. distinct. 3. quæst. 4. Et hoc intelligo quantum ad differentiam distinctorum, et non distinguentium. Et si objiceretur, quia plus distinguuntur Genus generalissimum, et subalternum, quam unum generalissimum ab alio, et loquor semper de secundis intentionibus. Sed hæc distinguuntur numero, ergo illa Specie. Potest negari assumptum pro majori, nisi ratione distinguentium. Exemplum, albedo in homine, et asino, solum numeraliter variatur, sicut albedo in Socrate et Platone. Major tamen distinctio hominis, et asini, quam Socratis, et Platonis, sed dubium est adhuc an generalissimum, et subalternum sint rationes, vel differentiæ formales, dividentes Genus in communi, vel tantum materiales, ut masculus, et femina respectu hominis. De hoc infra, cap. de Genere : sed specialiter pro prima via facit quod infra, in Anteprædicamentis, tenet quod generalissimum secundo-intentionaliter est subjectum libri Prædicamentorum,

et per consequens erit Species, quia subjectum demonstrationis, et per consequens definibile, etc. dic consequenter bene ponderando.

8. *Cur species prædicatur in quid de inferioribus non in quale.* Ad aliud dico, quod hoc est ratione totalis quidditatis, quam dicit Species, quæ includit tanquam partes Genus, et Differentiam : quare constituunt ipsam definitionem, et hoc incomplexe. Definitio vero quasi quoddam complexum est, ideo nullum unum modum prædicandi dicit. Et si quæras, quare potius in *quid*, quam in *quale* prædicatur Species; potest dici, quod prædicatur *quid* totale includens utrumque, vel quod denominatio plerumque fit ab ignobiliori.

Vel posset dici, quod licet Species includat *quid*, *et quale*, prædicatur tamen in *quid*, et non in *quale*, quia respectu individuorum habet se, ut materiale, et contrahibile per differentias individuales : ideo prædicat essentiam per modum essentiæ, etc. Refert igitur ad modum prædicandi, considerare quidditatem rei in se, vel in comparatione ad subjectum, et sicut ista vera sunt de fundamentis, ita habes dicere consequenter de intentionibus. Sed qui teneret definitionem dicere tertiam entitatem, sicut definitum, adhuc haberet solvere ulteriores instantias circa definitionem, quare non haberet aliquem unum modum prædicandi, sicut definitum, de quo alias.

9. Ad ultimum, patebit in sequentibus ratio ordinis istorum quinque. Sed pro nunc dico, quod ordo attenditur in istis ratione modi prædicandi, sed præsupponentis modum essendi. Prius ergo de Genere, quam de Specie, quia, ut materia ejus est, et majus prædicabile : prius autem de Differentia, propter easdem causas, quam de Specie determinare debuit, sed mutavit ordinem, propter similitudinem modi prædicandi Generis, et Speciei, et propter correlationem, ratione cujus unum per alterum definibile est, et cognoscibile secundum ipsum in littera. Differentia autem, ut infra patebit, dicit respectum ad Genus, et Speciem : ideo præsupponit notitiam utriusque. Porphyrius autem in communitatibus mutat ordinem, quia prius comparat Genus ad differentiam, quam ad Speciem, propter causam dictam; cum jam in primo tractatu quidditative cognita sunt. Sed de ordine istorum non est maximum periculum contendere. Recollige ex dictis sufficientiam Universalium, applicando ea ad secundas intentiones, ut sis bonæ indolis lector.

Etenim pater principium est uniuscujusque generationis quemadmodum et patria, etc. Cap. 2.

QUÆSTIO XIII

An locus sit generationis principium

Averroes super cap. de Genere. Okam ibidem. Conimbric. ibidem. Joan. a S. Thom. et Rodriguez super hanc quæst.

Quod non videtur. Quia pater est principium per se : locus vero per accidens ; quia non movet. 1.

Item, si sic : igitur et tempus erit generationis principium, quia est mensura extrinseca, sicut locus.

Ad oppositum est Porphyrius.

Ad quæstionem dicendum, quod propositio est vera, si attendatur similitudo quoad genus causæ, quia utrumque est in genere causæ efficientis, sic intelligit Porphyrius, ideo dicit principium quod a proprietate convenit efficienti. Falsa est autem similitudo, si intelligatur quoad eumdem modum causæ, nam pater est per se efficiens, locus vero tantum per accidens, scilicet coadjuvans ad generationem, et conservans. Differentia membrorum istius distinctionis patet 2. Physic. cont. 37. et 5. Metaph. cont. 3. 2. *Conclusio.* *Locus est principium generationis per accidens.*

Ad argumenta. Ad primum patet. Ad secundum dico, quod tempus non per se coadjuvat ad generationem, nec salvat generatum, sed magis est causa 3. *Ad argumenta.*

corruptionis per se, ut ostenditur 4. Physic. cont.117.

EXPOSITIO

4. Postquam expedivit se Doctor circa difficultates communes toti Logicæ, quoad tres primas quæstiones, et omnibus quinque Universalibus, et ipsi Universali in communi quoad alias novem, nunc descendit ad principale, tangendo difficultates speciales, circa quodlibet quinque Universalium, inchoando a Genere. Et quia assignando tres significationes Generis dicit Porphyrius, in secunda significatione, quod locus, vel patria est principium generationis, quemadmodum et pater, ideo Doctor breviter, et faciliter movet unam quæstionem, quæ potius dubium litterale, quam quæstio ordinaria dici debet circa veritatem hujus propositionis, et numerando eam inter quæstiones, est decima principalis.

De Primo, *locus est ultimum corporis continentis immobile primum* 4. Physicorum, text. comm. 41. et intelligitur de loco materialiter sumpto.

Varia loci acceptio. Ubi advertendum, quod *locus* potest accipi, vel pro corpore locante, ut aër est locus aquæ, vel pro surperficie ultima illius corporis, ut hîc definitur, vel pro respectu extrinsecus adveniente, per motum acquisibili, qui *ubi* activum est. Nam *ubi*, ut est generalissimum, est commune ad *ubi* activum, et passivum, licet Auctor sex Principiorum tantum *ubi* passivum describat, quod nomen generis famose retinet. Et hoc plerumque accidit, quando Speciebus desunt propria nomina, et potest sic describi, *Ubi activum quid.* *locus*, id est ubi activum, *est circumscriptio*, scilicet activa, *corporis continentis*, *circumscriptionem*, scilicet passivam, *corporis contenti efficiens*. Vel illa definitio quarti Physicorum de ipso loco, pro formali est intelligenda per prædicationem materialem fundamenti, de respectu, ut communiter respectus definiuntur.

5. Potest etiam ulterius locus accipi pro aggregata ex utroque, et hoc vel includendo qualitates activas, et passivas, et cœlestem influentiam, ut eum accipit Doctor, et Porphyrius in proposito. Vel illis exclusis dividitur etiam multis divisionibus, ut *Loci divisio.* puta in naturalem, et violentam; in per se, et per accidens; in qui, et quo; in communem, et propriam; in adæquatam, vel non; in circumscriptivam, definitivam, et per naturalem et sic de aliis, quorum prosecutio, et declaratio, pertinet ad Philosophiam naturalem, et Theologiam. Quid sit *generatio* patet 5. Physicorum text. comm. 4. et sequentibus. Quid *principium* patet 5. Metaphysic. in principio, et quoties accipiuntur, ibidem habes. Quid vero *pater* satis notum est cuique.

Quemadmodum quoque est ratio similitudinis. Plures alii sunt modi accipiendi locum, qui non sunt ad propositum hîc. Ordo patet. Divisio communis est.

De Secundo, arguit negativam duabus 6.
rationibus. Prima procedit ex dissimilitudine principii per se, et per accidens, de quibus 2. Physicorum, et 5. Metaphysicæ.

Secunda procedit a simili destructive. Ubi *Mensura multiplex.* advertendum, quod mensura alia intrinseca, alia extrinseca: et loquor modo de mensura quantitativa continuorum. Intrinseca vero secundum unam dimensionem, ut linea; secundum duas, ut superficies; secundum tres, ut corpus. Extrinseca vero alia propria, alia communis. Vel sic, alia permanentium, alia successivorum. Prima, ut locus; secunda, ut tempus; de quibus infra, cap. de Quantitate, et alibi plenius. Ad oppositum est auctoritas.

Deinde conclusionem responsivam indifferentem, secundum unam distinctionem ponit. Distinctio est ista, quod illa propositio similitudinaria, de qua quæritur, potest dupliciter considerari, aut ut similitudo refertur ad genus causæ; aut ut refertur ad modum causandi. Primo modo pars affirmativa est vera, secundo modo negativa. Notanter ibi dicit, quod appropriate efficiens dicitur principium, quia proprie quælibet causa est principium. 5. Meta-

physicæ. Et quod locus pertineat ad genus causæ efficientis, ad quod pertinet pater, respectu generationis, ostendit : quia conservare genitum, est quoddam efficere, locus autem conservat locatum. Item, coadjuvat ad generationem rei primordialem, ista patent experimentaliter. Nam videmus communiter res melius conservari in loco generationis, quam alibi : licet oppositum contingat per accidens, ut patet de cholericis genitis in locis calidis et siccis, qui diutius, et melius conservantur in locis humidis, et ita de aliis.

Locus generationis pertinet ad causam efficientem.

Videmus etiam quod locus coadjuvat ad generationem, quia multa in quibusdam climatibus, et regionibus generantur, quæ minime in aliis possunt generari. Imo si in illas deferantur, penitus corrumpuntur, ut patet de omnibus venenosis animalibus, quæ nullo modo in Scotia majori, quæ Hibernia communiter nominatur, vivere possunt, sed illico, dum terram illam attingunt, moriuntur. Patet etiam de leonibus, qui etsi in aliis climatibus generantur, non tamen ita perfecti, ut in secundo, et tertio. Similiter de fructibus, et herbis patet, ut quilibet experitur. Quod autem locus et pater, alio et alio modo causant, ostendit, quia iste per se, et ille per accidens, ut prius, in argumento ante oppositum : sed per se, et per accidens generare, est alio et alio modo generare, vel efficere. Patet 2. Physicorum, text. comm. 33. et 5. Metaphys. text. comm. 3. et alibi sæpe.

Deinde solvit argumenta. Primum ex jam dictis, concedendo dissimilitudinem quoad modum. Ad secundum negat similitudinem, quia tempus nec coadjuvat ad generationem, nec conservat genitum ; sed potius est causa corruptionis, ut patet 4. Physicorum, tex. comm. 117. Ubi dicit Philosophus, quod *tempus tabefacit, et senescunt omnia sub tempore, et obliviscuntur propter tempus. Sed non docet, neque novum factum est, neque bonum. Corruptionis enim causa per se tempus est. Numerus enim motus est, motus autem distare facit quod est*, etc.

Tempus non est causa generationis

De Tertio. Circa solutionem quæstionis dubitatur. Videtur enim quod male dicat *Genus causæ*, quia tunc Deus, vel aliquid dictum de Deo, esset in Genere. Item, quod est per se tale, et per accidens, non possunt esse species ejusdem Generis, cum de ipsis dicatur æquivoce tale ; sed pater et locus sunt hujusmodi, igitur, etc. Item, quod pater non sit causa filii, vel geniti, videtur, quia relatio causæ, et causati, arguit distinctionem non modo realem, sed in esse et natura, ut tertia distinctione primi, quæst. 7. et 25. secundi habet iste. Pater autem non distinguitur natura a filio quia pater est, qui de sui substantia produxit sibi similem in natura intellectuali, vel saltem sensitiva. Paternitas vero est habitudo producentis naturaliter similis producto in natura tali. Et per oppositum filius, et filiatio describi possunt. 8

Item, quod locus nullo modo sit causa efficiens, arguitur, quia sic aut locus pro formali, aut pro substrato, aut pro aggregato. Non primo modo, quia respectus nullam activitatem habet, nedum realem, sed nec spiritualem, vel intellectualem, secundum aliquos. Nec secundo modo, quia sic est quantitas, quæ sive ponatur absolutum, sive respectivum, non est de genere activorum, ut infra cap. de Quantitate, et alibi sæpe secundum istum, et communiter secundum omnes. Si vero pro aggregato, idem sequitur, quia si nulla partium est activa, nec totum. Ibi etiam non ponitur tertia entitas communiter. Item, quare principium magis conveniat efficienti, quam aliis causis, cum quælibet causa totius principium. 5. Metaph. text. comm. 1. Item, videtur quod pater non sit pars efficiens geniti, quia sine ipso genitum posset produci a causa superiori. Quidquid enim potest prima causa cum secunda, per se potest. Posset etiam contra aliam partem de [illegible] efficientiæ [illegible] argui ; sed omitto pro nunc.

Sustinendo Doctorem dico ad primum quod ibi sumitur Genus metaphysice, eo modo, quo omne commune Genus vulgo appellatur. 9

Ad aliud, quod causa per se, et per accidens, non dicuntur species causæ efficientis sed modi, quinto Metaphysicæ, et secundo Physicorum, ubi supra.

Ad aliud, quod *causa* in proposito sumitur ut se extendit ad producens. Vocat autem iste in aliquibus locis,et similiter alii, illud quod est generans, vel producens, vel originans, vel pullulans, causans etiam effective, ut infra, cap. de Proprio, forte dicetur. Vel dic, quod Doctor, ubi supra allegatur, loquitur de distinctione in natura secundum numerum, non speciem.

Ad aliud, quod locus pro substrato non immediato, sed pro corpore locante, includente influentiam cœlestem, et tales qualitates, et complexiones, est causa efficiens. Et si quæras, qua ratione influentiæ cælestis unus locus est convenientior ad aliquorum generationem, quam alius, ut dictum est supra, cum tota terra sit ut punctus respectu cœli, et sit minoris quantitatis (ut Astrologi volunt) fere quolibet corpore cælesti; dico, quod hîc oportet recurrere ad diversitatem aspectuum, et figuras constellationum, et dispositionem receptibilitatis, quod non oportet hic declarare, quia transcendit propositum.

10. Ad aliud, non dicit Doctor quod magis convenit principium uni, quam alii, proprie loquendo, sed bene appropriate, *Causa* enim, *elementum*, et *principium*, sunt Synonyma, ut habet Commentator 1. Physic. comm. 1. Appropriate tamen *causa* convenit ipsi fini ; *elementum* vero materiæ, et formæ ; et *principium* efficienti. Sed causam hujus profundius investigare pertinet ad Philosophiam realem.

Ad ultimum, quod non inconvenit aliquid esse per se causam extrinsecam alicujus, sine quo ipsum possit esse, secus de intrinsecis est dicendum. Vel, quod naturaliter loquendo, intelligi debet illa perseitas, vel *quod* respective, ut milium magnum. Vel quod in per se causis, sicut in dependentia causali, ab eis datur simpliciter, et secundum quid tale, ut patet.

Secundo dubitatur, quare dicit in primo argumento * quod *locus est causa per accidens, quia non movet.* Videtur igitur quod omnis per se causa in causando movet : igitur Deus est causa per motum. Similiter argui potest de intellectu, respectu intellectionis, et sic de aliis. Item, accipiendo locum ut prius, videtur quod moveat, cum virtutem activam, per Physicum contactum, respectu locati, habeat : patet in pluribus experimentis. * num. 1.

Dico breviter ad primum, quod loquitur Doctor de agente Physico corporali, agente per motum, unde non sequitur instantia de intellectu, nec de Deo. Vel, licet Deus non immediate agat per motum, mediate tamen sic.

Ad aliud, forte Doctor non negaret locum, sic sumptum, agere per motum, sed illam particulam addidit propter definitionem loci 4. Physicorum, ubi prius in qua ponitur immobilitas. Vel aliter, quod si movet non ita principaliter, et per se propter genitum, sicut pater.

Tertio, posset dubitari circa secundum argumentum, et solutionem ejus, quomodo tempus est causa corruptionis, et quare non similiter generationis, quare neque didicit, neque novum factum in tempore, neque bonum. Sed quia plura hîc tangenda essent, quæ Logico, et maxime juvenibus extranea sunt, ideo in Philosophia videantur, et ad mere Logica accedamus. 11.

Tripliciter cum Genus dicatur : de tertio apud Philosophos sermo est quod etiam describentes assignaverunt, dicentes Genus esse, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid sit prædicatur, *etc.* Cap. eodem.

QUÆSTIO XIV

Quid sit definitum in definitione Generis

D. Thom. *de Ente et Essentia cap* 4. *et* 7. *Metaph. Lect.* 1. Cajet, *ibidem.* Aurax. *lib.* 3. *Metaph. quæst* 3. *art.* 2. Joan. Ang. *et* Bras *super hanc*

quæst. Sotus *cap. de genere.* Sanchez *lib.* 3. *quæst.* 3. Tolet *quæst.* 1. *de Genere.* Javellus in *Logica Tract.* 4. *cap.* 2. Complut. *disp.* 5. *quæst.* 3. Merinero *disp.* 1 *unica de Genere quæst.* 1. Rodriguez *quæst* 2. *de Genere art.* 2. Masius *cap. de Genere sect.* 1. *q.* 3.

1. *Argumenta principalia.*

Circa hanc definitionem, *Genus est quod prædicatur de pluribus*, etc.

Quæritur primo, quid hic definiatur, an intentio, an res? Quod non intentio videtur; quia intentio cum sit accidens, non prædicatur *in quid* de re; quod autem hic definitur, prædicatur *in quid* de re.

Item, intentio non prædicatur *in quid*, nisi de hac intentione, et illa, quæ tantum differunt materialiter, et numeraliter; Differentia autem specifica est formalis; quod autem hic definitur, prædicatur de pluribus differentibus Specie *in quid*. Assumptum patet, quia intentio Generis in animali, et colore, non differunt, nisi per illud, cui applicatur intentio accidentaliter.

Item, si hic definiatur intentio Generis, pari ratione intentio Speciei postea; ergo cum istæ intentiones sint disparatæ, et disparatum non prædicatur de disparato, sequitur quod Genus non prædicatur de Specie, ut hic loquitur Porphyrius, cujus oppositum dicit Porphyr. cap. *de Specie*.

Item, Porphyrius exponendo diffinitionem, exemplificat de animali, et homine; ergo de illis intendit definitionem dare, aliter exemplum non esset ad propositum.

2. Ad oppositum: Logicus tantum debet definire quod per se considerat: illud est intentio; igitur, etc. Major patet, quia quidquid definitur ab aliquo, cognoscitur ab eo, secundum suum *quod quid est*, et ita per se. Probatio minoris: Quod primo consideratur a Logico, est aliquid commune, habens unum intellectum, quia ens per accidens non est scibile; aut ergo illud est res: et sic a primo considerato diceretur Logicus artifex realis: aut intentio, quod est propositum.

Ad quæstionem dicitur, quod res sub intentione definitur, quia sic res a Logico consideratur. Et sic patet ad argumenta pro utraque parte.

Contra hoc, quod hic definitur, univoce convenit rebus omnium generum, ut *animali, colori, figuræ*, etc. quia secundum idem nomen, et definitionem eamdem: sed impossibile est aliquam rem qualemcumque sub intentione convenire univoce rebus omnium Generum: ergo. Probatio minoris: res enim non potest communiori nomine significari, quam per hoc nomen *ens*: si ergo res aliqua sub intentione, omnibus esset univoca, ens sub intentione Generis posset esse univocum illis: et ita tantum unum esset Genus rerum omnium.

Dicitur, quod res illa quæ hic definitur, non est univoca: sed tantum habet proportionis unitatem: modus tamen sub quo definitur est univocus diversis Generibus.

Contra, si res sub intentione definitur, tunc res per accidens definitur; quia per hoc, quod intentio sibi accidit: sed omne per accidens reducitur ad aliquod per se, a quo illud dicitur per accidens: cum ergo res non habeat nisi ab intentione quod hic definiatur, sequitur quod intentio per se hic definitur.

Item, si res per accidens definitur, quia ut sub intentione, quæ sibi accidit, ergo non definitur, quia definito convenit definitio per se.

3. [illegible] Dicendum igitur, quod res nullo modo definitur, propter rationes factas; nec aggregatum, quia illud est ens per accidens, cujus non est definitio, per Aristotelem 6. Metaph. text. com. 4. 2. et 6. et 7. Metaph. text. com. 11. 12. 20. et 21.

nec res sub intentione; quia illud, vel erit aggregatum, vel res, vel intentio; sed intentio sola definitur. Tantum enim illud definitur, cui per se primo inest definitio; et illud est sola intentio, quia quæ ponuntur in definitione sunt intentionalia, scilicet *prædicari de pluribus*, etc. quod est impossibile per se primo convenire, nisi intentioni. Sciendum tamen, quod intentio potest significari in concreto, vel in abstracto. Primo modo significatur per hoc nomen, *genus*, et proprie secundum quod intentio: quia secundum hoc est applicabilis rei; et ideo secundum quod significatur per hoc nomen *genus*, definitur hic, ut scilicet est intentio: tamen forte, ut *quid est*, habet definiri a Metaphysico.

Intentio dupliciter potest significari.

4\. *Prædicari est intentionum per se, rei per accidens, esse rei per se.*

Propter argumenta sciendum est, quod *prædicari* cum sit intentio, est intentionum per se, rei vero per accidens; *esse* vero est rei per se.

Aliud sciendum, quod *esse* in rebus primæ intentionis, illud exercet, quod *prædicari* signat in secundis intentionibus. Ex quibus sequitur, quod nomina concreta secundæ intentionis respectu hujus, quod est *prædicari* supponant pro suis fundamentis, sive suppositis, respectu *esse*. Ex quo sequitur, quod a *prædicari signato* ad *prædicari exercitum*, sive ad *esse*, non tenet consequentia per se, in eisdem terminis; sed a *prædicari per se*, in intentionibus ad *esse* in fundamentis bene tenet consequentia sic: *Genus prædicatur de Specie*; *ergo homo est animal*: hic enim exercetur in prima, quod signatur in secunda. Differentia inter actum signatum et exercitum patet in multis, per *non* enim exercetur negatio: per *nego* vero signatur: per *tantum* similiter exercetur exclusio: per *excludo* signatur, et ita de *prœter*, et *excipi*, et aliis. Ideo sic est arguendum: *Ad negationem superioris sequitur negatio inferioris; ergo si non est animal, non est homo.* Ubi exercetur, quod prius per se signatum fuit, per hoc quod dico *sequitur*; et ita hic pro intentionibus superioris, et inferioris, ponuntur fundamenta, scilicet *homo*, et *animal*.

Differentia inter signatum et exercitum.

Contra hoc; quia sequitur, *Animal prædicatur de homine, ergo homo est animal*; et tamen fit in eisdem terminis. 5.
Dico, quod Consequens potest esse verum, sed non propter Antecedens; quia manifestum est, quod Consequens est per se, et Antecedens per accidens; verius autem suam veritatem non habet a minus vero: unde non valet consequentia. Vel potest dici, quod non sunt iidem termini Antecedentis, et Consequentis: quia in Antecedente sumuntur, ut significata informantur intentionibus, quibus convenit prædicari per se in consequente pro significatis absolute, quibus ut sic, extraneantur istæ intentiones; et ita non sunt iidem termini; quia tanta diversitas sufficit ad fallaciam accidentis: igitur et ad diversificandum terminum, quia terminus variatus in fallacia accidentis, est duo termini.

Ad 1. argumentum dico, quod intentio non est *quid* rei; prædicatur tamen *in quid* de re, ita quod *in quid* sit terminatio inhærentis, non inhærentiæ; quia *prædicari in quid*, est accidens, quia intentio; sicut et definitum. 6.

Ad argumenta.

Ad secundum patet per idem, quia hæc intentio, *Genus*, non est quid, nisi tantum numero differentium; prædicatur tamen de differentibus Specie.

Ad tertium per idem, quia Genus prædicatur de Specie, licet intentiones sint disparatæ, non tamen unum est alterum.

Ad quartum dico, quod illud, quod signatur per definitionem in intentionibus, exercetur in rebus; et ideo in illis

exemplificat, tanquam in manifestioribus ; non quia de eis definitionem dederit.

EXPOSITIO

7. Quærit circa definitionem Generis, in tertia acceptione a Porphyrio assignata, antequam de bonitate, vel sufficientia ipsius disputet, quid principaliter per ipsam declaratur : an videlicet intentio Generis concretive designata, an certe substratum ejus : et hoc non sine causa quærit. Multi enim ista logicalia nimis grosse, et realiter accipiunt, ita quod ex suis scriptis minimam differentiam inter Physicam considerationem, et Logicam videbis. Alii vero alterum extremum non minus vitiosum eligentes, ad voces, et nomina omnia logicalia, et quod bestialius est, physicalia transferunt. Contra quos quarto Metaphysicæ, primo Elenchorum, et, in principio Physicorum, et alibi sæpe, Aristoteles, et Commentator exclamant. Taceo hujus viri, et aliorum sapientum graves invectivas in ipsos. Voluit igitur virtuose, et subtiliter medium investigare Doctor noster. Ideo considerationes logicales neque principaliter ipsis rebus, quia tunc reales, neque ipsis vocibus, quia tunc vocales ; sed ipsis secundis intentionibus convenire ostendit, ideo rationales veræ dicuntur, denominatione objectiva.

8. De Primo. Quid sit *definitio* patet 1. Topicorum, cap. 4. ubi dicitur, quod *terminus est oratio quid est esse significans*. Septimo etiam Metaphysicæ, et octavo, et 9. Topicorum de conditionibus, et requisitis, et partibus ipsius habetur. Boetius etiam in libro Definitionum quæratur.

Potest autem sumi pro substrato, et pro formali. Primo modo sumitur in proposito.

Quoties autem dicitur, tactum est supra, quæst. 3. aliqualiter. Dicitur autem *diffinitio* a *dis*, et *finio*, *finis*, ubi transit *s* in *f*, quod est diversis modis finire, determinare, ostendere, quid, vel quale, vel quantum, sit aliquid.

Genus dicitur a gigno, gignis, vel a genere, quod est natura, et potest accipi quinque modis, ut patet per hos versus :

Universale genus, gens est diversa suorum.
Principiumque rei, subjectum, [illegible] multo-
[rum.

Primo modo accipitur hic, quod adhuc potest distingui, ut supra habitum est de Universali, aut videlicet pro formali, aut pro substrato, aut pro aggregato. Dividitur etiam a Porphyrio in littera.

Item, dividitur in Physicum, et Logicum, sed de Logico absolute sumpto, est præsens intentio.

Dubium tamen est, an definitio Porphyrii hic, et Aristotelis, 1. Topicorum, cap. 9.
4. et 5. Metaph. tex. comm. 33. debeat intelligi de ipso Genere pro formali, an certe pro substrato. De genere pro aggregato non est dubium, quia ipsius non est definitio, nec scientia, cum sit ens per accidens, 6. Metaphys. Quid sit *prædicari de pluribus*, patet prius ; quid *differentibus specie*, et *in quid*, patebit infra. Quid res, quid *intentio*, prius notum est.

Ordo patet, quia prius erat dubium præcedens circa secundam Generis acceptionem declarandum, quam dubia orta circa ipsius tertiam significationem.

Item, prius est determinandum quid definitur, quam de sufficientia definitionis disputandum. Quare autem prius de Genere, quam de aliis determinatur, dictum est supra. Et notat Boetius, singulariter in commento secundæ editionis, in Porphyrium, cap. de Genere, in principio. Divisio communis, nisi quod secunda pars subdividitur, ut patebit statim.

De Secundo, arguit quadruplici ratione, 10.
quod hic non definitur intentio Generis. Et semper intellige de secunda intentione. Prima ratio procedit a destructione ultimæ particulæ definitionis ad intentionem. Definitio enim et quælibet pars ejus convenit definito. Sicut igitur propositum ad propositum, ita oppositum ad oppositum. Minor tamen argumenti posset negari, sed Doctor aliter respondet. Secunda ratio pro-

cedit a destructione penultimæ particulæ, ubi tangit tres propositiones famosas apud ipsum. Prima quod intentio non prædicatur, nisi de hac, et illa, quæ tantum materialiter distinguuntur. Ubi intentio personaliter debet accipi, ut puta pro intentione Generis, vel Speciei, et non simpliciter ponendo univocationem ejus, ut statim dicam. Similem habet sententiam sæpe in his quæstionibus, et in Quodlibeto, quæst. 6. articulo 1. in fine, licet in 1. distinct. 23. in oppositum videatur aliter dicere, sed non de mente propria, ut patet.

Secunda propositio, sed implicite habetur hîc quod differentia materialis est tantum numeralis, quam infra tangit, et maxime in anteprædicamentis, quæst. 3. et in secundo suo.

Tertia, quod differentia specifica est formalis, et e contra, secus de differentia formarum. Idem habet in secundo, distinct. 3. quæst. 4. et alibi sæpe. Tertia ratio deducit ad hoc inconveniens, quod stante hypothesi, Genus non prædicatur vere de Specie, quod est contra omnes. Quarta ratio procedit ex verificatione, et exemplificatione Porphyrii in textu.

11. Ad oppositum arguit unica ratione satis demonstrante propositum, quæ procedit ex per se intentione, et per se objecto, et ex consequenti ex per se proportionabiliter definitionibus Logici, et satis patet.

Deinde solvendo quæstionem, duo facit. Primo, recitat opinionem, quam sequuntur multi Realistarum, et illam improbat. Secundo, propriam opinionem conclusive ponit, et declarat. Vult igitur prima via quod licet res primæ intentionis, quæ est fundamentum Generis (ubi communiter accipimus fundamentum pro subjecto, sicut etiam in relationibus realibus, sed oportet imaginari tunc duo in ipso, videlicet *quod*, et *quo*, sicut in Socrate, cum dicimus, quod est similis Platoni ; *quo* scilicet ut albedine, et *quod* ut ipse Socrates albus ; ita animal est, quod est genus, sed *quo* est genus est communicabilitas talis) non definiatur, nec consideretur absolute a Logico, quia tunc esset artifex realis : ipsum tamen ut sub intentione Generis, consideratur ab eo, et ita definitur, sicut Mathematicus considerat æs, vel aurum ut sphæricum, vel triangulare, et sic de aliis. Et sic faciliter solvuntur argumenta, quia principalia faciunt pro hac conclusione. Argumentum autem post oppositum solvitur, negando quod solum intentionem per se considerat Logicus, sed etiam rem sub intentione.

Contra hunc modum dicendi arguit Doctor, ex univoca convenientia illius, quod hîc definitur, rebus omnium generum. Et bene dixit, *convenit*, et non *prædicatur*, ut infra bene dixit *rebus* indefinite, et non universaliter; bene etiam *Generum*, ad differentiam transcendentium, et illimitatorum. Sicut enim animal de prædicamento Substantiæ est Genus, ita color de prædicamento Qualitatis, et figura de prædicamento Quantitatis, et relatio suppositionis, de prædicamento Relationis, et sic de aliis. Patet etiam de decem prædicamentis, quorum quodlibet est Genus. Idem habet infra, quæst. 3. Anteprædicamentorum in solutione. Talis autem convenientia non potest convenire alicui rei sub intentione, quod probat satis bene, et patuit supra, quod ens non est Genus. 12

Ad hoc argumentum respondetur, et illam responsionem sequitur, vel saltem non improbat Doctor infra, quæstione sequenti, et sæpe alibi, distinguendo de unitate univocationis, et proportionis, quarum secunda sufficit in proposito. Voco autem unitatem univocationis, unitatem vocis, et rationis, sic unius ; unitatem vero proportionis appello, unitatem conformitatis, vel in similiter se habendo, non unius, sed plurium, et communiter realiter diversorum, et hoc secundum proportionem Arithmeticam, vel Geometricam, licet Metaphorice loquendo seu metaphysice, et entitative. ut 5. quæst. Quodlibeti, articulo 1. habet. Sicut enim se habet animal ad hominem, et asinum ; ita color ad albedinem, et nigredinem ; et figura ad quadra- 13

Unit. voca et pr tioni

tum, et triangulum : et sic de aliis. Res igitur una unitate proportionis subest intentioni Generis in communi. Deinde non directe contra hanc evasionem, sed contra opinionem in se, alio medio arguit Doctor, inferendo quod Logicus non per se, sed per accidens, tunc rem definiret : sicut substantia per accidens videtur; quia ut sub colore ; sed omne per accidens tale, reducitur ad per se tale. 2. Physic. text. comm. 66. et alibi sæpe; cum igitur res non definiatur a Logico, nisi ut sub intentione, ergo intentio magis, et per se. Ex quo ulterius arguit quod res non definitur fundamentaliter, loquendo ex hypothesi, cum implicet definitionem non convenire per se definito, ut supra visum est.

14. Consequenter ponit opinionem propriam, ubi sic procedit : primo conclusionem negativam præmittit, quæ triplex esse potest. Prima quod res absolute loquendo, non definitur hic. Secunda, quod nec aggregatum ex re, et intentione. Tertia, quod nec res sub intentione. Prima patet, quia aliter artifex realis. Secundam probat ex 6. Metaph. text. comm. 4. 5. 6. et 7. Metaph. text. comm. 11. 13. et 20. atque 21. Tertiam ostendit a sufficienti divisione. Conclusio ergo generalis negativa, videlicet *res nullo modo definitur*, saltem ut *quod*, et principaliter, licet forte pro *quo*, et concomitanter : patet. Secundo, conclusionem affirmativam adjungit, quam probat ex perseitate convenientiæ hujus definitionis (de qua quæritur) ipsi soli intentioni, quæ est necessaria conditio definibilis, vel definiti per se; definitio enim ex secundis intentionibus constituta, non convenit per se, nisi secundæ intentioni; quod hoc sit hujusmodi, patebit ex quæstionibus sequentibus.

15. Sed pro majori declaratione hujus conclusionis, distinguit de intentione, non quoad ejus essentiam, sed quoad modos intelligendi, et significandi ipsius, dicens quod potest significari concretive, vel abstractive. Ex quo sequitur secundum ipsum identitas significati concreti, et abstracti. Primo modo, quantum ad propositum, significatur per hoc nomen *Genus*, cujus abstractum est *intentio generis*, et non *generalitas*, ut aliqui ponunt. Nullius enim istorum quinque Universalium abstractum uno nomine potest exprimi, ut infra cap. de Differentia et Proprio, habet iste. Accidens autem omne, sive reale, sive rationis, concretive sumptum est applicabile subjecto, prædicative autem, et connotat, sive consignificat ipsum, et non in abstracto, licet sic insit : non tamen per modum inhærentis, sed per modum per se stantis, et absolute essentiæ, significat. Cum igitur Logica sit de secundis intentionibus, non quomodocumque, sed applicatis primis, igitur Logicus definit intentionem Generis. Et sic de aliis in concreto, et non in abstracto, ut scilicet connotat, concernit, et supponit pro fundamento. Verificatur igitur omnis definitio logicalis in fundamentis, licet in alia, et alia prædicatione : non tamen ex hoc sequitur quod fundamentum sit id, quod definitur, sed secundarium pro *quo*. Intentio quoque abstractive, et quidditative, præscindendo a concernentia subjecti, et fundamenti, habet forte definiri a Metaphysico, ut supra dictum est. Ideo notanter dixit Doctor, *et proprie secundum quod intentio*, ad differentiam ejus, ut est ens, ut supra dictum est, quod differt intentio inquantum ens, et inquantum intentio.

Ulterius pro solutione argumentorum, et ulteriori declaratione dictorum, adducit duo notabilia, ex quibus duo correlaria infert. 16

Primum notabile, quod *prædicari* est per se secundarum intentionum, quia est secunda intentio, et dicit actum [illegible] esse vero rerum. Et posset addi tertium, quod videlicet *dici*, id est, *per nomen exprimi*, est commune, licet *dici* alio modo sit etiam intentionum, ut infra in Antepraedicamentis. Exemplum, *Genus prædicatur de Specie*, vel, *Species prædicatur de Individuo*, recte dicitur : non tamen, *Species est Genus*, vel e contra : nec, *Individuum est* [illegible]

[illegible]

Species, vel e contra, saltem ut *quid. Homo* autem *est animal*, vel, *Socrates est homo*, congruentius, quam animal prædicatur de homine, vel homo de Socrate, ut infra statim.

Secundum notabile est, quod per hoc verbum *sum, es, fui*, exercetur in rebus primæ intentionis, vel sibi conformibus, quoad hoc actus signatus importatus, per hoc verbum *prædicari*, vel *subjici*, vel *dici* in secundis, ut dictum est supra.

17. *Intentiones supponunt pro fundamentis.*

Primum corollarium, quod concreta secundo-intentionalia supponunt pro fundamentis, maxime quando copulantur per hoc verbum *prædicari*; et non solum respectu hujus verbi est hoc verum, sed etiam respectu aliorum. Facit tamen specialem mentionem de hoc verbo *prædicari* Doctor, quia est ad propositum definitionis, de qua quæritur. Exemplum cum dicitur, *album currit*, denotatur quod homo vel aliud animal, currit. Ista cum dicitur, *Genus prædicatur de Specie*, denotatur quod homo est animal, vel aliud hujusmodi. Hic est tamen dissimilitudo, propter diversitatem actus.

Secundum corollarium, et sequitur ex primo quod a *prædicari signato* ad *exercitum*, in eisdem terminis, non tenet argumentum per se, sed bene in aliis, ut puta ab intentionibus ad fundamenta, et maxime dum in intentionibus fit prædicatio per se, ut, *Genus prædicatur de Specie; ergo homo est animal*. Prima enim est significativa secundæ. Quod ergo dictum est in prima figurative, indeterminate, et confuse, et sub velamine quodam; practicatur, et exprimitur distincte, per secundam. Prædicatio enim signata non est proprie prædicatio, ut dictum est prius : sed tantum signum prædicationis. Hoc patet, quia primum ponitur a parte subjecti, et subjectum a parte prædicati, secundum ordinem loquendi in actu signato; ut, *Genus prædicatur de Specie*, vel, *Animal prædicatur de homine*, licet prima sit per se, et secunda per accidens, de quo in sequentibus. Nisi dicas, quod illud quod est subjectum in actu signato, est primum in actu exercito, et e contra, de quo infra tangetur.

A prædicatione signata ad exercitam quando sit consequentia.

18. Consequenter incidentaliter ponit differentiam actus signati, et exerciti, in multis. Nam præter communem modum exercendi actum signatum, qui tactus est supra ; et modo hic, videlicet per hoc verbum *est*, vel aliud substantivum, sunt alii termini speciales, sive modi, vel determinationes, actum exercitum importantes : et enumerat tres, videlicet *præter*, *tantum*, *et non*. Isti enim termini, *negatio*, *exclusio*, *exceptio*, et verba sibi correspondentia, pertinent ad actum signatum : ideo apte per se adjunguntur ipsis secundis intentionibus. Dicit ergo, quod per *non* exercetur negatio, quæ per *nego* signatur : et ita de *tantum*, *et excludo* ; de *præter*, *et excipio*. Et ponit exemplum de duobus primis, id est de *non*, et *nego*, vel *negatio* : qualiter videlicet valet argumentum, ab uno ad aliud, cum terminis primo-intentionalibus, et secundo-intentionalibus proportionalibus utrique. Unde argumentum istud valet, *Ad negationem superioris sequitur negatio inferioris; igitur si non est animal, non est homo*. Ubi mutatur actus signatus in exercitum, et intentiones in fundamenta, pro quibus supponunt. Omnes enim termini antecedentis sunt intentiones secundæ, ut patet, et omnes termini consequentis sunt primæ intentiones. Ponitur ergo *homo, et animal* loco superioris, et inferioris, formaliter acceptorum. Et ponitur *non est*, loco *negatio*, et sequitur cum nota illationis. Tamen non exemplificat Doctor de aliis, sed exempla plura possunt imaginari. Uno modo sic, *Quod convenit præcise, vel exclusive, antecedenti, convenit, et consequenti, igitur si tantum homo currit, tantum animal currit*. Vel sic, *Quod convenit præcise uni oppositorum, removetur ab altero ; igitur si tantum album currit, nihil quod est nigrum currit*. De ultimo sic : *Quidquid excipitur ab aliquo attributo, continetur sub subjecto attributi; igitur si omnis homo, præter Socratem, currit,*

Actus si- natus qu- modo tra- sit in e- ercitum.

Socrates est homo, et sic de aliis. Habes plura exempla in regulis consequentiarum, applicabilia ad propositum. Ex omnibus istis patet veritas illorum notabilium, et corollariorum.

19. Sed objicit maxime contra secundum corollarium, quod etiam in eisdem terminis valet consequentia ab actu signato ad exercitum, et littera satis patet.

Respondet dupliciter, primo negando primam consequentiam, saltem de forma. Nam si induceretur ad Syllogismum, conclusio necessaria inferretur ex contingenti præmissa, et *per se* ex *per accidens*, quod est contra Aristotelem, primo Priorum, et primo Posteriorum, formaliter saltem arguendo. Materialiter enim sequitur necessarium ad quodlibet, et unum ad quodlibet, et per se ad quodlibet. Exemplum (licet non sit omnino simile) *Socrates est risibilis : igitur homo est risibilis*, non sequitur propter *quid*, sed potius e contra.

Alio modo respondet, negando minorem, imo quod est fallacia Consequentis in argumento, vel in consequentia illa prima, propter variationem medii. Animal enim et homo sub intentionibus secundis extraneantur sibiipsis absolute sumptis. *Prædicari* namque cum sit secunda intentio, accidit animali, etiam pro esse intelligibili. Ideo enim prædicatur, quia genus, vel superius, vel commune, vel prædicabile, quibus per se convenit prædicari. Sunt igitur alii termini antecedentis, et consequentis, saltem quantum ad suppositionem, licet non quoad significationem, quæ alietas sufficit ad fallaciam Accidentis. Vel melius, in secunda responsione vult consequentiam valere, propter alietatem terminorum. Et quod ibi tangit de fallacia Accidentis, exemplariter adducit. In hac autem consequentia non est formaliter fallacia talis, quia non comparantur hic accidens, et subjectum ad aliquod tertium attributum, sicut convenit in fallacia tali, ut hic *Homo est Species : Socrates est homo : ergo Socrates est Species.* Et si reducantur in Syllogismum adhuc non esset fallacia, ut si sic arguatur, *De quocumque prædicatur animal, illud est animal : sed de homine prædicatur animal : ergo homo est animal.*

Ex his duabus responsionibus habes duas propositiones notabiles. Prima ex prima, quod *Verum veritatem non habet a minus vero.* Secunda ex secunda, quod *Terminus variatus in fallacia Accidentis est duo termini.*

Ad primum principale dicit, quod aliud est esse *quid* rei, aliud prædicari *in quid* de re, et hoc ut ly *in quid* determinat inhærens, non inhærentiam. Concedit igitur Genus prædicari in quid de re, ut ly *in quid* determinat ipsum Genus in se, quia unumquodque in suo Genere est *quid*, sicut supra, in simili dictum est, de *per se*. Quare licet hæc prædicatio sit denominativa accidentalis, *Animal est Genus* : prædicatum tamen dicitur, in *quid* ad sensum datum prius. 20. Ad argumenta.

Ad secundum dicit per idem, *Genus*, inquit, *est quid differentium numero tantum*, ut puta hujus Generis, et illius, *prædicatur tamen in quid de differentibus Specie* : et hoc pro substrato, et forte etiam pro formali accipiendo differentia Specie, sumendo ly *in quid* ut prius : sed de hoc in tertio articulo, et infra quæst. 17.

Ad tertium patet per distinctionem habitam inter actum signatum, et exercitum, et alia, quæ facta sunt in corpore quæstionis. Licet enim hæc sit falsa, *Genus est Species*, vel e contra, accipiendo utrumque ut *quod*, hæc tamen est vera *Genus prædicatur de Specie*.

Ad quartum dicit, quod exempla ponit Porphyrius in rebus primæ intentionis : tum quia in illis sensibilius declaratur definitio, et pro illis secundario saltem datur atque pro eis intentio generis, ut definitur, supponit. Tum quia manifestiora, et notiora per quæ ignotiora erudiri doctrinæ convenit declarare. Tum etiam quia exempla ponimus, non ut ita sit, ex primo Priorum, text. comm. 20. De ipsis tamen primis intentionibus non datur ista definitio, hoc

absolute sumptis, nec aggregative nec ut sub intentionibus secundis, ex præhabitis.

21. De Tertio, primo dubitatur, circa primum principale, et solutionem ejus, tum quia minor argumenti, quam non negat Doctor, videtur neganda, ut supra notavi. Tum quia illa distinctio de *in quid*, ut determinat inhærens, vel inhærentiam, et eodem modo illa de *per se* supra, videtur minus conveniens, quia sic Proprium, et Accidens, et Differentia, possent prædicari *in quid*, cum unumquodque in suo Genere sit *quid*, licet respectu alterius sit *quale*.

Ad hoc dico breviter, quod licet minor illa posset negari, ut prius dixi, accipiendo ly *in quid*, ut determinat inhærentiam, non tamen ut determinat inhærens, et qualiter illa distinctio valeat, et intelligenda sit, dictum est in simili supra, quæst. 9, 10, 11. num. 23.

Ad illud quod additur de aliis Universalibus, potest dici, ut supra, quæst. 12. notavi, quod potius Genus, vel Species prædicantur in *quid*, quam alia, tum propter proprietates fundamentales; tum propter suppositionem personalem; tum propter reductionem aliorum ad ista duo. Et cum dicitur, quod unumquodque est quid, etc. verum est metaphysice, sed non logice. Vel aliter, verum est, ut tamen modum Speciei, vel Generis, induit. Vel tertio, verum est proprie, non tamen appropriate. Vel quarto, et coincidit cum secundo, verum est de his quæ per se in Genere aliquo reponibilia sunt, cujusmodi sunt tantum Genera, et Species.

Secundo dubitatur circa secundum principale, et solutionem ejus. Videtur enim quod male dicit intentionem non prædicari, nisi de hac, et illa, quæ tantum numero differunt, et hoc sive accipiat intentionem in communi, sive ut implicite intelligitur de intentione Generis. In intentionibus namque secundis ponimus coordinationem, et Genera, et Species suo modo, sicut in primis, ut in Anteprædicamentis, quæst. ultima, habet iste.

Item, Genus generalissimum, et subalternum, magis differunt, quam unum generalissimum ab alio, loquendo de intentionibus secundis, et similiter potest argui de Specie specialissima, et subalterna, et forte subjecta, et prædicata; et eodem modo de Differentia, Proprio, et Accidente. Sed hoc generalissimum, et illud differunt numero; igitur generalissimum, et subalternum plus quam numero. Differentia vero major numerali ad minus est specifica, sicut de unitate minori numerali in simili habet iste.

Et si dicatur, quod differunt generalissimum et subalternum, tantum penes materias, quibus applicantur, et ita accidentaliter, sicut masculus, et femina, in specie humana : et eodem modo de omnibus aliis est dicendum. 23.

Contra, quia eadem ratione Genus, et Species, solum numero distinguerentur, imo potius in his unum erit, quia eidem fundamento applicari possunt, saltem respectu diversorum; generalissimum autem et subalternum minime.

Item, secundum istum, in his quæstionibus per totum, definitiones, et divisiones logicales ubicumque possunt verificari, de secundis intentionibus semper intelligendæ sunt. Cum igitur Genus a Porphyrio dividatur in generalissimum, et subalternum, et utrumque definiatur, ut patet cap. de Specie, sequitur quod tales definitiones, et divisiones dantur per differentias formales, et secundo-intentionales, et non per materiales.

Item tertio, quia eodem modo poterit divisio Universalis in hæc quinque dici materialis : et sicut prius dictum est de Genere, et Specie, in prima replica, ita potest argui de Differentia, et Specie, et similiter de Specie, et Proprio. Et sic de aliis. Sed tunc quomodo coordinatio prædicamentalis in secundis intentionibus? et quomodo scientia de ipsis? quomodo demonstratio? quomodo definitio? quomodo ordo?

Pro solutione hujus dubii, licet (ut su- 24.

pra quæst. 12.tetigi) utraque pars probabiliter sustineri possit, tamen ut clarius utraque via sustineatur, notandum primo quod in omnibus accidentibus, sive realibus, sive intentionalibus, potest attendi differentia duplex, scilicet materialis, et formalis, ut expresse habet iste in primo, distinct. 2. quæst. 5. solvendo argumenta opinionum, et in tertia distinctione ejusdem, et alibi. Prima (ut præcise talis) est numeralis ex parte distinctorum, licet ex parte distinguentium possit esse specifica, vel generica. Secunda vero est specifica ad minus, nisi extendatur ad hæcceitates.

Differentia duplex in accidentibus.

Secundo advertendum, quod supposita sunt in duplici differentia : quædam ejusdem denominationis cum suo communi ; quædam alterius. Exemplum ut homo respectu animalis, et hoc animal : communiter tamen suppositum ejusdem denominationis prædicatur de supposito alterius denominationis, stante identitate concretionis.

Tertio sciendum, ut sæpe supra dictum est, quod aliter Logicus, et aliter metaphysicus, has secundas intentiones considerat : quia hic ut applicabiles rebus primæ intentionis sunt, ille vero ut abstrahunt ab illis.

25. Ex his ad dubium potest dici, sustinendo ipsum Genus prædicari plus quam de solum numero differentibus, quod loquitur Doctor de Differentia materiali accidentium, et non formali, insecutus forte in hoc viam communem, quæ Accidentia, Species, subjecta, dicit numero distingui. Vel aliter, quod loquitur logice, et non metaphysice de ipsis intentionibus. Vel aliter, posset salvari dictum Doctoris, intelligendo illud de suppositis alterius denominationis. Prædicatur enim Genus de hoc differente Specie, et de illo, quæ tantum numero differunt, ut infra patebit. Vel ultimo posset dici, quod loquitur conformiter dictis suis alibi, ubi dicit quod unumquodque Genus, vel generalius, unumquodque commune, prius descendit in suum proprium individuum, quam in aliquam ejus speciem ; sed tale individuum forte potest bene dici de pluribus, ut puta, hoc ens, sicut ens ; hoc animal, sicut animal : et ita hoc genus, sicut genus ; et sic posset dici, quod duplex esset prædicatio cujuslibet communis, prima scilicet, et secunda : sicut duplex suppositum, scilicet ejusdem, vel alterius denominationis. Prima de solum numero differentibus, secunda vero de Specie differentibus, et aliquando de solum numero talibus diceretur. Sed hæc responsio quærit majores difficultates persolvere. Ideo teneantur responsiones præcedentes, vel dicatur consequenter. Qui vellet tenere aliam viam, solvat motiva. Prima via magis mihi sapit. Quid autem dicendum sit de Specie respectu specialissimæ, et subalternæ, et de Differentia, et Proprio, et Accidente, suo modo, in suis locis pertractandum erit.

Generis prædicatio de solo numero differentibus, quomodo verificetur.

Tertio circa solutionem quæstionis, potest dubitari, et gratia brevitatis, omnia sub uno dubio perstringam. Videtur enim quod male dicat contra primam viam arguendo, quod illud quod hic definitur convenit univoce rebus omnium Generum, tum quia denominative, et accidentaliter convenit, tum quia multæ res generum non sunt Genera. Item, ens sub intentione Universalis, vel communis, aut transcendentis, convenit univoce rebus omnium Generum, igitur propositio illa est falsa, *Impossibile est aliquam rem*, etc. Item, circa idem laborant Dialecticus, Metaphysicus, et Sophista, 4. Metaph. text. comment. 5. Metaphysicus enim definit Genus, ut res primæ intentionis est : eadem etiam definitione, qua Porphyrius, ut patet 5. Metaph. text. comment. 33. Genus et Logicus. Male igitur dicit quod res nullo modo definitur, sed intentio. Item, possunt ponderari illæ propositiones, *Omne per accidens reducitur ad aliquid per se, et definitio convenit definito per se* ; sed pertranseo pro nunc. Item, quod dicit consequenter, quod intentio videlicet definitur per se sic, 26.

ut est concretum, videtur falsum ex 7. Metaph. text. comm. 2. Item, cum concretum, et abtractum idem significent, per te infra quæst. de denominativis, si abstractum significat *quid*, sequitur quod et concretum : male igitur dicit, quod intentio ut *quid est*, habet definiri a Metaphysico, ut tamen concretive sumpta a Logico.

27. Item, abstracta, ut sic, non possunt definiri, quia omne quod proprie definitur, supponit personaliter quod abstractis non convenit. Item, illud primum notabile videtur falsum : quia hæc est vera, *Animal per se prædicatur de homine* : et hæc, *Genus est Universale* : et hæc, *Genus est Genus*. In omni enim Genere est *quid*, et essentia, et prædicatio essentialis, per consequens : et hoc, mediante hoc verbo *est*.

Item, illud primum corollarium videtur repugnare solutioni quæstionis, et similiter secundum notabile. Nam si nomina secundo-intentionalia concretive accepta, respectu hujus verbi *prædicari*, supponunt pro fundamentis, et talis prædicatio habet exerceri in primis, videtur ergo quod definitio Generis habet verificari, et exerceri in rebus : res ergo sub intentione definitur, ut prima via tenet.

Item, ex secundo corollario videtur sequi, quod prædicatio signata in secundis intentionibus sit per se, ut puta ista, *Genus prædicatur de Specie*, et tunc disparatum per se de disparato prædicatur.

Item, ista prædicatio, *Genus prædicatur de Universali*, non exercetur in rebus, sed in ipsismet secundis intentionibus, dicendo, *Universale est Genus*.

Item, circa illam litteram, in qua notatur differentia actus signati, et exerciti, multa essent tangenda. Sed breviter dubitari potest, quare illa Adverbia *, *non*, *tantum*, et *præter*, denotant actum exercitum magis, quam verba sibi correspondentia, cum Adverbia, adjectiva verborum sint, et minoris, per consequens, entitatis.

* num. 4.

28. Item, circa solutionem primam objectionis, quæ ponitur in fine solutionis quæstionis, contra secundum corollarium, ubi negat consequentiam, quia Consequens est minus verum, quam Antecedens, videtur dubitandum, quia tunc consequentia in qua necessarium infertur ex impossibili, vel contingenti, deberet negari.

Item, videtur quod male dicat in secunda responsione, quod terminus variatus in fallacia Accidentis, est duo termini, cum fallacia Accidentis sit fallacia extra dictionem. Multiplicitas enim Accidentis potest stare cum unitate termini. Unde supra, quæst. 9, 10, 11. dictum est quod diversitas suppositionis stat cum unitate subjecti, et significati : causa enim apparentiæ in fallacia Accidentis, secundum istum 1. Elench. quæst. 46. est identitas apparens alicujus diversitatis, ita quod sit aliquid unum pro medio comparatum ad extrema, secundum diversas naturas in ipso existentes. Ipsa tamen diversitas est causa non existentiæ. Et ibidem, quæst. 44. dicit quod Accidens ut sumitur in fallacia Accidentis, est cum ratio alicujus non fit eadem totaliter cum ratione alterius, prout ad tertium comparantur. Ex his patet quod terminus non variatur in fallacia Accidentis, sed ratio formalis significati.

Item, posset specialiter argui, quod superius non accidit suo inferiori : dimitto tamen pro nunc, quia de hoc est ibi specialis quæstio.

Sustinendo igitur Doctorem nostrum, respondeo ad ista. Ad primum, nego assumptum. Ad primam probationem dico, quod stant simul aliquid dici denominative de aliis, et cum hoc esse prædicatum univocum illis, ut infra, in Antepræedicamentis, dicetur. Et sic intelligit Doctor convenientiam univocam in proposito, non ut univoce dictum, sed ut univocum prædicatum. 29.

Datur univocum denominativum.

Ad aliam dico, quod ly *rebus* supponit determinate, et non distributive, ut imaginaris.

Ad secundum potest dici, quod ens est univocum metaphysice, non logice, ut supra tactum est. Vel potest negari antece-

dens; ut prius habitum est, solvendo illam difficultatem de ente, quæst. 12.

Ad tertium dicendum uno modo, quod licet laborent circa idem, diversimode tamen habent Philosophus, et Commentator ibidem. Non inconvenit igitur quod idem per se ab uno definiatur, licet non ab alio. Vel potest aliter dici, negando minorem, quia Metaphysicus non solum entia realia, sed etiam rationis, et negationes, et non entia considerat, ut patet 4. Metaphysicæ.

30. Sed tunc est dubium, propter dictum Doctoris supra, quod aliter Metaphysicus, aliter vero Logicus considerat, quia hic in concreto, ille vero in abstracto, quod tamen in proposito falsum est, quia uterque in concreto definit.

Quomodo Metaphysicus, et Logicus, res considerant.

Dici potest quod Metaphysicus, maxime in 5. Metaphysicæ, accipit ut plurimum descriptiones vulgares terminorum communium, de quibus ibi determinat, nunc ex Logica, nunc ex aliis facultatibus, ut consequenter investiget quidditates tales abstractive, et ita est in proposito.

Vel sustinendo primam responsionem, distingue de abstractione : licet enim Metaphysicus consideret quidditates rerum absolute, non tamen in ultimata abstractione logicali, quia sic forte de ipsis nihil posset prædicari. Considerat ergo abstractive, id est, absolute, et abstractione præcisiva, licet in voce sit concernentia, et in re inhærentia : de hoc alias altius.

Vel breviter dicendum, quod Aristoteles ibi determinat de Genere, prout est quoddam totum incidentaliter, et ponit multiplicem acceptionem ejus, ut de aliis terminis ibi facit. Licet igitur recitet acceptionem ejus logicalem, non tamen ut sic, ipsum considerat : sed secundum reales ejus acceptiones, ut patet. Vel dic quod plura in Metaphysica non metaphysice, sed physice, vel logice determinantur, ut habet iste 1. quæst. Metaphysicæ.

31. Ad quartum de 7. Metaphysicæ dicendum, quod ibi loquitur Philosophus de concreto pro significato, et connotato simul et non pro significato tantum. Hic vero intentio Generis per se definitur in concreto, pro significato tantum, licet verificetur in connotato. De hoc amplius quæst. sequenti.

Intentio quomodo a Metaphysico, et Logico consideratur.

Ad quintum dico, quod utrumque significat *quid*, sed diversimode, quia hoc cum casu, illud vero absolute. Et hæc diversitas sufficit ad distinguendum definitionem logicalem a metaphysicali. Bene ergo dicit Doctor quod ut *quid est*, habet definiri, Metaphysico, quia omnis quidditas, et maxime accidentalis abstractive designata a proprietate, dicit *quid* : concretive vero modum alterius. Et quia Logicus considerat secundas intentiones, ut sunt modi intelligendi primarum ; ideo convenienter in concreto etiam propinquo definit eas.

Ad aliud posset negari assumptum secundum aliquos : hæc enim est vera secundum ipsos, *Humanitas est animalitas* sicut ista, *Homo est animal*. Et posset confirmari hoc ex dictis hujus, dist. 3. secundi, quæst. 1. in declaratione illius dicti Avicennæ, quod videlicet *Equinitas est tantum ipsa*. Vel aliter posset dici, quod abstractum etiam ultimatum potest definiri ex obliquis, vel prædicatione materiali, licet non ex rectis ; vel prædicatione formali, ut illa capiuntur pro eodem. Exemplum, hæc enim est primi modi : *Humanitas est ex animalitate, et rationalitate*, sicut hæc, *Homo est animal*. Quære super 1. Posterior. Vel tertio, et clarius ad mentem hujus dicendum, quod definitio metaphysicalis licet sit abstracti, non tamen ultimate talis. De hoc magis infra, quæst. 16.

Abstractum ex aliquo describi potest.

32. Ad aliud patet solutio ex dictis Doctoris. Concedo enim hanc esse veram, *Animal prædicatur de homine*, et hoc per se etiam, pro quanto illa significat veram istam, *Homo est animal*. Dici tamen potest prædicari per accidens, convenit animali, ut est per se Genus, vel superius, vel commune.

Animal prædicatur per se de homine.

Cum dicitur consequenter quod hæc est per se, *Genus est Universale*, hoc *Genus est Genus*, etc. Dico quod cum Logicus con-

siderat secundas intentiones ut applicabiles primis ; ideo comparatio secundarum intentionum apud Logicum secundum prædicationem, et subjectionem, debet attendi per se in illo actu, qui est exercendus in fundamentis, pro quibus supponunt. Ideo dicta Doctoris debent intelligi proprie Logice, licet Metaphysice, ut procedit argumentum, in secundis intentionibus possit esse prædicatio exercita, suo modo, sicut in primis : et tunc induunt modum primarum intentionum, quia eis ut sic consideratis, sunt applicabiles, aut seipsæ, aut aliæ secundæ intentiones, ut modi : et ita tales exercitæ præsupponunt signatas in se vel aliis, Logice consideratis.

Vel posset breviter dici, ut prius, ad aliam partem argumenti, quod licet hæc, *Genus est Universale*, sit prædicatio per se, accidit nihilominus extremis quod comparentur inter se, per hoc verbum *est*.

33. *Res quomodo hic definiatur* Ad aliud, nego quod infertur. Dico enim quod Doctor, in solutione quæstionis, optime dixit rem aut absolute, aut sub intentione, hîc non definiri. Non primo modo, quia tunc esset definitio realis, et non logicalis ; non secundo modo, quia tale est ens per accidens, cujus non est definitio. Nihilominus tamen illa definitio in actu *signato*, in secundis intentionibus assignata, verificatur in primis in actu *exercito* : et ita datur pro primis, quantum ad verificationem, licet sit per se primo intentionis secundæ, et pro ipsa detur primario in actu tali. Nec mirum est hoc, in definitionibus Logicis maxime, quod scilicet aliorum sint, et pro aliis dentur : quia considerantur definibilia hujus a Logico, ut egregie inquit Doctor, concretive, et in suppositione personali, et ut modi applicabiles rebus, et non ut *quid*, vel abstractive, ut supra declaratum est : et ita, si bene advertis, nulla repugnantia est in dictis Doctoris.

Ad aliud potest concedi quod infertur tanquam inconveniens. Et cum dicis quod disparatum prædicatur per se, etc. dico quod illud esset inconveniens in prædicatione *exercita*, in qua denotatur prædicatum esse de ratione subjecti, vel e contra, si prædicatio sit per se, saltem in primo, vel secundo modo, non autem in prædicatione *signata*, ubi extrema supponunt pro fundamentis. Vel aliter posset dici, quod ex dictis Doctoris non sequitur illud quod infertur. Non dicit enim Doctor quod prædicatio *signata* in secundis intentionibus, sit per se : sed dicit quod *a prædicari per se in intentionibus, ad esse in fundamentis*, etc. hoc est quod ipsum *prædicari* convenit per se intentionibus, *esse* vero rebus, ut dictum est supra.

Ad aliud dico, ut jam tactum est supra, quod ipsæmet secundæ intentiones induunt modum fundamentorum, quoniam ipsæ de aliis modificative prædicantur : et ita est in proposito argumenti. Et similiter hæc, *Individuum prædicatur de pluribus*, quæ non potest exerceri in rebus primæ intentionis, saltem consequentia formali : quod dico propter Essentiam divinam, Socrates enim non prædicatur de pluribus, nisi æquivoce ut dictum est, quæstione nona. Ideo potest sic exerceri, *hoc Individuum est individuum* : et sic de aliis. Sed dices quod ista sunt contra Doctorem, qui dicit quod non tenet consequentia talis in eisdem terminis. Dicendum, ut dicit Doctor solvendo objectionem illam, in solutione quæstionis ad finem, quod tales consequentiæ non sunt per se, et formales, et de talibus intelligit Doctor corollarium suum. Vel aliter, negari potest quod sint in eisdem terminis, saltem quantum ad identitatem acceptionis, et suppositionis, licet sit identitas materialis. 34.

Possent ponderari verba Doctoris, infra in cap. de Substantia, q. 2. solvendo quartum principale, ubi dicit quod *ad hoc sequi illud infertur hoc esse illud*, sed hoc ibi habet exponi, et controversia, si qua est, tolli.

Sed breviter dici potest, quod illud dictum Doctoris, scilicet *Ab actu signato, et in intentionibus tenet ad actum exercitum in fundamentis*, est verum ubi intentiones sunt alterius denominationis, non autem *Ab actu signato ad exercitum quando valet illatio.*

ubi sunt ejusdem. Unde tenet, *Genus prædicatur de Specie, igitur homo est animal* : non ita sequitur, Genus prædicatur de hoc Genere, igitur similiter in fundamentis, cujus ulteriorem investigationem forte alias notabimus.

35. Ad aliud dico, quod illa Adverbia non sufficiunt ad actum exercitum, verba tamen eis correspondentia sufficiunt ad actum signatum : et ita argumentum quodammodo est ad oppositum. Quia igitur per hoc verbum *est*, quod dicit actum positivum, non potest exerceri totum illud quod importatur per verbum includens negationem, vel exclusionem, etc. vel per nomina verbalia hujus, ideo oportet addere Adverbia talium verborum huic verbo *est*, ad exprimendum, seu exercendum totum illud quod significatum est. Ideo dicit Doctor, quod per *non* exercetur negatio etc. quia illud quod obscure importabatur per verbum dicens actum signatum, jam expresse ponitur, et formaliter, licet de se sine verbo non sufficiat ad actum exercitum. Et cum dicis quod sunt adjectiva verborum,concedo ; igitur minoris entitatis, potest concedi ; igitur non dictum actum exercitum, concedo : sed adduntur verbis principaliter dicentibus talem. Vel aliter,quod licet minoris entitatis, non tamen expressionis illius, quod quodam quasi sub velamine importatur per verba sibi correspondentia : et hoc non inconvenit, sicut per accidentia,quæ sunt minoris entitatis, ipsa subjecta perficiuntur, et clarius cognoscuntur res materiales. Ulterior speculatio hujus habet videri in tractatu de Modis significandi, ideo pro nunc differatur.

Est quando propositionem signatam exercet.

36. Ad aliud dicendum, quod Doctor loquitur de consequentia formali; instantiæ vero habent locum in consequentia materiali. Vel aliter, quod universaliter in omni consequentia, inferens debet esse majoritate, vel saltem non minus, quam illatum : et ita in veritate, et falsitate, et continentia, et impossibilitate, et sic tenent illæ consequentiæ materiales, ut patet.

Ad hoc optime nota ea quæ dicit singulariter super primum Elenchorum, q. [illegible] solvendo secundum argumentum principale. Vide etiam in Anteprædicamentis, quæst. 9. ad finem, ubi tangit similem consequentiam, et solutionem notabilem ejus.

Ad aliud potest dici breviter pro nunc, quod terminum variari convenit,vel quoad materiale ejus, vel quoad formale : et hoc vel quantum ad significatum primarium, vel secundarium, vel quantum ad modum significandi, seu acceptionem. Nunc vero licet termini sint idem in proposito, materialiter accepti, non tamen formaliter quia in Antecedente pro significatis primariis, et quasi sub modis significandi absolutis in Consequente autem pro secundariis, et modis respectivis accipiuntur. Variatur igitur acceptio, licet non principalis significatio : et hoc sufficit ad fallaciam Accidentis. In aliis quoque fallaciis secus est. De hoc magis super quæstiones Elenchorum. Quod autem tangitur in fine de accidere superioris inferiori, dicetur infra, et super libros Elenchorum magis. Ad hoc nota ea quæ habet infra, quæst. 5. Anteprædicamentorum, solvendo ultimum principale in simili, singularissime.

[illegible] [illegible]

Nihil igitur neque superfluum, neque minus continet Generis hæc descriptio. [illegible]

QUÆSTIO XV

An definitio Generis sit convenienter data

[illegible]

Quod non videtur ; quia omne accidens [illegible] per substantiam ; *Substantia enim præcedit omnia accidentia* [illegible]

definitione, cognitione, et tempore, per Aristotelem 7. Metaph. cont. 4. sed nihil ponitur hic ad substantiam pertinens : ergo, etc.

Item, *Concretum non diffinitur* 7. Metaph. cont. 2. ergo, etc. probatio Antecedentis, per Aristotelem 6. Metaph. cont. 20. et 21. *In dictis secundum accidens, non est idem*, quod quid est, *cum illo* cujus est. Et exemplificat, ut *musicum*, et *album* ; sed quæcumque vere definiuntur, habent *quod quid est*, idem sibi, ergo, etc.

Item probatur ratione, quod enim definitur est in Genere ; sed concretum non est in genere, per Aristotelem 3. Topicor. cap. 1. ubi dicit quod *Magis est eligendum quod est in Genere, quam quod non, ut justitia justo*.

Item, definitio tantum est Speciei, Genus non est Species : ergo.

Item, hic non ponuntur Genus, et Differentia, quæ ad veram definitionem requiruntur per Aristotelem 6. Topicor. cap. 2.

Item, per Aristotelem 6. Topicor. ibidem. idem 7. Metaph. text. com. 13. *Definitio datur innotescendi causa, ideo dari debet per priora et notiora;* Species non est tale, quia est posterius Genere, vel simul natura ; et ita non prius vel notius.

Item, nugatio est dicere *pluribus differentibus*. Probo, quia differentia in se includit multitudinem, veluti Species suum Genus, quod patet, per Aristotelem 5. Metaph. text. non habente com. et 10. Metaph. text. com. 10. 12. et 17. ergo, et Differentia concretive dicit multa ; ergo est nugatio dicendo *multis differentibus*, et si ly *pluribus* ponitur pro *multis*, vel si comparative, adhuc idem significat.

2. Dicitur ad hoc quod nugatio est, in præponendo inferius superiori, ex eadem parte orationis, non e converso ; quia inferius tunc est specificans superius.

Contra, Aristot. 6. Topicor. cap. 1. Loco 16. ubi docet interimere definitiones propter nugationem, dicit sic : *Rursus si Universali dicto addatur et particulare*, supple nugatio est, *ut si clementiam diminutionem expedientium et justorum, nam justum expediens quippiam est, quare justum continetur in expediente*, sicut inferius in suo superiori, *abundans ergo justum*, id est, superfluum est in definitione, prius habito expediente.

Item, dicitur 7. Metaph. cap. de Unitate definitionis, text. com. 43. quod nugatio est in præponendo differentiam superiorem inferiori, ut *animal habens pedes, bipes;* quod ibi probatur dupliciter, uno modo ex *per se* modo cognoscendi nugationem, quod est ponendo rationes pro nominibus, nihil enim aliud dixerat, quam *animal habens pedes duos pedes habens*.

Aliter probatur idem ibi, sic, ex transpositione terminorum, *Palam autem erit si quis transponat tales definitiones, dicens*, animal bipes, pedes habens, *dicto enim* bipes, *superfluum est dicere* pedes habens, prius ergo fuit nugatio. Hæc duo media, scilicet de ratione ponenda pro nomine, et transpositione terminorum, si valent (*si pro quia*) hîc, et ubique improbant prædictam responsionem.

Ad oppositum est Porphyrius et Aristoteles sic definiens Genus 1. Topicor. cap. 4.

Dicitur ad quæstionem, quod est descriptio, non vera definitio, quod innuitur in littera, cum dicitur, *quod etiam describentes*. Sed sic facile est evadere pene in omnibus definitionibus, nec illud ex littera prodest, quia in littera est *assi-* 3. *Opinio Boetii, et Ammonii ponitur, et rejicitur.*

gnaverunt, id est, definierunt. Item inferius capit. de Specie contex. 2° dicit : *Necesse est in utrorumque rationibus utriusque uti.* Ratio autem quam significat nomen, est definitio. 4. Metaph.

Item, hæc ratio convertitur cum definito, ut probat Porphyrius, et non prædicatur, ut accidens de ipso, quia quæ ponuntur in ea, sunt ejusdem Generis cum definito, quia intentiones : quodlibet autem ejusdem Generis, quod prædicatur per se de alio ejusdem Generis, est superius ad ipsum ; quia nec inferius, nec disparatum : ergo hæc ratio est definitio.

Item per Aristotelem 7. Metaph. contex. 11. et 13. ratio quæ est ex prædicatis per se, in quorum definitionem non cadit per se subjectum, si sit convertibilis cum subjecto, est definitio ; hæc est hujusmodi, quia in definitionem nullius definitivi cadit diffinitum.

Item prædicatur per se, et convertibiliter, et non ut proprium ; quia tunc tota hæc ratio posset definiri : neque ut differentia ultima, tunc enim illi oporteret addere Genus ; sed addendo Universale, quod est Genus definiti, in hac definitione erit nugatio : ergo hæc est vera definitio.

4. *Sententia Doctoris.* Dicendum ergo ad quæstionem, quod est vera definitio, quod sic ostenditur : Ratio Universalis est *prædicari de pluribus*, per Aristotelem 1. Perihermenias, cum ergo in definitione Generis ponatur *prædicari de pluribus*, ponitur Genus ejus : postea ponitur *Differentibus specie* et *in quid* : quæ sunt per se differentiæ Generis. Probatio, quia per se dividunt superius, scilicet *prædicari de pluribus* : ergo sunt per se constitutivæ inferioris, ad quod superius per illa appropriatur. Dividitur enim per se *prædicari de pluribus in differentibus specie*, et *differentibus numero*, quia de differentibus genere inquantum talia, nihil prædicatur per se. Dividitur etiam in *prædicari in quid*, et *in quale*, ut in primos modos prædicandi, et per has differentias divisivas manifestum est, quod contrahitur Universale ad Genus ; fit enim ratio convertibilis, ergo, etc.

5. *Responsio Auctoris ad 1. prin.* Ad primum argumentum dicitur, quod illud est verum de accidentibus copulatis, id est, quæ sibi determinant subjecta, quæ vocantur copulata 7. Metaph. cont. 17. et 19. intentiones autem sibi non determinant rem alicujus Generis, quia univoce applicantur omnibus.

Replicatur. Contra : *Si passio sit univoca et subjectum*, per Aristotelem 2. Posteriorum text. 39. ergo si passio, scilicet intentio, sit multis Generibus univoca, et subjectum ejus : etiam si actus sit univocus et potentia ; quia potentia per se ordinatur ad actum : subjectum est in potentia ad accidens, sicut materia ad formam ; quia accidens non habet aliam materiam, nisi *in qua*. Dici potest, quod propositio Aristotelis vera est de passione reali, quæ egreditur ex principiis subjecti, de qua loquitur ibi, quæ est de subjecto demonstrabilis, cujusmodi non est intentio, quia effective est ab intellectu. Per hoc idem ad aliud : quia illud verum est de potentia per se ordinata ad actum : cujusmodi potentia non est in subjecto intentionis ad ipsam ; quia illa non est rei secundum naturam, sed ut consideratur a ratione. *Responsio.*

Contra : si nulla in hac re, et illa, est unitas, et hæc intentio est illis univoca, ergo a nullo, quod est in hac re, et illa, accipitur intentio, ergo est figmentum. Dicitur quod aliqua unitas in re sufficit, scilicet unitas proportionis, a qua movetur intellectus, hanc intentionem univocam huic, et illi attribuens : sic enim se habet color ad albedinem, sicut animal ad hominem.

Contra : unitas univocationis major est unitate proportionis, ergo hæc ab illa non sumitur.

Major unitas occasionaliter sumitur a minori unitate. Dici potest, quod occasionaliter potest accipi major unitas a minori, non totaliter ; unde unitas in re tantum est occasio unitatis in intentione, inquantum intellectus movetur ab ipsa ; potest tamen intellectus motus majorem causare unitatem in intentione.

6. Aliter potest concedi, quod habet subjectum univocum, quia licet nulla eadem res sit in diversis Generibus, potest tamen esse eadem secundum quod consideratur a ratione, et sic tantum est subjectum intentionis.

Aliter dici potest ad primum argumentum principale, quod verum est de accidentibus quæ habent suum esse a subjecto : quia non propter aliud, aliquid diffinitur per substantiam, nisi quia est per illam : sic enim est alicujus rei *quod quid est*, et definitio, sicut illud est ens ; intentio autem non est per suum subjectum, sed ab intellectu.

Ad secundum principale dico, quod concretum potest diffiniri : cum autem ostenditur quod non, per Aristotelem 7. Metaph., dico quod ibi vocat dicta per accidens, quæ in se diversas aggregant naturas ; ut *homo albus*, quia in illis exemplificat in principio capituli, ibi in dictis secundum accidens, ut *albus homo* ; ideo omnia posterius dicta, sic sunt intelligenda. Unde *musicum* supponit pro tali, ut pro homine musico, *musicum* enim non habet duplex significare.

Ad aliud de Topicis, dici potest, quod justum non est in Genere virtutis, ideo non facit habentem bonum, sicut justitia, est tamen in Genere prædicabili.

7. *Generalissima accidentium sunt abstracta.* Vel aliter, quod generalissima accidentium sunt abstracta, et in illis per se non sunt nisi abstracta, id est, quæ recipiunt per se prædicationem ipsorum : tamen concreta inter se sunt in Genere per se ; quia inter se, se habent sicut superius, et inferius, quod sufficit ad hoc, ut definiantur.

Sed simpliciter loquendo non sunt in Genere, nisi per reductionem, quia non sunt in aliquo Prædicamento, nisi quia coordinatio concretorum reducitur ad coordinationem abstractorum.

Ad tertium principale dico, quod Genus est Species Universalis, ut dictum est supra quæst. 8. *Ad alia argumenta.*

Ad quartum patet per prædicta in solutione : quia definitio Universalis ponitur pro Genere, et cum illa differentia *per se differentibus Specie.*

Ad quintum dico, quod absolutum potest cognosci in se per essentialia, et notiora ; et ideo in ejus definitione, alia poni non debent. Illud autem quod per se, secundum quod est, dependet ad aliud, sine illo cognosci non potest ; sicut dicitur in Prædicamento de Relativis ; et ideo ponitur correlativum, non ut notius ; sed quia sine eo definitum cognosci non potest.

Ad sextum dico, quod *differentibus Specie*, est expositio : et non ponitur ibi ut partes diversæ, ut dicendo *de pluribus*, id est, de differentibus Specie.

EXPOSITIO

De Primo. Quid sit *definitio*, et quid *Genus*, et quoties sumuntur, et qualiter in proposito, satis patet quæstione præcedenti. Conditiones vero definitionis patent 6. Topicorum, et 7. Metaphysicæ, et aliqualiter pertractabuntur in sequentibus articulis. Divisio communis, nisi quod secunda pars subdividitur. Ordo patet, quia postquam visum est quid definitur, merito sequitur examinatio definitionis. Ad sequentes etiam patet ordo, ut statim dicetur. 8.

De Secundo. Sex rationibus arguit pro

parte negativa. Prima sumitur ex Aristotele I. Metaph. text. comm. 4. Secunda etiam ibidem text. comm. 2. et probatio assumpti prima per auctoritatem habetur ibidem text. comment. 20 et 21. Secundo probat illud idem assumptum ratione, et adducit Philosophum 3. Topicorum, cap. 1. Et videtur quod Philosophus loquitur ibi de Genere prædicamentali, et non de genere moris, ut patet per exempla, quæ ponit de *homine*, *asino*, et *colore*. Et ideo secunda solutio Doctoris ad hoc argumentum magis sapit. Tertia ratio fundatur 7. Metaph. text. comm. 13. et in Boetio, libro Divisionum, et 6. Topicorum. Quarta ratio est clara. Quinta ratio fundatur 6. Topicorum, c. 2. et 4. Sexta ratio procedit per viam nugationis inventæ in hac definitione. Allegatur Philosophus 5. Metaphysicæ, et est in illa parte post textum Commenti decimi quinti, cui non correspondet commentum, nec textus Arabic. Idem etiam 10. Metaph. text. comm. 10. 12. et 17. et alibi ibidem.

9. *Unum et multa opponuntur.*

Ubi adverte, quod unum et multa opponuntur : et ideo quoties accipitur unum, et aliud. Unum autem quoties sumitur, patet ibidem, et tangetur infra cap. de Specie. Ideo ***multitudo*** toties accipitur, vel ***multum***. Partes autem ***unius*** quædam sunt primariæ, ut identitas ; quædam secundariæ, ut similitudo, et hujusmodi. Similiter est de ***multitudine***. Partes enim ejus primariæ sunt *diversitas*, et *differentia*, secundariæ *opposita*. Dicit ergo Doctor, quod multitudo abstractive sumpta dividitur ad modum Generis in Species, in differentiam, et diversitatem. *Differentia* igitur concretive sumpta, scilicet in plurali numero descendens ab hoc singulari *differens*, includit multa, sicut *alba colorata* in plurali numero. Quia sicut abstractum ad abstractum, ita concretum ad concretum quantum ad inclusionem, et prædicationem, et superioritatem essentialem, maxime ubi salvatur uniformis eorum univocatio. Videtur ergo quod in definitione Generis sit nugatio, cum dicitur *multis differentibus*, sicut si diceretur *colorata alba*, vel *animalia homines*. Et addit notanter Doctor si ly *pluribus* ponitur pro *multis*, vel si comparative, adhuc idem significat. Nam in definitione Generis ponit Porphyrius *pluribus differentibus specie*, et expositores communiter exponunt ly *pluribus* pro *multis*, sicut plerumque solet comparativus exponi per Positivum et e contra. Vel dato quod ibi teneretur comparative, non videtur nugatio, cum Comparativus gradus, et positivus idem significent : licet sub diversis modis significandi, ut patet in tractatu Modorum significandi, et in proposito attenditur nugatio, non ratione modi significandi, sed significati. Patet autem quod ly *multum* non habet alium comparativum, quam ly *plures*. Non enim regulariter possunt semper formari, ut patet cuilibet Grammatico.

10. Adducit Doctor satis apparentem evasionem ad hoc argumentum, ex communi sententia Grammaticorum, qui statuunt congruitatem, et perfectionem orationis, in qua magis commune præcedit minus commune ex eadem parte orationis : et hoc per quamdam figuram, quam appellant *appositionem*. Nam tunc minus commune specificat, et determinat magis commune, ita quod oratio, quæ alias generaret confusum conceptum, tunc causat distinctum, ut *Animal currit*, et *Animal homo currit*. Sed e contra fieret nugatio, quia tunc idem bis diceretur manifeste. Nam non possum dicere homo animal, quia dicam actu animal, sed bene e contra, ut patet. *Appositio figura Grammaticæ.*

Contra hanc evasionem arguit ex duplici auctoritate : et licet quidam hic dicant exponentes Doctorem, quod non intendit ex prima harum rationum, invenire responsionem, sed ostendere quod magis est in proponendo inferius superiori, ex eadem parte orationis : quia hoc videtur innui ex littera, ut prima facie apparet, hoc tamen est omnino longe dictum. Tum quia Aristoteles hoc non intendit ibi, imo oppositum. Tum quia Doctor, qui tam subtilis erat, rem ita manifestam non curaret tam subti-

liter probare. Nullus enim dubitat tunc esse nugationem. Doctor igitur multum breviter induxit textum Philosophi, et ideo ille bonus pater, qui non vidit ipsum in fonte, deceptus est. Littera igitur Philosophi 6. Topicor. cap. 3. est ista, *Rursum si Universali dicto addidit et particulare, ut si clementiam diminutionem expedientium, et justorum. Nam justum expediens quid, quare continetur in expediente, abundans ergo justum. Nam qui dixit Universale, addidit et particulare. Et si medicinam, disciplinam sanandorum animali et homini; aut legem imaginem eorum quæ naturaliter sunt bona et justa; nam justum bonum quid; quare frequenter idem dicit.* Hæc ibi. Vides igitur quod Doctor adducit hunc textum directe contra responsionem. Littera igitur, ut communiter habetur, est supplenda et castiganda.

Aliam auctoritatem adducit ex 7. Metaphysic. text. comm. 43. cujus duplicem probationem ex eodem loco adducit, et ibi universalem doctrinam de nugatione cognoscenda assignat, videlicet per transpositionem terminorum, et per assignationem rationum, loco nominum.

11. Ad oppositum arguit, auctoritate Porphyrii hîc, et Aristotelis 1. Topic. 4. cap. In secunda parte duo facit. Primo assignat quemdam modum dicendi aliquorum, quem impugnat rationibus fortissimis, deinde ponit propriam solutionem. Est igitur modus dicendi quorumdam, quod non est vera definitio, sed descriptio. Hoc autem inter definitionem, et descriptionem, assignatur communiter ut differentia, quod hæc per intrinseca, illa vero per extrinseca quidditative datur. Et confirmant dictum suum ex littera Porphyrii. Doctor quasi subridendo, primo dicit quod sic faciliter poterit evadi omnis inquisitio de definitione alicujus, et solvi dictum Porphyrii ex se ipso. Secundo arguit ex dicto Porphyrii, applicando sententiam aliam famosam Philosophi 4. Metaph. *text. comm.* 28. Tertio tangit convertibilitatem et perseitatem hujus rationis respectu Generis. Ubi primo attendendum, quod bona definitio debet esse convertibilis cum definito, et adæquate exprimens totam essentiam ejus, et distinguens ipsum ab omni non ipso.

Definitio debet converti cum definito.

Secundo notandum, quod aliquid esse convertibile cum aliquo, potest esse vel essentialiter, vel accidentaliter. Primo modo est definitio, saltem adæquate, licet differentia ultima ponatur hujusmodi, sed hoc est inadæquate, et gratia materiæ. Secundo modo est propria passio, vel descriptio.

Nota tertio, quod cum dicit Doctor quod quodlibet ejusdem generis, quod prædicatur per se, etc. intelligit de prædicatione primi modi, vel de his quæ per se, et non reductive sunt in eodem Genere cum Specie. Vel loquitur secundum communem modum dicendi, quem sequitur in his quæstionibus de propria passione, quod videlicet est in alio genere, a suo subjecto.

Quarto arguit ex dictis Philosophi 7. Metaph. *text. comm. 11* et *13*. Textus ibi expressus est iste : *In qua igitur non inerit ratione ipsum dicente ipsum, hæc ratio ejus quod quid erat esse singularis.* Et notanter dicit, *in quorum definitionem, non cadit subjectum*, ut excludat prædicata secundi modi, quæ non constituunt definitionem, sed descriptionem. Cum dicit in fine, *quia in definitione nullius*, etc. ibi est varia littera in diversis originalibus. Bene enim poneretur *nullius definitivi*, vel *definientis*, vel *nullius definiti*, supplendo ly *partis* sic *in nullius partis definiti definitionem cadit definitum.* Et intellige hoc tanquam pars quidditativa : sed bene ponitur tanquam additum, quia species est pars definitionis Generis, et Genus cadit in definitionem ejus. Vel dic quod loquitur de partibus per se intrinsecis definitionis Generis, et sic absolute erit verum. 12.

Quinto tangit iterum perseitatem et convertibilitatem hujus rationis, et excludit instantias de Proprio, et differentia ultima quæ per se, et convertibiliter prædicatur, et satis clara sunt quæ dicit. Ubi notabiliter tangit quod differentia ultima non dicit adæquate essentiam speciei, excluso genere.

Abjecta ergo illa opinione, ponit modum dicendi proprium, tenendo partem affirmativam, declarando quid hic loco generis, et quid loco differentiæ ponitur.

13. *Quid loco generis positum sit in definitione Generis.* Ubi advertendum, quod quamvis supra, qu. 6. assignavit duas rationes Universalis, magis tamen imitatur illam 1. Perihermenias, tanquam propriam ejus, quam illam primi, et secundi Posteriorum ; quia Porphyrius utitur loco *Universalis* in definitione cujuslibet istorum quinque, illa quæ magis videtur esse quidditativa ejus. Hujusmodi est *prædicari de pluribus*. Dividitur autem *prædicari de pluribus* per *quid* et *quale* : et utrumque horum per *differens Specie*, et *numero*. Per has ergo duas differentias, circumloquendo unam, videlicet *differentibus Specie*, et *in quid*, et per rationem Universalis loco ejus, definit ipsum Genus. Et notanter ibi dicit Doctor, quod *de differentibus Genere*, *inquantum talia*, *nihil per se prædicatur*; bene enim per accidens hoc contingit. Et loquitur Doctor de *prædicari* proprie logice, et tenendo æquivocationem entis decem Prædicamentis. Sed posito adhuc quod de ipsis prædicatur univoce, et per se, non tamen inquantum differentia genere, sed inquantum partes subjectivæ : et hoc maxime tenendo ly *inquantum* proprie reduplicative. Generalissimum enim de intermediis in linea prædicamentali per se dictum, non dicitur de eis inquantum Genera inferiorum : sed inquantum species ipsius sunt. Concludit igitur convertibilitatem, et sufficientiam hujus rationis.

14. Consequenter solvendo primum argumentum principale adducit primo unum modum dicendi, contra quem, replicas nonnullas per ordinem prosequendo, responsiones inducit, et ipsum sustinet, multum subtiliter evadendo. Deinde assignat alium modum dicendi faciliorem, ad ipsum principale argumentum. Dicit igitur, (ut etiam infra, cap. de Proprio, et quæst. de Denominativis habet) quod dictum Aristotelis intelligi debet de accidentibus copulatis, de quibus 7. Metaph. text. comm. 17 et 19.

cujusmodi non sunt istæ secundæ intentiones, quæ nullam rem sibi determinant, cum univoce omnibus applicentur ut supra tactum est. Et notanter dicit ubique *applicantur*, propter ea quæ supra tetigi.

Sed contra hoc ultimum, de univoca applicatione, arguit dupliciter. Primo ex uniformitate passionis, et subjecti, quantum ad univoce prædicari, vel applicari, ex 2 Poster. Idem etiam habetur 1 Poster. text. comm. 39.

Secundo arguit ex uniformitate actus et potentiæ, quoad idem. [illegible]

Respondet quod ista habent veritatem de passione reali et actu similiter, atque potentia sibi correspondente ex natura rei. Intentio vero est effective ab intellectu, et non est in rebus primæ intentionis potentia per se ordinata ad hujus modi intentiones, sed tantum per accidens. Sustinet igitur quod non inconvenit intentionem generis univoce applicari rebus omnium generum, licet nulla res primæ intentionis sit eis univoca, et hoc semper (ut tactum est supra) sustinendo æquivocationem entis in his logicalibus.

Sed contra hoc instat, inferendo quod sicut entitas secundarum intentionum accipitur ab entitate primarum, et præsupponit illam, aliter esset fictitium, ita unitas, vel univocatio in his præsupponit unitatem, vel univocationem in illis.

Respondet (ut tactum est in quæstione præcedenti) quod sufficit unitas proportionis ex parte rerum, a qua movetur intellectus ad attribuendum unam intentionem, et univocam omnibus illis. Non requiritur igitur unitas uniformis hinc inde.

Replicat subtiliter contra, quia tunc major unitas sumeretur ex minori. Hoc autem patet, quia illi quatuor modi unitatis à Metaphysico assignati, habent se per ordinem et secundum majus, et minus, videlicet numeralis, specifica, generica, et proportionalis. Cum igitur unitas univocationis reperiatur proprie in diversis [illegible], est [illegible] in [illegible] primis, sequitur quod sit major unitas proportionis, quæ est minima

omnium. Respondet optime quod majorem unitatem sumi a minori convenit vel causaliter, et complete, aut occasionaliter, seu originaliter, et incomplete. Primo modo concedit quod esset inconveniens, cum effectus non possit excedere suam causam totalem. Secundo modo non est inconveniens, et sic est in proposito. Nam sicut intellectus causat intentionem, ita etiam ab ipso effective habet suam unitatem. Alio modo respondet ad illam replicam, quæ concludit quod tunc intentio esset figmentum, et unitas ejus, et fere coincidit cum prima responsione, ut patet ultimate ipsam resolvendo.

Major unitas provenit ex minori, quomo

16. Eadem etiam responsio potest applicari ad illas duas primas replicas de passione, et subjecto, et de potentia et actu. Dicit enim Doctor quod res primæ intentionis potest considerari uno modo in se, et absolute. Alio modo ut consideratur a ratione. Primo modo concedit quod nulla res est univoca rebus omnium Generum, sed bene secundo modo. Hæc videtur esse intentio Doctoris, et resolutio responsionis. Vult dicere breviter quod licet res diversorum generum, in quibus fundatur intentio generis, non sit unum in re, nec conveniunt in aliquo sic uno, tamen ut intellectus in eis considerat illam proprietatem, a qua movetur, ut attribuat eis intentionem generis, et invenit illam in omnibus uniformiter, videlicet communicabilitatem pluribus speciebus, et cætera hujusmodi ; tunc considerat omnia ipsa, quantumcumque inter se diversa, ut unum fundamentum hujus intentionis in communi, ita quod nullum ipsorum seorsum accipit ut adæquatum fundamentum ejus. Illa igitur quæ in re sunt plura, possunt in intellectu accipi ut unum. Exemplum de subjecto adæquato numeri quaternarii. Exemplum etiam de corpore humano, et ejus membris in ordine ad animam intellectivam, et inter se : sed de hoc forte in sequentibus altius.

Diversa in re possunt concipi ut unum.

Ultimo respondet aliter ad argumentum principale, omissa tanta prolixitate replicarum, et evasionum ; et responsio consistit breviter in hoc, quod dictum Aristotelis intelligitur de accidentibus realibus, quorum esse dependet a substantia, et quoad inhærere, et quoad effici : non autem de intentionibus, quæ præcise fiunt ab intellectu.

Ad secundum principale negat antecedens. Ad primam ergo probationem, glossat optime Philosophum, quod nomine albi, vel musici, intelligit aggregatum ex subjecto, et accidente : nam sic potest accipi omne concretum accidentale in tertia sui acceptione, ut dictum est supra. Concretum autem formaliter sumptum potest vere definiri, et sic accipitur in proposito, non autem pro aggregato ; quia sic ipsius non est definitio, nec demonstratio.

Concret ut defi tur.

Ad aliam probationem dicit uno modo, quod loquitur Aristoteles ibi de genere moris, non de genere Logico, vel Prædicamentali. Justitia enim est quoddam genus moris, vel potius virtus in communi, cujus una species est ipsa justitia. Et cum virtus in communi (ex 2. Ethicorum) sit habitus qui facit habentem bonum, et opus ejus reddit bonum, ideo nihil per se est in genere moris, nisi id, quo habens est bonum. Justum vero non est *quo*, sed *quod*, ut cætera concreta : ideo non est per se in genere moris. Sed quia (ut tetigi supra) videtur ibi loqui Philosophus de Genere prædicabili, ideo alio modo, et bene respondet Doctor, et breviter consistit in hoc. Aliquid esse in genere potest dupliciter intelligi, aut per se, et simpliciter ; aut reductive. Primo modo sunt tantum abstracta in genere, et maxime accidentium. Secundo modo sunt contracta in genere, scilicet accidentis. Cum hoc tamen stat quod in ipsis reperiatur superius, et inferius, et contractiva : et sic genus, et differentia suo modo, licet non alia ab abstractis et per consequens definitio, et demonstratio de ipsis, suo modo, ut de abstractis : sed de hoc magis infra.

Abstr et con ta qu do in dicam

Ad tertium principale recurrit ad ea quæ dixit supra, quæst. 8. vel potius 6. 18

solutum respecti-m varie finiun-r.

Ad quartum patet solutio in corpore quæstionis.

Ad quintum, differentiam ponit notabilem inter definitionem absoluti, et respectivi. Prima enim datur per priora, et notiora communiter. Sed secunda datur et per priora, et per ea quæ sunt simul natura, propter habitudinem definiti essentialem ad hujusmodi ; et hoc est quod solet dici, distinguendo de definitione quidditativa, et quietativa : sed de hoc magis statim, et alibi pertractabitur. Posset etiam aliter dici ad illud argumentum, negando speciem poni in hac definitione, licet ponatur in alia, quam ponit Porphyrius. Unde refert dicere, *differens specie*, et *speciem* absolute. Solutio tamen Doctoris sustineri debet.

Ad sextum breviter se expediendo, dicit Doctor quod ibi non est nugatio : quia ibi non ponuntur ly *pluribus*, et ly *differentibus*, tanquam particulæ diversæ, sed unum ponitur tanquam expositio alterius, ut sit sensus : *de pluribus*, id est, de differentibus specie. Sed an sufficienter evadat hæc responsio difficultatem argumenti, et an sic sit necessario fugiendum, statim pertractabo.

19 De tertio, circa dicta in solutione quæstionis, et primo circa primum modum dicendi, quod videlicet hæc ratio Generis sit descriptio, et non proprie definitio, videtur esse probabiliter dictum : tum quia (ut tactum est supra, quæst. 3. ex fundamentis hujus, et etiam Philosophi 7. Metaph. text. comm. 12. et 15.) definitio est solius substantiæ, vel saltem rerum primæ intentionis, imo (ut habet Ockam Quodlibeto quinto, quæst. 20.) definitio est rei singularis extra animam. Tum quia (secundum ipsum ibidem, quæst. 19.) definitio exprimens quid rei, quæ est oratio longa composita ex genere proprio, et differentiis essentialibus, significantibus partes essentiales definiti, est tantum nominum absolutorum significantium composita ex materia, et forma, sicut homo, leo, etc. Definitio vero exprimens quid nominis quæ est oratio explicite declarans quid per unum dictionem importatur, est nominum connotativorum, et relativorum, quæ significant unum in recto, et aliud in obliquo : sicut album, calidum, pater, filius, et hujusmodi : ubi assignat quatuor differentias harum definitionum, ut patet ibi. Genus igitur cum non sit nec substantia, nec res aliqua extra animam, nec nomen absolutum, sed connotativum, vel relativum, sequitur quod non definitur proprie definitione dicente quid rei : hæc igitur ratio aut erit descriptio, vel saltem definitio quid nominis tantum.

Ad hoc breviter respondeo, supponendo, ea quæ dicta sunt supra, quæst. 3. quod hæc ratio non est precise quid nominis definitio, sed etiam quid rei ; et hoc accipiendo rem, ut tertio quæst. Quodlibeti. articulo 1. accipit iste, pro omni positivo, quod non est simpliciter nihil. Nam in omni genere est quid et res, illo modo. Licet ergo Antonomastice substantiæ sit definitio, sicut et quid ; tamen aliorum etiam est, suo modo, ut Philosophus 7. Metaphysicæ ubi supra protestatur, et non solum rerum extra animam, sed etiam in anima suo modo, quæ tamen ut definiuntur, sumuntur per modum rerum primæ intentionis : et hæc est expressa sententia hujus, in 4. distinct. 1. quæst. 2. et in 2. distinct. 1. quæst. 5. Et ad dictum Ockam patet, quia suis falsis imaginationibus innititur, quia non ponit aliquid reale, nisi singularia. 20.

Ad aliud dictum ejus, simpliciter negandum est quod definitio non sit nisi [illegible] absolutorum : [illegible] fundamentis adhæret, ut patet intuenti [illegible] sententia Doctoris [illegible] contra illum primum modum dicendi, et argumenta ejus efficacissima.

21. Sed circa [illegible] Doctoris, ubi dicit quod hæc ratio [illegible] aliquid contra ipsum, quia videtur ibi velle quod [illegible] hujusmodi est proprie [illegible] generis cum eo, cujus est. Qui enim ponere-

ret hanc esse descriptionem, diceret ea, ex quibus fit, esse intentiones, quia passio intentionis non potest esse nisi intentio, ut patet.

Item, cum dicit quod omne quod prædicatur per se de aliquo, est superius ad ipsum, etc. videtur falsum, propter prædicationem passionis per se,et prædicationem ejusdem de seipso, quæ ponitur communiter in primo modo.

Dico, quod vel loquitur Doctor famose, ut supra sæpe notavi. Vel quod intelligit de his, quæ sunt ejusdem generis per se, et non solum reductive. Et sic patet ad primum argumentum de passione.

Ad aliud dico, quod intelligit de prædicatione proprie sumpta logicali, et primi modi : et sic nec passio, nec idem de se prædicatur. Intelligit etiam de prædicatione alterius a subjecto,ut patet in littera, et ejusdem generis, scilicet per se, et nedum reductive. Quoties autem accipitur *prædicari de*, vel *dici*, patebit infra cap. de Accidente, et tactum est supra. Qualiter etiam proprium habet rationem communis, et prædicabilis, et qualiter non, et respectu quorum,infra cap. de Proprio,habet videri prolixius.

22. Ulterius, cum dicit Doctor in ultimo argumento contra opinionem, quod hæc ratio prædicatur convertibiliter, et non ut proprium, quia tunc tota hæc ratio posset definiri, posset objici : quia ex hoc videtur inferre quod proprium est definibile, quod tamen non est concedendum, secundum Scotistas : quia nihil est per se definibile, quod non est per se species alicujus generis : sed proprium non est hujusmodi; ergo, etc. Dicendum vel quod famose loquitur, vel extendendo *definitionem* ad descriptionem,vel definitionem quid nominis: s d sic forte loquendo non esset inconveniens quod infertur. Recurre ad ea quæ dicuntur 1. et 2. Poster. de medio demonstrationis, an scilicet sit definitio subjecti, an certe passionis : et applica ad propositum. Quod ulterius dicit,scilicet quod *non est ultima differentia, quia addendo Universale, esset nugatio*, posset objici contra, quia multi per ly *quod*, in definitione generis, intelligunt Universale, tanquam genus. Reliquum quod sequitur ponunt pro differentia. Potest dici per interemptionem expositionis, imo potius intelligitur fundamentum per ly *quod*, ut alii altius exponunt. Vel sustinendo expositionem illorum dic consequenter.Potest enim dici probabiliter, quod per hoc totum *quod prædicatur*, circumloquitur ipsum prædicabile, ita quod sit sensus. *Genus est prædicabile de pluribus*, etc.

Secundo principaliter circa solutionem propriam Doctoris ad quæstionem, occurrunt quædam instantiæ. Primo quare Porphyrius utitur ratione Universalis pro Universali in definitionibus istorum quinque, cum non ita fiat in aliis definitionibus, ut patet communiter. Item, videtur declaratio Doctoris in hac solutione, et solutio ultimi argumenti repugnare. Nam videtur hîc velle quod *differentibus specie*, et *in quid* ponuntur hîc tanquam differentiæ divisivæ hujus, quod est prædicari de pluribus, ut patet expresse in littera, et constitutivæ ipsius generis. In solutione vero ultimi argumenti principalis dicit, quod *differentibus specie* ponitur ut expositio hujus quod est *prædicari de pluribus*. Item, videtur esse nugatio in definitione, quia præponitur inferius superiori, ex eadem parte orationis, videlicet *differentibus specie ipsi in quid*, et hoc probatur, quia supra, quæstione de sufficientia Universalium, et hic in littera dicit quod *in quid* et *quale* sunt primi modi, vel differentiæ prædicabilis, quorum quodlibet subdividitur in *differentibus specie* et *numero*. Item, sicut *differens specie*, per se prædicatur de hoc *differente specie*, et illo, ut infra dicetur, ita *differens genere* de hoc, et de illo; ergo male dicit Doctor in littera, quod de differentibus genere in quantum talia, nihil per se prædicatur. 23.

Ad primum, patet solutio ex sufficientia Doctoris, supra, de quinque Universalibus, ut de eis loquitur Porphyrius, et ex his 24.

quæ dicta sunt quæstione præcedente. In ratione enim prædicabilis et applicabilis fundamentis, considerat Logicus has intentiones, ideo loco *Universalis* ponit *prædicabile de pluribus*. Vel si placuerit exponere definitiones istas in prædicatione materiali, ut tactum est supra, ita quod sensus hujus definitionis, *Genus est quod prædicatur*, etc. sit iste : Genus est Universale fundatum in illo, vel applicabile illi, quod prædicatur de pluribus, etc. Sed hæc expositio licet bona sit, non tamen ita ad mentem Doctoris. Vel aliter quod etiam in definitionibus realibus hoc idem convenit, ubi per genus primum, et alias descendendo dantur definitiones, ut si dicatur quod *Homo est substantia animata sensibilis rationalis*, ibi ponitur ratio animalis loco ipsius. Vel tertio quod hoc fecit Porphyrius ut evitaret nugationem. Nam si dicatur, Genus est Universale, oporteret addere prædicabile, vel dicibile, etc. Breviter enim proprie logice definiendo, sic deberet definiri : Genus est Universale A. sed quietative, et explicative definitur, ut Porphyrius, et bene, et sic de aliis. Ad aliud dico, quod nulla est repugnantia in dictis, si bene examinentur : sive enim ponatur *differentibus specie* expositive, sive non, procedit declaratio Doctoris.

25. *Superius, inferius dupliciter considerantur.*

Ad aliud negatur nugatio; et cum dicis quod inferius præponitur, etc.; dico quod aliter considerantur inferius, et superius, in linea recta, et aliter in linea collaterali. Primo modo per modum includentis per se, et inclusi. Secundo modo per modum dividentis, et divisi, vel potius subdividentis, et subdivisi; vel ordinate dividentium alicujus tertii. Primo modo esset nugatio, non autem secundo modo. Sed quia adhuc posset objici contra talem modum definiendi, potest aliter dici, quod licet ordine scripturæ, et loquendi, seu Euphoniæ, præponatur unum alteri, sententialiter tamen, et constructive, debet intelligi e contra. Sed contra hoc est quod dicit Doctor, *differentibus specie* ibi addi expositive, quod non conveniret nisi immediate poneretur. Dico igitur quod ista non se habent subordinate essentialiter dividentes. Sed unum indifferenter potest poni, ut subdivisio alterius. Prædicabile enim immediate et correlative respicit subjicibile, et illud est differens specie, vel numero. Deinde convenit ei talis, vel talis modus prædicandi, quia talia sunt prædicata, etc. Et quod dicit Doctor *in quid* et *quale* esse primos modos prædicandi, concedo : sed ex hoc non sequitur quod prius conveniant prædicabili, quam respectus ad subjicibile : imo præponuntur prædicabile, et subjicibile ipsis modis, et sic patet quod argumentum est ad oppositum : quia ibi præponitur superius, vel principalius, saltem minus principali. Breviter ergo secundum comparationem prædicabilis duplicem, videlicet ad subjicibile, et ad modum prædicandi, datur ista duplex divisio, et adæquate una evacuat aliam. Una tamen simpliciter prior, licet usitate possint indifferenter dividere. Vel dic breviter, quod in ratione Universalis includuntur duo, scilicet prædicabilitas, et pluralitas, et differentiæ divisivæ. Primi sunt *in quid*, et *in quale*, et secundi *differentibus specie*, et numero : et sic non est subordinatio essentialis.

Ad aliud, potest negari quod differens genere prædicatur, etc. quia 5. Metaphysicæ *differentia dicuntur aliquid idem entia*, et quia differens genere maxime attribueretur generalissimis, quæ non sunt differentia, sed primo diversa, ideo licet dicatur congrue *diversa genere*, non tamen *differentia*, et hoc proprie logice loquendo, ut supra sæpe notavi. 26.

Et si dicatur, quod Genus et Species dicuntur correlative, ergo eodem modo, differens genere, et differens specie. Potest negari consequentia, quia differens specie, et numero, sunt differentiæ subjicibilis, et non prædicabilis, nisi terminative. Genus vero ut genus, est tantum prædicabile. Et si objiciatur de generibus subalternis, ut *animali et plantæ*, etc. quæ possunt dici differentia genere denominative, ergo dif-

ferens genere, ut est intentio, eis applicatur, et ita argumentum stabit ut prius. Posset dici, ut supra, quod generalissimum et subalternum sunt differentiæ materiales generis. Vel ponderari possunt verba Doctoris, ubi dicit *inquantum talia*, et hoc maxime ut actus signatus potest verificari in fundamentis, et in hoc cessat omnis instantia. Plura alia hic omitto lectori, gratia brevitatis, et infra quæst. 14. amplius ista pertractabuntur. Dato enim quod differens genere prædicetur de hoc, et de illo, non tamen ut differentia genere sunt ut *modus*, licet bene ut *quid* : et sic intelligit Doctor, ut infra dicetur.

Posset ulterius ad principale argui, et similiter contra definitionem speciei, et aliorum applicari sic : omnis bona definitio convenit cuilibet per se contento sub definito : sed hæc non est hujusmodi, ergo, etc. Patet consequentia cum majore. Minor probatur quia hoc genus cum sit individuum, non prædicatur de pluribus, etc.

Ad hoc potest dici, negando minorem. Ad probationem dico, quod in actu signato non inconvenit individuum prædicari de pluribus : secus est de actu exercito. Vel posset negari major, loquendo de definitionibus in actu signato assignatis, quia sic definita *supponunt simpliciter* : sed considera altius.

27. Tertio principaliter posset dubitari, circa primum argumentum principale, et solutionem ejus, licet consideratio ejus magis ad Metaphysicum, quam ad Logicum pertineat. Veritas enim illius dicti Philosophi examinatur 7. Metaphysicæ, et in quarto Sententiarum, distinct. 12. ab isto, et ideo recurre ad ea quæ ibi habet.

Quantum autem ad primam solutionem illius argumenti, non videtur recte dictum quod tantum accidentia copulata definiantur per substantiam, nisi teneretur illa opinio, quæ vult omne accidens esse copulatum, ita quod licet uni insit per accidens vel contingenter, alteri tamen necessario, vel per se, de quo infra magis. Philosophus enim universaliter loquitur 7. Metaph. text. *comm.* 4. *et sequentibus*, ut patet, et hæc est sententia hujus, infra, quæst. *de Denominativis*, et in quarto ubi prius, et super septimum Metaphysicæ. Pro illa tamen solutione videtur facere intentio Philosophi et Aristotelis 7. Metaph. *text. comm.* 41. Sed pro nunc breviter dico quod non solum accidens copulatum, sed universaliter omne accidens, maxime reale, habet definiri definitione quietativa per substantiam, vel aliquid ei æquivalens : et hoc mediate, vel immediate. Responsio igitur Doctoris famosa est, ut patet per ly *dicitur*. In illis enim accidentibus est manifestius verum dictum Philosophi. Secunda ergo responsio infra post omnes replicas est melior, quam statim pertractabo. Duæ primæ replicæ, cum solutionibus earum, satis claræ sunt, licet ibi possent tangi plura de potentia, et actu, et emanatione passionum a subjecto, de quibus alias. Sed circa alias replicas, et solutiones earum, possent instantiæ nonnullæ applicari. Illa responsio de unitate proportionis, sæpe in his logicalibus habetur.

Sed contra aliam sequentem, et etiam illam, ubi dicit Doctor quod major unitas 28 est in intentionibus, quam in fundamentis, licet hæc ab illa accipiatur; arguitur sic ex fundamentis hujus in quarto distinct. 10. et in secundo, distinct. 2. et in Quodlibeto, quæst. 10. Cum unitate prioris potest stare pluralitas posterioris, et non e contra : sed fundamenta intentionum sunt priora, ut patet, ergo ipsis plurificatis proportionaliter plurificantur intentiones, imo ipsis non plurificatis, adhuc possent plurificari intentiones juxta dictam propositionem.

Ad hoc respondeo sustinendo illas solutiones famosas, quas etiam octava distinctione primi quæst. 2. et 13. distinct. tertii, quæst. 1. tangit in simili, quod *posterius plurificari* potest intelligi dupliciter aut numeraliter, aut specifice. Primo modo concedo regulam Doctoris ubique. Secundo modo non tenet. Non oportet enim quod

locus lapidis, et hominis sint alterius speciei, licet sint alii numeraliter : et sic verum est quod alia, et alia intentio, est in alio, et alio fundamento, licet non alterius rationis. In eodem etiam fundamento, saltem remoto, possunt esse plures intentiones, etiam alterius rationis. Vel aliter posset dici, quod dictum illud Doctoris tenet essentialiter ex natura rei ordinatis, ut de actu et potentia jam dixit in littera : sed prima responsio sufficit. Vide notantem eum in prima distinctione tertii, quæst. 2. solvendo argumenta opinionis.

29. Circa aliam responsionem Doctoris * ad illam replicam de unitate fundamenti, ubi dicit, *Aliter concedi potest quod habet subjectum univocum*, etc. posset dubitari primo, an differat a prima de unitate proportionis, et si non, videtur superfluitas ; vel si sic, quomodo potest verificari ?

* num. 6.

Dico breviter, quod potest sustineri probabiliter quod differat a prima, quia in prima ostendit præcise unitatem proportionis esse in fundamentis : in secunda vero unitatem univocationis. Hoc autem verificari potest sic (ut in tertio distinct. 13. quæst. 1. habet iste) quia recipientia formam ejusdem rationis, possunt dupliciter considerari. Uno modo ut talia, vel talia entia. Alio modo ut recipientia. Primo modo, bene possunt esse alterius rationis : sed non secundo. Exemplum, sicut albedo est ejusdem rationis in lapide, et ligno, ita ista ut comparantur ad albedinem, non sunt alterius rationis, imo accidit eis esse alterius rationis, ut recipiunt formam ejusdem rationis. Ita dico in proposito, quod animal, et color, licet sint alterius rationis, tamen ut sub intentione generis considerantur, possunt dici ejusdem rationis, et ita habere unitatem univocationis, æquivalenter saltem ; sicut ex alia parte forma accidentalis, ex distinctione subjectiva ut tali, nunquam est alterius rationis, ut quæstione præcedente dictum est quod distinctio materialis quæ est accidentis per subjecta, est numeralis tantum.

Ulterius, circa solutionem primi principalis potest dubitari, quia videtur esse repugnantia in dictis Doctoris hic et 7. Metaphysicæ, et in quarto distinct. 12. quæst. 1. Videtur namque velle hic quod causa hujus, quod est *accidens definiri per substantiam*, est quia substantia est causa efficiens ipsius, et nedum materia *in qua*, cujus oppositum dicit, ubi supra : quia aliter potius poneretur Deus in definitione cujuslibet creati, quam substantia, cum ad Deum sit dependentia essentialis simpliciter : accidentis autem ad substantiam in ratione efficientis, est dependentia essentialis secundum quid, et maxime absoluti. 30.

Item, omnis forma habet definiri per illud cujus est ut susceptivi, ut habet Doctor in loco præallegato, etiam anima intellectiva, ut patet secundo de Anima. Cum ergo intentiones habeant esse subjective in rebus, ut supra dictum est, et non in intellectu : et sicut in aliis rebus, ita et in substantiis, ut prius, quæst. 3. de Universali dixit, quare ergo in definitione secundarum intentionum non poneretur substantia, nulla videtur ratio.

Ad hoc, licet multa propositum transcendentia dici possent, tamen pro nunc dico, vel quod loquitur famose ; vel aliter quod in accidentibus realibus concomitantur se, et effici ex principiis subjecti, vel formalibus, vel materialibus ; et recipi in eodem, ut actus ejus secundum esse reale. Intentiones vero licet recipiantur quodammodo, non tamen secundum esse reale, sed tantum cognitum, ut supra dictum est. Dictum ergo Doctoris verum est hic, et non repugnat alibi dictis, accidentia realia definiuntur per substantiam, quia habent esse per ipsam, et in ratione susceptibilitatis, susceptivi, et efficientis, licet hoc ultimum non sit ratio principalis ; et sic etiam formæ substantiales, et anima intellectiva, etc. definiuntur per materiam. Intentiones autem non habent magis esse per substantiam, quam per res alterum generum. Et si quæ fundantur in ipsa, hoc est inquantum habent esse in intellectu ; et 31.

sic verum est quod totum esse suum habent formaliter ab intellectu. Non tamen nego fundamenta debere poni in definitionibus accidentium intentionalium, eo modo quo habent esse per ipsa, vel in ipsis, ut patet in hac definitione, *Genus est quod*, etc. ubi per ly *quod* potest intelligi fundamentum Generis, ut quidam probabiliter exponunt hic.

32. Posset etiam dici, ut dicit Doctor in quarto, ubi prius quæst. 2. quod non omne accidens immediate definitur per substantiam, ut prius dixi, et infra, quæst. 3. Anteprædicamentorum, notabiliter declarat, ubi ponit differentiam inter accidentia realia, et intentionalia, in comparatione ad subjecta. Qui autem vellet pertractare verba Doctoris ubi prius, in quarto et in Metaphysica, forte posset negare quod accidentia non definiuntur per substantiam, eo quod efficiens eorum est : sed de hoc alibi magis. Per hoc patet ad formam argumentorum.

Posset etiam dici, quod loquitur hic de definitione Logica, ibi vero de definitione Metaphysica, ut ibi habet : et hæc de argumento primo principali, et solutione ejus, dicta probaliter sint. Cætera argumenta cum suis solutionibus usque ad penultimum argumentum satis patent. Illud quod tangitur in secundo principali de dictis secundum accidens, et identitate *quod quid est*, cum eo *cujus est*, habet videri prolixius septimo Metaphysicæ, et in tertio distinct. 22. et alibi sæpe. Sed breviter dico, quod unumquodque est idem cum suo *quod quid est*, eo modo quo habet *quod quid est*. Aliud quod ibi tangitur de concretis, et abstractis, infra quæstione penultima, et ultima Anteprædicamentorum, videbitur altius.

33. Circa solutionem quinti principalis, * dubitari posset, quia videtur velle absoluta omnia sufficienter posse definiri per essentialia, ex quo sequi videtur quod in definitione quantitatum, et qualitatum non est ponenda substantia, contra Philosophum, et prædeterminata.

* ubi supra num. 7.

Item, extrema relationis sunt priora relatione, ergo relatio potest definiri per priora, et notiora, sicut et absoluta, non obstante quod definiantur per extrema, definitione data per additamentum.

Ad ista dico, quod solutio Doctoris est singularis, et subtilis, et irrefragabilis. Unde advertendum, quod definitio alia quidditativa, alia quietativa, ut in septimo Metaphysicæ, et duodecima distinctione quarti habet iste, quæ licet aliquando coincidant, non tamen semper. In substantiis enim coincidunt, in accidentibus vero licet secundum inferat primum, non tamen e contra, quia præter essentialia adduntur alia, ut subjectum, vel fundamentum, vel terminus.

Ulterius sciendum quod secus est de relatione, et secus de relativo, et in definiendo, et in cognoscendo. Relatio enim est *quo*, et relativum *quod*. Unde in definitione relationis debent poni terminus, et fundamentum, cum sit habitudo unius ad aliud : in definitione vero relativi debet poni correlativum, ut ad quod dicitur.

Extrema etiam relationis possunt dupliciter considerari. Uno modo absolute, ut talia, vel talia entia. Alio modo sub relationibus oppositis, vel disparatis. Primo modo sunt priora, et notiora, saltem quoad naturam : secundo modo non.

Ex his ad primum dico, quod accidentia, 34.
etiam absoluta, definiuntur per additamentum, nec oppositum habet Doctor. Unde dicit quod *absolutum potest cognosci in se per essentialia et notiora*. Ubi tangit duo, non enim omne prius definito, et notius, est ei essentiale intrinsecum, licet bene e contra communiter. Licet igitur in definitione quantitatis, vel qualitatis, ponatur substantia, definitur nihilominus per prius, et notius. Vel aliter posset dici, quod accipit Doctor *absolutum* pro substantia tantum, et omnia accidentia sub alio membro. Et si dicatur, ut jam notavi, quod accidentia absoluta definiuntur per substantiam, etc. dico quod nullum accidens est simpliciter absolutum, licet aliquod

sit formaliter tale. Et ulterius dico quod substantia potest dupliciter considerari. Uno modo absolute, ut substantia, alio modo ut subjectum. Primo modo est prior, secundo modo non. Non ponitur autem in definitione accidentium nisi ut subjectum : et per consequens non ut prius. Hæc responsio est probabilis, sed prima communior.

Ad aliud, concedo quod relatio definitur per priora, et notiora, vel saltem potest sic definiri ; relativum vero ultra illa includit in definitione quietativa ejus, suum correlativum, quod est simul natura : et de tali loquitur Doctor in littera, comparando Genus ad Speciem, ut patet : hæc solutio facit mihi fidem, licet posset dici, ut aliqui volunt, utrumque per priora, et notiora definiri ; quia terminus unius est fundamentum alterius. Ponuntur nihilominus ipsa correlativa aliquando in definitionibus, circumloquendo absoluta. Posset etiam dici, quod extrema relationum ut sub relationibus considerantur, non sunt priora, nec notiora, ut prius, et ita tam de relativis, quam de relationibus, potest verificari solutio Doctoris. Sed infra magis cap. de Relatione, et alibi hæc altius pertractari habent.

35. Ultimo circa argumentum ultimum principale et solutionem ejus dubitari posset. Videtur primo quod differentia non sit Species multitudinis : tum quia multitudo non est Genus, cum sit transcendens ; tum quia multitudo opponitur unitati, 5. Metaphysicæ. Cum igitur *unum* sit æquivocum, et multitudo similiter erit, ut patet 1. Topicorum, et per consequens non est genus. Quod autem *unum* sit æquivocum infra cap. de Differentia, et cap. de Specie, videtur dicere iste, et quinto, et decimo Metaphysicæ, communiter de mente Aristotelis ponitur. Item, videtur quod illa solutio, quæ impugnatur ex 6. Topicorum, et 7. Metaphysicæ, sit bene assignata : aliter figura Grammaticalis quam *Appositionem* appellant, non salvaret in oratione congrua non esse nugationem, ubi præponitur superius inferiori ex eadem parte orationis, ut *Animal homo currit*.

Item, Philosophus 2. physic. text. comm. 3. in definitione naturæ videtur præponere superius inferiori, cum dicit *primo, per se et non secundum accidens*. Ubi e contrario deberent construi. Similiter 1. Poster. in definitione passionis Universalis, cum dicit *de omni per se et secundum quod ipsum*.

Item, 7. Metaph. text. comm. 43. docet Philosophus ex intentione dupliciter definire. Uno modo per genus primum, et omnes differentias, usque ad ultimam. Alio modo per genus proximum, et differentiam specificam : sed patet quod primo modo definiendo præponitur differentia superior inferiori, ex eadem parte orationis, ut hic, *Homo est substantia corporea animata sensibilis rationalis*. Aut igitur Philosophus inconvenienter docet artem definiendi, aut non erit nugatio præponendo differentiam superiorem inferiori, et sic stabit solutio illa.

Item, si nugatio vitiaret definitionem, sequeretur, contra Scotistas, quod ens non esset univocum. Probo consequentiam, quia dato opposito consequentis, cum ens includatur in conceptu Generis per se, et similiter in conceptu differentiæ, idem, ut puta ens, bis ex eadem parte orationis diceretur. Patet ponendo rationes nominum pro nominibus. 36.

Item, Doctor iste, super septimum Metaphysicæ, et in quarto, distinct. 11. quæst. 3. tenet quod differentia superior non prædicatur per se de inferiori, cujus oppositum, oporteret ponere, si hoc argumentum concluderet. Videtur ergo fugere, nemine persequente, et trepidare timore, ubi non erat timor.

Item, contra solutionem hujus argumenti, ubi dicit Doctor, quod *differentiis* Specie ponitur ibi expositive, arguitur sic : Differentia per se divisiva superioris, est per se constitutiva inferioris, atque per se definitiva ejus ; sed *differentiis Specie* est hujusmodi respectu Universalis, vel naturæ ipsius quæ est *prædicari de*

pluribus, et Generis quod est Species Universalis; ergo etc. Patet consequentia cum majori. Minor vero est Doctoris, in solutione hujus quæstionis, et supra, quæst. de numero Universalium, et infra cap. de Differentia, et quæstione decima quarta sequente.

Item, ut prius tetigi, videtur esse repugnantia hujus solutionis ad solutionem quæstionis, et ad ea quæ tangit infra, quæst. 14. ubi ex intentione tenet hanc particulam esse convenienter assignatam in definitione Generis, quod superfluum videretur, nisi poneretur ut pars, et nedum expositio alterius partis definitionis.

37. *Nugatio quid.* Pro solutione istorum, nota primo quod *nugatio est unius, et ejusdem, in eadem parte orationis inutilis repetitio.* Ubi notanter dicitur, *in eadem parte, et inutilis*, propter prædicationem ejusdem de se, et repetitionem ejusdem gratia ornatus, et majoris.

Secundo nota, quod refert dicere *superius, et inferius, et magis et minus commune*: nam inferius ut tale semper includit superius per se, non tamen est ita de minus communi, respectu magis communis, ut patet de homine, et albo.

Tertio advertendum, secundum quosdam, quod aliter in arte definitiva Logicæ, vel Metaphysicæ, habet evitari omnimodo nugatio; aliter in sermone vulgari, vel communi, vel Grammaticali, sed hoc non multum approbo, licet sit probabiliter dictum.

Quarto intelligendum quod quia differentiæ ultimæ rerum sunt communiter nobis ignotæ, ideo utimur pluribus circumlocutivis earum in definitionibus, licet, secundum alios, ponantur plures differentiæ, propter pluralitatem formarum, vel potius formalitatum, seu realitatum ejusdem definibilis, in quibus tamen definitionibus semper differentiæ priores se tenent ex parte potentialis, et generis, et ultima est tota substantia rei completive, licet non comprehensive. Sicut in habentibus plures formas, formæ priores se tenent ex parte susceptivi, et materialis, et ultima forma est tantummodo completus actus specificus, et formalis, et una non includit formaliter alteram. De quo in Theorematibus hujus, et dist. 4. et 7. Metaph. copiosius sermo habetur.

Ulterius est considerandum quod Genus, et Species sumuntur aliquando proprie, aliquando metaphorice. Primo modo tantum reperiuntur in rebus limitatis, et univocis; secundo modo in transcendentibus, et aliis indifferenter. Unde solet dici, *Homo in genere, et homo in Specie, et mille hominum species*, etc. 38.

Ultimo notandum, quod unum categorematice sumptum, licet æquivoce dicatur de membris duarum divisionum, assignatarum 5. Metaph. cap. de uno; ipsum tamen acceptum seorsum in utraque divisione, dicitur non æquivoce, sed potius univoce, vel analogice de membris illius divisionis: et sic in divisione Logica, quæ est in *unum numero, Specie, genere, et proportione*, dicitur univoce, analogice tamen; quia de uno numero principalius, et tanquam simpliciter uno, de aliis autem minus principaliter, et tanquam secundum quid tali. Et similiter potest dici de multitudine, ut infra, c. de Specie, et differentia et super 5. Metaph. habet iste. Ex his ad argumenta respondetur.

Ad primum, patet quod ibi accipitur *genus* metaphysice, vel forte proprie accipiendo multitudinem rationis. Et cum dicis quod est transcendens, nego, nisi per applicationem accidentalem, sicut alia intentionalia.

Ad aliam de æquivocatione *unius*, patet ex ultimo notabili.

Ad aliud de figura Grammaticali dico uno modo ut prius in tertio notabili dictum est, quod non est simile. Vel aliter, ex secundo notabili, melius, quod licet figura Grammaticalis evadat nugationem, addendo minus commune magis communi, non tamen inferius superiori, et sic procedit argumentum.

Ad aliud de 2. Physicor. et 1. Poster. patet ex quarto notabili. Ibi enim præponun- 39.

tur magis communia minus communibus, et se tenent ex parte potentialis, seu generis, et ultimum quod ponitur, est differentia completiva,

Ad aliud de 7. Metaph. patet idem. Non enim negat Philosophus differentiam addi differentiæ usque ad ultimam in definitionibus, imo sic docet definire : sed intendit quod tota substantia rei actualiter, et completive ab ultima differentia, et non ab aliqua præcedente. Sed omnis talis se tenet ex parte potentialis, aliter sequeretur nugatio, et hoc maxime ponendo differentiam inferiorem continere superiorem per se, ut quidam volunt, de quo statim, et quæstione sequenti magis.

Ad aliud nego consequentiam. Ad probationem dico, quod hoc argumentum solvit iste tertia distinctione primi, quæst. 3. cujus sententia consistit in hac propositione : Quando duorum inferiorum alterum aliud denominat, tertium commune particulariter in uno seipsum, in alio absque nugatione qualificat, et hoc maxime habet locum, loquendo de differentiis sumptis ab alietate rerum, per comparationem ad Genera : quia loquendo de differentiis acceptis ab ultimis realitatibus, non procedit argumentum, cum de illis non prædicetur ens quidditative. Dico ergo breviter, quod ens non bis dicitur ex eadem parte orationis, eo modo : sed semel quidditative, et semel denominative, et sic idem bis dici non inconvenit.

40. Ad aliud, quod tangit bonam difficultatem ad hominem, dico uno modo, quod loquitur hic secundum communem expositionem litteræ, ut sæpe prius notavi : loco vero proprio, aliter determinat : vel aliter dicendum, quod stant simul differentiam inferiorem non includere per se superiorem, et cum hoc nugationem esse in præponendo differentiam superiorem inferiori in definitione, et hoc per modum actus et formæ; quia aut esset eadem inferiori, aut non. Si sic, erit nugatio; si non, ergo ejusdem erunt plures actus, quod est falsum : et est argumentum Philosophi ibidem. Vult igitur Philosophus (ut prius notavi, et Doctor post ipsum) quod differentiæ superius præpositæ, se tenent ex parte potentialis, et circumloquuntur Genus proximum cum omnibus aliis, usque ad ultimam, a qua est completive, et formaliter substantia definiti. Et quod ibi tangitur de prædicatione superioris de inferiori, tangetur quæstione sequenti : sed pro nunc dico, quod inferior est divisiva superioris, et non recipit prædicationem ejus.

Et si objicias, quod divisum prædicatur de dividentibus ; dico quod verum est in recta linea, quæ verius dicuntur in qua fit divisio, quam per quæ, vel quibus. Posset etiam hic ponderari (ut prius dixi) differentia inter esse *superius*, et *communius*. Posset etiam tangi differentia inter differentias essentiales, et accidentales, ut tangit Philosophus ibidem. Forte enim verius diceretur quod fixio pedis est pedalitas, quam quod rationalitas est sensibilitas, de quo tamen magis alias dicetur : quia potius ad Metaphysicum, quam ad Logicum pertinet ulterior speculatio prædictorum. 41.

Ad aliud dico, quod notanter dicit Doctor, quod non ponuntur tanquam partes diversæ, eo modo, quo Genus et differentia in definitione : quia (ut patet ex dictis) ponuntur circumlocutoria proximi generis : et ideo unum est specificans, et exponens reliquum. Nihilominus ipsa inter se comparata sunt diversa, sicut magis commune, et minus commune, licet in comparatione ad ultimam differentiam se habeant ut unum, et ideo nec controversia, nec repugnantia aliqua in dictis Doctoris, sed singularissima doctrina Logicalis, et Metaphysicalis. Per idem patet ad ultimum argumentum.

Posset etiam probabiliter dici, quod Doctor nolendo intrare illas difficultates Metaphysicales exponendo Philosophi auctoritates inductas, breviter se absolvit in illa brevi solutione. Sed prima responsio mihi placet. Ponitur ergo *Differentiæ Specificæ* per modum exponentis, et circumlocutionis cum ly *partibus*, et ex par- 42.

te materialis, et in *quid*, ut differentia completiva actus,et forma.

Sed ex hac solutione oriuntur duo dubia. Primo quomodo *in quid*,cum sit æquivocum, ut infra cap. de Differentia habet iste, possit esse differentia completiva in definitione Generis. Secundo quare Universale non esset Genus proximum respectu istorum quinque, cum tamen ex dictis supra, videantur esse Species specialissimæ respectu ipsius. Ad hoc infra, cap. de Differentia quæst. 5. dicetur. Sec pro nunc dico breviter, quod *in quid* hìc ponitur pro uno significatorum tantum : et est univocum, sicut forte rationale ponitur in definitione hominis, ut infra, cap. de Differentia, quæst. ultima, habetur. Et similiter ad aliud potest probabiliter dici, quod Universale non est Genus proximum ad hæc quinque, licet communiter ponatur esse, quia non sunt nomina imposita intermediis. Vel aliter,quod *Differentibus Specie* ponitur ut specificativum, et expositivum respectu *pluribus*, ut Differentiæ ultimæ Universalis, et additur *in quid* ut completiva generis, ita quod una respicit subjicibile, et alia modum prædicandi. Plura alia subtilia hìc pertractanda relinquo lectori, et altiori indagini.

Animal cum sit Genus, de homine, equo, et bove prædicatur. Cap. eodem.

QUÆSTIO XVI

Utrum hæc sit vera, Homo est animal, *et consimiles*

D. Thom. *de Ente et Essentia cap.* 3. Cajet. *ibidem.* Joan. Ang. *et* Brasavol. *super hanc quæst.* Complut. *disp.* 4. *quæst.* 4. §. *primo.* Hurtado *disp.* 3. *Log. sect. 3.* Ruvius *de modo prædicandi. Concr. et Abstr.* Merinero *disp.* 4. *Univers. quæst.* 1. Fuente *quæst.* 6. *diff.* 8. *art.* 1. Rodriguez. *quæst.* 4. *de Genere. Art.* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Circa hanc particulam, *Genus prædicatur de Specie*, quæritur, *An Genus prædicetur de Specie*, loquendo de prædicatione exercita in fundamentis istarum intentionum. Utrum hæc sit vera, *Homo est animal*, et consimiles ? Quod non videtur ; Quia *pars non prædicatur de toto :* per Aristotelem 4. Topicor. cap. 2. ideo dicit *eos peccare, qui partem dicunt esse Genus* : sed Genus est pars Speciei, per Aristotelem 5. Metaph. capit. de toto text. com. 30. et 33. Et probatur, quod enim est pars definitionis, est pars definiti : sed Genus ést pars definitionis : ergo est pars definiti.

Item Materia non prædicatur de illo, cujus est materia : sed Genus est materia Speciei : ergo, etc. Major patet, quia materia est per se in potentia ad illud, cujus est : compositum autem est in actu. Minor probatur per Porphyrium in hoc capitulo dicentem : *Genus esse principium Specierum*, et dicit, quod convenit cum secunda significatione : non est autem principium formale, quia non distinguit Speciem ab aliis 7. Metaph. text. com. 49. forma autem distinguit Speciem ab aliis : nec efficiens,quia non facit Speciem esse in actu : nec finis, quia propter ipsum non est species,cum sit imperfectius specie ; ergo est principium materiale.

Idem patet per Porphyrium capit. de Differentia, ubi probat definitionem secundam Differentiæ per hoc, quod Differentia habeat similitudinem formæ, Genus vero materiæ.

Ad hoc secundum dicitur quod Genus non est materia,sed forma,quia per Aristotelem 7. Metaphysic. context. 35. omnes partes definitionis sunt sicut formæ. Et cum dicitur,forma distinguit, verum est de forma ultimata et completiva : Genus autem non est hujusmodi forma. 2.

Ad secundum dictum Porphyrii dicitur, quod ipse non dicit Genus esse materiam, sed simile materiæ, quia est indeterminatum.

Contra,Forma non prædicatur de com-

posito, sicut nec materia : quia repugnat composito ratione materiæ, ratione cujus est in potentia.

Dicitur quod duplex est forma, quædam enim est altera pars compositi ; alia vero consequens compositum. Prima ut anima, et hæc non prædicatur de composito : secunda ut humanitas quæ resultat ex compositione materiæ cum forma; hujusmodi forma est genus, et hæc prædicatur de composito.

Contra, Forma secunda non prædicatur de composito, nisi in concreto; hæc est enim falsa, *Homo est humanitas*; sic autem, scilicet in concreto materia potest prædicari de composito : ergo prima responsio non valet, negando Genus esse materiam, et concedendo ipsum esse formam, ad salvandum ipsum prædicari de Specie.

3. Ideo dicitur aliter ad utrumque argumentum principale, quod pars, vel materia in abstracto, non prædicatur de toto, in concreto tamen potest, et sic per Genus significatur.

Contra, Omne concretum est denominativum ; si igitur Genus prædicatur in concreto de Specie, prædicabitur de ea denominative. Probatio primæ propositionis : Denominativa dicuntur quæcumque ab aliquo solo casu differentia, habent denominationem : hujusmodi sunt omnia concreta, respectu abstractorum. Consequens est falsum, quia Genus univoce prædicatur de Speciebus : non ergo denominative ; quia sunt disparati modi prædicandi. Similiter idem ostenditur in principio secundi Topicorum cap. 3.

Item, omne concretum significat formam, ut inhæret subjecto : sed *nulla substantia est in subjecto*, per Aristotelem in Prædicamentis in capitulo de Substantia, Proprietate prima ; igitur nihil significans substantiam est concretum.

4. Aliter dicitur, quod licet materia, vel pars realis non prædicetur de toto ; materia tamen, vel pars rationis potest prædicari, cujusmodi est Genus. Aliter respondetur.

Contra, 7. Metaph. context. 33. dicit Aristoteles : *sicut ratio ad rem, sic partes rationis ad partes rei*, ergo permutatim, sicut partes rei ad rem, sic partes rationis ad rationem : sed partes rei per se non prædicantur de toto : ergo nec partes rationis.

Dicitur secundum Boetium lib. Divisio. quod Genus in definitione est pars, in prædicando vero totum.

Contra : Secundum quod cadit Genus in definitionem Speciei, prædicatur per se, primo modo, de Specie, quia primus modus est, quando pars definitionis, vel definitio prædicatur de definito : ergo secundum eamdem rationem se habet, ut definit, et ut prædicatur.

Item, aut sic sumptum est univocum, vel æquivocum : si æquivocum, ergo non est Genus, nec definiens ; si univocum, ergo idem significat utrobique, et ita, vel utrobique erit pars, vel nusquam.

Tertio ad intentum principale, sequitur : *Homo est animal*, ergo *humanitas est animalitas*. Consequens falsum, ergo et Antecedens. Probatio consequentiæ, quando enim est prædicatio per se in Antecedente, tunc tenet a concretis ad abstracta : quia si sit per se, tunc est veritas in concretis, ratione essentiæ significatæ ; et non ratione illius, quod concernitur : quia in *per se* primo modo prædicatum prædicat essentiam subjecti ; sed ipsa essentia abstracta ab eo, quod concernitur, significatur proprie per abstractum : ergo vera est in abstracto. 5.

Item patet in exemplo, licet enim non sequatur, *Musicum est album*, ergo *musica est albedo* ; quia Antecedens

non est per se; bene tamen sequitur, *Album est per se coloratum* primo modo : *ergo albedo est color ;* quia ex modo significandi terminorum, idem ponitur in Consequente, quod per se exprimitur in Antecedente. Probatio falsitatis Consequentis ; quia si humanitas est animalitas, pari ratione humanitas est rationalitas : nam æque per se prædicatur *rationale* de homine, sicut et *animal* ; et sic ex illis duobus sequitur in tertia figura, ergo per se *rationalitas est animalitas*, quæ falsa est : igitur major ; quia ex majori sequitur minor ; quia si minor est falsa, sequitur quod major, quia similis ratio est de utraque.

6. Quod illa conclusio sit falsa, probo : Omnis enim prædicatio vera in abstracto est per se primo modo, sed hæc non est per se, *Rationalitas est animalitas* : quia Genus non prædicatur per se de Differentia, per Aristotelem 6. Topicorum, cap. 8. et 3. Metaphysic. cont. 10. ergo, etc. Probatio majoris, quia Aristoteles 7. Metaph. cont. 43. volens ostendere Differentiam superiorem esse de intellectu inferioris, ostendit ex hoc, quod fixio pedis est pedalitas quædam ; quia scilicet est vera prædicatio superioris Differentiæ, de inferiori Differentia in abstracto : sed quod est de intellectu alterius, prædicatur per se primo modo de illo.

Idem ostenditur ratione, quia abstracta significant essentiam secundum se : igitur si unum vere de altero dicatur, cum hoc verbo *est*, hæc essentia est illa ; et ita prædicatum prædicatur essentialiter de subjecto, quare per se, primo modo.

Item quarto ad principale,potest argui per media communia : quia ubi Species subjicitur, et Genus prædicatur, propositio est falsa ; quia subjectum, et prædicatum accipiuntur sub oppositis rationibus, ergo propositio falsa. Consequentia patet, quia non propter aliud est hæc falsa, *Albedo est alba*.

Item, sicut affirmatio animalis sequitur ad affirmationem asini, sic negatio ad negationem ; sed sequitur, *Homo est asinus; ergo homo est animal* ; quia oppositum Consequentis non stat cum Antecedente : ergo sequitur, *Homo non est asinus*; *ergo homo non est animal*. Antecedens est verum ; ergo et Consequens. Probatio primæ per Aristotelem 1. Posteriorum text. 30. *Si affirmatio est causa affirmationis ; ergo negatio est causa negationis*.

Item, probatur ratione; quia sicut 7.
affirmatio asini ad suam negationem, ita affirmatio animalis ad suam negationem; ergo permutatim, sicut primum ad tertium, et secundum ad quartum. Iste modus arguendi patet esse bonus per Aristotelem 2. Priorum cap. 3. in illo capitulo; *Quando autem convertuntur extremitates* : ubi ponit duas regulas manifeste modum hunc arguendi continentes : hoc etiam modo arguendi utitur 1. Perihermenias, circa finem, ad determinandam illam quæstionem, *Utrum autem contraria*, etc.

Item, aut prædicatur de homine ani- 8.
mal, quod est idem homini, aut quod est aliud ab eo : si idem, igitur idem prædicatur de seipso : si aliud, igitur illud aliud non poterit prædicari de homine.

Item, si homo est animal, tunc tota natura animalis est in homine ; aliter enim non esset animal, nisi secundum quid, *sed totum est*, *extra quod nihil est*, per Aristotelem 3. Physi. context. 63, ergo extra hominem nihil est naturæ animalis ; ergo asinus non est animal.

Item, si homo est animal, et animal est Genus ; ergo homo est Genus.

Dicitur hic, quod est fallacia Acci-

dentis, propter variationem medii, quia ut prædicatur de homine, accipitur secundum esse in suppositis, vel quidditativum : ut vero ei convenit intentio, accipitur secundum esse, quod habet, ut comparatur ad intellectum ; quæ quidem faciunt extraneitatem in termino.

Contra, Omne quod prædicatur, prædicatur sub ratione alicujus Universalis : ergo hic, *Homo est animal*, si proprie prædicatur, prædicatur sub ratione alicujus Universalis, non alterius, quam Generis : ergo illa prædicatio non est sibi extranea secundum quod accipitur hic, *Homo est animal*.

9. De Specie arguitur specialiter, quia incorruptibile non prædicatur de corruptibili, Individuum est corruptibile, Species est incorruptibilis per Aristotelem 7. Metaph. text. com. 35. et 53.

Ad oppositum est Porphyr. cap. de Specie, ubi dicit quod *Omnia superiora de inferioribus prædicantur*, et hic post definitionem datam exemplificat, *ut animal de homine; ergo de aliquo homine*.

Item, per Aristotelem in prædicamentis : *Secundæ substantiæ prædicantur de primis*, quod probat ; quia enim animal prædicatur de homine : ergo de aliquo homine.

Item, primus modus dicendi per se est, quando definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito : ergo hæc est per se primo modo, *Homo est animal* ; ergo necessaria : igitur vera. Consequentiæ patent per Aristotelem 1. Posteriorum text. 9. et 15. et circiter, et primum Antecedens similiter.

Item sequitur, *Homo currit, ergo animal currit*, ut dicitur in Prædicamentis, antequam ponat proprietates Substantiæ. Et probatur ratione ; quia oppositum Consequentis non stat cum Antecedente, sed omnis consequentia enthymematica tenet virtute alicujus medii necessarii, per quod reduci potest in syllogismum ; illud medium in proposito est hoc, *Homo est animal* ; ergo illud est necessarium, quia omnis consequentia bona est necessaria. Et quod medium sit necessarium ad consequentiam, patet per Aristotelem 1. Priorum, text. 28. et Posteriorum text. 6. ubi dicit, quod *Ex uno nihil sequitur*, scilicet sufficienter, nisi aliud subintelligatur.

Dicendum ad quæstionem, quod prædicatio superioris de inferiori universaliter est bona.

Genus sumitur ab aliquo materiali, Differentia ab aliquo formali.

Ad primum argumentum solvendum, nota, quod Genus sumitur ab aliquo materiali in Specie, et illud primo importat de suo intellectu determinato : non tamen per modum partis illud significat, sed per modum totius ; et ideo totum ex consequenti importat. Et ita Differentia primo significat aliquid formale in Specie, a quo accipitur, sed totum ex consequenti, quia illud formale importat per modum totius. Si enim utrumque idem primo importaret, non posset vitari nugatio in definitionibus, quia positis definitionibus pro nominibus, quod esset de intellectu utriusque, illud idem bis diceretur ; si etiam alterum significatum suum haberet per modum partis, prædicatio ejus de toto esset falsa, propter modum repugnantem.

Ad 1. et 2. principale.

Per igitur patet ad primum, et ad secundum argumentum, quod materiale, vel pars intellecta per modum [illegible] prædicatur de toto vere [illegible] tamen per modum totius, potest vere prædicari, ut Avicen. 5. Metaph. exemplificat de nummulo, et capitale, quæ diversa significant primo, scilicet nummum, et caput ; utrumque tamen [illegible] significat [illegible], scilicet quod significat partem per modum totius, et *nummulum* exponitur per [illegible]

Pars per modum totius prædicatur de toto, non per modum partis.

num, ubi *habens* non est de significato *manuati*, sed de modo significandi per modum totius : non enim est partis habere manum, sed totius; et ita exponetur *animal*, habens sensum : *rationale*, habens intellectum.

11. *Ad objectiones contra solutiones supra allatas.* Quia vero responsiones prius dictæ possunt reduci ad istam præter primam; ideo respondendum est etiam ad ea, quæ objiciuntur contra illas.

Et quia secunda responsio concedit Genus significare partem materialem, per modum concreti, in quo conveniunt istæ duæ, secundum quod prior valet, ideo dicendum ad argumenta contra secundam responsionem.

Ad 1. objectionem. Concretum duplex. Ad primum, cum dicitur, Omne concretum est denominativum ; distinguendum est, quod sicut est duplex abstractum, (unum scilicet, quod abstrahit a subjecto : aliud vero quod abstrahit a forma ut est in supposito) ita duplex est concretum per oppositum, unum videlicet quod concernit subjectum, quod est alterius naturæ a forma significata, aliud quod concernit suppositum. De primo vera est dicta propositio, de secundo vero falsa.

12. Per idem ad secundum argumentum dico, quod concretum primo modo signat formam, ut est in subjecto, et tale est tantum in accidentibus, sicut *album* respectu *albedinis*.

Secundo vero modo, ut est in suppositis, et sic est in substantiis ; ut *homo* respectu *humanitatis*.

Ad probationem, cum dicitur, Omne concretum habet definitionem denominativi; dicendum, quod concretum substantiale non habet illam definitionem, quia non differt solo casu, id est, sola inclinatione formæ ad subjectum respectu abstracti, sicut sumitur ibi casus, sed differt sola inclinatione formæ ad suppositum.

Contra responsionem quæ concedit, quod materia in concreto prædicatur, arguitur aliter. Nam sicut *animal* significat materiam hominis in concreto ; sic *lignum* materiam arcæ in concreto ; ergo sicut hæc est falsa, *Arca est lignum* non obstante concretione illa ; sic et hæc, *Homo est animal*. Prima propositio patet; nam sicut *animal* est concretum respectu *animalitatis*, ita *lignum* respectu *ligneitatis*.

Ad hoc dicendum, quod *animal* est concretum ad suppositum respectu hominis, quia *homo* est suppositum ejus; non sic lignum respectu arcæ, quia licet sit concretum respectu *ligneitatis*, et ideo de hoc ligno prædicetur; non tamen respectu arcæ, quia arca ratione formæ, quam principaliter significat, est artificiale; forma autem artificialis se habet ad naturalem, sicut accidens ad subjectum ; et nihil quantumcumque concretum, est concretum respectu sui accidentis. Unde non est simile hic, et ibi ; quia hic significatur materia in concreto, quod est concretum materiati, ibi non. 13.

Ad aliud argumentum contra tertiam responsionem supra dictam, dico quod similitudo Aristotelis intelligenda est, quoad *determinate importare*, non quoad *prædicare*. Sicut enim tota ratio exprimit totum definitum, sic pars rationis, tantum partem rei ; sed non sicut tota ratio prædicatur de tota re, sic etiam pars rationis, de parte rei. Hæc enim est falsa, *Anima est rationale*, prout *rationale* est hominis differentia. Si ergo fiat permutatio, quoad *distincte importare*, sic concedo conclusionem, nec quoad aliud valet similitudo.

Quarta responsio Boetii, sic intelligenda est, Genus utrobique pars est, et totum, id est, partem distincte importat per modum totius, appropriate ta- *Responsio Boetii declaratur.*

men prædicatur ut totum, id est, habens modum totius, et appropriate definit, quia significat partem. Nam definitio debet principia definiti distincte exprimere, sed distincte non exprimit Genus, nisi partem; ideo appropriate loquendo definit, ut pars; utrobique tamen in se est totum, et pars, ut ostenditur per duo argumenta, facta contra illam responsionem.

Ad tertium principale, negatur consequentia. Ad probationem dicitur, quod tantum tenet in concretis dictis a concretione ad subjectum, in aliis vero non.

Ad quartum principale, dico quod quidam sunt modi, qui proprie dicuntur modi significandi, qui conveniunt dictioni ex impositione : et illi sunt a significato inseparabiles, quia significatum, ut significatur tali dictione, non potest intelligi sub opposito talis modi significandi, sine repugnantia ; sicut *homo*, secundum quod singulare, non potest intelligi sub modo plurali, sine repugnantia. Alii vero sunt modi magis proprie dicti modi intelligendi, quia tantum insunt significato, secundum quod sub aliquo certo modo concipitur, qui quidem sunt separabiles; quia significatum, ut significatur sub tali dictione, potest intelligi sub opposito talis modi sine repugnantia, sicut se habent istæ intentiones ad illa, quibus applicantur. Potest enim *homo* intelligi sub opposito hujus intentionis, *Species*, sine repugnantia, ut *iste homo*.

Primi modi, qui sunt inseparabiles a significato, ut significatur per talem dictionem, non relinquunt ipsum respectu cujuscumque prædicati : et licet non sint illa, quæ uniuntur, sunt tamen formalia principia, seu rationes, sub quibus significata uniuntur. Ideo tales modi repugnantes, causant falsitatem, quando sunt circa idem significatum, ut *Albedo est alba*; non quando sunt circa diversa, ut *Homo est albus*; quia ibi non sunt oppositi.

Secundi modi, extranei sunt significato, ut uniuntur per hoc verbum *est*. Esse enim est rei per se, istæ autem intentiones non insunt rebus per se, sed ut comparantur ad intellectum, ideo isti modi non sunt uniti per se, nec sunt principia formalia, sub quibus significata formalia uniuntur; ideo eorum repugnantia non causat falsitatem.

Ad quintum negatur similitudo, quia implicat fallaciam Consequentis ad destructionem Antecedentis.

Ad primam probationem dicendum, quod Aristoteles intellexit in causis præcisis, sicut exemplificat, *si habere pulmonem est causa respirandi, et non habere pulmonem, est causa non respirandi;* sed affirmatio Speciei, non est præcise causa inferendi affirmationem Generis.

Ad aliud dicendum, quod prima similitudo tenet quoad opponi : quoad hoc ergo solum tenet consequentia in permutando, sed in permutando concluditur esse similitudo, quoad antecedere, et consequi.

Ad sextum dicendum, quod *animal* prædicatur de homine, quod est indifferens ad idem homini, et ad aliud ab homine, verificatur tamen pro animali, quod est idem homini.

Contra, si *animal* prædicatur de homine, ut est indifferens ad multa; ergo quodlibet illorum de illo prædicari potest.

Dico, quod consequentia non valet, quia illa indifferentia est per modum disjunctionis; ad aliquid autem se habens disjunctive ad multa, non sequitur aliquod illorum, quia pro quocumque potest verificari, sic in proposito.

16. Ad septimum dicendum, quod definitio totius sic est intelligenda, *cujus nihil est extra*, id est, cui nihil deest requisitum ad ipsum ; sic naturæ animalis, nihil deest in homine de natura animalis, non tamen est præcise illa natura in homine.

Ad octavum dicitur, ut prius, quod est fallacia Accidentis.

Ad argumentum contra hoc : Omne quod prædicatur, prædicatur sub ratione alicujus Universalis ; verum est de *prædicari signato*, non autem *exercito* ; quia alicui inquantum prædicat *prædicatione exercita*, quæ fit per *esse*, extraneatur ratio Universalis.

Ad nonum dicitur dupliciter, uno quidem modo, quod per se suppositum communis, tantum includit naturam sui communis, tamen signatam, et nullum accidens ; ideo nec est corruptibile per se, sicut nec commune ; sed utrumque secundum *quid*, scilicet per accidens.

Aliter dicitur, quod Species, ut est in individuis, est corruptibilis ; secundum se vero est incorruptibilis, ex hoc, quod semper continuatur per successionem in diversis individuis.

EXPOSITIO.

17. Quærit an prædicatio Generis de Specie, in fundamentis, in actu exercito, sit vera, ut ista, *Homo est animal*, et hujusmodi; et est quæstio satis solemnis et universalis et utilis valde in doctrina hujus, cujus motivum sumitur ex definitione generis, ut patet, et ex declaratione Porphyrii, exemplificando illam particulam *Differentibus Specie* in fundamentis. *Animal*, inquit, *cum sit genus*, *de homine*, *equo*, *et bove*, *prædicatur*, quæ differunt a se invicem Specie, non numero solum.

De Primo, quid *genus*, quid *Species*, quid *animal*, atque *homo*, satis notum est. *Animal* enim *est substantia animata sensibilis*, secundum Peripateticos : sed *substantia se movens motu voluntario*, secundum Platonicos, cujus divisiones multiplices patent plerumque in Philosophia. *Homo* autem *est animal rationale*, et addunt aliqui *mortale* ut infra cap. de Differentia, quæstione finali, patet. Vel sic, *Homo est animal mansuetum a natura*, *gressibile*, *bipes*, *a Deo formatum de limo terræ*, *ordinatum ad beatitudinem æternam*, etc. *Prædicatio* vero quid, et quoties sumitur, supra dictum est, et in sequentibus magis dicam,

Ordo satis patet. Prius enim disputavit de definitione in communi, nunc vero particulas cunctas definitionis prosequitur, et verificationem ipsius definitionis, et partium ejus in fundamentis notificat. Divisio communis est.

De secundo, novem rationibus partem negativam arguit. Prima sumitur ex 4. Topic. cap. 11. et 7. Metaphysicæ, ex ratione partis, et totius, quantum ad majorem : et ex 5. Metaph. text. comm. 30. et 31. quantum ad minorem. 1

Et nota, quod semper in hac quæstione (ut patet) accipit Doctor Genus et Differentiam et Speciem pro substratis. Secunda ratio sumitur, comparando materiam ad materiatum. Sicut enim pars non prædicatur de toto, ex prima ratione, ita nec materia de materiato, ex secunda : et hoc propter repugnantiam actus et potentiæ. Quod autem Genus sit materia, probat ex Porphyrio cap. de Genere, ubi dicit ipsum esse principium Specierum, in quo convenit cum secunda significatione Generis, quæ est esse principium generationis. Cum autem *principium* toties sumatur quoties *causa*, 5. Metaph. *text. comm.* 1. et inductive patet quod Genus non est principium, nec formale, nec efficiens, nec finale, sequitur quod erit materiale. Idem ostendit ex Porphyrio, cap. de Differentia, probando secundam definitionem Differentiæ, quæ est *prædicari de pluribus differentibus Specie*, etc. et idem habet Philosophus 7. Metaph. text. com. 43. et 8. Metaph. text. comm. 6 et 9. et libro Divisionum Boetii.

Et antequam formet tertium principale,

assignat quasdam evasiones ad hæc duo principalia, et sunt quatuor, quarum tres ultimas sustinet infra solvendo quæstionem, et argumenta ejus. Primam vero respuit, et replicas contra eam concludere ostendit. Secunda incipit ibi : *ideo dicitur*. Tertia ibi : *Aliter dicitur*. Quarta ibi : *dicitur secundum Boetium*, etc. Et primo ad duo respondet, negando minorem. Nec sequitur ex dicto Porphyrii, cap. de Genere : quia non materiale, sed formale principium est Genus, ex 7. Metaph. text. comment. 35. Et idem potest colligi 5. Metaph. text. comment. 2. et 2. Physic. text. comment. 28. Et cum probatur, quod non est principium formale, quia non distinguit, forma vero distinguit 7. Metaph. text. comment. 49. non sequitur, quia non quodcumque formale principium distinguit, sed tantum ultimum, et completivum : quod est satis consonum dictis hujus, in materia de pluralitate formarum, et alibi. Deinde exponit dictum Porphyrii, cap. de Differentia, quod est verum secundum similitudinem, non æqualitatem, vel identitatem. Sicut enim materia de se est indeterminata, et potentialis, et perfectibilis per formas, ita Genus respectu differentiarum.

20. Et licet hæ solutiones sint apparentes et sustentabiles, quia tamen in proposito non satisfaciunt argumento, ideo replicat contra eas, quia adhuc manet difficultas argumenti, cum etiam forma non prædicetur de toto, sicut nec materia. Nam sicut ratione formæ repugnat prædicatio materiæ toti, ita ratione materiæ prædicatio formæ. Sicut enim hæc est falsa, *Homo est corpus organicum*, ita et hæc, *Homo est anima intellectiva*. Ad hanc replicam, respondet, distinguendo de forma, (ut in tertio distinct. 2. et in Quodlibeto, quæst. 2. et super quintum Metaphysicæ, et alibi habet) totius videlicet, et partis ; vel totali, et partiali. Forma totius, vel totalis, vel quæ est totum, est ipsa quidditas, forma vero partis, vel partialis, hæc quæ est pars, est quæ cum materia constituit, vel componit tertiam entitatem, vel quidditatem, vel formam totius, licet non quamcumque. Dicit igitur quod Genus est forma totius, et non partis : et talis bene potest prædicari. Sed licet distinctio sit bona, applicatio tamen est falsa, nec adhuc evadit difficultatem argumenti.

Igitur secundo replicat, ostendens quod fuga illa nulla est : quia sicut materia in abstracto non prædicatur de toto, ita nec forma, etiam totius; ut patet de humanitate respectu Socratis. Et sicut, per oppositum, forma talis prædicatur in concreto de habente ipsam, ita et materia. Licet enim hæc sit falsa, *Homo est corpus*, hæc tamen est vera, *Homo est corporeus*. Similiter Metaphysice loquendo, licet hæc sit falsa, *Homo est animalitas*, hæc tamen est vera, *Homo est animal*, non obstante quod sit materiale hominis. Impugnata igitur illa, id est, responsione, et fuga, ad secundum principale assignat aliam responsionem : et est secunda principalis ad utrumque argumentum principale, quam responsionem infra sustinet, et replicas contra ipsam solvit, distinguendo de prædicatione materiæ, vel partis [illegible], videlicet vel in concreto, vel in abstracto. Primo modo concedit ipsas posse prædicari vere : secundo modo non. 21

Contra arguit dupliciter. Primo, quia tunc denominative, et non univoce, prædicaretur Genus de specie, contra Philosophum 2. Topic. cap. 3. et definitione secunda Antepraedicamentali. Assumptum probat ex definitione tertia Antepraedicamentali. 22

Secundo, arguit ex modo significandi concreti, qui est significare per modum alterius [illegible], et [illegible] : quod nulli substantiæ convenit, ex Prædicamentis cap. de Substantia, proprietate prima. Animal igitur cum sit substantia, concretum non erit, [illegible].

Tertio principaliter aliter respondet ad eadem duo argumenta principalia, distinguendo de materia et parte, [illegible] rei, aut totalis. [illegible] lis, quæ est Physica, et rerum; alia [illegible]

nalis, quæ est Metaphysica, et realitatum, seu formalitatum, vel formalium rationum. Loquendo igitur de prima, procedunt argumenta, sed non de secunda, cujus ulteriorem discussionem tangam statim, in tertio articulo. Contra quam responsionem arguit ex 7. Metaph. text. comment. 33. et format argumentum, commutando proportionem : de quo modo arguendi statim magis dicetur, et littera satis est clara.

23. Quarto principaliter respondet ad primum principale * ex dictis Boetii, libro Divisionum, ubi dicit quod *Genus in divisione est totum, et in definitione pars.* Sed Doctor loco divisionis ponit *prædicari,* quod potest bene stare etiam secundum Boetium ibidem. Quia in hoc distinguitur divisio Generis ab aliis divisionibus, quod ipsum divisum prædicatur de dividentibus, quia est totum universale, ut dividitur, et ut prædicatur. Contra quam responsionem arguit dupliciter, ostendendo genus esse utrobique partem, vel utrobique totum, licet tamen appropriate uno modo dicatur pars, et alio modo totum, (ut infra statim) proprie vero utrobique significat partem materialem Speciei, ut prius dictum est, aliter esset æquivocum, et per consequens non Genus, nec definiens. Ostendit igitur quod distinctio illa non valet, nisi exponatur bene, ut ipse infra exponit : quia ut definit, prædicatur; et ut prædicatur, definit : licet definire et prædicari sint diversi actus rationis, ut infra tangam.

* ubi supra num. 6.

24. Remanent igitur illa duo prima argumenta insoluta, non obstantibus his responsionibus. Tertium argumentum principale procedit a concretis ad abstracta, sicut supra, quæst. 1. Post oppositum arguit sic * : *Homo est animal, ergo humanitas est animalitas.* Et primo probat consequentiam valere, dupliciter; deinde ostendit falsitatem consequentis. Prima probatio consequentiæ patet ex illa regula : *Quando in concretis est prædicatio per se,* etc. cujus rationem assignat notanter, quia in primo modo prædicatum prædicat essentiam subjecti, et veritas talis prædicationis est ratione identitatis essentialis extremorum, et per consequens ratione essentiarum significatarum, et non ratione connotatorum, neque modorum significandi, sive concernentiæ. Verius autem, et absolutius (ut ita loquar) significantur essentiæ per abstracta, quam per concreta : quia *humanitas,* seu *equinitas est tantum ipsa,* secundum Avicennam. Ergo in abstractis talis prædicatio erit vera. Secunda probatio est exemplaris, et patet littera. Ubi adverte, cum dicit Doctor, *quia ex modo significandi terminorum idem ponitur in consequente,* etc. Quod per tales modos intelligit concretum, et abstractum, quæ idem significant, licet vario modo. Quamvis enim a concretis disparatis non teneat hujusmodi consequentia ad abstracta, quia tunc tollitur causa veritatis propositionis, quæ est convenientia eorum tertio; tenet tamen a concretis in essentialiter subordinatis ad abstracta, saltem non ultimata : quia nedum ratione connotatorum, sed etiam principaliter ratione formaliter significatorum, unum de alio prædicatur. 25.

* ibid. n.5.

Deinde probat falsitatem consequentis principalis, inferendo in tertia figura hoc inconveniens, *ergo rationalitas est animalitas,* quod si non, haberetur pro inconvenienti, vel falso. Probat falsitatem ejus, assumendo pro materia illam propositionem famosam, quam supra, quæst. 1. contra primam responsionem ad primum principale, assumit, videlicet quod *omnis prædicatio vera in abstracto est per se primo modo essentialiter vera,* et pro minori dictum Philosophi 6. Topic. cap. 8. et 3. Metaph. text. comment. 10. Illam vero propositionem famosam majoris probat, primo auctoritate Philosophi 7. Metaph. text. comment. 43. volentis ostendere differentiam superiorem esse de intellectu inferioris. Dicitur secundum quod exponitur communiter textus ille, ut quæstione præcedenti tactum est, dicit quod fixio pedis est pedalitas quædam, innuens per hoc quod talis prædicatio in abstracto non esset vera, nisi per se, et essentialiter prædica-

tum inesset subjecto. Secundo probat eamdem majorem ex modo significandi abstracti, qui est nude, et pure, et præcise significare essentiam, ut infra, cap. de Denominativis, habet magis pertractari, et articulo 3. hujus quæstionis. Si ergo vere abstractum de abstracto prædicatur, sequitur unum essentialiter, et præcise, et per se, esse alterum : quia, (ut prius dictum est) non ratione connotationis, sed significate essentiæ verificatur.

26. Quartum principale, et sequentia procedunt per media communia, de quibus fecit mentionem supra, quæst. 1. quæ non faciunt scire, sed opinari, et sunt media Dialectica applicabilia ad plura, ut patet : et simile argumentum fecit supra, quæst. 8. quæst. 1. laterali, de vera, et non vera natura, et infra, quæst. 2. de Specie, et quæst. 5. de Differentia tangit idem medium, et fundatur super repugnantia, vel oppositione Generis et Speciei : ita quod sicut ista est falsa, *Species est Genus*, ita homo sub modo vel ratione Speciei, non recipit prædicationem animalis, sub modo generis accepti. Nam si modi inter se repugnant, etiam quidditates sub ipsis inter se repugnabunt, ut sicut ista est falsa, *Album est nigrum*, ita est ista, *Homo albus est homo niger*. Similiter ista, *Ens finitum est infinitum*, est falsa, sicut ista, *Finitum est infinitum*. Ponit exemplum in littera de concreto, et abstracto, ut patet.

27. Quinto principaliter arguit medio communi, sumpto a simili in affirmativis et negativis, ab inferiori ad superius, eodem ordine arguendo. Ubi debes notare, quod non obstante falsitate antecedentis, consequentia potest esse bona. Unde ista est falsa, *Homo est asinus*, ista tamen admissa, vel præsupposita per possibile, vel impossibile, sequitur, *ergo homo est animal*. Et argumentum imaginatur valere in negativis, licet tamen ibi antecedens sit verum, et consequens falsum, cujus oppositum fuit in affirmativis. Et probat consequentiam in affirmativis, per illam regulam famosam, *Quando oppositum consequentis*, etc.

Probat autem assumptum, videlicet quod sicut affirmatio ad affirmationem, ita negatio ad negationem, dupliciter : primo ex 1. Poster. text. comment. 30; secundo per argumentum a commutata proportione, secundum artem Philosophi 2. Priorum, text. comm. 21. et 1. Perihermenias, cap. 3. ratione octava, et ultima.

Pro solutione illius quæstionis, utrum propositioni affirmativæ propositio de modo enunciandi contraria, aut alia propositio affirmativa de prædicato contrario contrarietur, et primam partem tenet, quam probat octo rationibus. Sed pro intelligentia illius auctoritatis 2. Priorum, secundum quod Philosophus ibidem assignat sex regulas, quas (quia singulares sunt) recitabo. Prima est ista : 28.

Si aliequs Syllogismi extremitates convertuntur inter se, necesse est medium converti cum utraque extremitate. Secunda regula,

Si sint quatuor termini, quorum duo convertuntur inter se, sicut genitum, et corruptibile, et alii duo etiam convertentur inter se, sicut ingenitum, et incorruptibile : tunc si primus contradicit tertio, sicut genitum et ingenitum, sic etiam secundus contradicit quarto, sicut corruptibile et incorruptibile. Tertia regula.

Si sint quatuor termini, quorum duo primi ad invicem contradicunt, sicut genitum et ingenitum, et duo secundi, sicut corruptibile et incorruptibile, etiam contradicunt : tunc si primus convertitur cum tertio, secundus convertitur cum quarto. Quarta regula.

Si aliquod prædicatum prædicatur universaliter de duobus subjectis et de nullo alio, et neutrum illorum subjectorum prædicatur universaliter de alio, tunc prædicatum convertitur cum illo subjecto. Quinta regula.

Si duo prædicata prædicantur universaliter de aliquo subjecto, et utrumque illorum prædicatorum convertitur cum illo subjecto, tunc utrumque prædicatorum prædicatur de alio prædicato universaliter. Sexta regula.

Si sint duo prædicata opposita, quorum unum sit eligendum, ut A, *aliud sit fugiendum ut* B, *et ex alia parte sint duo opposita sicut* C, *et* D, *quorum* C *est fugiendum, et* D *eligendum, tunc si* A *junctum cum* C, *sit magis eligendum, quam* B *junctum cum* D, *sequitur quod* A *sit magis eligendum, quam* B.

Prædictas regulas ibidem probat Philosophus, et in probatione ultimæ adducit duas maximas morales. Ad propositum vero Doctoris hìc faciunt duæ prædictarum regularum, videlicet secunda, et tertia, ut patet.

29. Sexto principaliter arguit etiam medio communi, sumpto ex *eodem*, et *diverso*, innuens implicite quod ad veritatem propositionis affirmativæ, requiritur identitas prædicati cum subjecto, ut alibi sæpe habet, specialiter super sextum Metaphysicæ, quæst. 3. et patet ex quarto Metaphysicæ, et alibi sæpe apud Aristotelem. Si ergo animal vere prædicatur, oportet quod sit idem homini, aliter prædicatio affirmativa talis esset falsa. Sed si est idem, jam non prædicatur, quia *prædicari est præ alio dici*, ut supra quæst. 9. habet, etiam alibi. Ideo enim communiter tertius modus dicendi per se 1. Poster. non ponitur modus prædicandi, sed tantum essendi, quia prædicatum non est prius, nec aliud a subjecto. Unde licet modo detur verior propositio illa, in qua enunciatur idem de se, non tamen est proprie prædicatio. Quare cum animal (quod prædicatur de homine necessario) sit idem, vel diversum respectu hominis, ex 10. Metaphysicæ, non vere (logice loquendo, nec etiam metaphysice) prædicatur de homine.

Septimo principaliter arguit, inferendo hoc inconveniens, videlicet quod tota natura animalis esset in homine, si vere prædicaretur de homine : et sic de aliis fundamentis est intelligendum. Et probat hoc sequi, quia alias non esset simpliciter animal, sed tantum secundum quid, quo concesso, infert aliud inconveniens : quod videlicet tunc nihil naturæ animalis esset extra hominem, et tunc nec bos, nec asinus, et sic de aliis, erit animal. Probat illud illatum ex 3. Physic. text. comment. 63. et idem habetur 5. Metaph. text. comment. 21. et 33. et 10. Metaph. text. comm. 13. de toto, et perfecto, quorum ratio est esse tale, extra quod nihil est.

Octavo principaliter arguit, inferendo hoc inconveniens, videlicet hominem esse Genus si homo esset animal, et sic de aliis. Et potest probari discursus per illam regulam Antepraedicamentalem : *Quando alterum de altero prædicatur*, etc, et per consequentiam a primo ad ultimum. Cui argumento immediate respondet (et bene) ut apponat replicam; et solutio patet ex his quæ dicta sunt supra sæpe. Est enim fallacia Accidentis et figuræ dictionis, ut patet. 30.

Contra hoc arguit, ostendendo quod non variatur medium, nec extraneatur animal homini sub hoc attributo quod est *Genus* : imo sic, et non aliter, potest de ipso prædicari, quia quidquid prædicatur, prædicatur sub ratione alicujus Universalis, ut prius sæpe tactum est, et specialiter quæstionibus 8. et 12. Si ergo animal vere prædicatur de homine, necessario sub ratione alicujus Universalis prædicatur, non alterius, quam Generis, ut patet inducendo.

Nono, et ultimo principaliter arguit de Specie comparata ad individua : quia sicut argutum est quod fundamentum Generis in actu exercito non potest prædicari de fundamento Speciei, ita eodem modo potest dubitari de Specie, et Individuo in fundamentis : et per eadem omnia media probari potest, quod fundamentum Speciei non potest vere dici de fundamento Individui. Sed addit Doctor hoc argumentum speciale ultra alia ad hoc, ideo dicit, *de specie arguitur specialiter*, etc. et est etiam medium commune, (ut patet) ex oppositione corruptibilis, et incorruptibilis procedens. Species enim secundum Aristotelem 1. Poster. et alibi sæpe sunt perpetuæ, et æternæ, et ubique et semper, et sunt par- 31

les universi. Individua vero, ex 7. Metaph. text. comment. 53. sunt corruptibilia, quia non est palam abeuntibus a sensu utrum sint, vel non: et ideo de ipsis non est scientia, secundum ipsum ubique. Quare dicendo, *Socrates est homo*, est falsa prædicatio, sicut dicendo *Homo est animal*, imo magis falsa ut patet.

32. * ubi supra num. 9. Ad oppositum arguit * duabus auctoritatibus et duabus rationibus. Prima auctoritas est Porphyrii, cap. de Specie et cap. de Genere, exemplificando in fundamentis de definitione Generis. Secunda auctoritas est Philosophi, cap. de Substantia, et patent. Prima ratio sumitur ex 1. Poster. text. comment. 9. et 15. ubi habetur quod primus modus dicendi per se est, quando prædicatum est de quidditate subjecti, de quo, et aliis modis, dictum est supra, quæst. 9. 10 11. et Doctor facit tres consequentias. Prima est quod animal per se prædicetur de homine. Secunda, quod necessario. Tertia, quod vere, et patent 1. Poster. inquit. De prima clarum est, de secunda etiam patet, quia omnis prædicatio perseica est necessario, licet non e contra et maxime de primo modo. De tertia etiam patet, quia vel nulla prædicatio est necessaria, nisi vera. Secunda ratio sumitur ex reductione Enthymema'is in Syllogismum, de quo 1. et 2. Priorum habet videri, et 1. Poster. Cum ergo ista Enthymematica consequentia sit bona, *Homo currit, ergo animal currit*, per Philosophum, cap. de Substantia, in Prædicamentis. *Aliquem enim hominem dicis Grammaticum esse, igitur et animal et hominem Grammaticum dicis: similiter autem et in aliis.* Hæc Philosophus ibi, et tenet per hanc subintellectam, *Homo est animal*, hæc ergo erit vera, et necessaria. Et assignat regulariter hanc propositionem: *Omnis consequentia Enthymematica*, etc. quam etiam infra, super librum Perihermenias, quæst. 7. et in Antepræedicamentis, quæst. 9. et in 1. Sententiarum, dist. 2, quæst. 2. ponit.

33. Consequenter respondet ad quæstionem, tenendo partem affirmativam, non solum in proposito, sed ubicumque prædicatur superius de inferiori in fundamentis, et in actu exercito. Verum est autem quod, proprie logice loquendo, nihil est superius nisi genus, vel species, licet forte aliter esset dicendum metaphysice, ut alibi habet declarari.

Pro solutione duorum primorum argumentorum, præmittit quoddam notabile *, valde necessarium, ubique mixtum Metaphysica, Logica, et Grammaticæ speculativæ subtilitate (quod etiam infra, quæst. 19. et 20. et in Antepredicamentis, quæst. 7. et 1. Reportationum, distinct. 8. quæst. 4. et in 1. Anglico distinct. 3. quæst. 3. et distinct. 8. quæst. 2. et in 2. distinct. 3. quæst. 6. et alibi pertractat, et supra quæst. 12. aliquantulum tetigit) videlicet quod Genus et Differentia accipiuntur a diversis rebus, vel realitatibus in natura specifica, quarum una est materialis, vel potentialis, vel contrahibilis, seu determinabilis; et alia formalis, vel actualis, vel contrahens, seu determinans, quæ primo significant ex primaria, et formali significatione, per modum tamen totius, et non partis, ubi duo dicta colliguntur. * [illegible]

Primum, quod Genus sumitur a tali materiali, et illud primo significat, vel importat de suo intellectu determinato. Et similiter dicendum est de Differentia, suo modo. 34.

Secundum dictum est, quod tam Genus, quam Differentia, significat hujusmodi partiale per modum totius ex consequenti. Primum probat, quia aliter in definitione esset nugatio, si idem penitus importarent partes; cum omnis bona definitio illa duo requirat, 6. Topic. et 7. et 8. Metaph. et alibi sæpe, et primo Divisionum, et in libro Definitionum Boetii.

Secundum probat quia aliter prædicatio utriusque de Specie esset falsa, cum pars sumpta per modum partis non prædicetur de toto; species autem totum essentiale, vel quidditativum est, respectu utriusque, licet sit pars subjectiva Generis, ut patet. Et tangit in probatione primi illud quod

dixit quæstione præcedenti, de nugatione cognoscenda, et in probatione secundi, repugnantiam totius, et partis : quare unum non prædicatur convenienter de altero, nec aliquid sub modo unius, de alio sub modo alterius, ut prius dictum est, in simili, et statim amplius dicam.

35. *Partem prædicari de toto dupliciter.* Ex his respondet ad duo principalia argumenta, quod partem, vel materiam prædicari de toto, potest intelligi dupliciter, videlicet vel per modum partis, vel per modum totius. Primo modo concedit majorem utriusque. Secundo modo negat. Minor vero utriusque est vera secundo modo, et falsa primo modo. Et fundat se in dictis Avicennæ 6. Metaphysicæ, de *manuato et capitato*, quæ concretive dicuntur a *manu*, et *capite*. Ideo idem significant quod illa, per modum tamen totius, quia concretive ; et illa per modum partis, quia abstractive. Unde licet ista sit falsa, *Socrates est caput*, ista tamen est vera, *Socrates est capitatus*, et similiter ista est falsa, *caput currit*. Exponitur enim *manuatum* per *habens manum*, ubi aliud significatur, aliud connotatur. Significatur namque pars illa integralis, quam caput significat : et connotatur totum habens, propter modum significandi concreti. Hoc idem habet expresse 4. dist. primi, quæst. 1. ad finem. Similiter dicendum est in proposito, de parte essentiali, vel quidditativa. Unde *animal* exponitur per *habens sensum* ; *rationale* per *habens intellectum*. Ubi aliud significatur, aliud connotatur : significantur enim primo partiales realitates,sed connotantur tota propter modos significandi concretorum. Habere enim caput, vel sensum, etc. non est partis, sed totius. Primo igitur important partes, sed ex consequenti totum : cujus ulterior investigatio statim, articulo 3. est annectenda.

36. Deinde sustinendo tres ultimas evasiones superius assignatas, ad duo prima argumenta, postponendo primam, quia satis probabiliter impugnata est, respondet ad replicas factas contra illas. Et notanter dicit *secundum quod prior valet*, quia illa secunda responsio posset bene, et male applicari ad propositum, de quo infra magis. Ad primam igitur replicam respondet, distinguendo de concreto, secundum quod suum oppositum quod est abstractum, potest distingui juxta doctrinam Philosophi 1. Topicorum. Abstractum namque aliud est a supposito, id est ab inferiori, aliud a subjecto. Et posset addi tertium, videlicet a fundamento, ut 5. distinct. primi, quæst. 1. habet. Exemplum primi, ut *humanitas*. Exemplum secundi, ut *albedo*. Ubi tamen advertendum quod ubicumque reperitur abstractio a subjecto in terminis communibus, reperitur abstractio a supposito, licet non e contra. Nam sicut humanitas abstrahitur a Socrate, ita albedo ab hoc albo, quamvis adhuc maneat concretio alterius denominationis, ut postea dicetur. *Abstractum multiplex.*

Similiter concretio est duplex. Alia ad supposita ejusdem naturæ, vel quidditatis; alia ad suppositum, vel subjectum alterius naturæ ; et posset addi tertia ad fundamentum, ut patet ubi supra, in primo. 37. *Concretio multiplex.*

Exemplum primi, ut homo. Exemplum secundi, ut *album vel albus*. Ubi etiam intelligendum, quod ubi invenitur in terminis communibus concretio ad subjectum, invenitur similiter ad suppositum, licet non e contra. Quia sicut homo concernit hunc, et illum, ita album hoc, et illud. Opponuntur igitur membra utriusque divisionis, cum præcisione accepta, saltem unum alteri. Et breviter, prima reperitur in substantiis, et accidentibus per modum substantiarum acceptis ; et secunda tantum in accidentibus invenitur. Et applicando ad propositum, dicit quod concretum secundo modo acceptum, est denominatum. Et antequam respondeat ad probationem illius assumpti, ex Anteprædicamentis, per definitionem Denominativorum, solvit secundam replicam de significatione formæ in concreto : juxta prædictam distinctionem. Consequenter exponit singularissime definitionem De-

nominativorum, quantum ad illam particulam, *Differentia solo casu*: quod etiam infra cap. de Differentia, quæst. 6. tangit, et in secundo, dist. 12. quæst. 1. ubi concludit quod definitio Denominativorum, proprie logice loquendo, convenit concretis accidentalibus, et non subtantialibus : quia ibi *Casus* accipi debet pro cadentia, vel inclinatione formæ ad subjectum, et non pro inclinatione ad suppositum proprium, vel propriæ naturæ, quia sic univocum est, et non denominativum, maxime si teneantur illa esse opposita, in ratione Prædicamenti, de quo infra magis. Ubi enim intendo brevitate, inquantum res subjecta patietur, quia juxta sententiam Philosophi, 8. Physicorum, peccatum est aliquid ostendi per longiora, quod inest per minora. Quare cum in tertio articulo intendam circa ista, nonnulla dubia pertractare, hic succincte litteram discurro.

38. * ubi supra num. 13. Deinde objicit * contra solutionem illam secundi principalis, probando quod materia non potest prædicari, etiam in concreto, de materiato, quia sicut animal est materia hominis, et concretum respectu animalitatis, ita lignum est materia arcæ, et concretum respectu ligneitatis : sed hæc est falsa, *Arca est lignum*, ut patet, igitur et hæc, *Homo est animal*. Respondet notabiliter, negando similitudinem, quia *arca* est res artificialis, aggregata per accidens ex forma artis et re naturali materiali, cui accidit forma talis. Licet igitur accidens in concreto concernat subjectum, non tamen e contra. Ideo *lignum* non est concretum, nec ad subjectum, nec ad suppositum respectu arcæ sed respectu hujus signi, vel illius. *Animal* autem est concretum ad suppositum respectu *hominis*, quare de ipso vere prædicatur. Unde dicit, quod *nihil est concretum quantumcumque sit concretum respectu sui accidentis*, sed potius e contra. Negat ergo breviter similitudinem quia *hic*, id est, comparando animal ad hominem, *significatur materia*, id est, materiale hominis, *in concreto*, ut animal, *quod est concretum materiati*, id est, hominis, *ibi non*, id est comparando lignum ad arcam, licet sit materia arcæ, non tamen concretum ejus, ut dictum est: neque ad subjectum, neque ad suppositum. Non ad subjectum, quia commune est omni substantiæ in subjecto non esse; neque ad suppositum, cum ens per accidens non sit suppositum entis per se.

39. Consequenter sustinendo tertiam responsionem supra ad illa duo principalia de parte et materia [illegible] respondet ad replicam, ex 7. Metaphysicæ exponendo singularissime Philosophum quod sua similitudo tenet, quoad *distincte importare*, non quoad *proportionaliter prædicari*, vel subjici, hoc est dictu, quod sicut tota ratio distincte importat totam rem, vel quidditatem cujus est, ita pars partem, ut dictum est in præcedentibus: non tamen ita vere prædicatur pars de parte, sicut tota de tota. Unde dicit quod hæc est falsa, *Anima est rationale*, vel *rationalis*, ut rationale est Differentia hominis, quod propterea dicit, quia *rationale* (ut habet Franciscus de Mayronis super Porphyrium, cap. de differentia) potest dupliciter accipi. Uno modo ut dicit aptitudinem ratiocinandi. Alio modo, ut dicit partem formalem, per modum tamen totius. Primo modo forte hæc est vera, *Anima est rationalis*, sed non secundo modo, de quo magis infra. Dicit ergo, quod illa commutatio proportionis tenet quoad distincte importare, vel exprimere, vel dare intelligere, seu significare; non quoad uniformiter prædicari ; cujus ulterior ratio habet infra videri.

40. * Boetius. Deinde exponit valde notanter Boetium * ex cujus sententia fuit quarta responsio supra adducta ad utrumque argumentum principale, dicens quod *rationale utroque est pars, et totum*: ut est in definiendo, et prædicando. Hæc est, inquit. *Rationale importat partem, per modum tamen totius*, et sic est pars significative, et primarie, et formaliter. Sed est totum ex modo significandi et ex consequenti, et connotative. Veruntamen appropriate loquendo ut definit est pars; et ut prædicatur est totum;

in se tamen proprie loquendo *est totum utrobique, et pars*, licet diversimode, ut dictum est.

Ubi advertendum, quod aliquid convenit pluribus proprie. Sed uni eorum appropriatur, et non alteri, vel eidem comparato ad plura appropriatur aliquid respectu unius, quod non respectu alterius. Unde illud dicitur convenire alicui proprie, quod ex se, vel ab intrinseco sequitur ipsum. Appropriate vero dicitur aliquid alicui convenire, quod ab intrinseco, vel usu loquendi, seu voluntarie sibi attribuitur. Exemplum posset poni de attributis divinis, quæ proprie, et æque conveniunt omnibus personis, sed appropriate aliqua dicuntur de Filio, aliqua de aliis personis, ut patet de Potentia, et Sapientia, et Clementia, et hujusmodi. Similiter in creaturis Imperator est proprie Dominus omnium, appropriate tamen Alemanorum, vel Romanorum. Dominium etiam cuilibet Domino proprie debetur, sed apud Italos Venetis appropriatur et sic de aliis.

41. Argumenta quæ fecit contra illam quartam responsionem, non solvit aliter, quam ex dicta declaratione : quia procedunt contra illam distinctionem de Genere proprie, et non appropriate intellectam, ideo ad ea patet ex dictis. Consequenter solvit tertium principale breviter, recurrendo ad illam distinctionem de concreto, et abstracto duplici, superius datam. Dicit enim quod tenet in concretis accidentalibus, et non substantialibus, et abstractis proportionaliter sumptis : sed de hoc infra magis perquiram.

* ubi supra num. 14. Ad quartum principale, respondet * per quamdam distinctionem valde notabilem, de modis significandi videlicet, et intelligendi, quæ præsupponit diffusam cognitionem de modis significandi, quorum ignorantia multum impedit a speculatione perfecta Logicali, et Metaphysicali, et maxime in doctrina hujus Doctoris. De quibus in tractatu per se intendo ad longum pertractare. Advertendum igitur pro nunc, quod modorum alius est significandi, alius intelligendi, et alius essendi, quorum varietates, et descriptiones notavi super 3. quæst. Anteprædicamentorum, infra.

42. Modi autem significandi pertinent ad considerationem Grammatici, quia sunt accidentia orationis congruæ, et partium ejus, ut pura octo partium orationis : et sunt intentiones secundæ, causatæ actu collativo, diversimode comparantis voces significativas, et inter se, et ad significata, ex proprietatibus quibusdam ex parte rerum originaliter et occasionaliter, ut supra, de secundis intentionibus generaliter est dictum. Sunt autem subjective in vocibus significativis, ut supra, q. 8. inquit Doctor; vel in significatis, ut per voces significantur, ut hîc tangit; quorum alii sunt essentiales, alii accidentales, de quibus maxime verificatur hæc responsio Doctoris. Modi vero intelligendi pertinent ad considerationem Logici, ut supra q. 4. et 5. dixit quod Universale (et similiter intelligendum est de aliis intentionibus logicalibus) est modus intelligendi objecti intellectus, ut ibi prolixe pertractavi. Dicit igitur Doctor, quod modi tales significandi sunt inseparabiles a significato, ut per vocem, vel potius (ut recte inquit Doctor) per dictionem significatur, et ideo non potest sub oppositis illorum intelligi absque incongruitate, et falsitate, et imperfectione orationis. Et ponit exemplum de numero singulari, et plurali.

43. Unde notandum, quod numerus in rebus alius est essentialis, sive essentiarum, cujus principium est unitas transcendens; quæ est indivisa rei entitas; alius est accidentalis, sive individuorum, cujus principium est unitas, quæ est indivisa continuitas : et in utroque numero reperitur proprietas indivisibilitatis, ratione unitatis; et proprietas divisibilitatis, ratione profusæ multitudinis. Quia secundum Boetium *numerus est multitudo ex unitatibus profusa*, quod debet intelligi de numero in rebus, a quibus proprietatibus accipitur numerus, qui est modus signifi-

candi accidentalis Nominis. *Numerus* igitur est modus significandi activus Nominis, quo mediante Nomen proprietatem indivisibilitatis, quæ est unius; vel proprietatem divisibilitatis quæ est multitudinis, consignificat : et dividitur in singularem, et pluralem. *Numerus singularis* est modus significandi rem sub proprietate indivisibilitatis, quæ est proprietas unius, ut *animal*, *homo*.

Numerus pluralis est modus significandi rem sub proprietate divisibilitatis, quæ est proprietas multitudinis, ut *animalia*, *homines*. Et sicut exemplificat de *numero*, ita posset de *genere*, *persona*, *casu*, et cæteris exemplificare. Ad quodcumque igitur prædicatum comparetur *homo*, semper est singularis numeri, nominativi casus, tertiæ personæ, etc. Quare absque repugnantia intellectus non potest intelligi sub opposito illius modi. Quare si dicatur, *homo currunt*, est repugnantia intellectus, et per consequens incongruitas, et imperfectio, et falsitas forte.

44. Et addit notanter, quod licet hujusmodi modi significandi non sint illa, quæ uniuntur, quia dictiones uniuntur in oratione, vel conceptus, seu significata, sunt tamen principia formalia, vel rationes formales, sub quibus significata uniuntur, mediantibus dictionibus significativis, quia secundum exigentiam modorum significandi partium orationis, uniuntur, et construuntur ad invicem, ut habet videri in materia de constructione. Quando igitur est repugnantia illorum modorum, est falsitas, et maxime quando sunt circa idem numero, etiam quando circa diversa, ut postea patebit. Hæc igitur est falsa, *Albedo est alba*, ut tetigit argumentum, quia modus significandi, qui est concretum, et modus significandi, qui est abstractum, circa idem repugnant, licet non semper circa diversa, ut *homo est albus*.

45. Modi autem intelligendi non sunt inseparabiles a significato, quia non simpliciter, sed secundum determinatam ejus acceptionem sibi convenientem, ut supra, q. 9, 10, 11, de triplici acceptione termini communis, dictum est. Possunt igitur fundamenta secundarum intentionum, Logicalium intelligi nunc sub illis, nunc sub oppositis illorum, vel sub nullis; quia qualia sunt prædicata, talia judicantur subjecta. Unde *homo* potest intelligi sub intentione speciei, cum dicitur, *homo prædicatur de Socrate*, et sub intentione individui, ut cum dicitur, *hic homo subjicitur homini*. Vel sub nulla intentione, ut cum dicitur, *homo currit*, et addit consequenter quia tales modi intelligendi extrinsecantur fundamentis cum uniuntur per hoc verbum *est*, vel in actu exercito, ut dictum est supra, q. 8, quod ratio generis extrinsecatur animali, cum dicitur, *homo est animal*, cujus rationem ostendit dicens, quod intentiones tantum applicantur fundamentis, ut habent esse cognitum, quod est esse secundum quid : ideo non per se ex natura rei rebus insunt, sed per accidens, ut patet.

Et addit ultra, quod *tales modi intelligendi non sunt per se uniti*, neque ad unionem fundamentorum, vel *per se*, id est, ex natura rei, licet bene per accidens, nec sunt formalia principia, sub quibus significata formalia uniuntur : et ideo concludit quod repugnantia eorum, non causat falsitatem propositionis, in qua fundamentum unius prædicatur de fundamento alterius. Hæc igitur, *Homo est animal*, est vera non obstante repugnantia Generis et Speciei.

Ex qua responsione valde elicitur, quod triplex differentia modorum significandi, et modorum intelligendi. Prima est inseparabilitas horum, et separabilitas illorum. Secunda est quod isti sunt principia formalia unionis, et illi non. Tertia, quia repugnantia horum causat falsitatem orationis in fundamentis, et illorum non. Ad formam igitur argumenti respondetur breviter, negando antecedens, loquendo de Genere et Specie in fundamentis, ut hic sumuntur. Et cum innuitur probatio de oppositis rationibus, vel modis subjecti et 46.

prædicati talis, distinguendum est de modis ut supra, videlicet separabilibus, vel causantibus falsitatem, vel non. Primo modo procedit, secundo modo non : et sic est in proposito. Vel posset breviter negari assumptum, videlicet quod subjectum, et prædicatum, in proposito accipiuntur sub oppositis rationibus ,vel modis, quia accipiuntur secundum esse quidditativum,et non comparatum : quare extraneantur eis intentiones, et hoc explicat Doctor implicite in solutione illa, et sic patet solutio valde singularis, de qua magis infra.

47. Ad quintum principale negat similitudinem, quia committit fallaciam Consequentis a destructione Antecedentis, ab inferiori ad superius, eodem ordine affirmative, et negative arguendo. Immutatur enim antecedens in consequens, et inferius in superius, ut supra dixi. Nam inferius negatum efficitur superius, respectu superioris negati. Et ad primam probationem ex primo Posteriorum, dicit quod tenet in causis præcisis, sicut *habere pulmonem*, etc. Modo esse asinum non est præcise causa essendi animal, quia etiam esse hominem est hujus causa. Nam genus includitur per se in qualibet specie : quare non esse asinum, non infert non esse animal, ut patet.

Ad aliud dicit, (sicut in simili supra, solvendo replicam contra tertiam responsionem ad duo principalia, dictum est) quod illa commutata proportio tenet quoad uniformitatem oppositionis, non autem quoad uniformitatem consecutionis : et sic similitudo prima in comparando affirmationes asini, et animalis, ad suas negationes seorsum tenet. Non enim ita antecedit *non asinus*,ad *non animal*,sicut *asinus ad animal*. Et sumitur hîc antecedere, et consequi, proprie, non extensive, ut patet.

48. Ad sextum dicit, quod animal ut differens, scilicet habens illam minorem unitatem unitate speciei, ut sumitur scilicet, a realitate indifferentiæ potentiali prædicatur. Verificatur tamen ut est idem, quia per modum totius et determinatur, et contrahitur ex natura specifica, vel potius Differentia specifica. Supponit enim determinate, indeterminate tamen. Contra quam solutionem objicit quod tunc quodlibet illorum ad quod animal est indifferens prædicaretur de homine, quia quando indifferens ad plura prædicatur de aliquo,etiam quodlibet illorum prædicari poterit. Hæc igitur erit vera, *Homo est asinus*, etc.

Respondet notanter, ut infra q. 3. de Differentia, in simili habet, quod indifferentia ad plura est duplex. Una per modum disjunctionis ; alia per modum copulationis. Vel sic, una actualis ; alia potentialis. Dicit igitur quod argumentum non procedit de indifferentia disjunctionis, vel potentiali : sed bene alio modo. Non enim sequitur, *homo currit, igitur Socrates currit* : imo est fallacia Consequentis. Sequitur tamen, *omnis homo currit, ergo Socrates currit*, saltem cum constantia subjecti. Hoc etiam patet de disjunctiva, ex qua formaliter non sequitur aliqua partium determinate.

Indifferentia duplex.

Ad septimum respondet,concedendo totam naturam, vel quidditatem animalis esse in homine, ut in simili de natura specifica, habet in secundo, dist. 3. q. 6. in solutione, solvendo objectionem. Et cum ostenditur quod non ex definitione *totius*, exponendo optime illam descriptionem quoad sufficientiam, et complementum, et non quoad præcisam continentiam. Hoc est dictu, quod quidditas animalis ita tota salvatur in homine, quod etiam in aliis speciebus continetur, vel saltem sibi non repugnat contineri. Qualiter autem hoc sit possibile, et non arguat illimitationem ejus, alias patebit. 49.

Ad octavum, recurrit ad solutionem superius, in pede quæstionis datam. Et ad replicam contra hoc dicit quod illa famosa propositio, *Omne quod prædicatur*, etc. est vera de prædicatione signata,et non exercita : quia intentiones extraneantur fundamentis, ut de se prædicantur in actu exercito, ut sæpe dictum est.

Ad ultimum respondet dupliciter. Uno modo negando minorem quoad primam partem ejus. Ubi notanter dicit *per se suppositum communis*, propter individuum circumstantionatum, vel simul totum vel propter determinationes accidentales contractivas, quæ non constituunt per se suppositum, ut *homo albus*, etc. Et hoc idem habet infra c. de Substantia, q. 2. et super librum Perihermenias, q. 6 in solutione optime; et in secundo, dist. 3. q. 3. et alibi sæpe. Non est igitur individuum per se magis corruptibile, quam species, quia æque abstrahit ab *hic* et *nunc*, et hujusmodi, sicut species. Aliter respondet negando secundam partem minoris, quia sicut individuum est corruptibile, ita et species, ut habet esse materiale : salvatur tamen semper per successionem individuorum, sicut elementa corrumpuntur secundum suas partes, non tamen secundum se tota. Utraque responsio bona, sed prima altior.

50 De Tertio. Licet materia hujus quæstionis sit potius Metaphysicalis, quam Logicalis, quia tamen famosa, et universalis est, et plures difficultates continet, instabo circa singula dicta Doctoris, in ipsa sive arguendo, sive respondendo; et inchoabo a solutione principali quæstionis. Dubitatur igitur primo, *An prædicatio superioris de inferiori universaliter sit vera?* ut concludit Doctor, et videtur quod non, quia hæc est falsa, ***inferius est superius***, quia prædicatur oppositum de opposito.

Item, infra, c. de Substantia, quæstione ultima, dicit quod substantia non prædicatur per se, nec vere de partibus substantiæ: sed partes substantiæ sunt inferius ad substantiam, ut patet, igitur.

Item, hæc est falsa, ***humanitas est animalitas***, ut patet hic in littera, et tamen ibi prædicatur superius de inferiori.

Item, videtur quod male dicit, quod universaliter prædicatur superius de inferiori vere, quia tunc hæc esset vera, *Homo est omne animal*, vel *Omnis homo est omne animal*.

Ad hæc faciliter respondetur, tenendo conclusionem Doctoris. Ad primum dico, quod loquitur Doctor hic de superiori, et inferiori pro substrato, et non pro formali, ut tu accipis. Si autem acciperetur formaliter, verum est quod in actu signato unum dicitur de alio. Hæc enim est vera, *Superius prædicatur de inferiori*, quæ exercetur in fundamentis. In actu etiam exercito, accipiendo unum ut *quod*, et alterum ut *modus*, unum dicitur vere de alio, ut patet. *Prædicatio superioris de inferiori quomodo vera.*

Ad aliud dico, quod loquitur ibi Doctor de partibus quantitativis, vel essentialibus Physicis substantiæ, non autem subjectivis quæ solum sunt inferiora. Nam nihil proprie est superius, vel inferius, logice loquendo, quod non est in recta linea, vel saltem per se in prædicamento. Modo partes tales, de quibus ibi loquitur, sunt tantum reductive in prædicamento, ut ibidem dicit. Posset aliter dici, distinguendo de substantia Analogica, et Prædicamentali, ut ibidem Doctor distinguit. Primo modo prædicatur de partibus, et principiis substantiæ, secundo modo non. Vel tertio dici potest, quod licet non prædicetur de eis in abstracto, et in recto; prædicatur tamen in concreto, et in obliquo.

Ad aliud, nego quod humanitas sit inferius, et animalitas superius, proprie logice loquendo; quia tales intentiones non attribuuntur fundamentis, nisi in concreto sumptis, vel saltem non in ultima abstractione. Unde hæc est falsa, *albedo est accidens*, ut accidens est unum de quinque Universalibus. Et similiter hæc est falsa *humanitas est species*, cujus ratio ulterior infra dicetur.

Aliis autem videtur quod hæc sit vera, *Humanitas est animalitas*, de quo alibin magis. Posset etiam dici, quod licet prædicatione formali in recto illa sit falsa, vera tamen materiali, et in obliquo, sic dicendo, *humanitas est*, vel *includit animalitatem* de qua habet dici aliquid. Posterior. *Humanitas est animalitas, quomodo vera propositio.*

Ad ultimum dico, quod Doctor non accipit

pit ibi universaliter, id est, cum signo universali, sed pro communiter, vel ubique, vel in omnibus terminis, ita quod non solum de homine, et de animali, sed universaliter in aliis est vera, etc.

52. Dubitatur secundo circa dicta Doctoris, in illo notabili*, pro solutione duorum primorum principalium adducto. Primo cum dicit, quod *Genus sumitur ab aliquo materiali in specie*, videtur quod non, quia substantiæ immateriales, secundum ipsum, præter primam, sunt in genere, sed in talibus non potest sumi genus ab aliquo materiali, cum non habeant materiam ; ergo, etc.

* num. 10.

Item, accidentia non habent materiam, nisi in qua sunt, 8. Metaphysicæ : sed accidentia per se habent genera, et differentias, ergo, etc.

Item, quod se indifferenter, et potentialiter, habet ad plura, non habet aliquem intellectum determinatum : sed Genus est hujusmodi, ut patet infra sæpe, et maxime solvendo sextum principale hujus quæstionis, igitur male dicit quod *Genus importat illud materiale de suo intellectu determinato.*

Item, si significat partem, et non per modum partis, sed per modum totius, ut dicit Doctor, sequitur quod significatum et modus significandi repugnant : hoc autem est inconveniens, cum modi significandi sumantur a proprietatibus significatorum, ut dictum est.

53. Item, si primo significat partem, et ex consequenti totum, sequitur quod erit æquivocum, et per consequens non genus, igitur male dicit quod ex consequenti importat totum. Consimiliter fere in omnibus posset argui contra aliud dictum de differentia.

Item, videtur quod non vitatur nugatio in definitione, quia idem bis dicitur, cum per se utrumque ex consequenti importet : totam speciem, vel totum suppositum, igitur sicut ad vitandum nugationem, dicis ea primo diversa significare, ita oportet quod ex consequenti non importent idem.

Item, videretur quod prædicatio Generis de Differentia, vel e contra esset per se, sicut utriusque de Specie, si utrumque importaret speciem, quod tamen negat iste, et Philosophus 3. Metaphysic. text. comm. 11.

Item, hæc est per se primo modo, *Homo est ex anima*, vel hæc, *Homo est ex animalitate*, ubi sumitur pars per modum partis, igitur pars per modum partis accepta, potest prædicari de toto.

Item, si modus prædicati repugnans modo subjecti impediret veritatem prædicationis, sequeretur quod nullum accidens vere diceretur de substantia, et similiter nulla secunda intentio de prima, et sic de aliis ; male igitur dicit illam prædicationem esse falsam propter modum repugnantem.

Ad ista respondetur, sed pro solutione primi nota ea quæ infra, qu. 2. Anteprædicamentorum artic. 3. dub. 1. singularissime adduxi : sed pro nunc brevitati intendens, ad formam argumenti respondeo, negando minorem. Unde non dixit Doctor quod Genus sumitur a materia, sed *ab aliquo materiali*, id est, habente se in ordine ad illud, a quo sumitur differentia proportionabiliter materiæ respectu formæ. Et cum dicis quod substantiæ immateriales non habent materiam, concedo proprie loquendo, licet aliqui ponant in eis materiam, ut habet videri in 2. Sententiarum : sed hoc non obstante, in ipsis reperitur aliqua realitas potentialis, et aliqua actualis, ut in locis præallegatis in 2. articulo habet iste, et Philosophus 12. Metaph. text. comm. 19. et sequentibus. Et Boetius inquit, quod *Aristoteles relictis extremis egit de medio*, id est, de substantia composita, quod non solum est verum de substantiis materialibus, sed etiam immaterialibus, quæ sunt compositæ compositione rationis, seu metaphysicali, licet non reali. 54.

Genus sumitur a aliquo materiali.

Ad aliud, de accidentibus, per idem. Philosophus enim duodecimo Metaphysicæ ubi prius, ponit diversitatem principiorum secundum diversitatem principiatorum in

Species quælibet includit realitatem contrahibilem et contrahentem.

omnipræ licamen'o. Nulla enim species in universo est ita simplex, quin includat aut diversitatem rerum, aut realitatum, a quarum una sumitur ratio generis, et ab alia ratio differentiæ. Sed forte posset sustineri accidentia componi ex materia et forma, ut 7. Metaphysicæ notanter habet iste. Et si induceretur dictum Philosophi 7. Metaph. text. comm. 35. et 5. Metaph. text. comm. 2. et 2. Physic. text. comm. 35. quod scilicet, *Quælibet pars definitionis est forma*, dic ut habet iste 7. Metaph. qu. 56. quod verum est non sibi invicem, sed in ordine ad totum, quoad prædicari formaliter.

55. Ad aliud, nego majorem ; quia indeterminatio non est in genere ratione significati, sed ratione modi significandi, vel connotationis. Significat enim determinate unam quidditatem determinatam, sicut species : respectu tamen quidditatis significatæ per differentiam, illa est potentialis et determinabilis, ut patet in simili, de significatione primæ materiæ.

Ad aliud, patet in simili, infra quæst. penultima de Differentia. Est enim repugnantia modi ad modum ; et *quid* ad *quid*. Non tamen dico quod quilibet modus convenit cuilibet *quid* indifferenter. Et cum dicitur quod modi significandi accipiuntur a proprietatibus, etc. dico quod in eadem re possunt reperiri plures proprietates, ratione quarum plurificantur, et variantur modi significandi. Modo licet ipsum Genus significet quidditatem, quæ in veritate est pars quidditativa speciei, ut tamen considerat intellectus illam, ut unum in multis, et de multis, dicit ipsam esse totum universale : et sic nomine concreti importatur. Sicut igitur de eodem, respectu diversorum, dicuntur totum et pars, ita eidem dictioni convenient significare partem primo, et ex consequenti importare totum ; quia primo ut pars quidditativa est, secundario vero ex modo significandi, ut totum universale est, significatur : ut album primo significat qualitatem, ex consequenti importat subjectum, ut infra habet perihermeni : unde non dicit Doctor, quod significat totum, sed partem per modum totius. Quod autem sit illud totum, an scilicet universale, vel particulare, alterius negotii est.

Genus potest significare partem et totum quodammodo.

Concretum unum significat et aliud connotat.

Ad aliud, patet ex dictis ; quia non ponit Doctor ipsum significare duo, sed unum tantum, reliquum connotando, quod non arguit æquivocationem ; aliter omnia concreta accidentium essent æquivoca, quod est manifeste falsum. 56.

Ad aliud, potest dici (ut in quæstione præcedenti dictum est) quod quando idem includitur, vel importatur per aliqua duo, quorum unum denominat alterum, ipsum in uno denominat seipsum ut in alio, vel aliter, quod non est nugatio, nec sequitur ex identitate connotati, sed tantum principaliter significati, ut hic, *musicus albus currit*, non est nugatio, licet utrumque concretum connotet idem totum ut subjectum.

Ad aliud dico, quod negatur prædicatio generis de differentia, accipiendo utrumque pro formali significato : negatur ergo consequentia.

Ad aliud, licet forte illud assumptum sit dubium, tamen admittendo ipsum, dico quod hic loquitur Doctor de prædicatione formali, et in recto ; et non materiali, vel in obliquo, ut patet. Dico etiam quod animalitas non est Genus, nec humanitas Species proprie loquendo, hic autem est sermo de fundamentis Generis et Speciei, ut patet.

Ad ultimum dico, quod non quæcumque varietas, sed modorum essendi, vel intelligendi, vel etiam significandi, impedit veritatem propositionis ut in definitione partis principalis notanter habet Doctor : sed illorum qui sunt principia formalis constitutionis ad illam compossibilitatem : quod enim idem sit totum et pars respectu ejusdem est inconveniens. Vel aliter, quod Doctor intelligit illam repugnantiam ex parte partium inter se in concretis ; quia rationale includit animam et corpus. Unde rationale [illegible] repugnat ei dici corpus, et rationale [illegible] dici [illegible]. [illegible] prædicantur accidentia in concreto de sub-

stantia, quia connotant totum, ut dictum est.

57. Tertio dubitatur, circa duo principalia argumenta, et solutiones eorum per ordinem; videtur primo quod illud dictum ex 4. Topicor. videlicet quod *illi peccant qui dicunt Genus esse partem*, repugnat determinationi Doctoris, cum hic ponat expresse Genus esse partem proprie.

Item, pars et totum ad idem secundum idem, et de eodem dicta, inferunt contradictoria : si igitur Genus est totum respectu Speciei, non erit pars respectu ejus et e contra. Cum igitur 4. Topicor. dicit quod non est pars, sed totum, et 5. Metaphysicæ dicit quod est pars, igitur est repugnantia, imo contradictio in dictis Philosophi.

Item, hæc est vera, *Homo est ex carnibus et ossibus*, 7. Metaph. et hæc, *Homo est terrenus*, vel *corporeus*, in quibus materia prædicatur de toto : assumptum igitur argumenti secundi principalis est falsum.

Item, probatio minoris secundi principalis, in illa deductione de principio, videtur peccare, tum quia *principium* est in plus, quam *causa* 5. Metaphysic. text. comm. 1. tum quia quælibet pars definitionis est forma, ut allegatur consequenter in littera, ex 7. Metaph. erit igitur genus principium formale. Et quod adducitur in oppositum, quia scilicet non distinguitur, videtur falsum, quia nedum per differentias, sed per genera distinguuntur aliquæ species ab aliis : non solum enim rationale, sed etiam animal, distinguit hominem a lapide.

58. Item, videtur quod illa probatio de principio finali, non currit, quia actus primus est perfectior actu secundo, sicut substantia accidente, sed actus primus ordinatur finaliter ad actum secundum, ut habet iste in 2. distinct. Primi, qu. 1. *Omnis entis*, inquit, *in actu primo perfectio ultima consistit in actu secundo, quo conjungitur optimo*; igitur non sequitur, Genus est imperfectius specie, igitur non est principium finale ejus.

Item, videtur illud dictum Philosophi, 7. et 5. Metaph. de partibus definitionis, esse falsum, quia materia pertinet ad *quod quid est* rei materialis, ut 8. Metaph. text. comm. 9. videtur dicere Philosophus et 7. Metaphysicæ, et in tertio Sententiarum, distinct. 22. habet iste.

Item, non videtur verum quod sola forma ultimata distinguat, quia omnis forma ut talis distinguit.

Item, unum oppositorum non est simile alteri, materia et forma sunt opposita, igitur si Genus est forma, ut dicis, non erit simile materiæ.

Item, non videtur bene dictum quod Genus sit forma totius, vel forma resultans, ut dicit illa prima responsio, solvendo replicam primam, cum ipsum sit pars constitutiva speciei.

Item, quod dicitur in tertia responsione de partibus rei, et rationis, videtur dubium, quare istæ prædicantur potius, quam illæ.

Item, posset dubitari de significatione 59.
concreti, et abstracti, an videlicet significent idem vel non, præter exempla de *manuato, et capitato, et animali, et rationali*, etc.

Item, videtur illa distinctio de concreto, et abstracto diminuta ; quia in primo, distinct. 5. qu. 1. ponit triplex concretum, et triplex abstractum.

Item, videtur repugnantia in dictis Doctoris hîc, et in secundo, distinct. 12. qu. 1. ubi dicit, quod definitio denominativorum convenit non solum concretis accidentalibus, sed etiam substantialibus, quæst. etiam 3. 4. et 5. Quodlibeti, et 8. distinct. Primi, qu. 2 et infra in Anteprædicamentis, qu. 3. ad finem, et 7. dist. 3. qu. 1. dicit quod denominatio non solum fit in prædicatione accidentali, sed etiam univoca, et prædicatis proportionaliter sumptis.

Item, communis expositio omnium accipit casum in definitione denominativorum pro terminatione vocis.

Item si omne concretum concernit vel suppositum, vel subjectum, igitur nulla substantia prima erit concretum.

Item, membra illius divisionis coincidunt, quia idem concretum concernit et subjectum et supposita, ut album.

Item, quare potius conceditur ista, *Arca est lignea*, ut habet Philosophus 7. Metaph. text. comm. 25. quam ista, *Arca est lignum* cum non propter informationem prima sit vera, sed propter materialem habitudinem ut in 3. distinct. 7. quæst. 1. habet isto, et distinct. 22.

Item, si artificialia nihil reale dicunt ultra sua materialia, ut quibusdam videtur, quare non reciperent vere prædicationem suorum materialium.

Item, hæc conceditur, *Album est homo*, et non ista, *Album est humanitas*, et non propter aliud, nisi quia *homo* est concretum, et *humanitas* abstractum: falsa igitur est illa propositio, scilicet, *nihil est concretum respectu sui accidentis*.

Item, unumquodque propter quod, et illud magis: cum igitur homo sit rationalis propter animam anima erit magis. Igitur male negat istam, *Anima est rationalis*. Et in 2. dist. 1. q. 6. rationalitatem, vel intellectualitatem dicit convenire animæ, et Angelo. Plura alia omitto circa hæc argumenta, et solutiones eorum, brevitatis causa.

Ad ista expedite respondetur. Ad primum dico, quod Philosophus loquitur ibi de parte integrali, vel essentiali, et non de parte quidditativa, per modum totius accepta, ut hic loquitur Doctor, et sic non est repugnantia.

Ad aliud dico, quod totum et pars, diversimode accepta, non inferunt contradictionem: nunc autem Genus est totum universale, et pars quidditativa, non autem subjectiva, respectu Speciei. Vel sic, pars per modum partis, et totum per modum totius repugnant, non autem pars per modum totius sumpta repugnat toti: est enim pars significative, et totum connotative. Concretum denique ad supposita fit totum universale, sicut concretum ad subjecta totum in modo.

Ad aliud, patet ex dictis: loquitur enim Doctor, et Philosophus, de prædicatione formali, et quidditativa, non materiali, vel denominativa.

Ad aliud, posset negari quod sumitur, scilicet principium excedere causam: quia Philosophus 5. Metaph. text. comm. 1. videtur dicere quod toties sumitur *principium* quoties *causa*. Vel concesso antecedente, dicendum quod loquitur famose, ut pro *causa* accipitur.

Ad aliud dico, quod partes definitionis quidditativæ, et Metaphysicales, possunt comparari, vel inter se, vel ad definitum. Primo modo, una est ut materia, alia ut forma; secundo modo, quælibet est ut forma, id est, formale prædicatum, et formale constitutivum intrinsecum definiti.

Quod additur ibi de distinctione, dico quod sicut esse rei habetur complete, et et ultimate, a forma, ita et veritas, et distinctio, suo tamen modo, concedendo genus, vel materiam dare et esse, et unitatem, et distinctionem. Loquitur igitur Doctor antonomastice. Vel aliter potest dici, quod licet genus distinguat suas species a speciebus alterius generis in suo gradu, non tamen inter se, sed differentia utroque modo distinguit. 41.

Ad aliud de actu primo, et secundo, etc. dico quod *finis* alius est *quo*, alius *gratia cujus*. Item, alius qui attingitur per operationem, alius qui est causa finalis. Finis enim qui est causa finalis, vel gratia cujus, est ultimum, et optimum, 2. Phys. text. comm. 23. et 5. Metaph. [illegible] et Commentator. 5. Metaph. comm. [illegible] [illegible] habet. Finis autem quo, vel qui attingitur aliquomodo per operationem, non [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] secundo respectu [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tur optimo, quia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Ad aliud [illegible]

Actus secundus [illegible]

Quomodo actus secundus perfectior primo.

nomastice, vel simpliciter, et a quocumque. Forte enim homo non distinguitur in formis communibus, ab aliis speciebus animalis.

62. Ad aliud, patet quod Doctor non sequitur illam responsionem, ut patet ex replica sequente. Sed dato quod procedat, posset dici, quod se habet per modum totius, ut dictum est. Est etiam genus, saltem subalternum, totum et pars respectu diversorum, ut prius, sicut est species unius, et genus alterius.

Ad aliud dico, quod ideo prædicantur partes rationis, quia per modum totius sumuntur et abstractive, et universaliter : partes autem rei per modum rei et determinate, et singulariter, et in actuali existentia : quia præscindunt, et abstrahunt quatuor causæ Metaphysice a se ipsis Physice consideratis, ut in Theorematibus, et 1. et 5. Metaph. et 8. dist. Primi Reportationum habet iste.

Ad aliud, patet infra, quæst. 8. Antepræ-dicamentorum, et ibi copiose pertractavi mentem Doctoris.

Ad aliud dico, quod distinctio bimembris de abstracto et concreto, sufficit ad propositum Doctoris hîc. Vel dici potest quod sub uno membro, videlicet a subjecto, vel ad subjectum, implicite intelligitur abstractio, vel concretio in ordine ad fundamentum, cum communiter pro uno ponitur alterum.

63. Ad aliud dico, quod hîc proprie logice loquitur de denominativis, et definitione, atque prædicatione eorum. Alibi vero ubi quottatur, extensive loquitur, ut patet ibi expresse.

Ad aliud dico, quod in hoc iste Subtilis merito nomen sortitus est, quia alios cunctos antecedit. Igitur nil mirum si grossi grosse, et subtilis subtiliter exponat. Non solum enim ex cadentia vocis terminaliter, sed ex significato ipsius, et modo significandi, casus ibi debet interpretari, ut magis infra, loco suo patet. Cadit enim forma accidentalis ad substantiam, quia per se stare non potest, et sic significatur concretive. Et licet concretum substantiale cadat, non tamen eodem modo. Vide 12. dist. quarti, quæst. 3. solvendo secundum principale ad propositum declarandum.

Ad aliud dico, quod in concretis singularibus substantiarum non est cadentia, nisi solius vocis. Nisi dicatur quod nedum concernit superius suum inferius, sed etiam e contra, et similiter subjectum suum accidens, sicut e contra.

Ad aliud, potest dici, quod membra debent intelligi cum præcisione, saltem in terminis communibus. Vel aliter, quod non sequitur, conveniunt eidem, ergo non opposita : quia respectu diversorum eidem conveniunt, ut patet.

Ad aliud, patet responsio, quia hîc, *Arca* 64
est lignum, accipitur pars per modum partis: hîc vero, *Arca est lignea*, accipitur per modum totius, ut de *capitato* dictum est.

Ad aliud, nego quod assumitur : sed dico quod forma artis est aliquid reale positivum, ut 2. Phys. et infra in sex Principiis, habet pertractari.

Ad aliud, patet infra, q. 8. Antepræ-dicamentorum, declarando illud dictum Philosophi, 1. Posteriorum, *Album est lignum*; non enim propter concretionem hominis ad album, est hæc vera, *Album est homo*, sed propter ipsius concretionem ad aliud, cui accidit album, ut ad hunc hominem. Humanitas autem neutro modo concernit, ideo propositio illa, *Humanitas est alba*, vel e contra, est simpliciter falsa. Est ergo vera prædicatio per accidens, vel materialis, reducibilis ad denominativam per conversionem simplicem.

Ad aliud, patet infra, capite de quantitate, quæst. 2. solvendo secundum principale. et super librum Perihermenias, quæst. 1. Tenet enim regula Philosophi tantum in causis efficientibus. Quod ibi tangitur de intellectualitate, problema est, ut patet ibidem, et negativa potius est tenenda.

Quarto dubitatur, circa tertium principale, et ejus solutionem. Primo qualiter illa propositio famosa, videlicet, *A concretis*

ad abstracta tenet argumentum, habet veritatem, et illa alia : *Omnis prædicatio vera in abstracto est per se primo modo* ; et qualiter probationes utriusque currunt, et quare potius a concretis accidentalibus ad abstracta tenet consequentia, quam a substantialibus. Videtur enim dicere 3. Metaphysicæ oppositum, videlicet quod tenet consequentia in concretis, et abstractis specialibus, vel ad supposita, et non ad subjecta. Unde ista tenet, *Hic homo est homo, igitur hæc humanitas est humanitas*. Non tamen ista, *Homo est albus, igitur humanitas est albedo*. Hæc ibi.

Ad ista respondeo (licet potius ad Metaphysicum pertineant radicaliter, quam ad Logicum) primo aliqua præmittendo. Advertendum ergo primo quod abstractio alia est ultimata, alia non. Voco *ultimatam abstractionem*, qua quidditas concipitur absque habitudine ad quodcumque, quod est extra propriam rationem ejus, ut inquit Avicenna 5. Metaph. *Equinitas est tantum ipsa*.

tractio imata, non ul- ata quæ

Non ultimatam vero abstractionem appello, qua ab aliquo præscinditur, non tamen ab omni, de quo potest intelligi dictum hujus infra, quæstione penultima de Genere.

66. stractio er in stantiis er in identi - fit.

Pro quo clarius intelligendo, nota quod aliter in substantiis, aliter in accidentibus absolutis, et aliter in accidentibus respectivis, fit ultimata abstractio, ut 5. distinct. Primi, quæst. 1. habet iste, et supra,quæstione 1. aliqualiter dictum est. In substantiis, inquam, fit unica, id est, unius rationis, quia a suppositis. In accidentibus absolutis fiunt duo, videlicet a suppositis (extensive loquendo, quia nomine suppositorum inferiora intelliguntur) et a subjectis. In utraque vero possunt poni gradus. In accidentibus respectivis fiunt tres, videlicet a suppositis, fundamentis, et subjectis. Et in abstractionibus accidentium talis est ordo, quod facta abstractione a posteriori, et magis extrinseco, remanet concretio ad prius, vel intimius, vel magis intrinsecum : ut facta abstractione albedinis ab alio, remanet ejus concretio ad hanc, et illam. Vide in quarto, ubi supra [illegible] ad finem, et ubi ille notavit.

Ulterius notandum, quod sicut posita causa totali naturali, et propria effectus, ponitur et effectus, ita remota removetur. Causa autem veritatis propositionis est habitudo, vel identitas extremorum, quam non habent, si sunt distincta conceptibiliter, nisi infra ultimatam abstractionem accipiantur, et hoc intelligo in creaturis,quia propter infinitatem unius, vel utriusque extremorum, conceditur prædicatio ultimate abstracti de alio in divinis. Unde ibi ponitur duplex prædicatio vera, [illegible] substantialis maxime, videlicet formalis, et per identitatem. In creaturis autem nulla ponitur vera per identitatem, quæ non sit formaliter vera, ut 8. dist. Primi, q. 3. ad finem habet iste.

Prædica- [illegible]

Sed posset difficultari, an etiam in ultimate abstractis in divinis detur vera prædicatio, non obstante infinitate, de quo non curo modo. Quando igitur accipiuntur quidditates in abstracto, tunc præscinditur ratio formalis unius ab alia, quare similiter falsa est prædicatio, [illegible] sime sit illa. Ex his ad propositum dico, quod illa propositio, *a concretis ad abstracta est prædicatio per se*, etc. vera est dummodo non arguatur ad ultimate abstracta, et in substantiis et in accidentibus, sed quia in substantiis fit unica abstractio, hoc est, a supposito, ideo dicit Doctor, et bene, quod tenet regula in concretis,et abstractis accidentibus ; quia adhuc facta abstractione a subjecto remanet concretio ad suppositum. In substantiis autem immediate fit ultimata abstractio. Sed contra, facta abstractione humanitatis ab homine, vel hominis a Socrate, remanet concretio ad hanc humanitatem, quia hæc est vera, *Hæc humanitas est humanitas*. 67.

Patet [illegible] quod alia est abstractio a supposito, alia a singulari. Nunquam enim potest fieri illa ultimata abstractio quidditatis saltem per [illegible], quin sit [illegible] 68.

que constituitur singulare illius quidditatis. Abstractio igitur a supposito fit ab habente quidditatem, et non ab hac solum. Dicitur ergo in substantiis esse unica abstractio, quia ab habente, id est, a supposito. In accidente autem plures, quia a subjecto remotiori, et propinquiori, et a supposito, extensive loquendo, et maxime alterius denominationis, ut *Coloreitas* abstrahitur ab albedine, licet non ab hac *coloreitate* forte ; similiter *albedo* ab hoc albo, licet non ab hac albedine. Tenet ergo hæc consequentia, *Album est per se primo modo coloratum, igitur albedo est color :* et hoc gratia materiæ potius, quam consequentia formali : hæc autem non tenet, *Homo per se primo modo est animal, igitur humanitas est animalitas.* Quia licet animalitas concernat hanc animalitatem, ut suum singulare, non tamen humanitatem, quia non est singulare ejus, nec suppositum proprie : sed homo animalis suppositum dici potest.

Sed contra, humanitas est habens animalitatem, quia constituitur ex animalitate et rationalitate ; igitur dici potest, quod licet humanitas resultet ex constitutione, non tamen constituitur, sed est forma totius : nec est habens proprie, sed habetur quia est tantum ipsa.

69. Contra, in 3. dist. 2. q. 1. exponendo illud dictum Avicennæ, *Equinitas est tantum ipsa*, dicit Doctor quod quidditati sic abstractæ conveniunt ista, videlicet esse *quod quid est* per se objectum intellectus, per se esse considerabile a Metaphysico, per definitionem exprimi, et propositiones veras de primo modo, esse per rationem ipsius verificabiles. Dico quod refert propositiones primi modi esse verificabiles ratione quidditatis, et esse verificabiles de ipsa : non sufficit enim identitas extremorum ad verificationem propositionum ; sed requiritur non repugnantia modorum. Nam licet animal et rationale sint idem, eo quod eidem tertio, et ideo unum de alio prædicatur : facta tamen abstractione eorum ab illo, amplius non manet ratio identitatis : nec per consequens veritatis propositionis. Dico ergo non obstante quod prædictæ conditiones conveniant ipsi quidditati præcisissime acceptæ, non tamen ut sic habet habitudinem ad superius, vel inferius alterius denominationis, in ratione prædicati, vel subjecti : et hoc dixit Doctor ibi expresse exponendo Avicennam, quod videlicet non est una, nec plures, nec universale, nec particulare, ad intellectum quem ibi assignat Doctor, et hæc intelligo, esse vera in prædicatione formali, et in recto : quia secundum aliquos hæc est vera in primo modo, *Humanitas est ex animalitate*, etc. et est sententia Linconiensis 1. Poster. cap. de *Per se.* sed si quæratur an de ultimate abstracto possit aliquid vere prædicari, vel ipsum de aliquo.

Pro solutione hujus, et secundi principaliter quæsiti in hoc dubio, an scilicet omnis vera prædicatio in abstracto, etc. dico quod aliqua possunt prædicari dupliciter. Uno modo formaliter, alio modo per identitatem. Prima prædicatio potest esse tam in substantivis, quam in adjectivis : sed secunda tantum in substantivis, eo quod nomina adjectiva significant per modum inhærentis, et informantis : quare de quocumque vere dicuntur, formaliter dicuntur, in creaturis : tamen non ponitur communiter hæc distinctio, ut supra notavi. Ideo Aristoteles non tradidit logicalem notitiam de prædicatione identica. Loquendo ergo de prædicatione identica, dico quod sic, ut patet in divinis. Hæc enim est vera, *Essentia divina est bonitas*, vel *paternitas*, etc. Loquendo autem de prædicatione formali, ponit Doctor (5. distinct. Primi, quæst. 1.) hanc maximam : *Quando subjectum est ultimate abstractum, et prædicatum non potest ex ratione sua prædicari, nisi formaliter, propositio non potest esse vera, nisi sit in primo modo.* A qua regula solent fieri plures exceptiones, videlicet quod non tenet in negativis prædicatis, nec in respectibus rationis, nec quando subjectum nihil addit supra prædicatum, vel e contra, nec in privativis, nec in respectibus funda- 70.

Abstra[ctum] de abstr[ac]to ultim[ate] quomo[do] vera pr[æ]dicatio.

mentalibus, nec in modis intrinsecis, nec in non distinctis formaliter a subjecto, nec in habentibus se per modum habitus, nec in operationibus immanentibus terminative, nec in abstractis a subjecto, vel supposito, et non a singulari : pro quorum ulteriori declaratione, videatur Franciscus de Mayronis in primo Conflatu, dist. 5. quæst. 1.

71. Sed judicio meo satis limitaretur regula Doctoris in his paucis, videlicet quod tenet ubique de ultimatis abstractis simpliciter, et prædicatis tantum formaliter dicibilibus et formaliter distinctis, atque de suppositis primo verificabilibus. Ipsum tamen de se ipso prædicari in primo modo non nego, et de suo singulari. Hæc ergo potest concedi vera, *Humanitas est ens*, sed an entitas? Utraque pars probabiliter sustineri posset. Ex his patet qualiter illa propositio, *Omnis vera prædicatio in abstracto est per se* etc habet veritatem, et qualiter non. Si intelligatur in ultimate abstractis, patet ex dictis. Si in medio modo abstractis, aliquando est vera, aliquando falsa. Et ad probationes ejus patet, et specialiter ad illud de 7. Metaph. dictum est quæstione præcedente. Non enim intendit ibi Philosophus differentiam superiorem esse de intellectu inferioris, nec per se prædicari de ipsa, sed per se dividi per ipsam, ut ibi tactum est, et super 7. Metaph. habet iste.et in 4. dist. 11. quæst. 3. articulo 2. parte secunda,solvendo omnes opiniones, et cum dicitur in probatione primæ propositionis, quod si est veritas in concretis, hoc est ratione essentiæ significatæ, patet ex dictis. Uno modo quod nedum ratione essentiæ significatæ, sed modi significandi propositio habet veritatem. Quare enim hæc conceditur, *Homo est albus*, et hæc, *Homo est albedo*, negatur, nisi ex diversitate modorum ?

72. Alio modo potest dici, quod veritas est ratione essentiæ significatæ, ubi adhuc remanet ulterior concretio,et ubi non, non. Et cum dicis Doctorem aliter sensisse super 7. Metaph. patet ex dictis. Ibi enim comparat concretum accidentale, et subjectum ad abstracta, utrumque [illegible] inferendo : ut, *Homo est albus, ergo homo* [illegible] *est albedo*, et patet quod ibi non sequitur secundum regulam, quia in antecedente non est prædicatio per se. Quod ibi habet de homine,et humanitate,et hæc,et illa, patet quod comparat abstractum ad singulare, et non ad suppositum, ut dictum est. Vult ergo Doctor ibi, quod quando in concretis est prædicatio per se et ultime unum in abstracto est prædicabile de altero, tenet argumentum, et hoc sive in substantiis sive in accidentibus, ut dictum est ; et sic nulla est repugnantia, si bene intelligatur Doctor.

Ex his patet Nominalium error, qui æque concedunt prædicationem concreti de concreto, et abstracti de abstracto. Dicunt enim hanc esse veram, *Humanitas est animalitas* sicut hanc, *Homo est animal*, non considerantes quod in prima prædicatur pars, per modum partis accepta, de toto, vel de forma totius ; in secunda vero pars per modum totius, ut supra sæpe. 73 Nominalium [illegible]

Et si ulterius quæratur curiose, quare potius remanet concretio in accidentibus ad supposita, facta prima abstractione ab eisdem, nedum a subjectis, ut puta facta abstractione albedinis ab albo, et coloris a colorato ; quarum quælibet concernit sua supposita, vel singularia, remanet adhuc concretio coloris ad albedinem, quam in substantiis, ut videlicet facta abstractione humanitatis ab homine, vel Socrate, vel hoc homine ; et animalitatis ab animali, vel hoc animali vel homine, non remanet concretio animalitatis ad humanitatem, sicut ad hanc animalitatem ?

Potest ad hoc dici probabiliter, quod licet [illegible] quod hoc est substantia, et illud accidens ; tamen resolvendo dico, quod cum substantia sit ens absolutum, non dependens nec inhærens formaliter, significatur [illegible] 74
[illegible]

do : quare uno modo significatur in concreto, alio modo in abstracto, et facta prima, et unica abstractione, non remanet in substantiis aliqua alia, maxime ad supposita alterius denominationis. Accidentia vero, per oppositum, sunt entia dependentia, et inhærentia ; quare possunt significari diversimode, et ut inhærent, et ut concernunt sua inferiora, et præcisissime accepta, et secundumquod inferiora significantur, sive secundum esse inhæsivum, sive secundum esse essentiale, superiora uniformiter significantur : quare facta abstractione prima in accidentibus a concretione ad subjecta, et singularia, remanet secunda ad supposita,vel singularia tantum, et adhuc restat ulterior, in qua præcise significantur essentiæ eorum. Exemplum, ut *album*, *albedo*, *albedineitas*, vel quidditas albedinis, et simili de colore. Universaliter ergo sicut essentiæ rerum se habent quoad modum essendi, ita se habent quoad modum intelligendi, et significandi ut habet videri alibi. Plura alia subtilia possent hic pertractari, quæ relinquantur Metaphysico. Hæc pauca hìc adduxi, quia novi hanc difficultatem esse universalem Logico, et Metaphysico : et si aliqua prædictorum excedant ingenia juvenum, sunt nihilominus hìc, et ubique, necessaria in doctrina hujus Doctoris.

75. Quinto principaliter dubitatur, circa
* num. 6. quartum principale *, et solutionem ejus. Primo videtur, quod inconvenienter appellat illud medium, *medium commune*, quia Genus et Species non sunt communia omnibus, nec tale medium ad omnia potest applicari, ut patet.

Item, videtur quod hæc sit vera *Albedo est alba*, quia propositio affirmativa est vera, in qua prædicatum est idem subjecto, talis est ista.

Item, videtur quod modi significandi sint separabiles a significato : nam *homo*, et *homines*, idem significant. Idem ergo significatum nunc est singularis, nunc pluralis numeri, ut patet.

Item, quare dicit, quod conveniunt modi ignificandi dictioni potius, quam voci, vel termino, vel parti orationis ?

Item, si intentiones logicales, de quibus per se considerat Logicus, sunt modi intelligendi, ut dicit Doctor,ergo Logica erit modus sciendi, et non scientia. Patet consequentia, quia sicut subjectum ad subjectum, ita habitus ad habitum, et e contra. Consequens est contra determinationem Doctoris supra, quæst. 1.

Item, videtur quod modi significandi relinquunt ipsum significatum, vel dictionem significativam respectu alicujus prædicati,quia hìc *homo* est dissyllabum,*homo* non est masculini generis, sicut hìc, *homo est albus*. Similiter hìc *homo est species*, videtur esse communis generis, hìc vero, *homo est albus* , masculini Generis.

Item, modi significandi possunt uniri 76.
affirmative, et negative, vera et falsa enunciatione, sicut modi intelligendi, saltem per accidens : et videtur etiam quod per se, ut hic, *Nominativus est casus*, *casus est numerus*, vel *modus significandi*, vel *casus non est persona*, etc.

Item, quare dicit, quod sunt formalia principia, sub quibus significata uniuntur potius, quam materialia, vel effectiva ? imo, secundum aliquos, sunt effectiva.

Item, videtur quod repugnantia modorum significandi non causat falsitatem, sed tantum incongruitatem orationis, ut hìc, *homo album curril*, vel, *homines currit*, et sic de aliis.Videntur enim ista habere se per ordinem communitatis majoris,et minoris, congruum, perfectum; verum, vel falsum; ut patet in definitione famosa propositionis.

Item videtur supponere falsum, tum quia concretum, et abstractum, vocat modos significandi : et tamen secunda distinctione Primi, parte secunda, quæst. 1. in solutione, vocat illa modos logicales : tum etiam,quia *hominem* vocat abstractum, quod tamen videtur falsum ex dictis, quia in substantiis est unica abstractio. Alia plura ibi possunt adduci, sed nolo tantam prolixitatem incurrere.

77. Ad ista respondetur: ad primum patet supra, articulo 2. vocat enim Doctor illud medium *commune*, eo quod procedit per locum ab oppositis, qui est locus dialecticus communis, applicabilis in omni materia, nec requiritur quod genus et species sint communia omnibus, sed sufficit quod super his fundari possit oppositio, ut super aliis.

Ad aliud, patet prius quod non tantum identitas extremorum, sed non repugnantia modorum requiritur. Est namque impossibile quod eadem forma accidentalis informet seipsam accidentaliter, et hoc intelligitur hic, cum dicitur, *Albedo est alba* : est enim *quo*, et non *quod*, ut patet. Sed posset adhuc dubitari ex dictis hujus, 3. quæst. Quodlibeti, et 1. distinct. 2. quæst. 5. et 7. Metaph. quæst. 1. et 12. distinct. 4. quæst. 1. quia videtur concedere istas : *Inhærentia inhæret*, *Accidens accidit*, et *similitudo est similis*, et sic de talibus. Dic consequenter, ut ibi notavi : et ita hîc, et de Differentia adhuc aliqualiter tangam, et alibi, ubi opportune occurrent : et pondera ea quæ habet iste super quintum librum Metaphysicæ, quæst. 1. conclusione 5. et circiter, ad hæc, hîc, et alibi.

78. Ad aliud, patet ex littera Doctoris. Non dicit enim absolute quod non possit significatum intelligi sub opposito talis modi; sed quod ut significatur tali dictione, non potest intelligi sub opposito talis modi. Ubi denotatur quod modi significandi activi sunt in voce, vel dictione significativa immediate, ut supra, quæst. 9, 10, 11. dixit. Sed mediate possunt convenire significato, quia a proprietate ipsius ex parte rei accipiuntur. Modi vero significandi passivi, clarum est, quod in ipsis significatis reperiuntur. Licet ergo eadem res significetur per *hominem*, et *homines*, istæ tamen dictiones variæ sunt, et ideo vario modo consignificant. Ut igitur sub hac dictione *homo* accipitur, vel apprehenditur significatum, semper est singularis numeri : et sic intelligit Doctor.

Ad aliud dico quod ista se habent per ordinem, videlicet vox, *signum*, vel *dictio*, *pars orationis*, et *terminus*, ut alibi dicetur. Vox enim est materiale primum. Deinde additur significatio cum imponitur ad significandum. Tertio consignificat, cum ponitur in determinata parte orationis. Quarto fit extremum enunciationis, et tunc vocatur proprie *terminus*, ut patet 1. Priorum. Notanter ergo dicit Doctor, quod modi significandi conveniunt dictioni, ad differentiam vocis absolute acceptæ, non tamen ex hoc vult, quod non conveniant parti, et termino, et voci etiam, ut est dictio. Primo tamen conveniunt dictioni, et constituunt ipsam in esse partis, ut alias dicetur.

Plura se habent per ordinem [illegible]

Ad aliud patet supra, quæst. 1. 4. et 5. licet enim intentiones sint modi intelligendi in actu recto, sunt nihilominus per se intelligibilia, ut *quod* actu reflexo, et sic de ipsis potest esse scientia, et demonstratio suo modo.

Ad aliud, ([illegible] ponentes significatum dictionis duplex, scilicet formale, et materiale) patet responsio, videlicet quod *homo*, videlicet aliud, et aliud significat in illis duabus propositionibus. Sed si ponatur tantum unica significatio, scilicet formalis, etiam patet responsio, quia Doctor loquitur de dictione, et modis significandi ipsius, significative accepta. Ideo dicit quod *sunt inseparabiles a significato, ut significatur per tales dictiones, nec relinquunt ipsum*, etc. Sed [illegible] quæst. dicit, quod hæc, *Homo est dissyllabum*, non est propria dictio, sed [illegible] materialis, aliam non habet rationem [illegible] dictionis, ut patet supra. Prima responsio satis evadit difficultatem. Quod ultimo dicit de *homine* ex parte, patet quod masculinum genus nunquam ipsam dimittit, nec etiam femininum, licet aliquando secundum vulgarem [illegible] accipiatur nunc in uno, nunc in alio, vel in utroque genere, habet [illegible] se quodammodo disjunctive, et permissive ad utrumque, vel si copulative, et actualiter, dic consequenter. 79.

Ad aliud dico, quod modi tales possunt accipi modaliter, vel materialiter, vel sub aliis verbis, *ut quid*, vel *ut modus*. Loquitur autem Doctor de eis modaliter, vel *ut modus* et *ut quo*, et non *ut quo* acceptis, ut patet.

80. *Constructionis partium quatuor causæ* Ad aliud dicitur, et probabiliter, quod causæ constructionis partium orationis, sunt quatuor, videlicet materialis, et est ipsa pars orationis; formalis, et est debita unio constructabilium ad invicem; efficiens, et est duplex, intrinseca, et est modus significandi; extrinseca, et est intellectus; finalis etiam causa duplex est, intrinseca videlicet, et est oratio congrua, et perfecta; extrinseca, et est expressio mentis conceptuum. Sunt igitur modi significandi, inquit Doctor, principia formalia, id est, rationes formales, propter quas sic, et sic uniuntur partes orationis; ita quod unio est forma propinqua, et modi remota: quare dicuntur efficiens intrinsecum, eo modo, quo Philosophus 2. Physicorum dicit, quod forma, et efficiens, coincidunt: de quo in tractatu suo dicetur.

81. Ad aliud, quod tangit bonam difficultatem, licet posset probabiliter dici, quod omnis oratio incongrua esset falsa, licet non e contra, eo quod veritas est adæquatio rei ad intellectum, et in eo quod res est, vel non est, etc. Cum igitur modi significandi accipiantur a proprietate reperta ex parte rei, si oppositi modi proprietatibus rerum attribuantur vocibus significativis, in hoc videtur oratio esse falsa, licet, inquam, hoc sit probabile, quia tamen alia pars posset sustentari, breviter ad propositum pro nunc respondetur, quod non dicit Doctor tales modos causare falsitatem orationis semper, sed quando sunt circa idem, ut patet in littera, quod non contingit in illis instantiis, ut patet consideranti.

Ad aliud potest dici uno modo, quod loquitur exemplificative de concreto, et abstracto. Vel aliter, quod in primo loquitur extensive de modis logicalibus. Vel tertio, et forte verius, quod isti modi pertinent ad Grammaticum, et Logicum, diversimode tamen; quod patet, quia uterque de eis pertractat, quod non inconvenit, sicut in pluribus aliis contingere potest. Considerat enim Grammaticus concretum, ut habet se per modum adjacentis alteri; Logicus vero in ratione prædicabilis, vel subjicibilis, ut patet. *Concretum aliter consideratur a Grammatico, aliter a Logico.*

82. Ad aliud dico, quod *homo* potest dici abstractum media abstractione, quia sibi correspondet concretum, ut *humanus*, vel *humanatus*, etc. et cum dicis quod in substantiis est unica abstractio, concedo, a supposito, ut dictum est: sed præter illam potest poni abstractio in eis a concretis, dictis per modum materialis habitudinis, vel possidentis, vel possessoris; licet non in ratione informantis, cum nulli accidant. Tales ergo denominationes communiter dicuntur extrinsecæ: quare non est proprie concretio ad subjectum, ut infra, cap. de Denominativis, videbitur. *Abstractio in substantiis unde.*

Sed adhuc posset objici contra dicta: nam hæc conceditur etiam apud istum, *Inhærentia inhæret*, ut 12. distinct. 4. quæst. 3. et 1. distinct. 2. quæst. 5. et alibi, ut 3. quæst. Quodlibeti, et hæc similiter, *Similitudo est similis*, et sic de aliis.

Similitudo est similis, *quomodo vera propositio.* Potest dici, quod in talibus concretum transcendens dicitur de abstractis limitatis, vel quod secus est in respectivis, secus in absolutis. Vel quod falsæ sunt de virtute sermonis, et formaliter: quære alibi altius.

Reliqua argumenta cum solutionibus suis, satis clara sunt; ideo omitto instare contra ipsa. Sed quod tangitur in 5. principali, et solutione ejus, de commutata proportione, quære diffuse in primo hujus, dist. 36. ad finem, et in 4. dist. 43. quæst. 3. et infra in Antepædicamentis, quæst. 10. aliqualiter, et super 2. Priorum, et 1. Perihermenias, ubi supra. Regulariter enim non tenet talis argumentatio, comparando extrema ad inferius, et superius uniformiter, arguendo affirmative, et negative: sed bene difformiter; ideo debet dici, sicut primum ad tertium, ita quartum ad secundum, et non e contra: quære Eu-

clidem, in 5. propositione 15. et 16. et alibi.

83. Quod tangitur in sexto principali, et septimo, et solutionibus eorum, de prædicatione communis, et verificatione prædicati, et continentia totali prædicati in subjecto, possent habere difficultates metaphysicales, de unitate illa minori, quam ponit iste ex natura rei, et unitate numerali; esset enim difficile Nominalibus et aliis, de via communi solvere illa argumenta : pro quorum declaratione quære 1. et 7. Metaph. et in 2. dist. 3. par. 1. diffuse. Quod ultimo tangitur de corruptibilitate individuorum, et specierum, vel incorruptibilitate, habet videri super libros Posteriorum, et alibi, et maxime in primo, de sinceris veritatibus, dist. 3. quæst. 4. Circa illam propositionem, in secunda ratione, post oppositum. *Omnis consequentia Enthymematica*, etc. posset dubitari, sed infra, in Anteprædicamentis, et super libros Perihermenias forte tangam aliqua, circa eam. Et hæc pro nunc sufficiant de hac quæstione clarissima.

Animal cum sit Genus, de homine, equo et bove prædicatur, quæ differunt a se invicem Specie, non numero solum. Cap. eod.

QUÆSTIO XVII

Utrum differentibus Specie *convenienter ponatur in definitione Generis*

Vide citatos quæst. 15.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; quia ponitur ad distinguendum Genus a Specie, quod non contingit, quia sequitur, *differentibus Specie* : ergo, *differentibus numero*, per Aristotelem 5. Metaph. cap. de uno contex. 12. sed *differentibus numero* ponitur in definitione Speciei : Antecedens autem non distinguitur a consequente.

Item, ista particula ponitur ad distinguendum Genus a proprio, quod non contingit ; ergo frustra ponitur ; ergo, etc. Minor patet, quia aliqua genera intermedia habent propria, ut *numerus*, *figura*, *triangulus*, etc. aut ergo ista propria prædicantur de differentibus specie, et sic sequitur propositum : quia hæc particula tunc conveniret Proprio, aut non ; et tunc non erunt propria, quia proprium convertitur cum eo, cujus est proprium.

Item, si convenienter ponitur, tunc *prædicari de pluribus differentibus Specie* per se inest definito : et si hoc, ergo differentia Specie, per se subjicitur Generi, sed hoc est falsum ; ergo et primum Antecedens. Prima consequentia patet ex ratione primi modi per se. Probatio secundæ per simile in aliis relativis, *duplum* enim per se refertur ad *dimidium* ; ergo *dimidium* per se refertur ad *duplum*.

Idem ostenditur ratione ; quia nihil dicitur per se relativum, nisi ad suum per se correlativum. Si enim ad correlativum per accidens, cum illa contingant esse multa, idem per se diceretur ad multa, quod est inconveniens. Tum propter auctoritatem 5. Metaph. cont. 20. in Prædicam. c. de Relat. ubi Aristoteles illud habet pro inconvenienti in Capitulo de Relatione. Tum etiam ex ratione relativi ; quia ejus esse, est habere se ad aliud : ergo habitudo est de essentia relativi : ad diversa autem est alia, et alia habitudo, ergo quod per se est ad duo, non est unum essentialiter. Tum etiam ex proprietate relativorum ; quia sunt simul natura, ex libro Prædicamentorum, cap. de *Ad aliquid*. Si enim A per se diceretur ad B et B, ergo C non existente non erit A, et B posito esse quantum est ex se, erit A ; ergo simul erit, et non erit. Probatio falsitatis principalis consequentiæ ; quia quæ per se

subjiciuntur Generi, sunt tantum intentiones : *subjici* enim cum sit intentionale, sicut et *prædicari*, tantum competit intentionibus per se, sed illæ intentiones tantum differunt per materiam, cui applicantur : igitur tantum numero, et non Specie ; quia Differentia specifica est differentia formalis : universaliter autem differentia accidentium per subjectum, est tantum materialis.

Ad oppositum est Porphyrius.

2. *Sententia Doctoris.* Ad quæstionem dicendum, quod convenienter ponitur ut differentia, quia per illam particulam, Universale descendit in ipsum definitum, tanquam Genus per differentiam. Est enim ratio Universalis *prædicari de pluribus*, quæ per se dividitur in *pluribus Specie*, et *numero*, et illud ponitur, quia definitum est relativum per se.

Ad argumenta. Ad primum argumentum dicitur, quod Genus inquantum Genus, non prædicatur de pluribus numero differentibus, nisi per accidens, sicut idem secundum extraneam rationem, potest esse Genus, et Species.

Objectio. Contra, inquantum aliquid prædicatur de pluribus Specie differentibus, prædicatur de numero differentibus : ergo non extranee. Antecedens patet, quia ad *differre Specie*, sequitur *differre numero*, et consequens prædicatur de antecedente cum reduplicatione.

Ideo dici potest, quod definitio Speciei, debet intelligi cum præcisione, scilicet *differentibus tantum numero*, et sic non sequitur ad *differre Specie, differre numero*.

Vel potest dici, quod Species prædicatur immediate de differentibus numero, Genus vero non : quia mediante Specie.

Ad secundum dico, quod Proprium nullius est, inquantum est Genus, sed inquantum est Species : et ita convertitur cum eo, inquantum prædicatur de pluribus numero differentibus. Ratio assumpti est, quia Proprium solum, est alicujus, inquantum est aptum natum esse subjectum demonstrationis ; et hoc solum est, inquantum est Species ; quia solum inquantum est Species definitur, cum de subjecto oporteat præsupponere, *quid est*, et *quia est*. per Aristotelem primo Posteriorum, inquantum autem definitur, habet Genus et differentiam, et ita est Species.

Ad tertium dicitur, quod sic intelligitur illud, *de differentibus Specie*, id est de Speciebus differentibus, quæ tamen non differunt Specie, ut ostendit ratio.

Aliter negatur consequentia secunda ; 3.
quia ad aliud per se comparatur in Antecedente, et in Consequente.

Concessa tamen consequentia prima, potest concedi ultimum consequens, cum hoc, quod illa quæ per se subjiciuntur Generi tantum differant numero, quia differentia Specie non differunt Specie, sed numero tantum ; accipiendo *differentia Specie* in subjecto, pro suppositis hujus, quod est *differens Specie* ; quæ sunt differentia Specie ; quia commune, in plurali prædicatur de suppositis multis simul ; et tunc *differentia Specie* accipitur, ut dicit *quid*, respectu suppositorum ; sed illa non sunt differentia Specie prout *differentia Specie* dicit *modum* : sicut Genus est, ut Genus dicit *quid*, non ut dicit *modum*, sed est Species ; sicut differentia, non est differentia, sed Species ; sicut multa genera, id est multa supposita Generis, non sunt multa genera, id est, multa, quibus applicatur Genus, et modus : nec est oppositio modi ad quid, nec e contra.

EXPOSITIO

De Primo. Quid *differentibus* (quia reli- 4.
qua clara sunt) patebit infra, cap. de Dif-

ferentia, et aliqualiter supra, quæst. 2. vel 3. hujus capitis, tactum est. Est enim *differens* concretive dictum a *differentia*, et hoc vel primo-intentionaliter, vel secundo-intentionaliter dicta, ut infra, quæst. 5. de Differentia. Differentia autem species multitudinis est, ut supra dictum est, et habetur 5. et 10. Metaphys. Differentia autem est inter *differens*, et *diversum*, ut 5. Metaphys. text. comment. 1. habet Philosophus. Et 10. Metaph. text. comment. 11. et sequentibus habet iste, et Philosophus. *Diversa* enim sunt, quæ non sunt aliquid idem entia, nec numero, nec specie, nec genere, nec proportione. *Differentia* vero sunt, quæcumque in aliquo conveniunt, et in aliquo differunt : et talis toties sumitur, quoties *idem*, vel *unum*. Et Porphyrius dividit ipsum in commune, proprium, et magis proprium, ut infra, quæst. 1. de Differentia, patebit. Proprie enim loquendo illa dicuntur *Differentia*, quæ specie, vel genere, distinguuntur. Hic autem specialiter est sermo de differente specie.

Differens et Diversum *distinguuntur*.

5. Ordo conveniens est, quia prius determinavit de definitione, et definito absolute, et declaratione exemplari in fundamentis, nunc autem de particulis positis in definitione : et licet partes priores sint toto ordine naturæ, ordine tamen cognitionis potest esse e contra, quoad nos, ut patet primo Physicorum, et alibi sæpe apud Philosophum, et istum. Sed utroque modo poterat fieri investigatio, ut patet in processu Philosophi plerumque, qui venando aliquam definitionem, prius partes, deinde totum assignat. Ad majorem igitur expressionem, et declarationem, præter duas primas quæstiones de definitione, et definito, hic investigat de partibus definitionis. Et quia aliquis absolute concederet has partes non esse convenienter positas, ut definitivas, nisi prius ostenderetur ipsam esse veram definitionem ; ideo congrue primo ostendit definitionem ipsam esse veram definitionem, et cujus definiti, et consequenter particulas cunctas prosequitur : ordo tamen hujus quæstionis ad sequentem, posset convenienter esse retrogradus, quia illa videtur esse circa primam particulam, et hæc circa secundam ; sed de hoc magis ibi. Ordo enim quæstionum parum refert qualiter assignabitur, dummodo veritas, et intellectus ipsarum apprehendi possit ; magis enim circa textualia, et originalia curatur ordo, licet ubique sit ponderandus. Divisio communis est.

De Solutione. Tribus rationibus arguit negativam, et sunt singulares rationes, et solutiones singulariter. Prima ratio sic formari debet : Illa particula inconvenienter ponitur in definitione, quæ non distinguit definitum ab eo, a quo, ut per ipsam distinguatur, assignatur ; sed hæc est hujusmodi ; ergo, etc. Patet discursus cum majori. Minor vero probatur, quia non distinguit Genus a Specie, sed ad hoc assignata est a Porphyrio, ut patet in divisione, quam ponit in littera, ad declarandum definitionem Generis ; ergo. Major hujus parasyllogismi probatur, quia illa particula, quæ sequitur bona consequentia ad particulam positam in definitione alterius, non distinguit illud cujus est, ab alio : sed sequitur, *Differunt specie*, ergo numero, ut 5. Metaph. ubi supra habet Philosophus ; ergo etc. Ubi notanter dicit Doctor quod *Antecedens non distinguit a Consequente*, ut *differens specie* in proposito est antecedens, et *differens numero* consequens. Et intelligitur hic Antecedens proprie, pro eo quod est inferius, vel quasi tale. Antecedens enim semper in bona consequentia debet esse magis tale, vel saltem non minus Consequente. 6.

Secundo, quasi uniformiter mutando tantum terminos, arguit comparando Genus ad Proprium, et formalis argumentatio ut prius. Particula enim hæc pertinens, secundum ad differentiam Generis et Speciei, sed etiam Generis, et Proprii, ut patet in littera Porphyrii, ubi supra, et littera satis est manifesta, non enim oportet species specialissimarum assignandas proprias, et definitiones, sicut nec demonstrationes, ut patet in exemplis litteræ ; propter hoc autem 7.

prædicatur cum eo cujus est convertibiliter : ergo de differentibus specie plerumque : imo de differentibus genere, ponendo univocationem entis, ut patet.

Tertio, arguit deducendo quasi a primo ad ultimum : et simile habet infra, cap. de Accidente, q. 2. et sunt duæ consequentiæ per ordinem : et debet consequens prioris sumi pro antecedente posterioris. Prima consequentia est, hæc particula convenienter ponitur, ergo per se convenit definito. Secunda, *et si hoc*, id est, hæc particula per se convenit definito, *ergo differentia specie per se subjiciuntur generi*. Hoc consequens est falsum, et sequitur ex primo antecedente, ergo primum antecedens est falsum, quod est titulus quæsiti : nam falsum non sequitur, nisi ex falso.

8. Probat consequenter utramque consequentiam. Probatio primæ est ex 1. Poster. cap. de *Per se*. Probatio secundæ consequentiæ est ex natura correlativorum, maxime ubi est mutua relatio. Et declarat exemplariter in proportionibus majoris, et minoris inæqualitatis, de quibus infra. Ulterius, ratione probat idem ex ratione per se correlativorum. Unde advertendum quod relativorum alia sunt per se, alia per accidens, ut 5. Metaph. tex. comm. 20. habet Philosophus. Exemplum primi, ut *pater, filius*. Exemplum secundi, ut homo dicitur similis, vel duplus, eo quod talia sibi accidunt. Relativorum etiam per se, alia sunt secundum speciem, id est, secundum propriam rationem; alia secundum genus, id est, secundum rationem sui communis. Exemplum primi, ut *duplum* ad *dimidium* dicitur. Exemplum secundi, ut *duplum* ad *submultiplex* dicitur, eo quod *multiplex* quod est genus suum, per se primo dicitur ad *submultiplex*. Vel Metaphysica ad scibile, eo quod scientia, quæ est suum genus, refertur ad scibile. Dicit ergo quod nihil dicitur per se relativum, nisi ad suum per se correlativum. Et debet suppleri sic ratio : sed *prædicari* per se refertur ad *subjici*, ergo et e contra, cum in per se correlativis mutuis sit mutua consequentia, vel referibilitas. Et ulterius, quando aliquid sequitur ad aliud, eodem utrique addito non diminuente, sequitur ad idem, ergo sequitur, *Genus prædicatur de differentibus specie per se, ergo differentia specie per se subjiciuntur Generi*, sicut sequitur similiter, *Genus prædicatur de Specie, ergo Species subjicitur Generi*.

Relativa per se et per accidens.

Et incidentaliter ostendit quod aliquid non refertur per se, nisi ad suum per se correlativum, ut appareat qualiter per se, et non per accidens, *subjici* refertur ad *prædicari* : et e contra, quia aliter, inquit, idem posset referri ad plura per se, cum eidem possint correspondere plura correlativa per accidens, secundum quod eidem subjecto possunt plura accidere, quæ per se referuntur. Hoc autem est inconveniens, inquit, propter tria. Primo, quia est contra Philosophum 5. Metaphys. text. comm. 20. *Intellectus*, inquit, *non est ad intelligentem, et intelligibile*. 9.

Secundo, quia tunc unius essent plures essentiæ, quod ostendit notanter ex ratione relationis, vel relativorum, quam approbat Philosophus, cap. de *Ad aliquid*, in Prædicamentis, dicens, quod *Relativi esse*, scilicet essentiale, et quidditativum, *est ad aliud se habere*. Si ergo esset per se ad plura, cum habitudo varietur, et distinguatur, et specificetur a termino, non esset una habitudo, nec per consequens una relatio, nec essentia relativi talis.

Tertio, idem ostendit ex proprietate illa famosa relativorum, cap. de *Ad aliquid*, quæ est, *esse simul natura*, et infert ex hoc, quod si idem refertur per se ad plura, quod tunc simul posset esse, et non esse, quod implicat contradictionem manifestam : et declarat in litteris, gratia brevitatis. Verbi gratia, ponatur quod A referatur per se ad B, et C diversa, et distincta correlativa ipsius A per se, tunc B existente erit A, et e contra : et similiter C existente, erit A, et e contra : sed non est necesse ex correlatione B, et C ad ipsum B, ipsa inter se esse correlativa, ergo unum eorum po-

test esse sine altero : quo posito simul erit A ad positionem unius illorum, et non erit ad definitionem alterius. Simile argumentum facit infra, cap. de Specie, quæst. 1. et cap. de Relatione, quæst. ultima, et 5. Metaph. cap. de Relatione, et qualiter procedit argumentum, patet ibi, et statim magis.

10. Deinde subjungit falsitatem illius secundæ consequentiæ principalis, videlicet quod differentia specie per se subjiciuntur generi, quia (ut supra, quæst. 14. dixit) intentio generis prædicatur tantum de hac, et illa, quæ differunt solum numero quia penes fundamenta, quibus applicantur. Differentia vero materialis, ut talis, est numeralis ; differentia vero specifica, formalis.

Argumentum igitur in forma breviter consistit in hoc : Omnis pars definitionis convenienter posita, convenit per se definito : sed hæc non est hujusmodi, ergo, etc. Major patet 1. Poster. Minor vero probatur, quia dato opposito, sequeretur quod differentia specie per se subjicerentur generi. Consequens est falsum, quia prædicatur tantum de hoc genere, et illo, quæ differunt solum numero. Consequentia probatur ex natura correlativorum per se, et mutuo referibilium, cujusmodi sunt *subjici*, et *prædicari*. Et probatur exemplo, et ratione, ut patet in littera, et prosequere ut prius notavi.

11. Ad oppositum adducit Porphyrium, et similiter Philosophus, in Topicis, et 5. Metaph. definit. Ad quæstionem breviter respondet, et ponendo conclusionem affirmativam : et assignat duas causas, quare hæc particula ponitur. Prima, ut differentia divisiva superioris, ut tactum est q. 15. et 12. Secunda, quia in illa particula exprimitur Species, quæ est correlativum Generis, quod hic definitur : quare necessario habet poni in ejus definitione completa.

Ad primum principale primo respondet opinione aliorum, videlicet quod non per se, sed per accidens convenit generi prædicari de differentibus numero, quia non inquantum genus, sed inquantum speciei. Accidit autem generi quod sit speciei, sive loquamur in fundamentis, sive in secundis intentionibus, ut videtur. Sed contra hoc arguit, ostendens quod per se, inquantum Genus, convenit illi, quia sequitur consequentia necessaria, ad *differre specie*, *differre numero*, ergo de quo prædicatur antecedens, et consequens, maxime ubi est consequentia necessaria, et formalis. Imo cum reduplicatione prædicatur tale consequens de tali antecedente : ut sequitur, *Socrates est homo, ergo est animal, igitur Socrates inquantum homo est animal*. Ita hic, prædicatur de differentibus specie, ergo de differentibus numero, ergo inquantum prædicatur de differentibus specie, prædicatur de differentibus numero : quare nec extranee, nec accidentaliter.

Respondet ergo Doctor dupliciter ad argumentum, primo quod definitio Speciei quantum ad illam particulam *differentibus numero*, debet intelligi cum præcisione, ita quod de tantum numero differentibus prædicatur, et sic non sequitur ad *differentibus specie*. Imo oppositum ejus sequitur, ut si aliquid prædicatur de differentibus specie, ergo non prædicatur de tantum numero differentibus. 12.

Vel aliter, quod prædicari de differentibus numero convenit dupliciter. Uno modo immediate, alio modo mediate. Primo modo convenit Speciei. Secundo modo Generi : et sic neutro modo, quo convenit Speciei prædicari de differentibus numero, sequitur ad *differentibus specie*, ut patet.

Ad secundum respondet, negando Proprium prædicari de differentibus specie, sed tantum numero, quod secundo dicens, quod *Proprium nullius est* [illegible] [illegible], [illegible] quod [illegible], quia Proprium non convenit alteri. Alia ratio [illegible] esse subjectum demonstrationis, cum in demonstratione [illegible] passio, vel proprium demonstretur de subjecto, et [illegible] proprium [illegible] ad demonstrabile ; [illegible] demonstrationes præsupponit de suo subjecto [illegible] quid est et quia est 13.

est, 1. Poster. habere autem *quid est* soli Speciei convenit 7. Metaph. text. comm. 13. et 6. Topic. et lib. Divisionum Boetii; ergo a primo ad ultimum, soli Speciei convenit habere proprium. Species autem prædicatur de solo numero differentibus, igitur et Proprium, cum convertantur. Ut arguatur sic resolute, De quo non prædicatur unum convertibilium, nec alterum : Species et Proprium sunt convertibilia, et Species non prædicatur de differentibus Specie, ergo nec Proprium. Discursus bonus cum majori, et secunda parte minoris. Prima autem probatur. Cuicumque convenit Proprium per se primo, potest esse subjectum demonstrationis, sed sola Species potest esse subjectum demonstrationis, ergo. Patet consequentia cum majore : nam omne habens Proprium proprie logice loquendo, potest habere medium, per quod demonstrari possit de ipso, cum propositio illa sit mediata, inquantum prædicatur proprium de suo subjecto, ex 1. Posterior. Ideo convenit in secundo modo subjecto, et habet causam suæ inhærentiæ in subjecto. Minor vero probatur, quia de subjecto demonstrationis præsupponitur *quid est*, sed soli Speciei convenit habere *quid est*, ergo. Major est Philosophi 1. posterior. et minor est ejusdem 7. Metaph. ubi prius.

14. Ad tertium principale respondet tripliciter. Primo, exponendo illam particulam *differentibus specie*, numero id est, de Speciebus differentibus, utpote genus applicatum animali, prædicatur de hac specie applicata homini, et illa specie applicata significato, et sic de aliis : quæ species differentes non differunt specie, sicut homo et asinus, sed tantum numero, quia sunt individua speciei : et tantum differunt per materias, quibus applicantur, ut dictum est. Et sic concedit quod illa, de quibus prædicatur genus, differunt solum numero, ut ostendit ratio, quantum ad probationem falsitatis secundæ consequentiæ principalis, illius tertii principalis.

Secundo respondet, negando secundam consequentiam principalem, propter variationem illius determinationis per se in antecedente, et consequente : quia in antecedente determinatur hoc quod est *prædicari* et in consequente hoc quod est *subjici*.

Tertio respondet, et melius, et subtilius, et complete, dicens quod data consequentia prima, potest concedi secunda, et consequens ultimum, et hoc cum tali modificatione, quod videlicet illa, quæ subjiciuntur Generi tantum differunt numero. Quod declarat singularissime, quia *differentia specie*, inquit, *non differunt specie, sed numero tantum, accipiendo* differentia specie *in subjecto*, scilicet prædictæ propositionis, *pro suppositis hujus*, quod est differre, vel differens specie.

Pro cujus declaratione sciendum, quod sicut Genus, vel Species sunt intentiones, quarum supposita, vel singularia sunt *hoc genus*, *hæc species*, ita differentia est intentio, non solum accipiendo ipsam, ut est unum de quinque Universalibus, quia talis applicatur ei quod est principium differentiæ in fundamentis, quæ est Species multitudinis, 5. Metaph. sed etiam accipiendo Differentiam, ut est intentio applicabilis ipsi differentiæ primo-intentionali. Verbi gratia, homo et asinus differunt in re, ex natura rei, differentia reali, a qua concretive dicitur *differens* vel *differre*. Principium autem *quo* formale illius differentiæ est rationale, vel irrationale. Intellectus igitur attribuit intentionem illam secundam, quam appellat *differentiam* ipsi rationali, et sic est unum de quinque Universalibus, de qua infra diffuse, loco suo. Et non solum hoc, sed ille differentiæ primo-intentionali attribuit aliam intentionem, a qua concretive dicitur *differre*, vel *differens*. Et quia talis differentia primo-intentionalis alia est numeralis, et alia specifica; alia generica, alia proportionis, secundum exigentiam principiorum formalium differendi in re, ex natura rei, ideo illa intentio sic partitur, videlicet in differentiam numeralem, specificam, etc. et similiter *differens* concretive dictum ab ea, et hæc est intentio hujus expresse infra,

quæst. 5. de Differentia. Genus igitur secundo-intentionaliter acceptum, non solum prædicatur de specie prædicatione signata, sed etiam de differentibus specie, hoc est, de hoc differente specie, et illo, quæ sunt supposita hujus communis *differens specie*, ubi supponit *differens* secundo-intentionale pro differente primo intentionali. Et ibi non est status quousque perveniatur ad fundamentum speciei.

15. Pluralis igitur numerus hujus quod est *differens specie*, est *differentia specie*, sicut *homines* hujus quod est *homo*, et *animalia* hujus quod est *animal*. Sicut ergo hæc est vera, *hic homo, et hic homo sunt homines*; et similiter hæc, *hoc animal, et hoc animal, sunt animalia*; ita hæc, *hoc differens specie, et hoc, sunt differentia specie*. Et sic hæc est vera, *differentia specie sunt differentia specie*. Cujus rationem addit dicens, quod *commune in plurali prædicatur de suppositis multis simul*, supple sicut in singulari de supposito uno simul, sed de pluribus seorsum, vel divisim, sive successive. Deinde adjungit quod tunc *differentia specie*, accipitur ut dicit *quid* respectu suppositorum. Ubi advertendum, quod (sicut supra, quæst. 8. et alibi tactum est) quælibet istarum intentionum potest accipi vel ut *quid*, vel ut *modus*, et sicut species, vel genus, ita differens specie, vel differens numero, vel genere. Sicut ergo Socrates et Plato differunt numero ut *modus*, quia ille est modus intelligendi applicatus illi differentiæ in re illorum singularium ejusdem speciei, ita hoc, differens specie, et hoc, differunt numero, vel sunt differentia numero ut *modus*, quia non solum aliis, sed sibiipsis intentiones secundæ sunt modi intelligendi: et sicut homo, et asinus sunt species ut *modus*, et similiter differunt specie ut sic, ita Genus et species sunt species ut *modus*, et differunt specie ut *modus*, non ut *quid*, quia sunt intentiones disparatæ.

16. Dicit ergo ulterius quod *differentia specie* sumitur ut *quid* respectu suppositorum, et semper extensive accipiuntur supposita. Modus ergo differentiæ differentium specie secundo-intentionaliter, non est *differens specie*, vel *differre specie*, sed tantum quod declarat exemplificando de Genere et Differentia. Nam Genus est genus ut *quid*, non ut *modus*; sed est species ut *modus*, ut supra dictum est, quia cuicumque applicatur Genus ut modus, habet sub se plures, de quibus prædicatur etiam prædicatione [illegible]. Modo Genus habet tantum hoc et illud genus sub se, ut dictum est supra. Similiter Differentia, ut est unum de quinque Universalibus, non est differentia ut *modus*, quia cuicumque applicatur differentia ut *modus*, est divisivum Generis, et constitutivum Speciei, quod non convenit Differentiæ, ut infra dicetur; est tamen differentia Speciei ut *modus*, quia sub tali modo intelligitur in ordine ad aliud genus, quod est Universale. Similiter multa genera, id est, multa supposita generis, ut hoc, et hoc genus, non sunt multa genera ut *modus*, sed ut *quid*. Similiter multa differentia specie non sunt differentia specie, ut *modus*; quia cuicumque applicatur differens specie ut *modus*, in ordine ad aliud est species distincta ab illo, conveniens in eodem genere communi cum eo. Modo differens specie, et differens specie sunt tantum individua hujus communis, habentis modum speciei, quod est *differens specie*. Et licet fundentur in differentibus specie, saltem remote ut *modus*, sunt tamen inter se differentia solum numero, ut *modus*.

Et quia aliquis objiceret contra ista, dicendo oppositum prædicari de opposito, cum vel species de Genere, vel de differentia, vel differens numero de differente specie dicatur; dicit Doctor in fine quod *est vel oppositio modi ad quid*, [illegible] Ut etiam supra habitum est, et infra exprimetur, cap. de Differentia, quæst. penultima in fine; quia quod, quid, et modus, [illegible] non autem quid, modo, non e contra opponuntur. [illegible] 17

ad probationem falsitatis ultimi consequentis concedo, quod illa quæ per se subjiciuntur Generi, differunt numero, ut *modus* : sunt tamen differentia specie, ut *quid*. Sed qui vellet ibi recurrere ad fundamenta, posset dicere quod sermo iste habet verificari in primis intentionibus, vel in fundamentis, et intentiones supponunt pro fundamentis : Doctor tamen Subtilis vult omnia verificare in intentionibus per se, et primo, ideo sequere ipsum, et non errabis.

18. De Tertio. Dubitatur primo circa titulum quæsiti, et solutionem quæstionis simul, quia videtur repugnare dictis supra. Dixit enim quæst. 15. ad finem, quod *differentibus specie* ponitur in definitione Generis, ut expositio, et non ut particula distincta ab aliis : hic vero sustinet quod bene ponitur tanquam particula distincta, ut patet in declaratione Doctoris, quia ponitur ut differentia divisiva, et constitutiva. Et confirmatur, quia hæc quæstio, et quæstio sequens, tangunt illas duas particulas, videlicet *prædicari de pluribus, et differentibus specie*, quod non contingeret, nisi ponerentur ut distinctæ partes : aut ergo determinatio Doctoris supra nulla est, aut suppositum, et solutio hujus quæstionis nulla. Item, videtur quod male dicat, quod ideo ponitur illa particula *differentibus specie*, in hac definitione quia definitum est relativum, cum tamen ex determinatis *differens specie* sit alia intentio, quam species. Species autem, et non *differens specie*, est correlativum Generis.

19. Ad primum, tactum est supra, quæst. 15. ad finem satis abunde. Dico ergo breviter pro nunc, quod sive ponatur expositive, sive ut distincta particula, potest convenienter quæri de convenientia ejus. Notavi autem supra, quod diversimode dividitur prædicabile per *in quid, et quale*, et per *differentibus specie, et numero*, et in comparatione ad diversa.

Ad aliud dico, quod in hoc toto *differentibus specie* includuntur duo. Unum ut determinans, scilicet species ; aliud ut determinabile scilicet differens : et ista stat sententia Doctoris ubique vera. Sunt namque tam minimæ entitatis isti respectus, et per consequens cognoscibilitatis remotæ, ut vix nomina reperiantur eis, et maxime eorum differentiis, nisi connotativa, et circumlocutiva, ut alibi notavi. Et ideo habitudines et casus eorum ad extrinseca, et ad magis talia sunt nobis magis nota, ut 15. dist. 4. qu. 3. et ubi ibi notavi, habet iste. Per illam ergo particulam *differentibus specie*, et generis differentia, et ipsius correlativum implicite, expliciteque circumlocutive, et aperte exprimuntur. Nec obstat quod in obliquo ponitur species, imo sic expedit, nec fuit ibi aggregatum per accidens. Nec obstat per oppositum *differentibus numero*, quia ibi idem potest dici vel quod implicite in uno, explicite in alio nominatur, ut in aliis contingit.

Secundo circa primum principale, et solutiones, potest dubitari. Videtur enim quod illa consequentia non valet, scilicet *differunt specie, ergo numero* : quia sive ponatur *differens* univoce dici de istis, sive de uno simpliciter, et de alio secundum quid, non videtur valere hujusmodi consequentia, imo oppositum sequitur, scilicet quod non valet simpliciter. Item sive accipiantur antecedens, et consequens secundo-intentionaliter, sive primo-intentionaliter, videtur quod antecedens distinguat a consequente. Patet in secundis intentionibus. Patet etiam in fundamentis, quia sunt diversæ propositiones, et conceptus, et aliquando nullam connexionem in re habent ut hic, *Homo est asinus, ergo Deus est*, et sic de aliis. Male igitur dicit quod antecedens non distinguit a consequente. Item videtur quod illa prima responsio, quam impugnat, sit bona cum *differens specie* et *numero* sint disparatæ intentiones. Cum igitur genus definiatur per unum, non ergo convenit sibi alterum : vel si sic, saltem non per se, inquantum genus. Item, sicut Species extraneatur Generi, et universaliter inferius superiori, ita videtur quod illud, per quod constituitur species, vel 20.

definitur, tanquam per differentiam, extraneetur generi ; hujusmodi est hoc quod est *differentibus numero*, ut patet.

21. Item contra illam propositionem, videlicet quod consequens dicitur de antecedente cum reduplicatione, arguitur : hæc consequentia est vera, *Homo currit, ergo Deus est*, quia necessarium sequitur ad quodlibet. Sed tale consequens non prædicatur de tali antecedente, ut patet, nec cum reduplicatione, nec sine reduplicatione. Item, contra alias duas responsiones posset objici. Primo, quia non videntur convenire Generi, et Speciei, secundo-intentionaliter acceptis, quia sic Genus prædicatur præcise de differentibus numero, et immediate sicut Species. Item, Species prædicatur de subalterna, et specialissima, quæ differunt specie : quod probatur, quia plus differt specialissima a subalterna, quam una specialissima ab altera : sed una ab alia differt numero, ergo a subalterna *specie*, cum differentia major numerali ad minus sit specifica.

Ad ista respondetur, sustinendo cuncta dicta Doctoris. Ad primum dico, quod aliter est sentiendum de speciebus oppositis, vel disparatis alicujus generis, et contrariis formis ; et aliter de modis unitatis, vel multitudinis, seu pluralitatis, quæ se habent transcendenter, et per additionem et præsuppositionem. Dico ergo, quod posset poni utrumque, scilicet vel quod univoce, vel quod ut *secundum quid*, etc. et hoc accipiendo *secundum quid* pro eo quod est minus principaliter, vel complete, sive perfecte tale : licet primum sit magis de intentione Doctoris, ut patet infra, quæst. 5. de Differentia. Et cum infers, ergo unum non sequitur ad alterum ; ego per viam præsuppositionis, non formalis prædicationis. Exemplum sequitur, *Quaternarius, ergo ternarius* : non quod formaliter unus sit alius, sed quod materialia unius includunt materialia alterius, et per consequens via præsuppositionis, hoc esse infert illud esse. Similiter dicendum est in proposito, hoc autem non convenit communiter in formis absolutis contrariis, vel limitatis, ut dixi. Sed an universaliter differentia, vel distinctio major inferat minorem, sunt varii modi dicendi, de quo alias.

22. Ad aliud dico, quod Doctor accipit antecedens et consequens ibi proprie, et stricte fundamentaliter, pro his quæ se habent ut includens et inclusum ; formaliter, vel fundamentaliter ; vel quod inferius, et superius : et sic patet quod totus processus argumenti non est ad propositum.

Ad aliud, patet quod licet per *differentibus specie* definiatur Genus, illud tamen, ut dictum est, infert *differentibus numero* de necessitate. Et ad hoc valet illa regula Anteprædicamentalis, *Quando alterum de altero*, etc. Posset etiam aliter declarari ex dictis Doctoris hic eo quod differentia specie sunt differentia numero, ideo quod prædicatur de uno, et de alio.

Ad aliud, licet forte in fundamentis aliquando extraneetur inferius superiori, ratione alicujus attributi unius, vel alterius : in intentionibus tamen non oportet. Vel adhuc admisso toto argumento, nihil male sequitur : quia falsum præsupponit in fine rationis, scilicet quod hoc quod est *differentibus numero*, absolute definit speciem. Sed oportet addere vel præcise, vel immediate, ut patet in littera. Vel breviter, sicut ad definitum sequitur definitum, ita ad definiens, definiens : et hoc potest faciliter evadere difficultatem primi argumenti supra, quod videlicet secus est in speciebus, vel modis respectivorum, secus in absolutis. Unde pater, et filius, sunt duæ species, et alterius generis subalterni et tamen unum sequitur ad aliud. Similiter de *differentibus* specie et numero est dicendum, et maxime secundo-intentionaliter acceptis, et similiter de modis unitatis, vel identitatis potest dici, de quo infra magis.

Ad aliud, patet ex dictis quomodo sumuntur ibi antecedens et consequens ; et debet dici *de istis prædicabilibus* consequenti.

Ad aliud. Videtur quod illæ responsiones 23.

nes maxime habent, verificari in fundamentis, sed nihilominus possunt per se verificari in intentionibus. Et cum dicis, quod Genus secundo-intentionaliter prædicatur de differentibus numero, præcise, et immediate. Ad hoc notavi supra, quæst. 12. et 14. plura : potest enim probabiliter utraque via sustineri, scilicet vel quod Genus generalissimum, et subalternum, sint diversæ species, quod maxime apparet ex hoc, quod definiuntur, et proprietates varias habent, et facit efficaciter ad hoc, sententia Doctoris, infra, in Anteprædicamentis, qui tenet prædicamentum, vel generalissimum (quod idem est) esse subjectum libri Prædicamentorum, quod non posset esse, nisi esset ad minus species, et definibile, et subjectum per se primum passionum, et demonstrationum ; quæ minime conveniunt singulari ; vel quod tantum differentia accidentali, et materiali distinguuntur. Si prima via teneatur, patet falsitas assumpti. Si autem teneretur secunda via, adhuc distinguendum est de prædicatione, *exercita* videlicet, vel *signata*. Primo modo conceditur. Secundo modo negatur ; quia prædicatur de differentibus specie, et numero sic.

Genus generalissimum an possit dici species.

25. Contra, per te, differentia specie, de quibus prædicatur Genus, non differunt specie, sed numero tantum. Dico, quod accipi debet *differentibus specie* in definitione Generis, ut *quid*, non ut *modus*, saltem in intentionibus verificando. Contra *differentibus numero* in definitione Speciei potest accipi utroque modo, ergo similiter in definitione Generis. Item, tunc posset Genus definiri per *differentibus genere*, sicut per *differentibus specie*, et maxime Generalissimum. Prædicatur etiam Genus de hoc genere, et illo, quæ sunt differentia genere, saltem ut *quid*.

Ad primum, nego consequentiam ; quia non potest esse minor differentia modalis numerali, secus est de specifica.

Ad aliud, patet supra, quæst. 15. in solutione, ubi dicit Doctor notabiliter, quod de differentibus genere, inquantum talia, nihil per se prædicatur : quod tamen maxime verum est in fundamentis, et logice loquendo. Licet enim *differens genere* prædicetur de hoc, et illo, aliud tamen non sic convenienter prædicatur de eis. Et quod adducitur de Generalissimo, licet posset probabiliter sustineri, hic tamen definitur Genus, indifferenter se habens ad subalternum, et Generalissimum : ideo illud quod est commune utrique, debuit poni in definitione. Vel simpliciter potest sustineri, quod nullum genus, sive generalissimum, sive infimum, de differentibus genere, ut talia sunt, prædicatur.

26. Cum ulterius arguitur de hoc genere, et illo, dico quod refert dicere *differentia genere*, et *genera differentia*, ut statim dicam in simili. Concedo ergo, quod Genus prædicatur de hoc, et illo, et nego quod illa sunt differentia genere, nec ut *quid*, nec ut *modus*. Differentia genere proprie subalternis, sed diversa generalissimis fundamentis applicantur.

Ad aliud de Specie specialissima, et subalterna, potest dici eodem modo, sicut de genere dictum est : si teneretur quod distinguantur specie, potest dici quod loquitur Doctor hic antonomastice de specialissima, quæ nullo modo est genus. Aliud etiam est loqui de prædicatione *exercita*, et aliud de *signata*. Ponit etiam definitionem communem utrique, et ideo differentibus numero. Species etiam omnis ut species, tantum de numero differentibus prædicatur, ut in 2. principali, et responsione ejus tangit Doctor, et statim pertractabo.

Si vero alia via sustineatur, dico quod accipiendo formaliter specialissimam et subalternam, nam magis distinguuntur, quam duæ specialissimæ inter se : sed fundamentaliter, vel materialiter procedit argumentum. Illæ enim denominationes conveniunt eis a fundamentis. Quod si volueris videre profunde quomodo una distinctio, vel differentia, sit major alia, vel intensive, vel extensive ; et si intensive, aut ratione extremorum, aut ratione ipsius

differentiæ in se ; vide hunc in Quodlibeto quæst. 2. ad finem singularissime.

27. Tertio dubitatur, circa secundum principale, et solutionem ejus. Videtur enim illud argumentum tangere bonam difficultatem, quia numerus in communi, præter passiones specierum, potest habere aliquas passiones, ut patet in Arithmetica, licet communiter passiones ejus assignentur disjunctæ : sed hoc ideo est, quia non est nomen impositum ipsi unicæ, ut videtur iste 1. et 4. Metaph. sentire. Item, clarum est de figura, et clarius de triangulo, cujus supposita, vel species sunt plures, et ipsius primo assignantur passiones ; tales igitur passiones, cum convertantur cum suis subjectis, prædicantur de differentibus specie ; aliter non essent passiones, ut patet. Responsio igitur Doctoris videtur mirabilis ad illud argumentum, cum dicit quod proprium soli speciei convenit, et quod tantum de numero differentibus prædicatur. Contra. Species subalterna habet proprium, ut patet de animali, et prædicatur de differentibus specie, ergo et ejus proprium. Item generalissima habent propria, ut patet ex processu Philosophi, in Prædicamentis, ubi assignat proprietates substantiæ, et aliorum. Et ut notanter habet iste supra, quæst. 8. et infra, quæst. 2. Anteprædicamentorum. Quando aliqua passio convenit pluribus subjectis non primis, necesse est quod per rationem alicujus communis conveniat eis.

28. Item, ens habet passiones, ut Philosophus 4. Metaphysic. expresse ostendit, et iste post eum. Item, non videtur valere illa deductio Doctoris, qua probat solius speciei esse proprium, quia non modo speciei, sed aliorum communium sunt demonstrationes. Nec habere *quid est*, et *quia* soli speciei convenit, imo cuicumque positivo, sive transcendenti, sive limitato. Plura alia possent hic adduci : possent enim ponderari illa definitio Porphyrii, et Philosophi de Proprio quæ non intelligitur solum de proprio speciei, ut patet. Item, cum differentia prædicetur de pluribus differentibus specie ut patet supra, et proprium sequatur id cujus est, [illegible] ratione formæ et differentiæ essentialis conveniet igitur tot, quot differentiæ tales ; ergo non solum numero differentibus, [illegible] igitur nulla.

Sustinendo Doctorem dico, quod responsio ejus potest declarari uno modo in secundis intentionibus, et sic clarum est quod prædicatur de solum numero differentibus, sicut species, sumptum tenendo illam secundam viam supra. Alio modo in fundamentis, quia argumentum tangit hoc magis. Potest etiam dici, ut innuit Doctor subtilis, quod unumquodque habens proprium, ut sic, induit modum speciei, et ita de solum numero differentibus est prædicabile, et si sub se contineat vel genera, vel species, hoc est sibi extraneum, ut est subjectum proprii : et sic patet ad omnes instantias. Prius enim, ut innuit iste in 1. distinct. 8. quæst. 2. unumquodque dicitur de suo individuo, quam dicatur de alia inferiora alterius denominationis, si qua talia habet : et in illo priori induit modum speciei, et prædicatur de solum numero differentibus, sive sit subalternum, sive generalissimum. Et de ipso ente transcendenti tenet Franciscus de Mayronis in 1. Conflatu, in Prologo, quæst. 11. quod habet modum speciei prius, quam generis. 29.

Omne habens proprium induit modum speciei.

Dico ergo tenendo hanc viam, quod nullum prædicatum habet proprium, nisi inquantum induit modum speciei. Et cum dicitur : Proprium prædicatur communiter, concedo : sed illud cujus est, prædicatur de differentibus specie ; nego, si sic sumptum : sed si prædicatur, hoc est alio modo [illegible], et tunc extraneum est ratio speciei, et per consequens proprii. Item, quod convenit per se superiori, convenit et inferiori, concedo : sed [illegible] ad [illegible], [illegible] videtur habere hoc [illegible], quod [illegible] superiora habentia sub se plura inferiora, salvatur, et includitur in quolibet inferiori per se : quare quod convenit per se superi- 30.

Quod convenit superiori per se, convenit et inferiori, sed non per se [illegible].

riori, convenit cuilibet inferiori, non ratione sui, vel superadditi, sed ratione individui talis inclusi. Si ergo Isosceles habet tres, hoc est inquantum est hic triangulus, et non inquantum Isosceles, et hæc est intentio, et fuga valde singularis Doctoris. Et quod additur de demonstratione, et *quid est*, etc. dicendum est eodem modo.

Aliud quod sequitur de definitione proprie, faciliter solvitur, quia intelligitur de proprio speciei.

Ad aliud de definitione Differentiæ, patebit infra loco suo. Posset enim dici, quod non quamcumque formam, sed tantum specificam sequitur proprium, et ita negatur similitudo.

31. Ex his potest patere qualiter Porphyrius hîc definit Speciem communem subalternæ et specialissimæ : quia Species omnis, ut species, tantum de numero differentibus prædicatur, et sic species subalterna sicut specialissima. Sed licet hic modus dicendi sit mihi probabilis, et subtilis, quia tamen multis, non alte valentibus speculari, videretur mirabilis, potest aliter dici, quod loquitur Doctor hîc proprie logice, et de subjecto demonstrationis, et *quid est*, et Specie specialissima, quæ maxime, et verissime est Species, cujus principia sequuntur passiones, et forte non ita principia communium, nisi ut habent esse in specialissimis, et tunc patet quid dicendum est ad objectiones.

Speciei tantum specialissimæ sunt proprie passiones.

Posset etiam dici, quod proprium, ut est unum de quinque Universalibus, non applicatur passionibus transcendentibus, sed alio modo, ut de Universali dictum est supra. Loquitur ergo proprie logice, et appropriate de proprie specialissime in hoc loco. Tene viam quam volueris, et dic consequenter. Posset etiam dici aliter ad argumentum, quod Porphyrius non solum distinguit Proprium a Genere per hoc, quod est *prædicari de differentibus specie et numero*, sed per *in quid*, et *in quale*. Distinguitur autem utroque modo a Proprio appropriate, et antonomastice supposito, quod solius specialissimæ speciei est, ut patet.

Quarto dubitatur, circa tertium principale, et solutionem ejus. Videtur primo 32.
quod illa prima consequentia non valeat, *hæc* scilicet *particula convenienter ponitur in definitione, ergo per se convenit definito*, quia subjectum ponitur in definitione accidentis, et tamen non per se, sed per accidens, prædicatur de ipso. Similiter unum relativum in definitione alterius, et videtur quod sic est in proposito, ut patet in solutione quæstionis, ad finem.

Item, illa secunda consequentia si valeret, ut probatur ex ratione relativorum, sequeretur quod in omnibus relativis esset mutua consequentia, et habitudo, quod falsum est, ut patet in relativis tertii modi.

Item, illa propositio *nihil dicitur per se relativum*, etc. videtur falsa, quia scientia refertur ad scibile, et creatura ad Deum per se, et tamen non e contra per se, ut videtur.

Item, illud quod incidentaliter probat, videlicet idem non referri per se ad plura, videtur falsum secundum ipsum infra, cap. de Specie : et in Prædicamentis, cap. de Relatione : et 5. Metaph. et in Quodlibeto, quæst. 13. et alibi, nec rationes cogunt, ut patet ibi.

Item, cum dicit quod *intentiones tantum differunt materialiter, et per consequens numeraliter*, videtur falsum, cum in intentionibus sit ordo, et genera, et species, suo modo, et *quid*, ut infra, in Prædicamentis, et alibi habet. 33.

Item, Differentia specifica aliquando est per materiam, ut homo a lapide per animal differt specie, vel etiam ab Angelo, ponendo rationale ejusdem rationis in eis, ergo falsa est illa propositio quod *Differentia specifica est semper formalis*.

Item, videtur illa propositio, videlicet quod *Differentia accidentium per subjectum sit numeralis tantum*, esse satis dubia in multis.

Item, videtur quod prima responsio ad

illud argumentum, et tertia coincidant, ergo una, vel alia, est superflua.

Item, supra, quæst. 8, concessit Genus esse majus Universale, quam speciem, licet non magis; ergo prædicatur de pluribus, quam species : sed hoc consequens est falsum, data veritate illius tertiæ responsionis in littera, quia utrumque prædicatur de tantum numero differentibus, accipiendo *differens numero* ut *modus*, cum per te Differentia specie de, quibus dicitur Genus, non differant specie, sed numero tantum ut *modus*.

34. Confirmatur, sicut fundamentum ad fundamentum, ita intentio ad intentionem: sed fundamentum Generis prædicatur de pluribus, quam numero differentibus, et fundamentum speciei, non ergo similiter in intentionibus suo modo erit.

Item, videtur quod differentia specie, de quibus prædicatur Genus, sint aliquando differentia specie ut *modus* : verbi gratia, accipio differens specie in lapide, et differens specie in homine, alia duo in homine, et asino. Prima duo magis differunt, quam alia, quia non solum specie specialissima, sed etiam subalterna, ut patet, ergo differunt plus quam numero.

Item, videtur quod hæc sit vera, *Genus est Genus*, ut Genus a parte prædicati dicit modum, propter instantiam prius factam de generalissimo et subalterno.

Item, quare potius Genus et Species non solum modaliter conveniunt fundamentis primo-intentionalibus, sed etiam sibi ipsis, quam Differentia, vel Proprium : quare ergo dicit quod Differentia non est Differentia ut modus, cum tamen concedat speciem esse speciem ut modus : ad ista breviter respondetur.

35. Ad primum dico, quod loquitur de parte quidditative, et non per additamentum definiente, ut patet ex solutione quæstionis. Et cum dicitur quod ponitur ut correlativum, verum est quantum ad hanc determinationem *speciei*, non tamen quantum ad hoc quod est *differens*, quia sic est Differentia. Vel dato quod poneretur ut terminus, adhuc per se convenit, licet non in tertio per se prædicetur.

Ad aliud patet quod loquitur de prædicatis multis, et de primo modo, ut patet in exemplo, vel de secundo modo.

Ad aliud dico, quod ly *per se* ibi determinat inhærentiam, non inhærens.

Ad aliud dico, quod loquitur Doctor de *per se, et primo modo*, et sic procedunt argumenta, non autem de *per se non primo*, ut in locis prænllegatis habet. Vel aliter, quod arguit sufficienter hic ad hominem, et ex communiter concessis.

Ad aliud, tactum est supra hic, et quæst. 12 et 14 quid dicendum sit. Loquitur enim de illa distinctione nobis notiori, sicut etiam relationes reales distinguuntur. Si autem volueris tenere etiam eam, dic quod simpliciter est verum illud dictum.

Ad aliud, dictum est quod, procedente aliqualiter, qualiter partes definitionis sunt ut formæ. Sed breviter dico, quod licet homo per animal distinguatur a lapide, ultimate tamen, et complete, et formaliter, per rationale. Quod additur de Angelo, patebit infra, quæst. ultima de Differentia.

Ad aliud dico, quod omnes instantiæ contra illam propositionem faciliter possunt evadi, de quibus non curo modo.

Ad aliud dico, quod prima responsio in hac, ut probabitur, potest distingui a tertia, quia in prima species est determinabile, et *differens* determinatio. In tertia vero e contra ; et hoc non est inconveniens, cum etiam in relativis realibus hoc contingat, ut infra, cap. de Specie, quæst. 2 [illegible] Genus enim [illegible] de specialibus differentiis, quæ non differunt specie sed numero, prædicatur, prædicatione *signata* ; sed etiam de differentiis specie, ut est specialissimum, vel correlativum hujus, quod est prædicari de pluribus [illegible] non solum notabitur species, ut correlativum, sed differens ut specialissimum, vel [illegible] Quod [illegible] Genus prædicatur de specie-

bus differentibus, et differentibus specie, et utrique applicatur *differens numero* ut modus, ubi non solum explicantur supposita Generis, sed pluralitas, et modus pluralitatis eorum, et non solum Generi in commune, sed huic Generi singulari applicato animali hoc convenit, et hoc est intelligendum tantum in actu *signato* : verificatur autem in fundamentis in actu *exercito*.

Qui autem vellet dicere, quod tertia responsio est exemplificativa, et declarativa primæ, posset evadere argumentum, sed prima responsio magis sapit.

Genus est majus Universale, quam species. Ad aliud, patet prius. Dico enim quod in fundamentis est majus Universale Genus quam Species. Similiter in intentionibus, quia prædicatur de differentibus specie, et numero : Species autem de differentibus numero tantum : et ita habet plura supposita, non tamen in actu *exercito*, imo pauciora.

Ad confirmationem, posset negari similitudo, quia major unitas in intentionibus, ut patet supra. Sed data similitudine, patet solutio ex dictis.

37. Ad aliud, patet ex dictis, quia quantumcumque fundamenta sint diversa, non inconvenit intentiones esse ejusdem rationis, quia Differentia materialis inquantum talis, etc.

Ad aliud, patet prius, secundum duos modos dicendi, quos notavi.

Ad aliud, quod tangit pulchrum motivum, dico (ut supra quæst. 12. tetigi) quod omnia Universalia reducuntur ad duo prima, scilicet Genus et Speciem, non ita ad alia reduci possunt : et ideo non ita Differentia potest modaliter prædicari de se, sicut Species. *Differentiæ modus quis.* Modus igitur Differentiæ est divisivum, et constitutivum, et ex consequenti prædicabile in *quale* de constituto : sed hoc tantum convenit fundamentis hujus intentionis, et non ipsi intentioni, imo vocatur *Differentia* denominatione extrinseca, et tantum a proprietate fundamenti et similiter dicendum est de proprio. *Speciei modus.* Modus vero speciei constitui ex Genere et Differentia, et contineri sub Genere, et habere sub se plura individua, quæ omnia non solum fundamentis intentionis, sed etiam ipsimet intentioni, in suo Genere, conveniunt : et similiter potest dici de Genere. Ex his, et aliis dictis supra, collige plura singularia documenta in his intentionibus.

Genus autem non de una Specie sola prædicatur, sed de pluribus, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO XVIII

An Genus necessario requirat multas Species

Aristot. 4. *Top. cap.* 3. *et* 3. *Metaph. text.* 10. D. Thom. 1. *Post. lect.* 12. *et in* 1. *d.* 19. *q.* 4. *art.* 2. Alexander *lib. Naturalium qq. cap.*11. Albertus *tract.* 4. *Prædicab. cap.* 6. Joan. Ang. *et* Bras. *super hanc quæst.* Sotus *q. de Specie ad* 2. Tolet. *q. de Specie ad* 3. Lovanien. q. 18. *Univers. parte* 4. Fonseca 5. *Metaph. c.* 28. *q.* 15. Sanchez *lib.* 3 *q.* 11. Merinero *c. de Genere,disp. unica, dub.* 2. Ruvius *cap. de Specie q.* 3 Rodriguez *de Genere q.* 6. *art.* 1. Hurtado *disp.* 5. *de Specie sect.* 4. Compl. *disp.* 6. *de Specie quæst.* 2. Aversa *q*, 10 *Log. sect.* 4.

Quod sic videtur ; quia illud ponitur in ejus definitione, ergo est de essentia ejus. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item cap. de Specie dicitur, *Genere uno, Speciebus autem pluribus*, quod probatur, semper enim in plures Species fit divisio Generis, quod potest probari ; quia Genus de sua ratione dividitur per Differentias oppositas, utraque autem adveniens Generi Speciem constituit.

Ex hoc concludit Boetius in Lib. Divisionum, quod sub uno Genere minus duabus speciebus esse non possunt.

Item 4. Topicorum cap. 1. si Species prædicatur de æqualibus cum Genere, interimitur quod ponitur pro Genere.

Item in alia consideratione dicit : *Quoniam omnis Generis plures sunt*

Species, et infra cap. 4. et 12. *Si destructa Specie destruitur et Genus, male assignatur Genus*; et infra. *Oportet enim de paucioribus Speciem, quam Genus prædicari.* Ad hoc etiam sunt multæ aliæ auctoritates. 7. Metaph. et in libris Logicalibus, Boetii, et Porphyrii cap. 12.

2. Ad oppositum, Sicut se habet Species ad Individuum, sic Genus ad Speciem; sed Species non requirit multa individua, ergo nec Genus multas Species. Minor patet de sole, phænice, et consimilibus Speciebus.

Dicitur, quod non est simile, quia de ratione Generis est dividi per differentias oppositas, quæ cum Genere constituunt ad minus duas Species: non sic autem Species descendit in individua.

Contra, æque essentiale est cuiquam, quod in ejus definitione æqualiter ponitur; sed *differentibus numero* æqualiter ponitur in definitione Speciei, sicut *differentibus Specie* in definitione Generis.

Primus modus respondendi. Ad quæstionem dicitur, quod Genus sive sumatur pro intentione, sive pro illo cui applicatur intentio, non requirit multas Species actu, vel potentia. Quod ostenditur de intentione Generis, quia illa refertur ad intentionem Speciei, una ergo existente Specie, erit et Genus: quia relativa sunt simul natura.

Similiter ostenditur de fundamento intentionis, quia illud est quid materiale in Specie; impossibile est autem aliquid esse sine suo materiali, ergo impossibile est Speciem esse, nisi Genus sit illo modo; tamen sicut Universale requirit multa aptitudinaliter: quia definitur per *aptum natum prædicari de pluribus*: sic ad rationem Generis, requiritur quod dicatur *aptitudinaliter de pluribus Specie differentibus.*

3. Per hoc ad argumenta in oppositum. Omnes auctoritates intelligendæ sunt de aptitudine, non de actu, vel potentia. Differt autem aptitudo a potentia. Nam aptitudo est inclinatio alicujus secundum se in aliquid, vel magis non repugnantia. Potentia autem est ordo ad actum. Potest igitur potentia esse sine aptitudine, ut possibile est grave esse sursum, non tamen est aptum ibi esse, quia repugnat ei secundum se. Et aptitudo est sine potentia, ut cæcus est aptus natus ad videndum; *nihil enim dicitur privatum, nisi cum est aptum natum habere habitum*, secundum Aristotelem in Postprædicamentis cap. de Oppositis cont. 27. et 5. Metaph. cap. de Privatione. Non est autem possibile cæcum videre, quia *a privatione ad habitum non est naturalis regressus*. Sic nulli Universali, quantum est ex sua forma, repugnat dici de multis; hæc tamen aptitudo impediri potest, ut quia non sunt multa, de quibus dicatur. *Aptitudo et potent.*

Contra, hic modus dicendi non videtur esse ad oppositum, quia procedit de intentionibus, ac si supponeretur in quæstione intentionem Speciei unam esse, quæ refertur ad Genus essentialiter, et dubitaretur an intentio Generis sit, quod non quæritur, quia Genus per se primo refertur ad Speciem, non hanc, vel illam: unde accidit sibi sic referri ad multa. Nec quæritur, an natura Generis sit, si natura Speciei sit; sed si non sint multa, quibus applicetur intentio Speciei, sed tantum unum, scilicet B, an illi naturæ, scilicet A, applicetur intentio Generis, cui applicaretur, si multis naturis, ut B, C, D, applicaretur intentio Speciei respectu illius naturæ, scilicet A. Et sic intellecta quæstione, neutrum membrum positionis est ad propositum. 4. *Iste modus refutatur.*

Item, non videtur vera, quia impossibile est aliquid esse aptum natum dici de pluribus, nisi illa plura sint intellecta vel

diversas Species apprehendi possint; sed si sic possunt concipi, ergo plures Species generis sunt in actu; quia iste est actus naturæ, inquantum dicitur Species, quod actu concipiatur ab intellectu per Speciem intelligibilem; quia secundum hoc sibi attribuitur intentio Speciei.

Item, si aliquid est aptum natum dici de pluribus differentibus Specie, ergo plura differentia Specie, sunt apta recipere prædicationem illius : igitur si illa aptitudo sufficit ad Genus : consimilis aptitudo participandi, sufficit ex parte Speciei : igitur si aliquid sit Genus actu propter talem aptitudinem, illa multa quæ participant ipsum aptitudinaliter, erunt actu Species : ergo omne Genus multas habet actu Species. Assumptum patet, quia æquale esse sufficit utrique correlativo, cum sint simul natura.

5. *Modus Doctoris.* Potest igitur dici ad quæstionem, quod ad rationem Generis requiritur, quod multas habeat actu Species, non quæ existant actu, vel potentia, sed quod tantum actu concipiantur per Speciem intelligibilem ab individuis acceptam quandoque existentibus, et quod actu habeant aptitudinem participandi Genus, quia talis actualitas est illorum inquantum dicuntur Species Generis.

Ad argumenta. Ad argumentum in oppositum, dicitur quod similiter Species requirit multa individua aptitudinaliter.

Sustinendo primam positionem, dici potest ad primum argumentum contra illam, quod si huic naturæ tantum applicatur intentio Speciei, quod illi naturæ, quæ est in hac natura, adhuc applicatur intentio Generis, ut prius; quia adhuc cum concipitur, minus habet de intellectu, quam illud, quod est Species, et descendit in illud per Differentiam; et ita est responsio ad propositum.

Ad secundum dicitur, quod non sufficit ad esse Speciei alicujus, posse concipi ab intellectu; sed quod in ejus intellectu sit Genus, respectu cujus dici debet Species, quod non est verum de illis multis, ad quæ est aptitudo Generis, ut prædicatur de illis; tamen si sic Genus sit aptum dici de illis, quod aliquando dicebatur, et illa concipiuntur ab intellectu, per eamdem speciem, per quam tunc, et cum essent, nunc sunt multæ Species actu; qui actus requiritur ad Speciem in actu, quia tunc in eorum intellectu cadit Genus, sicut et quando erant.

Ad tertium negatur prima consequen- 6.
tia : quia forma solis nata est esse in alia materia, quam in qua est, quantum est de se, nec tamen est aliqua materia alia, nata recipere talem formam; quia si talis argumentatio teneret in aptitudine, semper esset aptitudo in utroque extremorum, et ita potentia; quia aptitudo in uno extremo, non impeditur a potentia, nisi propter defectum aptitudinis in alio extremo.

Nota, quod simpliciter teneri potest; 3. *Modi dicendi.*
quod Genus non est aptum natum dici de multis, nisi quæ concipiuntur ab intellectu: in quorum intellectu est Genus, et hujusmodi sunt Species actu, sive existant, sive possint existere, vel non; et sic sequitur, quod Genus semper multas habet Species actu.

EXPOSITIO

De Primo. Quid *Genus* satis patet ex di- 7. *Necessarium multiplex.*
ctis, et quoties sumitur. *Necessario* est adverbium modale, et sumitur toties, quoties *necessarium*. Necessarium autem ut patet 5. Metaph. text. comment. 6. accipitur quatuor modis. Primo modo, sine quo non contingit aliquid esse tantum a causali, ut respirare, et cibus respectu animalis.

Secundo modo, sine quo non contingit aut esse, aut fieri aliquid bonum, vel

expellere malum ; ut bibere pharmacum ut non laboret quis ; vel navigare in Æginam, ut pecuniam recipiat. Tertio modo, vim faciens, sive contra appetitum naturalem, sive rationalem : et tale est triste et increpabile patienti. Quarto modo, quod non contingit aliter se habere. Et iste modus est absolutus. Alii vero ad aliquod bonum consequendum, vel malum evitandum, vel ad agens extrinsecum violentum. In proposito accipitur hoc quarto modo maxime.

8. Quid *multum* vel *multitudo* patet 5. Metaph. text. comment. 12. et quoties accipitur. Toties enim quoties unum, excepto quinto modo unitatis, scilicet unitate indivisibilitatis. Sunt enim *unum* et *multa* passiones entis disjunctæ. Hic vero maxime accipitur ut pertinet ad prædicamentum Quantitatis potius, quam ut est passio entis, licet utroque modo possit accipi. *Requiri* hic accipitur pro exigi. Quid *species*, et quoties sumitur, infra, loco suo, patebit.

Ordo ad præcedentem posset esse retrogradus, ut quæst. præeunte notavi, eo quod præcedit in definitione Generis ly *pluribus* ly *differentibus specie*. Sed quia (ut supra est sæpe tactum) unum est ut expositio alterius, capiuntur pro eodem, et ideo hæ duæ quæstiones de eadem particula sunt motæ, licet vocaliter sint variæ. Sed sive sint diversæ particulæ, sive non, ordo parum nocet, dummodo intelligatur intentio Doctoris : sunt enim subtiles hæ duæ quæstiones, et satis obscuræ, quantum ad aliqua dicta in eis.

Divisio vero communis, excepto quod secunda pars subdividitur, ut statim notabo.

9. De secundo, arguit partem affirmativam auctoritatibus pluribus. Primo Porphyrii ponentis illam particulam in definitione Generis, et potest sic formari ratio : Illud necessario requirit Genus, quod est de essentia ejus, sed multitudo specierum est hujusmodi. Ergo. Patet consequentia cum majore. Minorem vero probo : Illud est de essentia Generis, quod est pars quidditativa definitionis ejus : sed pluralitas, vel multitudo specierum est hujusmodi, ergo. Patet consequentia cum majore. Minor vero nota est ex præcedentibus. Alia auctoritas est Porphyrii, cap. de specie, et clara est, quam fortificat ratione, et auctoritate Boetii. Tertia auctoritas est Philosophi 4. Topicorum, cap. 1. cui addit aliam ejusdem ibidem, cap. 12. et remittit se ad plura loca Philosophi 5. Metaph. et 7. et ad Boetium, et Porphyrium.

Ad oppositum arguit * per locum a simili, et patet littera : sed potiorem fundamentis, quam in intentionibus procedit. Adjungit immediate responsionem ad argumentum illud, negando similitudinem. Raro enim tenet argumentum de simili, quia non, nisi sit *simillimum*. Et replicat immediate contra solutionem, et tota littera facilis est. Deinde respondet ad quæstionem, ubi quatuor facit. Primo ponit unum modum dicendi communem, et clarum, et probabilem. Secundo impugnat illum, eo quod non alte, et subtiliter investigat veritatem, et intellectum quæsiti, nec videtur esse ad propositum quæsiti. Tertio ponit alium modum dicendi subtiliorem, tenendo oppositum primi modi. Quarto et ultimo, quia primus modus communis est, et probabilis, sustentat ipsum addendo ei ea quæ omnia addenda, et solvit argumenta quæ facit contra eum. Secundum ibi : *Contra hoc arguitur*, etc. Tertium ibi : *Potest igitur dici*. Quartum ibi : *Pro tenendo primam positionem*, etc. * 29 num. 2

Dicit ergo primo, quod Genus non secundo-intentionaliter, nec primo-intentionaliter acceptum, requirit multas species actu, sed potentia. Quod ostendit inductive de utroque. Primo quod non secundo-intentionaliter, quia sic acceptum dicitur correlative ad speciem. Modo autem unum correlativorum, [illegible] quam [illegible] unum correlativorum [illegible] inconveniens videtur. Verbi gratia, 11. Genus non requirit multas species actu, sed potentia.

pater refertur ad filium, ideo posito uno ponitur reliquum. Licet autem ejusdem patris sint plures filii, hoc tamen accidit, ut referuntur. Nam non ad hunc, vel illum, sed ad filium refertur. Similiter dicendum est in proposito : sed quod non sit similiter hinc inde omnino, posset ostendi, de quo infra. Secundo hoc idem ostendit de fundamentis utriusque, quia posito materiato, et composito, vel constituto, ponitur materia, vel pars, vel constituens : modo Genus est materiale, vel pars constitutiva potentialis speciei, ut patet sæpe supra, et infra magis quæst. 20. Ergo de necessitate ponitur, posita etiam unica Specie et salvatur in illa, sicut de Specie respectu Individui dictum est.

12. *Sed requirit aptitudine.* Si tamen, inquit, loquamur de aptitudine, sic requiritur ad rationem Generis pluralitas specierum : et hoc probatur sic, quia quod per se convenit superiori, convenit per se cuilibet ejus inferiori : sed prædicari de pluribus, saltem aptitudinaliter, et esse unum in multis, et de multis ponitur in definitione Universalis, ut patet supra, quæst. 6. et alibi sæpe, ergo per se convenit Generi, quod est species Universalis. Verba enim et Participia posita in definitionibus, ad minus debent verificari secundum aptitudinem, ut communiter dicitur, sed satis inepte. Consistit igitur hæc solutio in hac distinctione : *genus requirere multas species* potest intelligi dupliciter. Uno modo in actu, vel in potentia : alio modo in aptitudine. Primo modo loquendo, sit hæc prima conclusio : Genus sive secundo-intentionaliter, sive primo - intentionaliter acceptum, non requirit multas species, quæ probatur ut prius inducendo. Secundo modo loquendo, sit hæc secunda conclusio : Genus utroque modo sumptum requirit multas species, et probatur ut prius. Patet ergo quod hæc positio habet duo membra secundum hanc distinctionem, de quibus facit Doctor mentionem in sequentibus.

13. Addit consequenter ex his, quid dicendum ad argumenta ante oppositum, et etiam ad argumentum post oppositum, ut infra statim. Et quia aliquis posset objicere contra dicta, eo quod potentia, et aptitudo sunt idem : nam si aliquid est aptum natum ad aliquid, est etiam, ut videtur, in potentia ad idem et e contra, ideo notanter valde ponit differentiam inter ista, notificando ea, dicens * quod * *aptitudo est inclinatio alicujus in aliquid secunhum se, vel potius non repugnantia*, ut patet in homine ad ridendum, et in superficie ad albedinem. Potentia autem dicit ordinem ad actum. De primo, scilicet aptitudine, patet optime in tertio, distinct. 1. et in Quodlibeto, quæst. 19. et alibi, et specialiter distinct. 12. 4. quæst. 1. et distinct. 18. Primi et 7. Metaph. quæst. 19 et alibi, et specialiter distinct. 12. 4. quæst 1. et distinct 18. Primi et 7. Metaph. quæst. 12 et ut ibi notavi. De potentia vero in 2. distinct. 1. quæst. 3. et sequentibus et distinct. 4. et 12 . et in 2. et 4. ibi sæpe, et maxime copiose 9. Metaph. per totum in quæstione hujus.

* num, *Aptitu differt potent*

Quod autem ista non sint idem, nec semper simul, ostendit per separabilitatem eorum ab invicem, quia alicubi reperitur potentia sine aptitudine, et e contra. Exemplum primi, in gravi respectu *ubi* sursum. Exemplum secundi, ut in cæco respectu visus. In primo est potentia sine aptitudine : inclinatur enim ad esse deorsum. In secundo aptitudo sine potentia. Quod sit aptitudo ostendit per Philosophum, in Postprædicamentis, et 5. Metaphysic. text. comment. 27. Quod non sit potentia ostendit per Philosophum, in Postprædicamentis. Et applicat hæc ad propositum de Genere, et universaliter de quolibet Universali. Deinde arguit * contra hanc positionem, tribus rationibus. Primo ostendendo quod non est ad propositum quæsiti. Secundo et tertio ostendendo falsitatem ejus. Prima ergo ratio potest sic formari : Illa positio non est ad propositum quæ nec solvit, nec intelligit quæsitum ; hæc est hujusmodi, ergo. Patet consequentia cum majore. Minorem vero declarat 14

* num.

Doctor in littera : et primo quoad primam partem primi membri positionis, scilicet de intentionibus Generis, et Speciei, dicens : Procedit, inquit, hæc positio, ac si dubitaretur si una intentio Speciei est : ubi est constructio intransitiva, quæ essentialiter refertur ad Genus, quod dicit propter relativa per accidens, et per se non primo, et dubitaretur an intentio Generis sit. Quod non videtur, hoc est, non videtur hoc esse dubium, nec quæsitum convenienter ut dubium. Cujus rationem adjungit immediate, *quia Genus refertur ad Speciem*, scilicet in communi, *non hanc*, *vel illam*, scilicet nisi ex consequenti, et quasi per accidens, extensive loquendo, sicut supra, quæst. 8. dixit de patre et filio. *Accidit*, inquit, *sibi sic referri ad plura*.

15. Deinde quoad secundam partem primi membri positionis, dicit etiam * quod non est ad propositum, quia *nec quæritur an natura Generis sit*, si *natura Speciei est*, scilicet quia nemo de hoc dubitat. Declarat ergo quid quærit quæstio dicens : *Sed* scilicet quæritur, *si non sint multa*, scilicet fundamenta primo-intentionalia, *quibus applicetur intentio Speciei*, *sed tantum unum, scilicet B.* gratia brevitatis utitur litteris. *An illi naturæ*, scilicet quæ includitur in *B.* (quæ verius diceretur quidditas, vel conceptus, vel realitas, quam natura, loquitur tamen Doctor extensive, quia minus provectis) utpote ipsi A *applicetur intentio Generis, cui*, scilicet A, *applicaretur*, scilicet intentio Generis, *si multis naturis, ut, B, C, D, applicaretur intentio speciei*, in casu, et hoc *respectu illius naturæ, scilicet A. Et sic*, inquit *intellecta quæstione, neutrum membrum positionis est ad propositum*. Illa membra positionis, sunt membra illius distinctionis superius assignatæ, de potentia, vel actu, et aptitudine, ut patet in illis duabus conclusionibus. Possent etiam hæc membra referri ad intentiones, et fundamenta.

* num, 4.

16. Et quia hæc littera [illegible], iterum replico ipsam in aliis terminis, ut : Accipiatur, verbi gratia, color et albedo et ponatur quod non sit alius color in universo, nisi tantum albedo; color igitur includitur in albedine, ut pars quidditativa ejus. Quæritur ergo, an in tali casu intentio Speciei posset applicari albedini, et proprietates reperiri ex parte rei, per quas intellectus negotiaretur ; ita intentio Generis posset applicari ipsi colori, non habenti alias naturas specificas sub se, sicut si haberet plures, in quibus includeretur quidditative, et participative, utpote albedinem, nigredinem, rubedinem, et sic de aliis : hic ergo, inquit Doctor, est intellectus quæstionis, et non quærit de intentionibus eorum, nec fundamentis eorum, nec de potentia, vel actu, et aptitudine, ut patet. Et valde subtiliter investigavit Doctor logice hunc intellectum, quia, ut patet, sic est quæstio logicalis, quia de secundis intentionibus applicatis primis, et non tantum de secundis, nec tantum de primis. Hæc igitur littera posset dividi in tres partes. Primo ostendit quid non quæritur. Secundo quid quæritur. Et tertio infert conclusive contra primam positionem, quod principaliter intendit, scilicet ipsam non esse ad propositum, nec intelligere quæstionem. Secunda ibi, *Sed si non*. Tertia ibi, *Et sic intellecta*.

Prima pars adhuc in duas, secundum quod duos falsos intellectus excludit. Primo de intentionibus. Secundo de fundamentis : secunda ibi : *Nec quæritur*. Hoc volui radicaliter intentum explicare, ut hæc littera clare appareat junioribus : est enim brevis, et totum quod sequitur in hac quæstione, [illegible]. Secundo arguitur contra positionem, ostendendo ipsam non esse veram : et hoc quoad secundum membrum de aptitudine, et etiam contra primum membrum ex consequenti. Vult enim Doctor, ex veritate illius secundi membri [illegible] positionem. *Impossibile*, inquit, *est* [illegible] 17.

cognitum actuale, vel habituale saltem. Et notanter dicit *species*, quia non intuitive, sed abstractive cognoscuntur. Notanter etiam dicit *diversas species*, quia talia plura sunt disparata, vel opposita, et repræsentativum unius non est alterius.

18. Ubi etiam est advertendun, quod sicut aliqui est relatum, sic quærit terminum simul, si actu, actu ; si aptitudine, aptitudine : et licet terminus relati aptitudinaliter non necessario sit actu, quoad existentiam in re, si tamen unum est actu cognitum, et alterum : et sic debet intelligi illa proprietas relativorum universaliter, quod scilicet sunt simul natura, id est naturali intelligentia, et ideo videtur propositio assumpta verissima.

Addit consequenter minorem, quod si sic possunt concipi, ergo contra primum membrum erunt plures actu, et ita secundum membrum infert oppositum primi. Probat consequentiam optime, ex his quæ tacta sunt supra quæst. 9,10,11, et alibi, quod intentiones applicantur fundamentis, ut habent esse cognitum, et non ut habent esse materiale, vel quidditativum, etc. Ille ergo est actus specierum, logice loquendo, scilicet esse actu apprehensibiles ab intellectu per species, et hoc dixit Doctor supra, quæst. 9,10,11. in illa regula de significato termini communis, et ejus triplici acceptione, declarando tertium membrum distinctionis. Tertio modo, ut per formam intelligibilem ab intellectu apprehenditur, quod est esse cognitum, et sic insunt ei intentiones.

19. Tertio arguit etiam contra secundum membrum positionis, inferendo oppositum primi. Et simile assumptum, vel argumentum quæstione præcedente, ratione tertia, ante oppositum, habet : et infra, super primum lib. Perihermenias, quæst. 6. *Si*, inquit, *aliquid est aptum dici de pluribus*, etc. ergo plura talia sunt apta recipere prædicationem illius, igitur si illa aptitudo sufficit ex parte Generis, consimilis aptitudo sufficiet ex parte Speciei, quia æquale esse sufficit corrolativis, ut videtur : quare si genus est actu genus, ex tali aptitudine, et species actu erunt species, ex consimili aptitudine : ergo sequitur oppositum primi membri ex secundo, ut prius. Concesso enim quod Genus habet plures aptitudine, sequitur quod et actu species plures habebit. Declarat assumptum seu consequentiam primam, ut prius notavi, ex æquali modo essendi relativorum.

20. Consequenter ponit alium modum dicendi ad quæstionem, tenendo oppositum primi membri primæ positionis, scilicet quod requirit Genus, et ratio ejus, multas species actu, et hoc intelligendo non de actu existentiæ realis in re ex natura rei, sed de actu concipiendi, ita quod sint actu in esse cognito, *per speciem intelligibilem, ab individuis acceptam quandoque existentibus*. Quod ideo dicit, quia species intelligibilis causatur ab intellectu agente, et phantasmate, ut 3. distinct. 1. quæst. 6. habet iste, et alibi sæpe. Phantasma autem est species sensibilis, singularis, ostendens objectum sub conditionibus materialibus, et cum *hic* et *nunc* : quæ conditiones conveniunt singularibus, ut patet. Corruptis autem singularibus, et phantasmatibus, manet species intelligibilis indelebilis in intellectu, ut 45. distinct. 4. habet iste, et 3. distinct. 1. et super libros de Anima. Et addit aliud, quod requiritur ad species Generis, videlicet quod actu habeant aptitudinem participandi Genus, sicut infra, cap. de Proprio, dicit quod risibilitas inest actu homini, vel ridere aptitudinaliter actu inest ; et adjungit quod talis est actualitas specierum, inquantum dicuntur species Generis, scilicet in esse cognito, et in habendo aptitudinem participandi Genus.

Genus qu modo r quirit mu tas speci actu.

21. Ex qua solutione respondet ad argumentum post oppositum, quia videtur esse contra hunc modum dicendi, dicens, quod eodem modo dicendum est de Specie respectu individuorum, et quoad actum, et aptitudinem. Argumenta vero ante oppositum sunt pro hac positione, ut patet, ideo currunt. Et quia hæc propositio non multum differt a prima positione, si bene in-

telligatur, et illa prima communis est, et probabilis, ut dixi prius. ideo sustinendo ipsam, et concordando quodammodo hanc cum ipsa, respondet ad argumenta jam facta contra illam valde subtiliter : et satis obscure.

* num. 5. Dicit ergo * : *Sustinendo primam positionem*, etc. Ubi respondet ad argumentum primum, quoad illam partem, in qua ponit intellectum verum quæstionis, dicens quod in tali casu hæc natura esset species, et illa alia in ipsa inclusa esset Genus, ut prius, id est, sicut fuisset si habuisset sub se plures naturas specificas : et assignat rationem brevem, et subtilem, *quia adhuc*, inquit, *cum concipitur, minus habet de intellectu*.

22. Ubi advertendum, quod sicut supra, quæst. 4. et infra, quæst. 7. Antepraedicamentorum, habet Doctor, *Genus est tenuis similitudo singularium*, ut inquit Boetius, id est, parvæ entitatis, et actualitatis actualiter, quia materiale et potentiale : et sicut unumquodque se habet ad esse, et actum, a quo maxime est esse, ita ad intelligibilitatem : quare inquit Doctor quod *cum concipitur minus habet de intellectu*, scilicet objective, non formaliter, nec subjective, et hoc intelligitur de fundamento Generis, hoc est dictu, Genus habet se, in una etiam specie, ut potentiale, et contrahibile, et actuale, et per consequens minus habens de entitate, et actuali, atque essentiali intelligibilitate, quam species cujus est. Et sic sustinendo primam positionem, quod nec actu scilicet quoad exigentiam, nec potentia ad sic esse, requirit Genus plures species, sed tantum aptitudine, id est, non repugnantia ad esse actu. Patet solutio ad titulum quæstionis expositum, ut tu exponis ipsum. Et ita est, inquit Doctor, responsio ad propositum.

Genus quomodo includitur in specie.

23. Ad secundum dicit, *quod non sufficit ad esse Speciei*, id est ad hoc quod sit species alicujus Generis, *posse concipi ab intellectu : sed requiritur ultra hoc, quod in ejus intellectu includatur Genus, respectu cujus debet dici species : quod, inquit, non est verum*, scilicet illud secundum additum: *de illis multis, ad quæ est aptitudo Generis, ut prædicetur de illis*, scilicet [illegible] aptitudinaliter. *Tamen si non sit Genus aptum dici*, etc. Ubi Doctor tangit conditiones requisitas ad hoc ut aliquid sit species Generis actu. Primo quod Genus tale aliquando dicebatur actu de illo et [illegible] aptum dici de eodem. Secundo quod concipiatur ab intellectu, et hoc per speciem intelligibilem, ut supra, et hoc eamdem, per quam cum esset concipiebatur, ut infra, quæst. 5. et 6. primi libri Perihermenias, habet. Tertio potest addi quod si quod intellectu sit Genus, ut prius si, inquit, sic sit Genus aptum dici, tunc erunt plures species actu, et nedum aptitudine, vel potentia.

Ad speciem actu tria requiruntur.

Ad tertium * negat consequentiam primam, et dat instantiam de sola forma, et tenet quod talis argumentatio non valet cum aptitudine, quia tunc ubi esset aptitudo, semper esset potentia, quod tamen esse falsum supra ostendit. Quod autem hoc sequatur, ostendit per unam propositionem notabilem, quæ clara est. In fine vero totius quæstionis ponit unum notabile (et posset assignari ut quinta pars hujus solutionis) in quo videtur concludere cum secunda propositione, et contra primam : licet aliqualiter ad argumenta respondeat sustinendo primam. Dicit ergo quod *simpliciter tenere possum, quod Genus non est aptum natum dici de multis*, nisi duabus conditionibus observatis, scilicet quod talia *concipiantur ab intellectu, et quod in eorum intellectu includatur Genus*, et per consequens talia erunt species actu, ut loquitur Logicus de speciebus, et hoc [illegible] [illegible], *sive possint existere, sive non* : quare concludit quod *Genus semper habet multas species actu*. 24 * num. 4.

[illegible] de multis [illegible] requiritur.

[illegible] Doctoris in 2. articulo, tamen propter majorem [illegible] introducam [illegible]. [illegible] * num. 4 Videtur enim quod secundum [illegible] intentionaliter requirat multas species actu 25.

quia quæstionibus præcedentibus declaratum est quod *prædicari de pluribus* est ratio Universalis, ergo per se includitur in intellectu cujuslibet speciei ipsius, et per consequens Generis. Similiter *differentibus specie* (ut dictum est quæstione præeunte) est convenienter, tanquam particula quidditativa, posita in definitione Generis, ergo de necessitate species plures requiruntur et differentia specie. Similiter posset argui de Genere et Specie in fundamentis tum ex illis auctoritatibus ante oppositum, tum quia si intentio Generis requirit plures intentiones specierum, et fundamentum fundamenta, cum illæ intentiones habeant esse in diversis fundamentis specificis subjective.

26. Item, supra dictum est, quod definitio Universalis, et Generis est quidditativa, et essentialis, ergo non datur per aptitudinem. Patet consequentia, quia nulla aptitudo est de essentia illius cujus est, ut patet plerumque in doctrina istius, et maxime 2. quæst. Quodlibeti, et 6. quæst. primæ distinct. 2. Male ergo dicit quod definitur per *aptum natum prædicari*, etc.

Item, videtur quod aptitudo, et potentia, inconvenienter distinguantur, ut Doctor distinguit : nam aptitudo dicit ordinem ad actum, et potentia inclinationem ad illud, respectu cujus est. Potentia etiam absoluta non est ordo, cum ordo sit respectus.

Item, videtur quod grave positum sursum, per potentiam divinam, sit aptum esse sursum, aliter esset violenter sic sursum, quod non contingit, cum omnia sint in potentia obedientiali respectu Dei, et per consequens habent inclinationem secundum imperium ejus.

Item, talpa dicitur cæca, et tamen non est nata habere visum, ergo illa propositio est falsa, *Nihil dicitur privatum*, etc.

Item, per potentiam divinam potest cæcus etiam natus videre, ergo illa propositio est falsa, *A privatione ad habitum*, etc.

Item, a tenebra ad lumen est possibilis transitus, et sic de aliis multis.

27. Ad ista respondeo, primo præmittendo, judicio meo, quod ille primus modus dicendi sufficienter impugnatur a Doctore, et ideo secundus modus magis mihi sapit, et verior est, logice loquendo : tamen sustinendo primum, ad primum istorum dico, quod intelligitur illud aptitudinaliter, ut dicit Doctor, et communis expositio omnium: est enim Universale, et prædicabile idem ; et prædicabile est id quod aptum natum est prædicari. Et similiter dicendum est de differentibus specie, quod requiruntur aptitudinaliter.

Vel si contendas quod intelligantur ista actu, et non solum aptitudine, posset dici quod verum est de facto loquendo : sed tamen in aliquo casu, ut quæstio ista supponit, posset aliter esse. Similiter potest dici ad illud quod tangitur de fundamentis.

Ad aliud, posset dici uno modo, quod entis aptitudinalis definitio, per aptitudinem congrue potest assignari. Hujusmodi est prædicabile, vel Universale. Aliter posset dici, posito quod Universale completum, et actu, (de quo est hîc sermo) sit ens actu, et quod prædicabile sit tanquam passio ejus, ut supra, quæst. 6. dictum est : tunc vel circumlocutive datur hîc definitio per aptitudinem, vel est descriptio per subjecti passionem.

Et per hoc solvitur illud quod sequitur 28.
de aptitudine. Et si adhuc contendas quod est relativum actuale, ergo requirit terminum actu. Dico quod verum est loquendo de actu cognito, ut dicit secunda positio, non autem in actuali existentia, ut loquitur ista.

Ad aliud dico, quod formaliter potentia non est inclinatio, vel non repugnantia, licet aliquando se concomitentur, nec aptitudo formaliter est ordo, licet concomitentur se : nullibi enim secundum veritatem est aptitudo, ubi non est potentia in ordine ad aliquod agens in universo : aliter aptitudo esset otiosa, contra Commentatorem 2. Metaph. in principio. Quod tangitur de potentia absoluta, dico quod hîc loquitur de potentia respectiva, ut patet.

Ad aliud dico breviter, quod in tali casu, grave esset sursum violenter, ut violentia opponitur aptitudini naturali, non tamen ut opponitur aptitudini obedientiali, licet aliquibus videatur quod nec naturaliter, nec violenter, sed tantum neutraliter sit sursum : et hoc habet expresse iste quæst. 1. Tertii, et quæst. 19. Quodlibeti, quod videlicet cum actu supernaturali stat aptitudo naturalis ad oppositum.

29. Ad aliud dico, quod loquitur Doctor hic proprie de privatione, quæ est carentia in apto nato habere habitum, et quando, et in quocumque loco fuerit, et secundum quod et ad quod, ut 5. Metaphys. text. comment. 27. et 9. Metaphysic. text. comment. 3. habetur. Modo talpa non est hujusmodi. Vel aliter quod talpa est nata habere visum secundum genus propinquum, scilicet inquantum animal.

Ad aliud de tenebra, etc. patebit infra, in Postprædicamentis in una quæstione, veritas illius propositionis, de qua privatione intelligitur, et de qua non. Vide ibi triplicem distinctionem de privatione. Et cum dicitur quod per potentiam divinam potest cæcus, etc. dixi jam quod nullibi est aptitudo, ubi non est potentia absolute loquendo ; modo Philosophus loquitur ibi naturaliter, ut expertus est, et in ordine ad agens naturale, sicut alibi in similibus loquitur.

30. Secundo dubitatur, circa aliqua dicta in illis tribus rationibus contra primam propositionem, et solutionibus earum, sustinendo primam positionem. Et quia prima ratio est satis expressa, et declarata prius, circa secundam rationem * instabo. Videtur enim quod illud primum assumptum sit falsum, quia natura, vel quidditas animalis, seclusa omni operatione intellectus, ut habet illam unitatem minorem unitate specifica, est communicabilis, et prædicabilis de pluribus, quantum est ex parte sui, dato quod intellectus nihil operetur circa ipsam nec circa species ejus, imo dato quod nulla potentia cognoscat ipsam, nec species ejus. * num. 4.

Item, nihil est actu species nisi actum collativum; sed in illo priori per speciem intelligibilem potest apprehendi, ergo illa propositio est falsa, quod *Genus natura, inquantum dicitur species, est quod actu concipiatur*, etc.

Item, videtur quod illa tertia ratio præsupponat falsum, scilicet Genus esse actu Genus, propter solam aptitudinem ad prædicandum, imo requiritur quod habeat ad minus unam speciem actu, et ita non erit simile de illis speciebus, quæ tantum aptæ sunt recipere prædicationem ejus, et sic argumentum non procedit.

Item, videtur quod illa propositio *Quod est esse sufficit utrique correlativo*, non sit vera, ut patet in relativis tertii modi, et pluribus aliis, in quibus aliter habet esse, et alio modo unum correlativum, et aliter aliud.

Item, videtur responsio data ad secundum istorum trium includere aliqua dubia. Primo cum dicit * quod *non sufficit ad esse speciem*, etc. arguitur enim sic: Inquantum aliquid prædicatur in ratione generis, de aliquibus in ratione specierum, per hoc denotatur quod in intellectu eorum sit, et includatur tale Genus, ergo male dicit Doctor, quod *non est verum de illis multis*, etc. * num. 5.

Item, quare dicit quod *aliquando dicebatur*, de præterito, et per eamdem speciem.

Item, videtur quod inconvenienter neget * illam primam consequentiam tertiæ rationis, quia simili argumento usus est quæstione præcedente, et primo Perihermenias, quæst. 8. Nec instantia de forma solis est ad propositum, tum quia doceretur quod forma solis non est materialis, tum quia dato quod sic ponatur, quod alia materia non sit apta recipere illam, cum materia prima sit unica omnium, et in potentia ad omnes, et maxime secundum doctrinam hujus, in pluribus locis, et præcipue in secundo, distinct. 14. * num. 6.

Item, non videtur sequi quod si sit [illegible] in utroque extremo, quod sit possibilis, nec propositio illa ad hoc probandum est necessaria; sicut enim grave positum est

sum, est aptum esse in centro, ita in centro est aptitudo ad recipiendum ipsum, et posset nihilominus poni sic rursum, quod nunquam posset esse in centro, potentia saltem agentis naturalis, de qua videtur loqui ipse.

32. *Natura generica non est nisi potentia remota Universale.*

Ad ista respondeo. Ad primum dico, quod sicut Universale aliud est in potentia, aliud in actu, et si in potentia, hoc est vel propinqua, vel remota; ita prædicabile. Dico igitur quod loquitur hîc logice, et de Universali in actu, vel prædicabili, vel saltem in potentia propinqua. Nihil enim sic est aptum, nisi cognitum, et cognitis extremis, vel terminis suæ aptitudinis, et tunc sequitur actus prædicandi. Prius enim cognoscuntur extrema cognitione absoluta, quam comparativa, ut dictum est sæpe supra. Concedo ergo quod assumitur in argumento de quidditate generis in illo priori, loquendo de aptitudine remota, non propinqua.

Ad aliud, tactum est supra, quæst. 4. et sequenti. Sed breviter pro nunc dico, quod hîc accipitur *Speciem actu*, pro fundamento propinquo speciei, vel non quocumque modo apprehensam, sed apprehensam, et comparatam.

Ad aliud, patet ex dictis quomodo procedit argumentum Doctoris.

Ad illud, quod tangitur de relativis, non dicit Doctor, quod semper habent uniformiter esse, sed quod sufficit æquale esse. Loquitur etiam de relativis mutuis, ut patet.

Ad aliud, patet ex secundo articulo. Non enim intelligitur illud de *prædicari* actu, sed aptitudine, licet in rei veritate solutiones illæ non sint multum curandæ. Addit enim Doctor ultra hoc, quod est *prædicari vel aptitudine, vel actu :* alias conditiones, ut sint actu species, et infra ostendit quod argumentum peccat secundum Consequens.

33. Ad aliud dico, quod ideo dicit *aliquando dicebatur*, quia præsupponit omnes species possibiles in universo aliquando fuisse, et ideo si ponatur aliquam, vel aliquas alicujus generis non esse actu in re, aliquando tamen fuerunt, et per consequens species intelligibiles, aliquando ab individuis earum acceptæ, remanent. Quare et specie inesse cognito actu, vel habitu. Si tamen poneretur aliquam speciem alicujus generis de novo secundum se totam posse produci, tunc solutio non procederet. Dicit etiam *per eamdem speciem*, quia si per aliam, videretur esse alterius objecti, ut patet, et tangitur infra, super libros Perihermenias. Sed tamen non est simpliciter impossibile quod sit alietas speciei, et identitas objecti.

Ad aliud, patet quod bene negat, de forma, consequentiam illam valere, ut ostendi per instantiam. Et cum dicis quod sic arguit quæstione præcedente, dico quod non, quia ibi de facto, hîc vero de aptitudine.

Cum instatur contra instantiam de sole : 34
Ad primum negatur assumptum secundum veritatem, quia forma solis est materialis, sicut aliorum corporum cœlestium.

Ad aliud, potest dici uno modo, quod loquitur de materia secunda, vel dato quod de prima, forte locutus est secundum communem opinionem, quæ ponit alietatem materiæ superioris, et inferioris.

Ad aliud, probabiliter sustinetur illud dictum de potentia, et aptitudine, et propositio sequens, et ad instantiam de gravi diceretur, quod ibi est potentia, quia nullum violentum perpetuum naturaliter. Si enim visus esset natus esse in cæco, sicut e contra : quare non potentia, sed quidquid sit de ulteriori investigatione hujus, et dictorum ; probabiliter tamen, et famose loquendo, Doctor solvit argumenta illa optima, ut daret viam tenendi primam propositionem. Secunda tamen propositio mihi magis sapit. Sed in rei veritate supplendo, ut facit Doctor, parum, vel nihil differunt.

Cætera clara sunt, nisi quis moveretur, 35
eo quod dicit Doctor in secunda propositione *, quod *Species intelligibilis accipitur* * num
ab individuo, et quod *aptitudo habeatur actu*, ubi videretur esse oppositio in adjecto. Sed hæc faciliter solvuntur. Primum, quia

quod est causa causæ, est causa causati : sed individuum est causa phantasmatis, et hoc causa speciei, ergo vel saltem individuum est *quod*, licet non *quo*, vel in individuo includitur, et illud *quod*, est ratio agendi, et conditio agentis : et ideo non dicit Doctor quod individuum causat, sed quod ab individuis accipiuntur, quod est recte dictum.

Aptitudo quomodo insit. Ad aliud dico, quod aptitudo potest comparari vel ad inesse fundamento, vel ad terminum. Primo modo, non aptitudine, sed actu inest. Secundo modo, proprie est aptitudo, et aptitudine terminum habet, et non necessario actu, ut infra, cap. de Proprio habet. Ubi forte prolixius hæc tractabo, et hæc omnia probabiliter dicta sint.

In eo quod quid dividit Genus a Differentia, et communiter accidentibus. Cap. eod.

QUÆSTIO XIX

Utrum hæc particula in quid, *convenienter ponatur in definitione Generis*

Vide citatos *quæst.* 15.

1. *Argumentum pro parte negativa.* Quod non videtur, quia illud prædicatur *in quid*, per quod convenienter respondetur ad interrogationem factam per *quid*, ut patet ex probatione Porphyrii : tale non est Genus hic definitum ; quia sive quæratur de re, sive de intentione Speciei, non convenienter respondetur per Genus, ut denotat intentionem, et tamen Genus sic sumptum definitur hic, ut dictum est prius.

Item, hæc particula ponitur ad distinguendum Genus a Differentia, per Porphyrium, sed hoc non potest : igitur frustra ponitur. Probatur minor. *Differentia enim superior prædicatur de Differentia inferiori, per se primo modo*, per Aristotelem 7. Metaph. cont. 43. et non sicut Differentia : quia tunc per se ipsum descenderet superius in hanc inferiorem Differentiam : ergo prædicatur superior de inferiori *in quid*.

Item, ponitur ad separandum Genus ab Accidente, quod non contingit : quia Accidens prædicatur *in quid* ; quia in omni Genere est reperire *quid*, per Aristotelem 1. Topicorum. cap. 71.

2. *Conclusio [illegible]* Ad oppositum est Porphyrius. Dicendum, quod convenienter ponitur, quia *prædicari* dividitur in prædicari in *quid*, et in *quale*, tanquam per primos prædicandi modos ; igitur per illa descendit Universale in species, Genus autem non prædicatur in *quale*, igitur in *quid*.

Intelligendum quod prædicari in *quid*, est prædicari essentiam per modum essentiæ, hoc convenit Generi ; quia Genus accipitur a parte materiali, et ideo prædicat essentiam per modum substantis, quia est modus essentiæ. Per oppositum autem Differentia accipitur a parte formali, et ideo prædicat essentiam per modum informantis, et qualificantis, et ideo in *quale*. 6. Topic. cap. 8.

Nota. Differunt qualitas et differentia in modo prædicandi. Nota quod Qualitas quæ est Prædicamentum, prædicatur in *quale* absolute. Sed differentia substantialis prædicatur in *quale quid*. Ex hoc enim quod importat formam, prædicatur in *quale*, sed ex hoc quod importat substantiam, prædicatur in *quid*, ideo ratione totius dicitur prædicari in *quale quid*. Unde patet Differentia prædicandi inter Qualitatem et Differentiam, quæ diversitas prædicandi sumitur a diversis modis essendi qualitatis, et differentiæ substantialis, ut patet.

3. *Contra conclusionem.* Contra solutionem quæstionis. Si prædicari in *quid*, est prædicare essentiam per modum essentiæ : ergo hæc est prædicatio in *quid*, *Homo est lapis*. Item,

si prædicari in *quid*, est prædicare essentiam per modum essentiæ, et illud non est univocum rebus diversorum Generum; quia nec essentia : igitur hæc particula, *in quid*, non convenit rebus diversorum Generum; ergo nec Genus hic definitum est univocum omnibus illis Generibus.

Solutio. Dico quod prædicari in *quid*, est prædicare essentiam subjecti, per modum essentiæ, et quod *lapis*, vel aliud disparatum non prædicat essentiam hominis, per modum essentiæ, quia non prædicatur de homine; nam illo modo tantum superius, et commune prædicatur de contentis sub illo, et de illis est manifestum.

Ad secundum potest concedi, quod prædicari in *quid*, est prædicare essentiam per modum essentiæ, et hoc est univocum, licet essentia non sit univoca; quia sufficit essentiam similiter se habere hîc, et ibi, ad prædicari univoce, quia prædicari dicit habitudinem.

4. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dico, quod duplex est quæstio de Specie sumpta pro intentione, scilicet *quid est, et quid prœdicatur*, est propria quæstio in intentionibus, et sic convenienter respondetur per Genus, ut hîc definitur. Ut quærenti *quid prœdicatur de Specie*, bene respondetur *Genus*. Si autem fiat quæstio cum *esse*, ista est propria fundamentis, et sic *prœdicatione exercita* prædicatur fundamentum Generis, de fundamento Speciei in *quid*.

Ad secundum dicitur, quod Differentia non prædicatur in *quid* de aliquo, respectu cujus est Differentia, sed respectu cujus est Genus, sed superior Differentia est Genus respectu inferioris.

Contra, quia si sic, ergo in omni Genere sunt tria generalissima, scilicet Specierum, et Duarum Differentiarum.

Item si Differentia inferior sit Species, ergo habet propriam Differentiam superiorem in se, ut Genus, et aliam Differentiam superadditam, et ita illa Differentia pari ratione erit Species, respectu superioris Differentiæ, et ista habebit aliam Differentiam, et illa alia Differentia, non potest esse in alio Genere, quia tunc non substantia esset prius substantia, ergo sic procedendo, infinitæ erunt Differentiæ in Genere substantiæ, et ita nihil erit cognoscibile; quia non erit devenire in primam illarum Differentiarum.

Ad hoc igitur dicendum sicut dictum est, quod tota coordinatio Differentiarum reducitur ad coordinationem Specierum.

Ad tertium principale dico, quod nihil prædicatur *in quid* de illo, respectu cujus est accidens, sed respectu cujus est Genus, *ut color* non prædicatur de Substantia in *quid*, sed de albedine respectu cujus est Genus.

EXPOSITIO

De Primo, quid sit *in quid*, innotuit supra quæst. 12. et alibi, et in solutione hujus quæstionis patet. Nedum enim esse de quidditate, vel de essentia dicit *in quid*. Unde ait in Theorematibus, definitione 6. *Essentiale in plus se habet quam in quid*, et infra, cap. de Differentia, quæst. 6. dicit quod *Ad prædicari in quid, non sufficit quod prædicet quid*. Quid vero *quidditas*, vel *quod quid*, ut *quod quid erat esse*, habet videri in Metaphysica, et alibi sæpe. 5.

Ordo quæstionis hujus patet, et divisio ejus communis est, excepto quod in secunda parte potest fieri aliqualis subdivisio, ut patebit.

De Secundo, arguit tribus rationibus partem negativam. 6.

Prima satis clara est, procedit enim ex argumento Porphyrii in littera, ad oppositum tamen ostendentis Genus prædicari in *quid*, eo quod convenienter respondetur

per ipsum, ad interrogationem factam per *quid* de Specie. Cum ergo (ut quæst. 14. ostensum est) Genus ut hic definitur, sit intentio, et tale non dicitur in *quid* de re, ut patet, nec de intentione Speciei, cum sint disparatæ Species Universalis, quare nullo modo Genus prædicatur in *quid*: si enim quæratur *quid est homo?* non respondetur quod est Genus. Si etiam quæratur, *quid est Species?* nec respondetur per Genus.

Secunda ratio procedit ex inadæquatione, vel potius eo quod frustratur fine, propter quem ponitur, ut supra, quæst. 17. in simili argutum est. Et formetur argumentum similiter, sicut ibi notavi ratione 1. ante oppositum. In probando minorem adducit Philosophum 7. Metaph. *text. comm.* 43. ut supra, quæst. 15. et 16. recitatum est de prædicatione differentiæ superioris de inferiori.

7 Et quia aliquis diceret quod prædicatur in quale, et non in quid, sicut prædicatur de Specie cujus est constitutiva, hoc excludendo dicit, quod *non prædicatur ut differentia*, scilicet sicut de Specie prædicatur, sed ut superius de inferiori, in recta linea: et assignat rationem dicens, *quia tunc superius per se ipsum descenderet in inferius*, hoc est dictu, quod sicut differentia non contrahitur ad illud, cujus est differentia, sed potius contrahit, et determinat Genus, et alia superiora, ita si differentia superior de inferiori diceretur, ut differentia; non determinaretur, nec contraheretur ad ipsam per aliquod contractivum, cujus oppositum præsupponit Doctor esse verum, licet non probet.

Vult ergo inferre quod cum ut superius descendat in ipsam, et per consequens per aliquod determinativum, vel contractivum prædicatur in *quid* de ipsa, sicut in linea recta Specierum, et Generum convenit suo modo. Tertia ratio procedit simili fundamento sub aliis terminis, ut patet. Adducit Philosophum 1. Topicorum, cap. 7. et est propositio notabilis, et sæpe ponderatur in his quæstionibus.

8. Ad oppositum adducit Porphyrium, deinde respondet ad quæstionem, ubi duo facit. Primo solutionem quæstionis, conclusionem affirmativam sustinendo, ponit, et declarat. Secundo objicit contra dicta, et solvit. Prima pars potest dividi in duas. Primo conclusionem quæsiti affirmativam ponit, et breviter probat. Secundo duo notabilia pro majori declaratione adjungit. Dicit ergo primo, quod *concedendum est ponitur*. Cujus rationem subjungit, ut supra sæpe dixit, eo quod ratio Universalis est *prædicari de pluribus*, quæ dividitur per *in quid*, et *in quale*, tanquam primos modos prædicandi. Cum igitur Genus sit species Universalis, necesse est ut aliquo duorum modorum prædicandi prædicetur, quia differentiæ divisivæ Generum, sunt constitutivæ Specierum. Manifestum autem est, quod Genus non prædicatur in *quale*, ergo per locum ab immediate oppositis, prædicabitur in *quid*. Et quia aliquis dubitaret, quare Genus non prædicaretur in *quale*, et quare Differentia prædicatur in *quale*, et non in *quid*.

Ponit primum notabile declarativum istorum terminorum, et significationis eorum, quid videlicet sit prædicari in *quid*, et quid in *quale*, et tota littera patet ex his quæ dicta sunt supra, quæst. 12 et sequentibus. Et ne ex hoc quod dicit Differentiam prædicari in *quale*, crederet aliquis Differentiam esse qualitatem, de prædicamento Qualitatis, cujus modus prædicandi est prædicari in *quale*, secundum quod diversi modi prædicandi, et quæstiones et responsiones proportionales correspondent diversis Prædicamentis: ideo ponit secundum notabile, dicens quod *Qualitas ut est unum prædicamentum prædicatur in quale absolute*, scilicet absque aliqua determinatione contrahente vel diminuente. *Sed differentia substantialis*, id est, essentialis *prædicatur in quale quid*, id est, in quale essentiale, ut habetur 6. Topicorum, cap. 8. quod declarat notabiliter, quia differentia talis importat formam, vel formam Speciei, ut supra sæpe. Forma autem, potentia, et actus, sunt Synonyma transcendentia, qua- 9.

re prædicatur in quale. Unde 5. Metaph. *text. comm.* 19. habetur, quod primus modus Qualitatis est differentia substantiæ. Et quia non quamcumque formam, nec quocumque modo, sed formam quidditativam, et essentialem importat, et ex consequenti per modum totius, ideo prædicatur in *quid*. Quare inquit *ratione totius*, id est, formæ, et quidditatis, prædicatur in *quale quid*, id est, in quale quidditative.

Unde concludit ex hoc differentiam inter modum prædicandi Qualitatis, et Differentiæ, quæ differentia sumitur ex diversitate modorum essendi, ut prius sæpe, de quo magis infra, cap. de Differentia, quæst. 6. habet videri.

10. Deinde objicit contra dicta dupliciter, et maxime contra illud primum notabile.

Primo inferendo ex illa descriptione *prædicari in quid*, hoc inconveniens, videlicet quod hæc, *Homo est lapis*, est prædicatio in *quid*, et hoc manifeste falsum est : quia esset per consequens vera, cum omne prædicatum in *quid*, vel in *quale*, essentiale, de aliquo vere inest sibi. Quod autem illud consequens sequatur, patet; quia lapis non prædicatur de homine per modum qualitatis, nec informantis : quare per modum subsistentis, vel essentiæ, quod est prædicari in *quid* per te.

Secundo arguit, inferendo illud inconveniens, videlicet Genus hîc definitum non convenire univoce rebus omnium generum, vel esse univocum eis, cujus oppositum dictum est supra, quæst. 14. Quod autem hoc sequatur, potest sic argui : Cujus pars essentialis, et per se definitio non est univocum omnibus generibus, nec ipsum definitum : sed hæc pars definitionis Generis est hujusmodi, ergo. Patet consequentia cum majore. Minor vero patet, quia essentia non est univoca illis, ut dictum est sæpe supra, et infra magis : quare nec prædicari in *quid*, si illa descriptio, quam tu assignas, est conveniens, scilicet *prædicare essentiam per modum essentiæ*, et potest hoc argumentum formari eodem modo, sicut præcedens.

Ad hæc argumenta respondet, negando consequentiam primi, quia *prædicari in quid*, vel *in quale* dividunt prædicationem possibilem, et veram, ubi videlicet est habitudo prædicati ad subjectum, qualis est abstracti, inquit Doctor, id est, superioris, vel communis, vel si loquatur de abstractione proprie, intelligi debet de abstractione non ultimata : accipit enim abstractum pro Universali, ut sæpe alibi habet. 11.

Ad aliud, dicit conformiter dictis supra, quæst. 14. et 15. et infra, in Antepraedicamentis, quæst. 4. quod sufficit videlicet unitas proportionis in fundamentis ad unitatem univocationis, in intentionibus. Prædicari ergo in *quid* univocum est in omni genere, licet nulla essentia univoca sit, sed bene unitatem proportionis habent essentiæ Prædicamentorum, scilicet in similiter se habendo, ut patet, quod sufficit, inquit Doctor, quia prædicari dicit habitudinem prædicati ad subjectum. Ubi ergo est uniformis habitudo, ibi uniformis modus prædicandi; et ita prædicari in *quid* secundo-intentionaliter univocum erit. Deinde respondet ad argumenta principalia.

Ad un... tem un... catio... suffici... nitas p... portion...

Ad primum dicit quod sicut Species dupliciter accipitur, primo-intentionaliter, scilicet et secundo-intentionaliter, ita duplex potest esse quæstio de Specie, videlicet *quid est*, et *quid prædicatur* de ipsa. Et licet utraque quæstio posset fieri de ipsa utroque modo accepta, tamen proprie loquendo prima in fundamentis, et secunda in intentionibus fieri debet. 12.

Quæsti... specie duplic...

Ad formam igitur argumenti dicendum, si quæratur de Specie, ut quæri debet, scilicet quid prædicatur de ea ? Convenienter respondetur per Genus ut hîc definitur ; et sic concessa majori, negatur minor, et secunda pars probationis ejus. Sicut ergo convenienter quæritur, *quid est homo ?* et respondetur per *animal*, ita convenienter quæritur *quid prædicatur de specie ?* et respondetur per *Genus*, et talis quæstio, et responsio habent exerceri in fundamentis, sicut incomplexa unius pro incomplexis alterius supponunt taliter unita.

13. Ad secundum principale, dicit quod differentia potest accipi vel ut differentia, vel ut genus. Primo modo non prædicatur in *quid*, sed bene secundo modo. Sed contra hanc responsionem arguit dupliciter.

Primo, quia tunc sequeretur quod in omni genere essent tria Generalissima, scilicet specierum in recta linea et differentiarum oppositarum, quia sicut in linea recta est prædicatio quidditativa superioris de inferiori, ita in collateralibus per te, ergo sicut ibi datur supremum, ita in collateralibus, suo modo.

Secundo arguit processum in infinitum in differentiis essentialibus ex illa responsione, quia si differentia superior est Genus, et inferior Species, et omne genus descendit in suas Species per differentias, ergo aliqua differentia erit contractiva illius superioris, et constitutiva inferioris : et tunc de illa contractiva quæratur an sit Species respectu superioris differentiæ, vel non ; si non, pari ratione dicendum erat de prima, quam tu ponis speciem ; si sic, cum omnis species habeat genus et differentiam, ergo illius differentiæ erit alia differentia constitutiva, et de illa quæratur sicut prius, et sic processus in infinitum in differentiis essentialibus.

14. Et quia forte aliquis diceret quod si illius differentiæ, differentiæ erit alia differentia, non tamen de genere Substantiæ, sed de alio genere : hoc excludendo dicit, quod non potest esse in alio genere. Cujus rationem assignat, quia differentia est prior specie : modo substantia est primum omnium 7. Metaph. *text. comm.* 4. non erit ergo differentia substantiæ non substantia : etiam ex non substantiis non fit substantia 1. Physicorum *text. comm.* 26. et 27. Species autem ex differentia constituitur. Et sicut specialiter infert Doctor, hoc inconveniens in genere substantiæ, ita in aliis : eodem modo posset dici, et de processu in infinitum, et quod differentia semper est ejusdem generis : sed in substantiis manifestius est, et forte verius, ut infra magis. Quod autem talis processus in infinitum non debeat admitti ostendit : quia ad cognitionem speciei requiritur cognitio omnium differentiarum ejus, si ergo sunt infinitæ, non poterunt pertransiri, ex 1. Posteriorum, et alibi sæpe, nec per consequens Species aliqua in genere substantiæ cognoscibilis erit, quia cujus cognitio dependet ab ignoto, et ipsum ignotum erit. Infinitum vero ignotum est 1. Physic. et 2. Metaphysicæ.

Ad hæc duo respondet unica responsione : sed videtur specialiter esse ad primum istorum, et remittit se ad dicta supra, quæst. 12. ad finem, quod scilicet non sequitur inconveniens illatum in primo argumento, quia coordinationes differentiarum, etc. Sed secundum argumentum quærit aliam evacuationem, ut statim tangam. 15.

Ad tertium principale, respondet uniformiter ut ad secundum, videlicet quod accidens potest comparari, vel ad subjectum vel ad suppositum, ut supra sæpe dictum est. Primo modo non prædicatur in *quid*, et sic loquitur Porphyrius in littera. Secundo modo bene prædicatur in *quid*, non ut accidens, sed ut Genus, vel Species. Eidem enim fundamento comparato ad diversa, diversæ intentiones applicari possunt, secundum diversitatem proprietatum ex parte rei. Color namque, vel coloratum respectu albi, et nigri, est genus ; respectu saporis, differentia, saltem communiter dicta ; respectu corporis, accidens ; respectu qualitatis, species ; et sic de aliis. *Accidens comparatum prædicatur de subjecto, et supposito.*

De Tertio, circa dicta in solutione quæstionis, possent plura dubia adduci, sed quia ex supra determinatis possunt declarari, ideo breviter ea expediam. Videtur primo quod genus in *quid*, et non in *quid* prædicetur, cum sit accidens, sicut et aliæ intentiones. 16.

Item, illæ notificationes de in *quid*, et in *quale*, non videntur convenire intentionibus, de quibus per se hic est intentio.

Item, non videtur qualitas absoluta in

quale prædicari, quia etiam alia omnia Prædicamenta accidentium sic prædicantur, ut patet; cum non in *quid* dicantur de subjecto.

Item, videtur inconvenienter dictum, quod Differentia prædicatur in *quale quid*, quia tunc non esset Universale. Patet consequentia ex dictis supra, quæst. 12. ubi ideo definitionem secundum declarationem Doctoris non ponit Porphyrius hîc, quia non prædicatur aliquo uno modo prædicandi, sed in *quale quid*. Similiter ergo dicetur de Differentia, si sic prædicatur.

Item, sicut prædicatio alia vera, alia falsa; et similiter propositio, ita videtur quod modus prædicandi conveniat utrique: sicut ergo prædicari in *quid* et in *quale* sunt primi modi prædicandi in prædicatione vera, ita et in prædicatione falsa, ergo cum lapis de homine non prædicetur in *quale*, prædicatur ergo in *quid*, licet falso. Solutio igitur primæ objectionis in solutione quæstionis, non procedit.

17. *Genus prædicatur in quid dupliciter.* Ad hæc respondetur. Ad duo prima patet copiose supra, quæst. 12. articulo 3. Genus enim prædicatur in *quid* dupliciter, scilicet in actu *signato* de Specie, ut supponunt pro fundamentis, in actu *exercito* de hoc genere, et illo. Prædicatur etiam in *quale*, tam in actu *signato*, quam *exercito* de fundamento. Quomodo etiam illæ notificationes verificantur in intentionibus, et quare, vide ibidem.

Ad aliud dico, quod verius Qualitas quam alia in *quale* prædicatur, licet extensive loquendo alia prædicentur in *quale*. Sunt enim propriæ quæstiones, et responsiones diversorum generum: sed sicut *quid* reperitur in omni genere, ita et *quale* extensive, licet proprie *quid* ipsi substantiæ, et *quale* Qualitati attribuantur. Vel aliter dici potest, quod Doctor non excludit alia Prædicamenta ab hoc, quod est *prædicari in quale*, sed intendit ostendere quod Differentia non est qualitas prædicamentalis ex hoc, quod prædicatur in *quale*. Aliud enim est aliquid esse *quale*, et aliud ipsum in *quale prædicari*. Breviter ergo dico, quod sicut forma, et actus accipiuntur dupliciter, scilicet limitate, et transcendenter, similiter et qualitas: et ita prædicari in *quale*. Et similiter potest distingui de actu primo, et secundo, et qualitate sic, vel sic dicta: et ita proportionaliter de prædicari in *quale*. Antonomastice igitur, et proprie loquitur Doctor hîc, ut prius.

Ad aliud, patet ex secundo articulo: non enim intendit Doctor quod Differentia habet duos modos prædicandi discretos, vel distinctos, sicut definitio; sed per *quale quid* intendit quale essentiale. 18.

Ad aliud dico, quod sicut *falsum* est nihil formaliter, ita prædicatio falsa, et propositio, ut talis, includens repugnantiam, et incompossibilitatem, est nihil, licet dicatur propositio, vel prædicatio materialiter, vel secundum quid. Modi igitur prædicandi positivi conveniunt prædicationi positivæ, id est, compossibili, proprie loquendo: sed nihilominus concedo quod in prædicatione falsa, aliquando denotatur prædicatum esse de quidditate subjecti, aliquando denominans ipsum; quia tamen non est ita ex parte modi essentiali, nec etiam ex parte modi prædicandi proprie erit. Dico igitur quod si lapis prædicaretur de homine, in *quid* prædicaretur, ergo ex opposito oppositum. Et posset etiam concedi, quod sicut falso prædicatur, ita in *quid* falso prædicatur: et hoc intendit Doctor in littera, ut patet speculanti. *Propositio falsa nihil est formaliter.*

Secundo dubitatur, circa argumenta principalia, et solutiones eorum. Videtur enim quod de Specie possent plures quæstiones formari illis duabus, videlicet *cui subjicitur*, et *de quo prædicatur*, et sic de aliis. 19.

Item, ad quæstionem factam per *esse* de Specie, convenienter respondetur per Universale, ut patet.

Item, ad quæstionem factam per *prædicari* de homine, convenienter respondetur per *animal*, ergo non solum in intentionibus, cum *prædicari*, et in fundamentis, cum *esse* sit conveniens quæstio, et responsio.

Item, unum disparatum non prædicatur de alio : sed Genus et Species sunt hujusmodi, ergo non convenienter respondetur ad quæstionem factam de Specie per *prædicari*, affirmative per *Genus*.

Item, videtur manifesta repugnantia in dictis hujus 7. Metaphysicæ, et 4. Sententiarum, distinct. 11. quæst. 3. et hic, solvendo secundum principale, ubi videtur sustinere differentiam superiorem esse genus, respectu inferioris. Quod enim est genus alicujus, prædicatur per se de illo, ut patet : sed differentia superior non prædicatur de inferiori differentia per se, ut ex intentione habet in locis præallegatis, ergo non est genus ejus : responsio ergo nulla.

Item, videtur quod insufficienter solvat objectiones, vel replicas contra illam responsionem, et maxime secundam, quia penitus videtur concludere.

Item, quare in illa secunda replica specificat genus Substantiæ potius, quam alia genera, et quomodo procedit illa consequentia. Non substantia esset prior, cum non semper differentia sit prior, ut patet de ultima differentia.

20. Ad ista. Ad primum dico, quod ad propositum comparando Speciem ad Genus, sufficienter loquitur Doctor. Possent etiam aliæ omnes reduci ad istam, ut patet.

Ad aliud dico, quod extraneum est a consideratione Logici de istis considerare ea in esse essentiali, vel quidditativo, ut dictum est prius. Loquitur etiam proprie de *esse*, et *prædicari*, ut patet in littera. Licet ergo *esse* suo modo conveniat intentionibus, non tamen proprie ut rebus. Vel aliter, quod tunc æquivalent fundamentis, vel rebus, quia non ut *modi*, sed ut *quid* accipiuntur. Per idem patet ad aliud de *prædicari* in fundamentis, quod extraneum est, ut patet supra, quæst. 14. et alibi sæpe.

21. Ad aliud dico, quod verum est quod assumitur in actu *exercito*, et accipiendo utrumque ut *quid*, secus est de actu *signato*.

Contra. Sicut hæc est falsa, *Lapis est homo*, ita et hæc, *Homo prædicatur de lapide*. Dico quod secus est in rebus, secus in intentionibus, maxime concretive sumptis ; quia sic accipiuntur ut supponunt pro fundamentis, et non pro suis suppositis, vel significatis. Contra, hæc est essentialis, et per se, *Genus prædicatur de Specie*, dico quod si hæc est verum, intelligitur de actu *signato*, et non *exercito*. Quod non est essentiale in actu *exercito* in fundamentis, potest dici essentiale logice in intentionibus, in actu *signato*, ut patet.

Ad aliud potest dici, ut notavi supra, quæst. 15. et 16. quod loquitur Doctor hic secundum communem expositionem aliorum, qui tenent de mente Philosophi ibi esse, Differentiam superiorem prædicari per se de inferiori, et includi in intellectu ejus. In locis vero allegatis loquitur secundum opinionem propriam.

Ad aliud, potest concedi quod infertur, 22
et propter hoc ille modus dicendi non est imitandus. Sed adhuc sustinendo ipsum, potest dici ad argumentum, quod non sequitur processus in infinitum in differentiis, quia diceretur quod status esset in secunda : quia illa est simpliciter simplex. Et negatur quod eadem ratione standum esset in prima.

Ad aliud dico, quod vel ideo specialiter loquitur de Substantia, quia notiora sunt nomina differentiarum illius Prædicamenti, nominibus differentiarum aliorum. Vel ideo quod Substantia non per additamentum definitur, secus de aliis. Et etiam quia forte in aliis generibus non ita negatur processus in infinitum, in speciebus et differentiis, sicut in genere Substantiæ. Non est enim inconveniens, [illegible] in aliis Prædicamentis non Substantiæ procedere species illorum generum. Et quod tangitur de differentia ultima, dico quod loquitur de differentiis communiter notis, cujusmodi non sunt ultimæ, eo modo quo dicit Philosophus, quamlibet partem definitionis esse in plus, quam definitum. Vel dato quod universaliter loquatur, dico quod differentia ultima inquantum pars est [illegible]

Differentia ultima prædicabilis prior specie.

prior Specie. Et si contra hoc dicatur, quod convertitur, tactum est supra, quæst.12. quomodo intelligi debet. Non enim comprehensive, sed completive dictum est.

23. Sed adhuc posset dubitari, circa solutionem ultimi principalis, quare potius conceditur accidens respectu diversorum esse genus, et accidens, quam differentiam. Et quod differentia posset secundum veritatem dici genus, et Species, videtur de mente hujus 1. Reportationum, distinct. 25. quæst. 2. ubi dicit quod omne Universale reducitur ad Genus, vel Speciem, quoniam illud quod est Differentia, vel proprium respectu alicujus, respectu suorum inferiorum est Genus, vel Species. Differentia ergo superior respectu inferioris alterius denominationis, clarum est quod non est Species, saltem specialissima, ergo Genus.

Ad hoc respondeo, quod bene de accidente primo - intentionaliter, et secundo-intentionaliter concedi potest absque repugnantia, quod dicit Doctor, quia in omni genere est *quid*. Sed licet de differentia secundo-intentionaliter posset concedi quod sit genus ad intermediam, et ultimam, ut infra magis, non tamen de differentia primo - intentionaliter accepta. Et ratio est multiplex, quam tangit Doctor 7. Metaph. et 4. Sententiarum, ubi prius. Et quod adducitur de primo Reportationum, potest dici quod se habet per modum Generis, vel potius Speciei, prædicare non subjecte, et respectu suorum inferiorum ejusdem denominationis. Vel sustinendo alium modum dicendi, ut prius, conceditur quod uniformiter hoc dicitur de utroque, sed alius modus dicendi est magis ad mentem Doctoris. Elige tamen quod volueris, et dic consequenter.

Etenim principium quiddam est hujusmodi Genus earum quæ sub ipso sunt Specierum.

QUÆSTIO XX

Utrum Genus sit principium Specierum

D. Thom. *Opusc.* 48. *Tract.* 1. *cap.* 4. *et in* 1. *d.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. Paulus Venetus *cap. de Specie.* Sanchez *lib.* 3. *quæst.* 6. Joan. Ang. *et* Brasavol. *super hanc quæst.* Rodriguez *ibidem.* Merinero *cap. de Genere quæst.* 4. Suarez *Tom.* 1. *Metaph. disp.* 5. *quæst.* 5. Conimbr. *in Præfatione Porphyrii, quæst.* 3. *art.* 1. Complut. *disp.* 5. *quæst.* 5. Ruvius *cap. de Genere quæst.* 5.

Quod non videtur, quia idem non est principium, et principiatum ; quia principium, et principiatum distinguuntur. Sed Genus est idem Speciei : ergo non potest esse principium Speciei : Major patet. Probatio minoris est duplex, prima est hæc ; quia *Genus* secundum Philosoph. 7. Metaph. cont. 43. *nihil aliud est præter res eas, quæ sunt Generis Species.* 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, Genus prædicatur de Specie per se, hæc enim est per se : *Homo est animal* ; sed quod prædicatur per se de aliquo, non est distinctum ab illo ; ergo est idem sibi.

Item, Genus est totum respectu Speciei, ergo non est principium ejus. Consequentia probatur ; quia principium est simplicius principiato ; sed totum est compositius eo cujus est; et Antecedens patet, per Auctorem in littera, cap. de Specie, ubi dicit, *Genus est totum respectu Specierum.*

Ad oppositum est Auctor in littera, in 2.
comparando tertiam significationem Generis ad primam, ubi dicit, quod *sicut Genus tertio modo dictum, est principium Specierum, sic Genus primo modo dictum, est principium multitudinis.*

Conclusio Doctoris. Ad quæstionem dicendum, quod sic, sumendo *Genus* pro natura, in qua fundatur ipsa intentio, et non pro intentione, quod declaratur sic : Genus est essentiale principium cognoscendi Speciem ; ergo est essentiale principium Speciei. Consequentia probatur ; quia definitio faciens scire definitum, exprimit essentialia principia definiti, quod est Speciei solum, proprie loquendo, quia nihil proprie definitur, nisi Species. Antecedens patet per Philos. 6. Topic.

3. *Essentiale principium Speciei duplex.* Sed sciendum, quod essentiale principium Speciei est duplex. Quoddam secundum rem, quod est pars rei in existentia ; cujusmodi sunt materia, et forma : aliud secundum rationem, quod importat eamdem rem, sub modo indeterminato, quam Species importat modo determinato, et hoc, si illud nomen imponatur ad significandum illam rationem, prout sumitur vel a materia, vel a forma. Nunc autem Genus, puta *animal*, non est principium Speciei, puta *hominis*, primo modo, scilicet secundum esse ; quia si sic, tunc non vere prædicaretur de ea, ergo est principium Speciei, secundo modo : et ideo si *homo* debeat definiri (cum definire sit actus rationis) in ejus definitione debet poni *animal* tanquam principium Speciei secundum rationem, et æque *rationale*. Et sicut in re, natura materiæ extraneatur naturæ formæ, ita quod neutrum est dicibile de altero, ita apud rationem, intellectus Generis extraneatur intellectui Differentiæ, licet eadem res importetur utrumque. Idem enim significat *animal* quod *homo*, præter determinationem ultimæ formæ, et hoc significat per modum *quid*, et per se dictum, et ideo secundum Porphyrium prædicatur in *quid*. *Rationale* autem idem significat cum determinatione ultimæ formæ, sed tamen per modum *qualis*, et denominative, et ideo apud rationem, conceptus Generis, et differentiæ sunt extranei.

4. *Differentia inter partes rationis et partes secundum rem.* Et propter rationes, est sciendum, quod est differentia inter partes rationis et partes secundum rem : quia licet utrumque significet partes totius, partes tamen secundum rationem, significant partes totius, per modum totius : partes autem secundum rem, significant partes per modum partis. Verbi gratia, Genus hominis, puta *animal*, est pars ejus secundum rationem. Nam a sua prima impositione imponitur ad significandum partem hominis, puta *habens animam sensitivam* ; quia tamen eam significat per modum totius, et non per modum partis ; ideo vere prædicatur de homine. Sed non est sic de parte secundum rem ; quia æs, quod est pars materialis statuæ, significat partem per modum partis et ideo de statua non potest prædicari.

Ad rationes. Per hoc ad rationes dicendum, quod non est inconveniens idem esse totum, et partem diversimode. Ideo dicit Boetius, *libro Divisionum*, quod Genus in prædicatione est totum, in diffinitione vero est pars.

EXPOSITIO

5. Quæri ultimate circa capitulum de Genere, propter verba Porphyrii comparantis significationes Generis ad invicem. Utrum genus sit principium Speciei ? Et maxime habet attendi hæc quæstio de Genere, et Specie, in fundamentalis, ut [illegible] in littera hic, licet etiam in intentionibus possit verificari ex consequenti quodammodo.

De primo, quid genus, patet ex dictis supra. *Principium* autem quid, et quoties sumitur, habetur 5. Metaph. text. comm. 1. et aliis in aliis. Potest enim assignari principium secundum [illegible], et hoc vel secundum [illegible] naturæ, vel a proposito ; vel secundum tempus præteritum, vel futurum ; vel secun-

dum motum naturalem, vel voluntarium. Secundum quantitatem etiam discretam, utpote secundum ordinem posset assignari principium, ut 12. Metaph. patet, et hoc vel naturalem, vel voluntarium. Secundum etiam quidditatem potest assignari principium, et hoc vel quoad cognitionem, sive intellectivam, sive sensitivam; vel quoad entitatem, vel quantum ad subsistendi consequentiam, vel quantum ad naturam, vel causalitatem, vel quantum ad potentiam, et actum. Posset etiam alio modo distingui de principio, sicut de ordine solet fieri. Quoties enim sumitur *ordo*, toties *prius* et *principium*. Ordo autem alius perfectionis, alius generationis, alius naturæ, alius dur tionis, et alius originis : et similiter de principio intelligendum est. Sed ulteriorem declarationem dictorum dimitto lectori sagaci, quia hîc pertractare alienum et pertæsum foret.

6. Quoties etiam *causa*, toties et *principium* accipitur, ut supra, quæst. 13. tetigi, licet proprie *principium* conveniat causis moventibus, et agentibus ut Averroes, comm. 1. primi de Physico auditu exponit Aristotelem. Sed an recte, habet videri alias : hoc enim nomen *causa* appropriatur fini, et *principium* efficienti, et *elementum*, materiali et formali. Sed communiter *causa* et *principium* ut synonyma habentur, et maxime in proposito. Licet *principium* proprie secundæ significationi generis conveniat : communiter tamen tertiæ, sed an etiam proprie, per modum videlicet efficientis, statim magis. Quid *Species*, et quoties accipitur, quæstione sequente habet videri.

Divisio quæstionis communis, nisi quod secunda pars aliqualiter subdividi posset.

Ordo vero patet, quia prius erat determinandum de Genere, ut hîc sumitur, in illa videlicet tertia significatione, quam ponit Porphyrius definitive, et declarative, quam de comparatione ipsius ad alia. Omnis enim potentia cognoscens convenientiam, vel differentiam aliquorum, prius cognoscit extrema, ut 2. de Anima *text. comm.* 146. habetur, hæc autem quæstio habet pro fundamento hujusmodi compationem, ut patet.

De Secundo, arguit ad partem negativam duabus rationibus ; et utraque ducit ad impossibile, et contradictionem. Prima sic formatur : Genus non est principium suiipsius, ergo non est principium Speciei. Vel sic syllogistice ; Nihil est principium suiipsius : sed si Genus esset principium Speciei, esset principium suiipsius, ergo, etc. Assumptum pro majori patet, ex oppositione principii et principiati : quia opposita relativa inferunt contradictoria. Minor vero patet dupliciter, primo ex identitate Generis, et Speciei, per Philosophum 7. Metaphys. text. comm. 43. *genus nihil est* etc. Quidquid autem est principium unius eorum quæ sunt simpliciter, idem est principium alterius, ut patet. Secundo patet minor ex perseica prædicatione Generis de Specie, 1. Posteriorum. In prædicatione enim tali, et maxime primi modi, prædicatum est idem subjecto, etiam formaliter, saltem terminative, et supra, quæst. 16. tactum est idem. 7.

Secunda ratio procedit ex oppositione totius, et partis : vel principii, et patet. Quod autem genus sit totum, allegat Porphyrium in littera, et est cap. de Specie, et idem habet Boetius, libro Divisionum, ut supra, quæst. 16. visum est. Sequeretur enim hæc contradictio, quod Genus esset compositius, et simplicius Speciei, si esset principium Speciei.

Ad oppositum adducit * Porphyrium in littera, comparantem tertiam significationem Generis ad secundam : sed communiter in originalibus habetur *primam*, et utraque littera potest salvari. Nam illa quæ est prima ordine scripturæ, est secunda ordine causalitatis, et intentionis, et e contra. Prima enim significatio est multitudo, vel collectio descendentium ab uno primo : secunda vero est principium talis multitudinis, et patet quod via causalitatis et intentionis, istud est primum. Potest er- 8. * num. 2.

go littera corrigi si habetur *primam*, vel intelligi sine correctione ad sensum datum. Sic, inquit, genus tertio modo dictum est principium specierum, sicut genus secundo modo, vel primo modo, etc.

Deinde respondet ad quæstionem, ubi duo facit. Primo conclusionem affirmativam ponit, et probat. Secundo pro declaratione illius probationis quædam notabilia adjungit. Secunda ibi : *sed sciendum.*, etc.

9. Dicit ergo primo *quod sic* : et hoc loquendo de fundamentis Generis, et Speciei. Quod ideo notanter dicit, quia loquendo de intentionibus, sunt simul natura, et disparatæ species Universalis, et sic unum non est de essentia alterius. Et arguit ad hoc sic : *Genus est essentiale principium cognoscendi specierum, igitur*, etc. hæc consequentia posset probari ex 2. Metaph. comm. 4. *Unumquodque sicut se habet*, etc. sed Doctor probat eam alio modo, *quia definitio faciens scire definitum exprimit essentialia principia definiti*, ut patet 1. Topicorum cap. 4. Talis autem definitio datur per genus et differentiam 6. Topic. cap. 1. definitum tale est sola Species, proprie loquendo, imo etiam sola specialissima, ut patet 7. Metaph. text. com. 13. et 17. et 6. Topic. et in libro divisionum, et definitionum Boetii.

Deinde pro majori declaratione dictorum
* num. 3. adducit * duo notabilia singularissima, et Metaphysicalia, valde utilia ubique, et supra, quæst. 16. fuerunt tacta fere, et infra quæst. 7. Anteprædicamentorum, et in primo, distinct. 3. et 8. et in Quodlibeto, quæst. 2. articulo 2. ad finem, similia tanguntur. Secundum notabile incipit ibi, *et propter rationes*, etc.

10. Dic ergo primo quod sicut Species potest dupliciter considerari, scilicet in esse existentiæ, et Physico, et in esse quidditativo, et Metaphysico, sic similiter et partes et compositio ejus. Primo modo materia et forma sunt partes, et hoc maxime verum est loquendo in genere Substantiæ corporeæ. Secundo modo genus et differentia, quorum unum, scilicet genus, sumitur a parte materiali, aliud scilicet differentia, a parte formali, ut supra tactum est et explanatum, quæst. 16. et utrumque importat illud idem quod Species, licet alio modo, quia Species determinate, ipsa vero et maxime Genus indeterminate. Dicit igitur, quod Genus non est principium Speciei primo modo, quia tunc non prædicaretur de ea, sicut materia prædicatur de toto : sed secundo modo et ideo prædicatur. Quare necesse est quod tales partes ponantur in definitione, cum *definitio sit ratio quam significat nomen*, 4. Metaph. text. comm. 28. et tales partes sint partes rationis, 7. Metaph. *text. comm.* 33.

Et addit notabiliter, quod sicut materia 11.
et forma, quæ sunt partes secundum rem et rei, extraneantur sibi invicem, imo sunt primo diversa, saltem subjective ad unum intellectum, et ideo unum non prædicatur de alio, ita conceptus Generis extraneatur conceptui differentiæ formaliter, licet sint aliquando idem realiter : quare unum non prædicatur de alio, licet prædicentur de eodem tertio et idem importent, diversimode tamen, quia unum, scilicet Genus per modum *quid*, et essentiæ : et aliud, scilicet differentia, per modum *qualis*, et informantis, vel denominantis, ut patet supra, et specialiter quæst. præcedente. Unum etiam, scilicet Genus, indeterminate, quia præter determinationem ultimæ formæ, importat idem; sed alterum, videlicet Differentia, cum determinatione talis formæ, ut exemplificat de animali rationali, et homine : et patet littera. Vult breviter quod sicut in re extraneatur materia formæ, ita apud intellectum conceptus Generis conceptui Differentiæ extraneatur.

Consequenter ponit * aliud notabile, os- 12.
tendens differentiam inter partes definitionis * num. 4.
et partes secundum rem, sive Physicas : et tota littera clara est : et illa quæ dicta sunt supra quæst. 16. Conveniunt enim in significando partem materialem, et formalem, licet secundum majorem, et minorem

abstractionem. Sed differunt quoad modum significandi, et prædicandi : quia partes rationis significant partes per modum totius, sed partes secundum rem, significant partes per modum partium, vel partis. Ubi debet intelligi nomine *partis* significantis conceptus, vel voces, vel termini impositi partibus. Verbi gratia, corpus organicum, et anima intellectiva; animal et rationale, et hujusmodi. Ideo propter talem modum significandi prædicantur partes secundum rationem de toto tali, et non prædicantur partes secundum rem, saltem prædicatione formali. Ponit exemplum de animali, et ære in comparatione ad hominem, et statuam; quorum unum significat per modum totius, quia concretive concretione ad suppositum. Unde animal est habens sensum, secundum Avicennam : aliud vero ut æs, significat partem essentialem, vel integralem : et ideo per modum partis, licet possit alio modo accipi per modum totius, ut si dicatur *ænea* 7. Metaph. Quare non prædicatur, ut sic, de toto, quia hæc est falsa, *Statua est æs*.

13. Ex his dictis solvit argumenta principalia brevibus, et maxime primum, dicens quod Genus potest diversimode dici totum, et pars, ut patet per Boetium, libro Divisionum, et hoc proprie, et approprietate, ut dictum est prius, quæst. 16. solvendo argumenta principalia ibidem. Genus enim in definitione est pars, in divisione vero, vel prædicatione, totum. Et sicut dictum est de toto, et parte, ita de principiato, et principio dicendum est. Genus enim in definiendo est principium, in prædicando vero principiatum, saltem ex modo significandi, et identitate reali, et formali etiam secundum aliquos. Nec sequitur contradictio, eo quod est de eodem ad idem, secundum idem et eodem modo, et specie, etc. ut habetur 1. Elench. de Elencho.

14. De Tertio, circa dicta in solutione istius quæstionis, licet fuerint pro majori parte tacta prius, aliqua brevibus tangam. Videtur primo quod illa prima consequentia non valeat, Genus est principium cognoscendi speciem, ergo est principium essentiale Speciei, quia accidentia sunt principia cognoscendi substantiam, et subjectum suum accidens, cum definitur per ipsum, et tamen non sunt principia essentialia illorum, ut patet.

Item, videtur quod de intentione Generis posset dici idem, respectu intentionis speciei, quod de fundamentis tenetur. Nam Genus definitur per speciem, ut patet in littera Porphyrii, ergo et e contra. Quare Genus erit principium cognoscendi speciem, igitur et essendi, si valet argumentum tuum.

Item, Logicalis determinatio, et intentio, est primo de intentionibus : cum ergo hîc loquatur de Genere in tertia significatione, ut pertinet ad Logicum, verificabitur primo, et per se, hæc propositio in intentionibus.

Item, si Genus est principium speciei, hoc erit ut materiale : sed materia non est principium cognoscendi, cum ipsa cognoscatur in analogia ad formam, 1. Physicæ, text. comment. 69. ergo, etc. 15.

Item, scire est effectus demonstrationis, in qua passio de subjecto concluditur, ita quod illud quod scitur est conclusio illata : definitio autem non est demonstratio, nec definitum conclusio illata, male ergo dicit, quod definitio facit scire definitum.

Item, posset dubitari, circa illud primum notabile, quare Genus, et Differentia dicuntur partes rationis, fundamentaliter ipsa accipiendo, cum sint res primæ intentionis; et qualiter sumitur ibi *ratio*, et quare materia, et forma non prædicantur sicut Genus, et Differentia : et videtur quod contradicat ibi, et in sequentibus. Dicit enim primo, quod illud quod importatur determinate per Speciem, indeterminate importatur per Genus, et Differentiam : cum tamen infra dicat, quod Differentia cum determinatione ultimæ formæ importat illud, ergo determinate.

Item, quæcumque uni, et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, Physicorum, et Priorum primis : sed Genus et Differentia

sunt hujusmodi, ergo male dicit, quod extraneatur unum alteri, sicut materia formæ. Similiter posset argui de materia, et forma propter identitatem eorum eidem tertio, ut composito. Circa alia quæ sequuntur in littera, non oportet immorari, quia supra, quæstione 16. satis dictum est circa illa.

16. Ad ista respondetur. Ad primum dico, quod loquitur Doctor de principio essentiali cognoscendi, ut ipse notanter exprimit in littera : cujusmodi sunt illa, quæ sunt de intrinseca ratione definiti. Et per hoc patet ad instantiam de accidentibus, respectu substantiæ,et e contra : quia non intrinsece et essentialiter ; sed extrinsece, et per additamentum notificant. Vel si contendatur de quocumque definiente, posset dici, quod accidentia notificant a posteriori. Loquitur autem Doctor de notificante a priori, et tunc concederetur, quod infertur de subjecto respectu accidentis. Prima tamen responsio fortior.

Ad aliud, patet quod illa definitio, et notificatio Speciei per Genus, est per additamentum, et extrinsece.

Ad aliud, patet in simili infra,quæstione 2. Anteprædicamentorum. Plura enim realia in Logica pertractantur, licet non ex primaria intentione. Communiter enim quæ dicuntur de intentionibus, possunt verificari in fundamentis : sed non semper e contra. Qui tamen vellet tenere hanc propositionem esse veram in intentionibus, ut supponunt pro fundamentis, faciliter teneret : sed sententia Doctoris est magis imitanda, ut patet bene speculanti.

17. Ad aliud posset dici; quod Genus est principium formale, licet non ultimatum, ut tactum est supra, quæstione 16. et ideo dicitur proportionale materiæ, non vere materia. Vel dato quod vere materiale,nego quod materia non sit principium notificandi, et cognoscendi illud cujus est, ut 7, Metaphysicæ, et 3. Sententiarum, distinctione 22. habet iste. Et quod additur ex 1. Physic. intelligendum est a posteriori, et quoad modum cognitionis nostræ, ut distinctione 12. 2. quæstione 1. exponit iste. Sic etiam forma cognoscitur per operationem. Qui autem vellet ponere Genus esse principium originativum, et quodammodo effectivum specierum (quia sic tenetur similitudo, quam ponit Porphyrius inter tertiam et secundam significationem Generis) haberet aliter dicere. Sed ea quæ dicta sunt probabilia videntur, in aliquo enim est similitudo, in aliis vero non.

Ad aliud dico, quod accipit scire extensive, pro dare distincte cognoscere, cognitione etiam incomplexa. Vel dato quod proprie intelligit virtualiter, et radicaliter, et accipit *quod scitur* pro *de quo*. Definitio enim est demonstratio positione differens, 1. Posteriorum. 18.

Ad alia, patet diffuse supra,quæstione 16. Et quod tangitur de contradictione, notavi, articulo secundo, quod loquitur tantum de Genere. Vel si de Differentia, non tamen ultima, de qua loquitur illa, ut patet in exemplo de rationali, quod ponit Differentiam ultimam, ut infra, quæstione finali de Differentia, habetur.

Ad aliud, concedo identitatem realem, et extraneitatem formalem. Contra, sunt idem formaliter tertio. Nego, sed bene e contra, nam dato assumpto difficiliter evaderetur. Regula tamen Philosophi intelligenda est absque modificatione. Similiter dicendum est de materia, et forma. Nego enim identitatem realem, vel formalem eorum, composito. Sed e contra concedo utramque.

Amplius autem etc. quod Species est, quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid est, prædicatur, etc. Cap 3.

QUÆSTIO XXI

An hæc definitio Speciei, Species est quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in eo quod quid, sit convenienter data.

Averroes [illegible]

vol. *super hanc. quæst.* Conimbr. *cap. de Specie quæst.* 1. *art.* 2. Complut. *disp.* 6. *quæst.* 1. Merinero *cap.* 3. *de Specie disput.* 1. *quæst.* 4. Rodriguez *quæst.* 1. *de Specie art.* 4. Fonseca 5. *Metaph. cap.* 28. *quæst.* 12. *sect.* 3. Hurtado *disp.* 5. *Log. sect.* 2. Ruvius *cap. de Specie.* Aversa *quæst.* 11. *Log. sect.* 1. *et quæst.* 13. *sect.* 1. Vide recentiores *de constitutione Speciei, et distinctione Generis et Differentiæ.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Circa caput de Specie, quæritur an hæc definitio Speciei, scilicet, *Species est, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus, in eo quod quid*, sit convenienter data. Quod non videtur per Porphyr. qui dicit, *quod Genus, et Species sunt duo correlativa, et propter hoc necesse est in utrorumque rationibus utrisque uti.* Hîc autem nihil ponitur, per quod habeatur correlativum, scilicet Genus, ergo male definitur.

Item, hæc definitio convenit Generi, ut patet, quia sequitur, *differentibus Specie*, ergo differentibus numero, ut supra.

Item, non sunt multæ definitiones ejusdem, per Aristotelem 6. Topicorum, sicut nec multæ essentiæ; quia si sic, non esset definibile : cum ergo Species convenienter definiatur sic, *Quæ ponitur sub assignato Genere*; non convenienter definitur hac definitione.

Item per hanc definitionem, *poni sub Genere*, habetur, quod per se est subjicibilis : ergo non est per se prædicabilis : igitur altera definitio falsa, quia opposita non insunt eidem per se.

Dicitur quod relative opposita possunt inesse eidem, sed non respectu ejusdem; quia sic sunt opposita : sed prædicabile respectu Individuorum, est subjicibile respectu Generis.

Contra, si definiatur convenienter per Genus, quia ad ipsum refertur, ergo per se refertur ad Genus. Illud refertur etiam ad Individua, per quæ definitur in hac secunda definitione : ergo idem bis dicitur relative, quod est contra Aristotelem 5. Met.

Item ad principale, per hanc definitionem non separatur Species a definitione.

Item Species non est prædicatum per Aristotelem 1. Topicor context. 20. Ergo male definitur per prædicari.

Ad oppositum est Porphyrius. Consimiliter posset hîc argui pro, et contra, et objici sicut supra, ubi quæsitum est de definitione Generis. 2.

Conclusio Doctoris. Dicendum, quod definitio ejus conveniens est, sicut supra dictum est de definitione Generis.

Ad primum principale. Ad primum argumentum dicitur, quod Species dicitur correlative ad Genus, et ideo necesse est aliquam definitionem ejus dari, in qua ponatur Genus, et etiam ista, *Species est quæ ponitur sub assignato Genere.* Aliam autem comparationem habet Species ad Individua, non secundum quam est Genus, quia sic negat Porphyrius cap. de Specie, extrema habere duas habitudines, sed secundum quam est Species : et ideo necesse est ipsam habere aliam definitionem in comparatione ad Individua.

Ad secundum et tertium, alias 14. Ad secundum dictum est supra, q. 17.

Ad tertium dicitur, quod unius absoluti, cujus est definitio, indicans ejus esse in se, non sunt multæ definitiones. Species autem per se refertur ad duo.

Contra, saltem non habebit tunc nisi duas definitiones; quia sicut tantum habet unam in comparatione ad Individuum, sic tantum unam in comparatione ad Genus. Dat tamen Porphyrius duas in comparatione ad Genus, dicit enim *Hæc quidem assignatio*, scilicet *prædicari de pluribus*, etc. *Speciei specialissimæ est, quæ solum species est. Aliæ vero erunt specierum non specialissimarum* : ergo ad minus sunt duæ

aliæ præter istam. Hoc conceditur, et dicitur, quod species potest habere comparationem duplicem ad Genus : unam, ut ordinatur sub ipso ; aliam vero ut Genus enunciatur de specie in propositione. Primo modo datur hæc definitio : *Species est quæ sub assignato ponitur Genere*. Secundo modo hæc : *Species est, de qua Genus, et in eo quod quid est prædicatur.*

3. Contra. Liber Prædicamentorum immediatius ordinatur ad Librum Perihermenias, quam iste, sed in Prædicamentis non determinatur de incomplexis, inquantum unum enunciatur de alio ; quia tunc in Lib. Perihermen. superflueret determinare de Nomine, et Verbo, quæ significant incomplexa sub illis rationibus : ergo multo minus definitur hic Species, ut de ea enunciatur Genus.

Hoc potest concedi, et dici, quod tantum ponit unam definitionem in comparatione ad Genus, et tunc hæc ratio, scilicet, *quæ ponitur sub Genere*, exponitur per sequens, et pro *scilicet de qua*, etc. Quod autem dicitur *aliæ erunt non specialissimarum*, scilicet aliæ notificationes, non diffinitiones; quia secundum quamdam diversitatem tantum, secundum quid notificant speciem ; consimilis enim diversitas poterit inveniri comparando speciem ad individua, secundum quam comparationem tantum ponitur una definitio.

Ad quartum. Ad quartum dictum est supra.

4. Ad argumentum contra hoc potest dici, quod species non tantum secundum diversa sibi accidentia refertur ad Genus, et Individua ; quia tunc per neutrum definiretur, sicut nec homo, licet sibi accidat duplum ; sed essentialiter, et per se comparatur ad utrumque. Et quod dicitur idem non refertur ibi, intellexit Aristoteles quod accidens non refertur ad subjectum, et terminum, sicut innuit in littera, ibi : *Non est autem intellectus ut intelligentem, et intelligibile* ; et tunc non est contra prædicta. Vel oportet dicere, quod idem non refertur primo ad diversa, per se tamen potest : quia primo ad unum, per suam rationem : per se vero ad aliud, secundum rationem sui Generis. Relativum enim secundum Genus, est relativum per se, quia includit in sua essentia illud per quod refertur. Impossibile est enim absolutum in sua essentia essentialiter includere relativum : sic Species secundum suam propriam rationem dicitur ad Genus ; secundum autem rationem sui Generis scilicet Universalis, dicitur relative ad illa de quibus prædicatur, quia *dici de*, convenit sibi inquantum est Universale, v. g. *duplum* secundum se refertur ad *dimidium* ; sed secundum suum Genus ad *submultiplex* : non est tamen omnino simile, quia ibi correlativum Generis continet correlativum Speciei, hic non. Ideo prima definitio est Speciei propria secundum se, quia datur per ejus primum correlativum, secunda datur per posterius, quia magis est ad propositum ; est enim propria Speciei inquantum est Universale.

Ad quintum potest concedi, quod definitio non est distinctum Universale a Specie, secundum quod hic de Universalibus agitur. Vel aliter, quod non prædicatur in *quid* tantum, sed in *quid*, et in *quale* : quia non habet simpliciter unum modum prædicandi, sed duos, sicut Genus et Differentia, ex quibus est. 5. *Ad quintum.*

Ad sextum dictum est quæst. 12. in solutione primi argumenti. [illegible]

Ad videndum quomodo idem referatur ad duo per se, ut hic dictum est in solutione 4. argumenti, sciendum quod idem non potest referri ad diversa primo ; quia illud competit alicui primo, 6. [illegible]

quod competit ei per speciem suam; illud autem competit sibi per se, quod competit sibi per causam in se: unde illa dicuntur relativa primo, quæ sunt hujusmodi secundum aliquid intellectum essentialiter inclusum in eis, sicut ratione sui generis. Sicut medicina dicitur relative ratione scientiæ, quæ est ejus Genus quæ iteratur in ea.

Idem non potest primo referri ad duo. Probatio primi, quia si sit, tunc illa relatio quæ est ratio referendi unum ad duo extrema, primo, esset duæ relationes essentialiter; quia ad duo, non est primo eadem habitudo, sed relatio secundum se, est habitudo. Tunc etiam idem haberet duas definitiones; quia per utrumque relativum æque primo definiretur: consequens est falsum; quia tunc posset cognosci per unam, et non cognosci per aliam.

Item, tunc idem posset simul esse, et non esse: accipio enim duo correlativa, scilicet A et B; et C referatur ad utrumque, si C referatur ad A æque primo, et etiam ad B, igitur cum A possit esse sine B, sequitur quod C relatum ad ambo scilicet ad A et B, simul esset, et non esset, quia esset existente A, et destructo B, non esset.

7. *Idem potest referri per se ad plura.* Probatio secundi, scilicet quod possibile est idem referri ad diversa, non primo probatur sic, quia refertur primo, et per se ad primum correlativum, et potest referri per se, et non primo ad correlativum sui Generis: verbi gratia *multiplex*, et *submultiplex* referuntur; et *duplum* et *dimidium* referuntur; sed *duplum* primo et per se refertur ad *dimidium*, per se autem et non primo ad *submultiplex*, quod est correlativum sui generis, et non primum *dupli*, sed primum *multiplicis*: *multiplex* enim est Genus *dupli*; et *sub multiplex* est Genus *dimidii*; *submultiplex* potest esse, non existente *dimidio*; sed *dimidium* non potest esse, nisi existente *submultiplici*. Sed idem non potest referri ad quæcumque diversa, quia si ad unum primo, et ad aliud per se non primo, tunc primum posset esse tale, quod non posset esse sine per se correlativo quam e contrario sine primo, et correlativo. Primo, quia si posset esse sine per se correlativo, sequeretur quod unum extremum simul esset, et non esset: quia existente *dimidio*, necessario est *duplum*, cujus est per se et primo correlativum; sed destructo *submultiplici*, quod est per se correlativum *dupli*, et non primum destruitur *duplum*: ergo si *dimidium* posset esse, non existente *submultiplici*, simul esset *duplum* ad esse *dimidii*, et destrueretur ad destructionem per se correlativi: potest tamen esse e contrario extremum *submultiplex* sine *dimidio*; cujus causa est quia esse correlativum per se, tantum ponit esse Generis, et non ponit aliquid posterius Genere: omne enim superius abstrahit ab inferiori; potest ergo esse *submultiplex* sine *dimidio*.

Sed arguitur in oppositum, scilicet, quod idem referatur ad duo per se, quia idem continens dicitur ad multa contenta; sicut unus numerus continet multos numeros. Similiter una potentia activa refertur per se ad agere, et ad pati, vel ad potentiam passivam: similiter idem pater dicitur ad multos filios per se. 8. *Prima objectio.*

Item, ad quidquid dependet Genus, et Species; igitur Species refertur ad correlativum Generis, et etiam ad proprium correlativum, et ad utrumque per se. *Secunda*

Item, Species per se refertur ad Genus, secundum Porphyrium, et per se ad Individua: Species enim prædicantur per se de Individuis, et ponuntur in definitione ejus, igitur dependet ad ea, et non ponuntur ibi ut Genus, nec ut sub *Tertia.*

jectum ; ergo tantum ut correlativum, vel correlativa speciei.

9. *Ad primam objectionem.* Dicendum est ad quæstionem, ut supra. Ad primum dico, quod non refertur ibi unum ad diversa primo, sed continens in communi ad contentum in communi, et quot Species habet continens sub se, tot habet contentum. Similiter dico de patre. Et cum dicitur, quod idem numerus potest continere multos numeros ; dico quod intelligendum est de per se extremo relationis ; non enim oportet quod una relatio sit in tot subjectis, vel fundamentis, aut extremis, sicut alia relatio ; quia paternitas est in uno subjecto, et filiationes in multis filiis, tamen quot filiationes sunt in diversis filiis, tot sunt paternitates in uno patre, vel quod est pater. Continens ergo licet sit unum materialiter, et subjective in comparatione ad plura contenta primo et per se, est tamen plura continentia formaliter ; quia propriis et distinctis relationibus continentiæ refertur continens ad illa plura contenta. Similiter dicendum est de patre dicto ad plures filios.

10 *Ad secundam.* Ad aliud dico, quod potentia activa refertur primo ad potentiam passivam, inquantum hujusmodi, sed per se, et non primario ; inquantum potentia, solum refertur ad *agere* : et relativum primum, scilicet potentia passiva, non potest esse sine per se correlativo, non primo ; scilicet sine actu potentiæ activæ.

Ad tertiam Ad aliud dico, quod Species primo refertur ad Genus, et ad individua per se ; unde Genus, quod est primum correlativum, non potest esse sine Individuis, quæ sunt per se correlativum. Auctoritas in contrarium patet, quia si intellectus dicitur ad intelligentem et ad intelligibile, idem bis dicitur, id est, æque primo, vel aliter, tunc omne accidens habet duo correlativa, scilicet subjectum et objectum. Ad aliud quod ad quid refertur Genus, et Species ; verum est per se, et non primo.) *Hucusque M. S. Antonianum.*

EXPOSITIO

11. De Primo. Satis noti sunt termini hujus quæstionis, nisi quia sæpe supra, hunc terminum *species*, omisi, et remisi ad hunc locum. Est enim æquivocus iste terminus *species*, ut patet per Porphyrium in littera, qui ponit significationes ejus duas. Sed alii plures ejus ponunt significationes. Dicitur namque *species* a *specio*, *specis*, quod est considerare, et non habetur in usu, sed ejus composita. Primo enim accipitur, ut notat Porphyrius, pro *forma*, vel pulchritudine, unde *species Priami**, etc. Secundo prout relative dicitur ad Genus, ut est unum de quinque Universalibus, et sic in proposito accipitur. Tertio, pro fructibus, leguminibus, vel condimentis aromaticis. Quarto, pro similitudine rei sensibilis, vel intelligibilis. Unde 3. de Anima, text. comm. 38. *Lapis non est in anima, sed species lapidis*. Quinto, pro materie, ut cum dicitur. *Isti panni sunt ejusdem speciei*. Sexto, pro accidente, seu modo significandi partis orationis, dato ipsi ad designandum rem suam sub esse primario, vel secundario, quæ dicuntur primitiva et derivativa species, quod describitur sic a quibusdam : *Species est originalis dispositio dictionis, per quam fit primitivi, et derivativi discretio*. De qua plura in titulo de modis significandi habentur : unde versus :

* al. prima

Est genus species, species Helenæ, speciesque
Vendit apotheca, rerum species habet esse,
Designat similem materiamque rei.

12. Habet autem, ut aliqui volunt, Species logica similitudinem cum specie civili, vel naturali ; quia sicut illa est forma, pulchritudo, vel actus corporis, removens turpitudinem, ita ista est natura completa ultima, remota potentialitate generis per differentias. Sed posset etiam dici quod esset actus individuorum, et forma. Unde Boetius : *Species est forma substantialis singularium.*

Accipitur etiam primo-intentionaliter, et secundo-intentionaliter. Primo modo est natura communis pluribus, numero differentibus, communicabilis, et de ipsis quidditative prædicabilis. Secundo est respectus rationis, fundatus in natura tali : et de illa est principalis intentio Logici. De fundamento vero ejus ex consequenti, et secundario. Intellectus enim considerans naturam aliquam unam, unitate minori, unitate numerali, in uno, vel pluribus individuis, comparat ipsam ad illa, de quibus dicibilis est, et ad genus propinquum : quæ comparatio passio est respectus rationis, qua species nominatur, et in respectu ad genus et individua diversimode, ut infra dicetur.

Ordo patet ex determinatione Porphyrii, et his quæ dicta sunt supra, quæst. 12. Divisio vero communis est.

13. De Secundo. Arguit ad partem negativam sex rationibus, quarum prima sumitur ex auctoritate famosa Porphyrii, de definitione correlativorum, et satis clara est. Secunda ratio procedit per non adæquationem, et convertibilitatem definitionis cum definito, et supra, quæst. 17. tacta est. Tertia, procedit ex auctoritate 6. Topicorum, cap. 4. Et potest confirmari ex 5. Metaphysicæ, text. comment. 19. et 3. Metaphysicæ Avicennæ, quia *unumquodque est semel ipsum, ut sex sunt semel sex, et decem decem.* Cum aliæ ergo ponantur definitiones Speciei, aut illæ non valent, aut ista, aut saltem aliqua superflua : sed qua ratione concederetur alias non valere, et similiter de ista : quia uniformiter arguitur auctoris insufficientia. Simile argumentum facit infra, cap. de Differentia, quæst. 5. ante oppositum, et solvit notanter. Et quod ibi dicitur, *quia si sic non esset definibile*, etc. intelligo sic, si ejusdem sunt multæ definitiones, ejusdem erunt multæ essentiæ : et si sic, non erit unum, sed multiplex. Multiplex autem non est definibile, ut patet. Prima consequentia patet, quia definitio est ratio indicans quod quid erat esse. Secunda consequentia patet quia unius entis est una essentia, quod maxime verum est de uno per se, cujusmodi est species. Quod autem species habeat alias definitiones, patet in littera Porphyrii, et Doctor hîc copiose.

Quarta ratio procedit per viam oppositionis, et patet. Formabis autem argumenta copiosius, quia Doctor breviter arguit.

Ad hanc quæstionem respondet, et bene, 14.
quod respectiva non sunt opposita, nisi ad idem, et secundum idem : et sic in proposito non accipiuntur. Sed contra hoc arguit inferendo ex hoc, quod species bis diceretur ad aliquid, contra Aristotelem 5. Metaphysicæ, text. comment. 20. qui habet hoc pro inconvenienti.

Quinta ratio procedit per non adæquationem, vel convertibilitatem definitionis, et definiti.

Sexta ratio procedit contra hanc particulam definitionis specialiter, scilicet *esse prædicabile de pluribus*, quia species non est prædicatum, per Aristotelem 1. Topicorum, ubi enumerat prædicata quatuor, inter quæ non ponit speciem, ut patet. Et licet argumentum per locum ab auctoritate negative minus valeat, quia tamen ex intentione ibi sufficientiam prædicatorum ostendit, ideo argumentum procedit.

Ad oppositum adducit Porphyrium *, et * num. 2.
addit quod ad utramque partem hujus quæstionis possent adduci argumenta, evacuationes, ut supra de Genere habetur, et similiter circa particulas hujus definitionis per ordinem.

Ad quæstionem breviter respondet, te- 15.
nendo partem affirmativam. Ad cujus declarationem remittit se ad ea quæ dicta sunt prius, de definitione Generis. Tota enim declaratio ibi posita valet hîc, nisi quod *in quid*, et *differentibus numero* sunt in hac definitione, tanquam differentiæ constitutivæ, et contractivæ, et sub alia ratione ipsum *in quid, et differentibus specie*, ponuntur in definitione Generis. Prædicari enim de pluribus est ratio Universalis, et est communis utrique definitioni :

Differentibus numero, et *in quid*, variant Speciem a Genere. Et sicut dictum est de *differentibus specie*, quod ponitur ibi expositive, ita hic de *differentibus numero* est dicendum. Singulæ etiam quæstiones ibi positæ ; videlicet quid definitur, an res, an intentio, et de exemplo posito in fundamentis, de prædicatione Generis, de Specie, et de *differentibus specie*, et de pluralitate specierum requisitarum necessario ad rationem Generis, et de *in quid*, et de principio, et principiatis ; possent proportionaliter hic moveri, et eadem fere esset determinatio : quare Doctor omisit ista, tanquam sufficienter discussa ingenioso lectori.

16. Deinde respondet ad argumenta principalia.

Ad primum dicit, quod licet in hac definitione non ponatur Genus, in alia tamen ponitur, in qua exprimitur habitudo Speciei ad Genus, quam ponit Porphyrius prius in littera, quam istam. Unde dicit, quod Species habet duplicem comparationem, unam ad genus, cui subjicitur, et secundum illam definitur per Genus, ut per suum per se correlativum ; aliam comparationem habet ad individua, secundum quam definitur per ipsa, tanquam etiam per correlativum per se, licet non primum, ut infra statim.

Sed quia contra hoc aliquis posset objicere, ex dictis Porphyrii in littera, cap. de Specie, ubi vult quod extrema, scilicet generalissimum, et specialissimum, habent unicam habitudinem, scilicet illud ad inferiora tantum, istud vero ad superiora, intermedia autem ad utrumque, ideo dicit Doctor non secundum quam est genus, sed secundum quam est species : hoc est dictu, quod Species specialissima, de qua est hic sermo, modo mutat habitudinem, nec nomen Speciei ex comparatione ejus ad individua, et Genus, quia utrobique est species : et ita licet sint secundum veritatem duæ comparationes, sunt tamen in hoc tanquam una. Species vero subalterna, ut comparatur ad diversa, sortitur diversa nomina, quia nunc Species, nunc est genus. Non ergo comparatur species ad individua, ut genus ad species, sed ut species, quæ non contrahitur per differentias quidditativas, sed hypostaticas, et dicit totum esse individuorum, etc.

Ad secundum principale, remittit se ad dicta prius, quæst. 17. 17.

Ad tertium distinguit de uno definito, aut videlicet absoluto, aut relativo. Primo modo procedit argumentum, sed non secundo modo. Modo Species relativum est, ut patet, et ideo cum ad duo referatur, duas definitiones habere convenienter potest. Sed contra hoc replicat, quia Porphyrius ponit tres definitiones speciei : unam specialissimæ, alias duas communes utrique, scilicet specialissimæ, et subalternæ, ut patet ex littera sua : ubi dicit in plurali *aliæ vero*, etc. Pluralis vero numerus ad minus pro duobus supponit, quia æquivalet singulari geminato, ut quæstione sequenti patebit : hoc autem videtur inconveniens, si tantum duas habitudines habet, quia sicut sufficienter exprimitur habitudo ejus ad individua, per unam definitionem ; ita et ad Genus per aliam : superflua est ergo tertia, et qua ratione una, ita et alia, ut prius argutum est.

Ad hoc respondet uno modo, dicens quod Species etiam ad ipsum Genus habet duplicem comparationem, unam in ratione ordinabilis in linea Prædicamentali ; aliam in ratione subjicibilis in enunciatione : et secundum has duas dantur illæ duæ definitiones Speciei, in comparatione ad Genus, ut patet in littera. Sed quia hæc responsio non videtur sufficiens, nec ejus propria, sed aliorum expositorum, objicit instantior contra ipsam, sicut in simili supra, quæst. 12 habet. Unde enim liber iste, scilicet Porphyrii, ad librum Perihermenias, est mediatus, quia mediante libro Prædicamentorum, cujus iste adminiculativus, et introductorius est : sequitur ergo per locum a majori negative sic : Si in libro Prædicamentorum non determinatur de incomplexis, cujusmodi sunt Genus et 18.

Species, et sic de aliis, ut unum de alio in propositione enunciatur, ergo multo minus in hoc libro. Illa ergo secunda comparatio Speciei ad Genus non pertinet ad hunc librum, ergo nec secundum illam definitur convenienter in hoc libro. Quod autem in libro Prædicamentorum non determinetur de incomplexis sub illa ratione, ostendit :quia tunc superflue in libro Perihermenias Philosophus determinasset de Nomine et Verbo sub illa ratione, si jam in libro Prædicamentorum determinatum, ut sic, de ipsis fuisset.

19. Ideo alio modo respondet ad illam replicam, contra solutionem tertii principalis, tenendo tantum esse duas definitiones Speciei : unam videlicet in comparatione ad individua, et aliam in comparatione ad Genus ; et tunc una illarum, quæ ponuntur in comparatione ad Genus, non est distincta definitio ab alia, sed expositiva ejus, ut supra in simili, de *differentibus specie*, in definitione Generis dixit, sic videlicet exponendo: *Species est quæ ponitur sub assignato genere, et de qua Genus in eo quod quid est, prædicatur* ; non ponitur ibi *et* copulative, sed expositive pro *id est*, etc. Et quod dicit Porphyrius, *Aliæ erunt*, etc. non intelligit alietatem essentialium definitionum, sed quarumdam notificationum, quia illa diversitas est tantum secundum quid, et non simpliciter. Vel essentialis, imo non videtur esse diversitas, nisi in voce tantum. Ex eo enim quod per se supponitur Generi, in eo ostenditur necessario Genus esse per se in *quid* prædicabile de ipsa. Unde, inquit Doctor, in alia comparatione, scilicet Speciei ad individua, consimilis diversitas reperitur, nam Individuum per se subjicitur Speciei, et Species in eo quod *quid est* prædicatur de Individuo : et tamen non propter hoc ponuntur duæ definitiones Speciei in ordine ad individua, sed una tantum.

20. Ad quartum principale, remittit se ad responsionem datam immediate in pede quæstionis ad ipsum. Ad replicam contra illam responsionem respondet, concedendo quod non per diversa sibi accidentia refertur Species ad Genus, et ad individua, id est, non per accidens, sed per se refertur ad utrumque : cujus rationem adjungit dicens, *Quia tunc*, inquit *per neutrum definiretur* : quia definitio datur per essentialia et accidentalia. Exemplificat de homine, cui accidit *duplum*, est enim unus homo duplæ magnitudinis, vel quidditatis ad alium hominem, vel aliud quantum : ex hoc accidit homini, et ideo non definitur homo per tale accidens. Similiter in proposito est dicendum quod habitudo ad Genus, et individua, per se, et essentialiter convenit Speciei : et ideo per se, et essentialiter definitur per utrumque. Et cum probatur ex 5. Metaphysicæ, quod non, exponit notabiliter Philosophum, dicens quod intellexit accidens non referri ut ad subjectum, et terminum per se, ut patet per exemplum suum ibi, cum dicit : *Non est autem intellectus*, id est, actus intelligendi qui est accidens, *ad intelligentem*, ut subjectum *et intelligibile*, ut oppositum supple per se respective dictum, et sic, inquit Doctor, non est contra dicta, quia non comparatur Species hic ad Genus, vel individua, ut accidens ad subjectum, vel oppositum, ut patet.

Alio modo exponit Philosophum, ut 5. Metaph. et infra, cap. de Rel .tione, quæstione finali, exponit ipsum, dicens, quod idem referri per se ad plura, potest intelligi dupliciter, scilicet, vel per se primo, vel per se non primo. Primo modo loquitur Philosophus, et non secundo modo, et sic procedunt argumenta, quæ facta fuerunt supra, quæst. 17. *Illud* autem *per se primo refertur*, quod secundum rationem propriam formalem specificam refertur. *Illud* vero *per se non primo*, quod per rationem sui generis refertur. Quod autem per se, ostendit, quia universaliter, quando ratio referendi non accidit relato, sed per se, et essentialiter convenit sibi, tale non per accidens refertur. Modo Genus includitur per se in conceptu Speciei, ergo quod sibi

convenit ratione Generis non per accidens, sed per se convenit ei : si ergo genus alicujus speciei per se refertur de aliquid et species per se refertur ad idem : quod ostendit dicens, quia *impossibile est absolutum in sua ratione formali includere relativum*, contra Nominales, somniantes relationem non distingui a fundamento. Licet enim aliquando relatio sit eadem realiter fundamento absoluto, non tamen formaliter potest esse, ut 1. distinct.2. quæst. 5. copiose habet iste.

22. Applicando ad propositum dicit, quod Species per se primo refertur ad Genus : per se autem non primo ad individua, quia ratione sui Generis, quod est Universale, cujus per se, et primum correlativum est individuum, vel singulare. Ratio enim Universalis est *dici de*, vel *prædicari de*, quæ includitur per se in qualibet ejus specie, ergo in intellectu speciei : modo Species non de aliis, quam individuis est dicibilis, nec prædicatione *signata* nec *exercita* et maxime specialissima. Per se ergo refertur in ratione prædicabilis ad individua, in ratione subjicibilis. Et ponit exemplum Geometricum de *duplo* et *dimidio*, et *submultiplici*.

Ubi advertendum, quod *multiplex* est genus quoddam proportionis majoris inæqualitatis, et *submultiplex*, quod est correlativum ejus, est etiam genus proportionis minoris inæqualitatis. Sub primo continentur plures species, imo finitæ in infinitum, ut *duplum*, *triplum*, *quadruplum* etc. Similiter sub secundo continentur species relative oppositæ totidem, per additionem hujus Præpositionis *sub* in compositione, ut *subduplum*, *subtriplum*, etc. Duplum igitur dicitur relative ad dimidium, sicut pater ad filium, secundum propriam rationem : et præter hoc refertur ad *submultiplex*, quod est correlativum sui generis, scilicet *multiplicis*.

23. Et addit Doctor dissimilitudinem hic, et ibi, *quia ibi*, inquit, *correlativum Generis continet correlativum Speciei : hic non* ; hoc est dictu, sicut *duplum* est species *multiplicis*, ita *dimidium* est species *submultiplicis* : ideo continetur correlativum speciei, scilicet *dupli*, quod est *dimidium*, sub correlativo Generis, scilicet *multiplicis*, quod est *submultiplex*. Hic vero singulare, vel individuum, vel subjicibile quod est correlativum Generis, id est, ipsius Universalis, non continet sub se Genus, quod est correlativum Speciei, quia tam Genus, quam Species, sunt species Universalis, et neutrum est species individui subjicibilis passiva.

Deinde applicando ad propositum argumenti principalis, dicit quod duæ definitiones Speciei assignantur ex hac secunda per se ejus habitudine, prima ex per se, et prima, secunda ex per se, non prima : unde notanter Porphyrius tenuit ordinem convenientem definiendi : et dicit quod secunda quæ datur per posterius, id est, per individua, est magis ad propositum hic, quia est ipsius Speciei propria, inquantum est Universale : hic autem maxime fit sermo de Specie, sub ratione Universalis vel prædicabilis, ut patet supra, quæst. 12. et alibi : igitur secunda definitio Speciei est famosior hic, quam prima, licet prima sit essentialior, et prior simpliciter : quia potius subjecti, quam prædicati rationem habet : ideo jubet Plato quiescere, et non enumeratur inter prædicata in topicis.

Ad quintum principale respondet dupliciter. Primo concedendo assumptum, nec est inconveniens : quia non sunt distincta Universalia Species et Definitio. Secundo modo potest negari assumptum, quia prædicari in *quid* convenit speciei : sed definitioni nullus unus modus prædicandi correspondet, sicut nec partibus ejus : prædicatur enim in *quid*, et in *quale* : et hæ duæ responsiones fuerunt tactæ supra, quæst. 12. 24.

Ad ultimum principale remittit se ad ea quæ dicta sunt supra, quæst. 12. Determinata enim in illa quæstione, sunt tanquam principia communia ad alia plura.

De Tertio, quia supra, cap. de Genere, 25.

et alibi, fere omnes difficultates hic tractandæ, sunt determinatæ, ideo breviter me expediendo circa solutiones argumentorum, aliqua motiva tangam, et solvam. Videtur enim quod Genus et Species non sint per se primo relativa, ut sæpe Doctor dicit hic : quia omnia relativa vel sunt disquiparantiæ, vel æquiparantiæ : Genus et Species non sunt relativa æquiparantiæ, ut patet : nec disquiparantiæ, quia talia non sunt species ejusdem Generis propinqui, ut patet discurrendo. Genus autem et Species sunt species specialissimæ ipsius Universalis, ut communiter ponitur.

Item, non videtur quod Species possit per se referri ad Individua, quia tunc dictum Porphyrii de extremis arboris prædicabilis non staret, nec Species esset extremum, sed individuum.

Item Philosophus 2. de Anima, ponit duas definitiones animæ, quæ est ens absolutum, et similiter de pluribus aliis, patet in doctrina ejus, et aliorum. Male ergo dicitur in solutione tertii principalis, quod unius absoluti non est nisi una definitio.

Item, sicut esse absoluti est formaliter ad se, ita relativum ad aliud, igitur si refertur per se ad plura, et per consequens habebit plures definitiones, ut concedis : habebit etiam plures essentias, et ita non erit unum, ut patet : male ergo concedis relativum habere plures definitiones, et per se habitudines ad diversos terminos, et cum hoc ipsum esse unum.

26. Item supra, quæst. 12. improbatis modis dicendi aliorum, iste ponit numerum Universalium et sufficientiam penes *prædicari*, quare in hoc libro consideratur de incomplexis, ut unum de alio enunciatur, ergo male impugnat illam primam responsionem ad replicam contra solutionem tertii principalis.

Item, supra, quæst. 15. contra primam opinionem in solutione quæstionis, adducit Porphyrium, ubi dicit *assignaverunt* id est, definierunt, ut exponit Doctor, ergo eodem modo debet exponi hic cum dicit, *aliæ vero*, scilicet assignationes *erunt non specialissimarum*, etc. Male ergo exponit *assignationes* per notificationes.

Item *prædicabile* et *subjicibile* sunt oppositæ intentiones, ergo diversificant simpliciter, et non solum secundum quid, illas duas definitiones Speciei in ordine ad Genus.

Item, illa expositio in Philosophum 5. Metaph. de intellectu respectu intelligentis, et intelligibilis non videtur bona, quia nedum ab objecto, sed etiam a potentia dependet actus intelligendi, secundum istum maxime. Similiter omne accidens definitur per subjectum, ergo per se refertur ad ipsum, et præter hoc ad terminum, si habet terminum alium a subjecto.

Item, si individuum, vel singulare est per se correlativum Universalis, qua ratione ergo definitur Species per individua, pari ratione cætera Universalia definirentur, quod minime videtur verum. Responsio igitur neutra ad Philosophum 5. Metaph. bene currit.

Item, omnia quinque Universalia continentur sub *subjicibili*, in ordine ad Univer- 27.
sale, quod est genus eorum : ergo sicut diminutum continetur sub *submultiplici*, ita genus sub *subjicibili*, quod est correlativum *Universalis*, vel prædicabilis, quod idem est : male ergo dicit, quod non est omnino simile quoad ad hoc, in proportionibus, et intentionibus.

Item, illud quod est simul natura cum priori, est prius quolibet illo posteriori : sed correlativum Universalis est simul natura cum Universali, et Species est posterior Universali, ergo erit posterior correlativo primo Universalis : male ergo dicit quod secunda definitio Speciei datur per posterius.

Item, sicut ergo definitio includit Genus et differentiam tanquam partes suas, ita et species : ergo qua ratione definitio non habet unum modum prædicandi, ita nec Species, et ex opposito oppositum.

Item, contra solutionem principalem quæstionis, posset objici sic : Definitio conveniens Speciei in ratione Universalis, vel

prædicabilis, debet convenire omnibus, quibus convenit Species, ut sic : sed non modo specialissima, sed et subalterna est species sic : hæc autem definitio solum specialissimæ convenit, ergo est diminuta. Major patet in simili de definitione Generis, et aliorum similiter. Plura alia possent adduci, sed his solutis patebunt alia.

28. *Genus et species sunt relationes disquiparantiæ.* Ad ista respondetur. Ad primum, dico uno modo, quod Genus et Species sunt relativa disquiparantiæ, et sunt in prædicamento Relationis reductive, ut infra, cap. de Relatione, et oppositione, dicetur : et ita unum reducitur ad relativum suppositionis, et alterum ad relativum suppositionis, et sic reductive sunt in diversis generibus, licet formaliter sunt ejusdem generis immediati, tanquam specialissimæ. Alio modo potest dici, quod non sunt species specialissimæ, ut supra dictum est, quæst. 12. et 14. et alibi, et hoc loquendo de Specie absolute, ut prima definitione hic definitur. Major etiam est unitas in intentionibus, quam in realibus, ut sæpe supra dictum est. Breviter ergo sive teneatur quod Genus et Species ut *quid*, et formaliter, sint species specialissimæ, sive subalternæ ; reductive tamen et formaliter, sunt diversorum generum subalternorum. Qui etiam vellet tenere quod essent ejusdem generis infimi utroque modo, non videtur esse aliquod inconveniens, maxime in secundis intentionibus, quidquid sit de primis.

29. Ad aliud, dictum est in secundo articulo, quomodo intelligit Porphyrius Speciem non habere duas habitudines et quomodo non. Videtur etiam loqui de Specie primo-intentionaliter maxime, loquitur etiam eo modo quo Plato posuit quietem, scilicet in divisione quidditativa, et scientifica : secus est de divisione hypostatica, et materiali. Primo modo concedo quod species est extremum, secundo modo non.

Absoluti[illegible] an plures definitiones Ad aliud, patet ex littera Doctoris : non dicit enim absolute quod unius absoluti non sint plures definitiones, sed sic, quod *quælibet earum sit indicans ejus esse in se*, hoc est dictu, quod licet ejusdem absoluti sit una definitio materialis, et alia formalis, sicut loquitur Philosophus 2. de Anima, non tamen plures formales, vel materiales seorsum. Posset etiam dici, quod anima ibi definitur, ut quodammodo respectivum, quia [illegible] actus, vel principium, ut patet.

Ad aliud quod tangit pulchram difficultatem, dico quod non variatur essentia relativi, nisi referatur per se primo ad diversa, quia ex hoc quod refertur per se primo ad unum, intelligitur natum genus esse ad aliud formaliter, licet non semper e contra. Sicut enim variatio essentiæ in absolutis convenit ex diversitate differentiarum ultimarum, ita in relativis ex hoc, et cum hoc, ex diversitate primorum per se terminorum. De hoc magis patebit infra, cap. de Relatione, quæst. finali.

Ad aliud, potest dici, quod loquitur supra, quæst. 12 de *prædicari* aptitudinaliter et ut est modus ipsius incomplexi, in se seorsum, et in potentia remota, sive propinqua : hic vero loquitur de facto, et in compositione actuali : ita breviter quod prædicari, vel prædicare, et similiter de subjicibili consideratur, vel in primo actu intellectus, vel in secundo. Primo modo consideratur hic, et in libro Prædicamentorum ; secundo modo in libro Perihermenias. 30.

Ad aliud dico, quod non dicit Porphyrius explicite *assignationes* in plurali numero, sed tantum in singulari. Vel aliter quod loquitur in plurali numero, secundum opinionem aliorum, ut patet ex litera ibidem. Vel quod æquivocatur de *assignatione* : vel quod supra cap. de Genere, arguit [illegible] ad hominem, et equum.

Ad aliud, patet supra, articulo secundo. Licet enim sint diversæ intentiones, una tamen infertur ex alia per [illegible] : quod enim subjicitur alicui subjicibili, de necessitate [illegible] nem, et [illegible].

Ad aliud, licet multa possent dici, tamen pro nunc breviter dico, quod loquitur Porphyrius hic de specialissima [illegible] intelligendi. 31.

in ratione mensurabilis ad mensuram ; et non præcise effectus ad causam, nec sustentabilis, vel inhærentis ad sustentificans, vel ad illud cui inhæret : et hæc est intentio sua, et expositio, ut patet in Quodlibeto, quæst. 13. art. 2. ad finem.

Universalis correlativum quod. Ad aliud, potest dici uno modo, quod correlativum Universalis, ut est prædicabile, est ipsum subjicibile, et non præcise singulare, vel individuum : et secundum diversitatem subjicibilis diversificantur definitiones specierum ejus, ut patet. Vel aliter, dato quod individuum esset ejus correlativum, non tamen ita ponitur in definitione aliorum, sicut in definitione Speciei, propter ea quæ dicta sunt supra, quæst. 17. solvendo primum principale.

Ad aliud dico, quod licet Species, vel Genus contineantur sub subjicibili ut *modus*, non tamen ut *quid* ; sed sub prædicabili : et sic patet optime solutio Doctoris subtilissima. Si autem teneretur quod Individuum esset correlativum Universalis, clara est solutio.

32. Hîc posset ponderari multum differentia inter speciem subjectam, et prædicatam, et an sit idem formaliter, vel aliæ, et quæ sit essentialior habitudo Generis, an ad Speciem, an certe ad individua ; et an subjicibile et prædicabile sint de essentia Speciei vel passiones ejus, ubi plura subtilia addat ingeniosus lector : sunt enim valde subtilia, et ardua si bene examinentur.

Ad aliud, potest dici uno modo, quod accipit hîc *prius*, et *posterius*, ut supponunt pro fundamentis, et similiter *speciem* et *individua*. Vel ibi ly *posterius* habet respectuum ordinem denotare, comparando videlicet per se correlativum ad per se primum tale : et sic littera habet dependentiam ex præcedentibus. Vel aliter quod sicut prioritas originis stat cum simultate naturæ, et correlativorum, ita in proposito proportionaliter est dicendum. *Prædicari* enim est *præ alio dici*, ut supra sæpe dictum est. Prius igitur et posterius sunt simul natura, vel naturali intellectione, ut patet. Species autem dicitur esse prior individuo, in ratione prædicabilis : licet alio modo posset dici posterior, ut ostendit ratio. Si autem tenetur individuum non esse correlativum per se Universalis, patet faciliter ad argumentum. *Species ut prior individuo.*

Ad aliud, dictum est supra, quæst. 12. et pro nunc breviter nego similitudinem, quia Species dicit tertiam entitatem, distinctam a partibus, per se unam, cujus est unus modus per se prædicandi : secus est de definitione. Sed si teneretur similiter de definitione, difficile esset evadere argumentum. Quare autem potius in *quid*, quam in *quale* prædicatur, dictum est ibi. 33.

Ad ultimum, quod hîc loquitur de Specie proprie, et appropriate, quæ tantum est Species; et nullo modo Genus; quia species subalterna in ratione prædicabilis, non est Species, sed Genus. Similiter omnis species, ut species, prædicatur de solum numero differentibus, ut supra, qu. 17. dictum est. Hîc ergo definitur Species prædicata : species vero subjecta definitur alia definitione. Per se igitur convenit Speciei prædicari, et per se subjici, et utrumque convenit specialissimæ, et subalternæ. Similiter habere sub se differentia numero convenit per se utrique. Habere autem differentia Specie accidit Speciei, ut species est ; dantur ergo definitiones per se convenientia, et non per accidens talia. Non ita est de Genere respectu generalissimi, et subalterni. *Speciei per se convenit prædicari, et subjici.*

Participatione enim Speciei plures homines sunt unus homo. Cap. eod.

QUÆSTIO XXII

Utrum ista sit vera, plures homines sunt unus homo

Boetius *de Unitate et Uno cap. 2.* Joannes Angl. Brasavolus, *et* Rodriguez *super hanc quæst.*

1. Quod sit vera videtur ; quia sequitur, participatione Speciei plures homines sunt unus homo, ergo, plures, etc. An- *Argumenta pro parte affirmativa.*

tecedens est verum, per Porphyrium ; ergo et Consequens. Probatio consequentiæ. Quia nihil diminuitur ab alio, nisi ponatur ex parte ejusdem extremi : sed *participatione speciei* ponitur in Antecedente a parte subjecti, et *unus* non : ergo *unus* non diminuitur in Antecedente.

Item, quando aliquid se habet ad aliqua simpliciter, et secundum quid, si addatur sibi aliquid determinans secundum quid, stat tantum pro illo, sed *unus* se habet ad *unum numero*, simpliciter, et ad *unum specie*, secundum quid : ergo cum sibi addatur in proposito nomen speciei, scilicet *homo*, tantum stabit hic pro unitate Speciei, et sic est vera propositio : ergo simpliciter est vera.

Item secundum Aristotelem 5. Metaphysicæ universaliter secundum quod aliqua habent in aliquo indivisionem, sic sunt unum ; plures homines in homine habent indivisionem ; quia forma hominis univoce inest eis, ergo sunt unus homo.

Item, uterque istorum est unus homo, ergo plures homines sunt unus homo. Antecedens est verum, quia uterque istorum est singularis. Probatio consequentiæ, quia oppositum consequentis, scilicet *tantum unus homo, est unus homo*, non stat cum Antecedente, scilicet *uterque istorum est unus homo*, quia ibi attribuitur, *unus homo*, subjecto, ad minus pro duobus.

Ad oppositum, si plures homines sunt unus homo : ergo per conversionem sequitur, unus homo est plures homines, consequens est falsum ; quia sua contradictoria est vera, scilicet *nullus homo est plures homines*.

Item, in subjecto, et prædicato accipitur idem sub oppositis modis, qui non sunt separabiles a significato, secundum quod significatur per istas dictiones, ideo propositio falsa.

Ad quæstionem dicendum quod *unus* potest accipi categorematice, et sic significat differentiam entis, et sic de eo loquitur Aristoteles 5. et 4. Metaphys. text. 8. et idem context. 12 et tunc dividitur ab Aristotele ibidem 5. Metaphysicæ in multos modos, ultimo autem *in c. de Uno* ponuntur quatuor modi, ad quos omnes præcedentes reducuntur, scilicet *unum numero, unum specie, unum genere, et unum proportione*. Si *unum* categorematicum se habet æquivoce ad hæc quatuor, tunc sumpto *uno* sic, adhuc distinguenda est propositio penes æquivocationem unius categorematici, et pro tribus sensibus est vera ; sed pro quarto est falsa, scilicet pro uno numero. 2.

Si autem, sicut forte verius est, *unum* se habet ad hæc quatuor, ut ad simpliciter, et secundum quid, quod videtur ex dictis Aristotelis 5. Metaphysicæ context. 2. ubi dicitur, quod *Ad unum numero, sequitur unum Specie, et ulterius Genere, et proportione, et non e converso*, quasi sit minor ratio unitatis in uno *Specie*, quam numero ; et Genere, quam Specie : tunc dicendum est, quod propositio est falsa, ut *unum* est categorematicum ; quia cum hic nihil sibi addatur contrahens ad unitatem secundum quid, stat tantum pro uno *numero*, quod est unum simpliciter.

Aliter sumitur *unum*, ut est syncategorematicum ; et sic dicit modum intelligendi terminum pro supposito determinato, indeterminate tamen, et homo sic sumptus pro supposito, non inest subjecto. Ideo hic propositio est falsa, nihil enim est in subjecto, virtute cujus possit unus homo confundi, et accipi pro diversis ; quia copulatio non confundit ; quia tunc hæc esset vera in sensu composito, *duo et duo sunt duo*, quod falsum est, in illo enim 3.

sensu est hæc vera, *Duo, et duo sunt quatuor,* ex quibus sequitur, quod quatuor sunt duo, quod est impossibile ; ergo altera præmissarum in sensu composito, in quo inferunt illam conclusionem.

4. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod illa determinatio intelligenda est de prædicato sic : *plures homines sunt unus homo participatione Speciei*, id est, in participando Speciem.

Ad secundum dico, quod determinabile non contrahit determinationem, sed e converso, maxime non ad secundum quid; unde hîc, *Homo mortuus*, non stat *mortuus* , secundum quid , licet aliquando contrahat ipsum ad supposita, nam hic, *homo albus*, stat *album* tantum pro albo in homine.

Ad tertium dico, quod non valet consequentia, sunt indivisa in homine, sive in forma hominis: ergo sunt unus homo, vel homo indivisus ; quia in Antecedente significatur *homo*, ut habens rationem determinationis respectu unius, sed in consequente, ut determinabile.

Ad quartum dico, negando consequentiam.

Ad probationem dico, quod illud quod ponitur loco consequentis, si sit unum, ut hîc, *Iste, et iste sunt unus homo* : est vera in sensu divisionis, licet compositionis : non enim habet pro opposito, *tantum unus homo*, sed hanc, *non plures*, quæ bene stat cum Antecedente ; quia hîc negatur prædicatum a pluribus sumptis per modum plurium, quod ibi affirmatur de pluribus sumptis per modum unius; quia ibi divisim, huic, et illi (est enim *uterque* signum divisivum) hîc conjunctum in ambobus.

Vel potest concedi, quod stant simul, *tantum unus homo est unus homo*, et *uterque est unus homo;* quia enim *uterque* distribuit pro suppositis divisim, non excluditur aliquod suppositum hîc, *tantum unus homo*, sub illa ratione, quia pro eis distribuit *uterque*.

EXPOSITIO

Circa quoddam dictum exemplificativum Porphyrii, cap. de Specie, ubi incidenter ponit numerum Prædicamentorum, et ordinatorum in Prædicamento, et consequenter infert duo correlativa, quorum secundum est quod descendendo a generalissimis ad specialissima, oportet ire per multitudinem, et divisionem : sed e contra ascendendo oportet ire per compositionem : cujus causam subdit, quia *Omne commune est collectivum multorum, et magis commune est magis collectivum, ut Genus quam Species.* Et ideo inquit, *plures homines particulares sunt unus homo participatione speciei,* et quæ sequuntur ibidem. Quærit Doctor de veritate hujus propositionis, *Plures homines sunt unus homo :* nihil aliud addendo, sed absolute ipsam proponendo, sicut infra, cap. de Differentia, quærit de veritate illius, *Socrates senex*, etc. et similiter infra, in Prædicamentis, et alibi. Ubi advertendum quod hujusmodi quæstiones valde difficulter pertractat, ut supra patet in illa quæstione de prædicatione Generis de Specie, in fundamentis, ut *homo est animal*, etc. 5.

De primo. Quid sit *pluralitas*, tactum est supra, cap. de Genere, et habet videri super 5. et 10. Metaphysicæ. Sive enim sumatur comparative, sive positive, dicit multitudinem, et ideo toties habet sumi, quoties *multitudo*. Quoties autem accipitur *multitudo*, patet ex multiplicitate *unitatis* 5. Metaphysicæ. Hîc enim sumitur positive, et pro multitudine numerali, ut patet. *Multitudo* enim *est quod est divisibile potestate in non continua*; vel, *est aggregatio unitatum:* et hoc materialiter loquendo de unitate, et non formaliter, quia sic sunt contraria, ut patet 10. Metaphysic. Quid *homines*, et *homo* notum est : quærantur enim multæ notificationes *hominis* in libris, et auctorit- 6. *Multitudo quid.*

tibus definitionum; supra etiam quæst. 16. tactum est. Differunt autem in modis significandi tantum, et non in significato, ut patet, de quo infra, quæst. de definitione Æquivocorum, et alibi sæpe.

7. Quid autem *unus*, et quoties dicatur, patet in littera hic aliqualiter, et 5. et 10. Metaphysicæ, copiose, et supra, quæst. 4. tetigi aliquantulum. Sed breviter pro nunc notabo. *Unum enim est quod est indivisum a se, et divisum a quocumque alio.* (Unum quid.) Quæ negationes præsupponunt positiva, ideo est descriptio circumlocutiva, vel accidentalis. *Unitas* etiam (secundum Boetium, de Unitate et Uno) *est qua unaquæque res una est*, et est descriptio ab effectu formali. Tangat hic de modis *unitatis*, ex Boetio ibidem, lector, quia quæ sequuntur ex Aristotele accepi. Dicitur etiam *unitas principium numeri, vel pars ejus*, et est descriptio per passionem, et convenit omni unitati, distinguendo tamen de numero, quidditativo videlicet, et quantitativo, ut aiunt.

8. (Unum multiplex.) Unum aliud per se, aliud per accidens. Primo modo dividitur in reale, et logicale. Reale dividitur in unum continuitate, et hoc contingit vel proprie, pro eo cujus motus est unus; vel improprie, pro contiguo: et utrumque contingit esse vel secundum lineam rectam, vel reflexam: quorum primum est magis tale. Secundo in utroque membro in unum specie, vel subjecto; et hoc vel immediate, ut omnia vina in forma vini; vel ultimate, ut omnia fluida in forma aquæ. In unum genere, ut homines, equi, canes: et potest dividi ut genus: convenit, et differt ab immediate præcedenti. In unum definitione, vel specifica, ut Socrates, et Plato; vel generica, licet sub modo speciei, ut omnes superficies, sed primum est magis tale, ut patet. In unum indivisibilitate, id est, quod indivisibili intelligentia intelligitur, ut materia prima, forma prima, ens, et alia simpliciter simplicia: et ad hæc possunt reduci præcedentia, ut patet.

9. Unum vero logicale dividitur in *unum numero*, ut quorum materia, id est, differentia individuante, est una. In unum specie, quorum ratio, id est, definitio, est una. In *unum genere*, quæcumque sub eodem generalitatis [illegible]. In unum *secundum proportionem*, quæcumque ita se habent ad invicem, ut aliud ad aliud, ut sicut se habet serenitas ad aerem, sic tranquillitas ad mare, vel sicut se habet animal ad hominem, sic color ad album.

Unum autem per accidens est, vel quando unum accidens comparatur ad subjectum, ut Coriscus musicus; vel quando unum accidens comparatur ad aliud, ut musicum justum; vel quando accidens comparatur ad subjectum, et ad accidens; ut musicum ad Coriscum musicum, vel e contra; vel quando complexum accidentale comparatur ad aliud, ut Coriscus musicus ad Coriscum musicum.

10. (Unitas multiplex.) Unitas, vel identitas ponitur aliis modis divisa, ad mentem hujus Doctoris, in plerisque locis; sic quod videlicet alia est rationis, scilicet ratiocinantis, ut entia tertii modi perseitatis; alia ex natura rei, ubi excluditur verificatio contradictionis de sic eisdem, secluso actu collativo intellectus; alia formalis, ut se habet universaliter omne superius ad inferiora; alia simultatis, ubi est vera realis identitas, et præcipue reperitur in divinis; alia essentialis, et non differt a tertia, ut communiter dicitur, nisi solum in divinis; alia substantiva, et hoc vel per convenientiam realis subsistentiæ, vel per convenientiam prædicati potentialis per realitates differentiales contrahibiles; alia objectiva respectu prædicati quidditativi limitati, vel transcendentis; alia per se, ut in [illegible] Physicæ, vel Metaphysicæ; alia per accidens; alia ordinis; ultima aggregationis.

Et licet hæc distinctio possit reduci ad priorem quodammodo, est [illegible] alio, in tertio saltem. Plures aliæ definitiones possent introduci hic, sed hæc sufficiunt pro nunc, quia potius ad Metaphysicum pertinet talis consideratio, unius et entis, quam ad Logicum. Intelligantur etiam prædicta [illegible]

sumpto, ut patet, de quo infra magis dicetur. Adverte etiam quod *unum* posset dividi in partes subjectivas, sicut et ens, si essent nomina imposita, ut unum in substantia dicatur identitas in quantitate, æqualitas, etc.

Ordo hujus quæstionis patet : divisio vero communis est.

11. DE SECUNDO. Ad partem affirmativam arguit quatuor rationibus, et reputantur valde difficiles, cum suis solutionibus : et tota hæc quæstio inter cæteras hujus operis, ideo caute, et diligenter legantur. Prima ratio procedit per locum a parte in modo ad suum totum; vel ab inferiori ad suum superius, secundum alios Logicos. Est enim regula universalis, quod *arguendo a determinabili cum determinatione non diminuente, nec distrahente, ad ipsum determinabile præcise sumptum, valet argumentum* : et est alia regula antiqua, quod *omne se habens per modum appositionis respectu alterius, inferius est eo.* Quod etiam debet intelligi de appositione non diminuente, nec distrahente, et si est appositio accidentalis, debet intelligi *inferius* pro minus communi, et ita est pars in modo, ut *homo albus*, respectu hominis, vel *album homo*, respectu albi : sic ergo arguitur hîc, *Participatione speciei plures homines*, etc. ergo plures homines, etc. Ostendit veritatem antecedentis ex littera Porphyrii. Consequentiam autem probat, tollendo instantiam, seu tacitam evacuationem. Diceret enim aliquis, quod ibi arguitur cum determinatione diminuente, quia ly *speciei* diminuit unitatem in antecedente, et sumitur absolute in consequente.

12 *Unitas numeralis.* Ubi advertendum primo, quod unitas numeralis (ut habetur 5. Metaphysic. cap. de *uno* text. comm. 12.) est maxima unitas præcipue de numero illarum quatuor, id est, specificæ, genericæ, et proportionis, ideo infert illas, et non e contra ; quia inferens debet esse magis tale, quam illatum. Non sequitur ergo, sunt unum specie, ergo numero : quia ly *specie* diminuit quodammodo, ita quod est quasi secundum quid tale.

Determinatio multiplex. Notandum etiam ulterius, quod determinatio alia contrahens, alia diminuens, alia distrahens : licet aliqui duo ultima membra capiant pro eodem, et unum plerumque ponatur pro alio : proprie tamen loquendo, possunt poni tanquam diversa.

Determinatio contrahens, seu restringens, est, quæ facit terminum teneri pro paucioribus, quam si per se, sine illa poneretur, ut *album*, *nigrum*, et hujusmodi : et talis determinatio non tollit rationem illius, cui additur, nec diminuit inhæsionem, licet quodammodo communitatem, vel suppositionem.

Determinatio vero *diminuens* est, quæ non tollit rationem illius, cui additur, sed bene partim perimit, nedum communitatis, indeterminationis, vel indifferentiæ, seu suppositionis, sed etiam debitæ inhæsionis : *ut album secundum dentes*, etc. 13.

Determinatio autem *distrahens* (quæ etiam et privans, et amplians dicitur) est, quæ tollit, seu destruit totalem rationem illius, cui additur. Quæ dicitur *distrahens*, quasi ad diversum trahens, quia trahit terminum ad aliam significationem a suo proprio significato ; ut *mortuum*, *pictum*, et *imaginatum*, *cognitum*, secundum aliquos : sed alii volunt quod sint potius diminuentes, vel indifferentes, quia nec ponunt, nec tollunt rationem sui determinabilis, saltem duo prima sunt distrahentes, ut patet.

Tertio sciendum, quod generaliter omnis determinatio debet poni cum suo determinabili ex parte ejusdem extremi, scilicet subjecti, vel prædicati, in propositione. Verbi gratia, refert dicere, *homo albus currit*, et dicere, *homo est currens album*, ut patet ; hoc enim est generale in omnibus modificationibus, et realibus, et intentionibus, ut infra sæpe habet iste. Dicit ergo Doctor, tollendo illam cavillationem, quod cum ly *unus* in antecedente isto, *participatione speciei plures*, etc. ponitur in prædicato, et ly *speciei* in subjecto, quod ly *unus* non diminuitur a ly *speciei* : et ideo stat pro unitate numerali utrobique, in antecedente videlicet, et conse- 14.

quente. Illam autem propositionem, quam notat Doctor, scilicet, *Nihil diminuit ab aliquo*, etc. habet ipse in 3. Sententiarum, distinct. 11. quæst. 2. et 3. notanter, et alibi sæpe.

Secunda ratio principalis ostendit oppositum illius, quod prima deducit, licet utraque arguat universalitatem propositionis. Prima tamen procedit de unitate numerali, et secunda de unitate specifica. Et assumit regulam notabilem pro majori. Minor vero videtur esse vera 5. Metaphys. cap. de *uno*, ut statim dicetur. Verbi gratia, pro illa majori, *Ens* est commune substantiæ, et accidenti : accidens autem est ens secundum quid respectu substantiæ, ut 4. et 1. Metaphysic. patet. Ideo cum dicitur ens in alio, stat *ens* pro accidente, ut patet. Similiter dicendum est in proposito de *uno*.

15. Tertia ratio procedit per locum a definitione, vel descriptione *unius*, superius tactæ ex 5. Metaphysic. text. comm. 11. *esse* videlicet *indivisum a se*, etc. Forma autem hominis, id est, humanitas, est communis omnibus hominibus, ita quod habet indivisionem specificam, saltem in ipsa, ideo, etc. Ultimo arguit Logice, vel potius Sophistice magis. Ubi fundat se in illa famosa, quod semper est consequentia bona, quando oppositum consequentis non stat cum antecedente, et assumit distributivum duorum in antecedente, et exclusionem affirmativam pro opposito consequentis, ut patet in littera : nolo enim in his deinceps ultra difficiliora loca prolixius videri, quia ex præmissis reputo aperuisse ample viam lectori.

Ad oppositum, arguit duabus rationibus. Prima ratio procedit per conversionem simplicem, et satis patet. Secunda ratio procedit ex oppositione, seu repugnantia prædicati et subjecti, cujus fundamentum est tactum supra, quæst. 16. et infra, quæst. 5. de Differentia, habetur simile. Subjectum enim sumitur sub modo pluralis, et prædicatum sub modo singularis numeri, qui repugnant inter se, et respectu ejusdem similis. Cum ergo ly *homines* sit pluralis numeri, et ly *unus homo* singularis, prædicatur oppositum de opposito, vel saltem idem sub uno oppositorum de se sub altero. Sicut enim albedo non est nigredo, nec album nigrum, ita nec homo albus, homo niger : quare similiter in proposito : ideo dictum est supra, quod hæc est falsa, *Albedo est alba*, propter repugnantiam modorum talium inseparabilium : secus de modis separabilibus, ut patet ibi. Videtur ergo propositio omnino falsa. Sed hoc argumentum videtur concludere uniformiter de unitate specifica, sicut numerali, de quo statim forte.

Consequenter respondet ad quæsitum *, ubi sic procedit. Primo unam definitionem præmittit. Secundo membra distinctionis prosequitur, declarat, et ad propositum applicat : prius tamen primum membrum declarat fundamentis Aristotelis, et ad propositum applicat, quam secundum membrum exprimat. Lector vero alium ordinem tenere potest. Ait enim quod *unum*, vel *unus* potius, ut loquitur Doctor *, potest accipi vel categorematice, vel syncategorematice. Hoc secundum membrum ponit infra ibi : *Aliter sumitur unus*, etc. similem distinctionem habet infra, cap. de Substantia, quæst. 1. de *Solus*, et 21. distinct. 1. et alibi de *Totus*, ut 11. distinct. 4. quæst. 1. similiter in 3. distinct. 9. de *Solummodo*. Primo modo significat *differentiam entis*, inquit Doctor. Ubi adverte quod extensive loquitur de *differentia*, sicut alibi sæpe vocat actum, et potentiam objectivam *differentias* entis. Opponitur enim hoc modo unum multitudini, vel est principium ejus, ut tactum est supra. 16

* num. 2

* num. 2. Unus categorematice et syncategorematice.

Parisienses quidem in hoc loco super Porphyrium, volunt quod *unus*, categorematice sumptus, sit principium numeri; quod satis bene intelligi potest. Allegat pro se Aristotelem 1. et 5. Metaphysic. Videtur in 4. text. comm. 2. et inde : licet ibi maxime de ente, ut est passio entis, loquatur : sed ad hoc videntur exponendo, supra 4. Metaphysic. quæst. 2. ubi 17

singularis doctrina ad propositum. In 5. vero Metaph. text. comm. 8. *et inde*, habetur copiose quod dici'. Quatuor vero modi, de quibus loquitur in littera, assignantur ibid. text. comm. 12. ut supra notavi. Nam illa est divisio logica *unius*. Deinde introducit problematicam unam conditionalem de hoc primo membro, sub dubio : quasi omittendo qualiter *unum* categorematice sumptum dicatur de illis quatuor modis, vel acceptionibus, seu *unis :* an scilicet æquivoce, an certe ut de simpliciter, et secundum *quid* talibus. Si primo modo, cum respondendum sit ad multiplex, semper præmissa definitione, concludit quod propositio ista *Plures homines*, etc. est vera tribus modis, scilicet pro unitate specifica, generica, et proportionis, et quarto modo est falsa, scilicet pro unitate numerali, et hæc est prima conclusio solutionis.

1. *Plures homines participatione speciei sunt unus homo, quomodo.* Si autem teneatur alia via, quam magis laudat Doctor, et 5. Metaphysicæ maxime tenet; et ex dictis Aristotelis ibid. text. comm. 12. inferentis ex una unitate, utpote majori minorem ostendit, concludit quod propositio est simpliciter falsa; quia quod dicitur de aliquibus, ut de simpliciter, et secundum quid talibus, dum absolute ponitur, sumitur pro simpliciter tali, ut primo Elenchorum famose habetur : *Omne analogum*, etc. *unus* igitur accipitur hîc tantum pro *uno* numero, et quia sic impossibile est plures esse unum, quia tunc contradictio manifesta, quare propositio falsa, et contradictionem implicans : et hæc est secunda conclusio solutionis.

Deinde pertractat secundum membrum principale distinctionis, scilicet si *unus* syncategorematice sumatur : et primo declarat intellectum *unius* sic sumpti, dicens, quod dicit modum intelligendi terminum, pro supposito determinato, indeterminate tamen : sicut signa particularia, et illud appellant Grammatici nomen partitivum, ut *unus florum*, et subdit quod homo in hac propositione, *Plures homines*, etc. a parte prædicati non inest subjecto talis propositionis. Illo modo, scilicet veraciter, igitur concludit quod sic accipiendo *unum*, nihil aliud addendo in propositione, ipsa est falsa, et hæc est tertia conclusio solutionis.

Et quia aliquis forte diceret, quod ly 19
unus a parte prædicati non accipitur pro uno supposito, sed pro pluribus, hoc excludit, dicens, *Nihil enim est in subjecto*, etc. Et si dicatur quod copulatio subintellecta a parte subjecti hoc faceret : plurale enim æquipollet singulari geminato; unde hîc, *Plures homines*, subintelligitur iste homo, et iste homo, etc. Dicit Doctor quod copulatio non confundit, et maxime prædicatum : quod probat per instantiam, quia alias ista esset vera in sensu composito, *Quatuor sunt duo*, sic deducendo, duo et duo sunt duo, si prædicatum confunderetur hæc esset vera ultra, *Duo et duo sunt quatuor*. Hæc etiam est vera, ut subjectum sumitur in sensu composito, sequeretur igitur quod quatuor essent duo, quod est falsum, ergo altera præmissarum : non minor, ut patet, ergo major : igitur copulatio non habet vim confundendi. Ulterior prosecutio dictorum statim, in tertio articulo, et alias, ubi occurret opportunitas dicendi.

Demum solvit * argumenta principalia. 2). num. 4.
Ad primum, negat consequentiam : et exponit Porphyrium notanter. Ubi advertendum, quod alius est ordo plerumque scripturæ, vel vocalis expressionis, et alius constructionis, et sententiæ intellectualis : unde *participatione speciei* licet ponatur a parte subjecti ordine scripturæ, debet nihilominus construi, et intelligi a parte prædicati : et sic salvatur illa regula notabilis, in argumento de determinatione, et determinabili, respectu identitatis extremi.

Ad secundum, dicit valde signanter, quod determinabile, etsi contrahat determinationem aliquando ad supposita, extensive loquendo de suppositis, non tamen contrahit naturaliter, nec ordinate ipsam, sed potius e contra, et *maxime non ad secundum quid*. Et ponit exempla utriusque

membri in littera. Ubi applicari potest illa distinctio supra assignata articulo præsenti de multiplici determinatione. Unde (sicut alias dictum est, naturaliter loquendo, et proprie posteriora sunt determinationes priorum, et non ita e converso, sicut nomina adjectiva nominum substantivorum ; et generaliter accidentia substantiarum. Sed aliquando convenit e contra determinari, ut inquit Doctor, maxime ad supposita. Quare cum dicitur *homo albus*, determinatur *homo* per albedinem ad supposita, et e contra, licet non ita proprie. Sed ut intelligatur determinatio, vel verius loquendo, contractio, debet contrahibile præponi, et contrahens addi ; sed sive sic, sive sic, stat sententia Doctoris verissima, quia ad intellectum, et non ad vocalem ordinem, est respiciendum.

Determinatio contrahit determinabile, non contra.

21. Cum igitur dicitur *unus homo*, non diminuitur veritas ex additione sui determinabilis naturalis, sed potius salvatur, sicut modus intrinsecus non diminuit, nec destruit quidditatem, nec e contra, ut in simili habet Doctor 1. Reportationum, distinct. 45. quæst. 2. bene tamen contrahitur ad standum pro unitate, quæ est in homine. Similiter cum dicitur *homo mortuus*, non diminuitur *mortuus*, sed contrahitur. An autem diminuatur *homo*, vel distrahatur, dubium est, ut statim tangam.

Ad tertium, negat optime consequentiam propter variationem hominis in antecedente et consequente, in ratione determinationis, et determinabilis. In antecedente enim tangitur indivisio specifica, vel naturalis : in consequente vero numeralis, vel hypostatica. Assumptum igitur ex 5. Metaphysicæ est concedendum : sed in inferendo, est accidens, vel figura dictionis, vel Consequens, ut patet practicanti.

22. Ad quartum, negat similiter consequentiam : et ad ejus probationem respondet dupliciter. Primo negando oppositum consequentis convenienter assignari, quia non *tantum unus homo*, etc. sed *non plures homines*, etc. est oppositum consequentis. Et hoc (ut notanter dicit Doctor) eo modo quo consequens est propositio una, de quo habet videri super libros Perihermenias, de unitate enuntiationis, et veritate propositionis, et similiter super libros Elenchorum. Nam propositio multiplex non est una, nec vera, nec falsa, inquantum talis. Ideo pulchre dicitur *si sit unum*, ut consequenter exemplificat in littera. Ubi tamen non accipit propositionem veram simpliciter, sed adhuc distinguendam, hanc scilicet, *Iste et iste sunt unus homo*, quæ vera est in sensu divisionis.

Iste et iste sunt unus homo, quomodo.

Et similiter illa pro qua ponitur, scilicet, *Plures homines*, et hoc intelligendo litteram, ut communiter habetur impressa, et ut frater Joannes Foxal declarat eam prolixe. Licet profecto cum originalibus antiquis concordando, ubi communiter habetur sic, *Verum est in sensu compositionis, licet non divisionis*, etc. potest exponi hoc modo, *si sit unum*, id est, una propositio categorica, de qua unitate loquitur Doctor hic. Sequitur, unum, vel una est ut facit sensum compositum : et sic loquitur Doctor de ea, in tota hac quæstione. Nam cum conclusit hanc esse falsam in solutione quæstionis, *Plures homines*, etc. hoc intelligit ut una categorica est, et non ut hypotetica, ut patet. Quare littera antiqua potest teneri, et salvari, et expositio dicti viri omitti, et ubi habetur ly *unum*, ponatur ly *una*, vel *unum*, vel ly *unum* ad hunc intellectum, non referendo ad unitatem propositionis in se, sed ad illud immediate præmissum, scilicet *si sit unum*. Quasi diceret verum est ipsum consequens esse unum, ut sumitur in sensu compositionis, et non divisionis. Et ad hanc expositionem facit quod sequitur, ubi dicit Doctor, quod tamen non opponitur ei *tantum unus homo*, etc. sed *non plures homines*, etc. ubi manifestum est quod si accipiatur in sensu divisionis, non opponeretur ei hæc, *non plures homines*. Nam hæc negat prædicatum a pluribus sumptis per modum plurium, igitur alia hæc affirmat : alias non esset oppositio, sed sic eum affirmat, non in sensu composito accipiatur, ut patet. Oppositio

23.

enim proprie est passio categoricæ, et non hypotheticæ. Similiter unitas recte est in categoricis, et non in hypotheticis, licet extensive utrumque conveniat eis: excuset igitur suiipsius, et non Doctoris inadvertentiam, hoc in loco, et ubique.

24. Dicit igitur Doctor, quod recte assignando oppositum consequentis, non opponitur antecedenti : quare consequentia prima non fuit bona. Et assignat causam in littera, ubi plura possent tangi de natura hujus distributivi *uterque* : sed videantur parva Logicalia, et modi significandi : statim autem forte aliqua adjungam ad hæc. Ubi etiam adverte ad parenthesim in littera cum dicit (*est enim uterque signum divisivum,*) vult breviter dicere, quod hîc *uterque istorum est unus homo*, attribuitur prædicatum pluribus, non per modum plurium, id est, non collective, sed seorsum et divisive sumptorum ; hîc vero *non plures homines*, etc. negatur prædicatum a pluribus per modum plurium, id est, simul, et collective sumptorum : quare stant simul, tanquam non repugnantia, et hæc sit prima responsio.

Uterque istorum est unus homo, quomodo.

25. Alia responsio ad probationem consequentiæ, est ibi : *Vel potest concedi*, etc. Admisso videlicet quod hæc, *tantum unus homo*, et esset oppositum consequentis, quod potest concedi saltem implicite, et æquivalenter, ratione alterius exponentis, adhuc negatur quod repugnet antecedenti : quod declarat recurrendo ad naturam distributionis hujus, et exclusionis illius : excluditur enim non prædicatum a pluribus, sed prædicatum sic acceptum, a quolibet non sic sumpto. Exclusio enim non semper excludit aliud secundum essentiam, sed secundum esse et syncategoremata disponunt subjecta in ordine ad prædicata : sed an categorematice, vel certe syncategorematice accipiatur *unus* hîc, dubium est, de quo amplius statim : hæc omnia probabiliter, et succincte dicta sint. Lector discretus eligat fortiora, et addat, ut expedit, ubique ingeniose.

26. De Tertio. Circa dicta aliqua motiva occurrunt : primo circa dicta in solutione quæstionis. Et licet circa illam divisionem *unius* in categorematicum, et syncategorematicum, possent plura notari, omitto tamen illa lectori, recurrenti ad parva Logicalia, et alibi, ut expedit. Videtur primo quod illa distinctio, seu conditionalis declaratio primi membri *unius* *, videlicet categorematice sumpti, æquivoce scilicet, vel ut secundum *quid*, et simpliciter accepti, nulla sit. Primo quod non possit accipi æquivoce, quia in æquivocis non est consequentia : sed sequitur, sunt unum numero, vel specie, ergo unum.

* num. [illegible]

Item, æquivocata non inferunt se invicem, cum sint conceptibiliter diversa, inquantum talia : sed sequitur, sunt unum numero, ergo specie : et sic ultra procedendo, ergo, etc.

Item, quod dicitur de aliquibus, tanquam de simpliciter, et secundum *quid*, talibus, æquivoce se habet ad illa : nam ille est secundus modus æquivocationis, ut patet 1. Elenchorum : quare non differt secunda pars conditionalis a prima.

Item, si sic diceretur, esset fallacia a secundum quid, ad simpliciter, vel e contra, in argumentis Aristotelis 5. Metaph. quem Doctor in littera introducit. Non sequitur enim, Est homo vivus, ergo mortuus, vel pictus sicut nec e contra. 27.

Item, videtur contradicere sibiipsi 1. Elenchorum, quæst. 16. et hîc : nam ibi vult quod terminus analogus per se positus, æque importat sua significata, et quod habet reduci ad primum modum æquivocationis ; hîc vero videtur dicere oppositum expresse.

Item, quomodo syncategoremata essent modi intelligendi categorematicum ?

Item, videtur quod ibi sit repugnantia, supponere scilicet determinate, indeterminate tamen.

Item, cum solius accidentis sit inesse, et homo non sit accidens, quare ergo dicit hominem inesse, vel non inesse.

Item, comparativus gradus habet vim confundendi terminum sequentem : *plures*

autem est comparativus, quare male dicit quod nihil est in subjecto illius propositionis *plures homines*, etc. virtute cujus ly *unus* possit confundi.

28. Ad ista respondetur. Ad primum, dictum est prius quod Doctor magis sequitur secundam partem conditionalis, quam primam, et ita argumenta contra primam possent admitti : sed sustinendo illam partem, potest dici ad primum, quod consequentia non valet, nisi prætacta distinctione, et sumpto *uno* in uno sensu : et sic non est consequentia proprie, sed quædam illatio ut in simili infra, qu. 4. Anteprædicamentorum habet.

Æquivoca ad aliud comparata se referunt. Ad aliud, dici potest quod secus est comparare æquivocata inter se, secus ad tertium, cui conveniunt. Primo modo procedit argumentum : nam non sequitur, Est unitas numeralis, ergo specifica. Concretive tamen sequitur aliud ad alterum, ratione concomitantiæ necessariæ : sicut forte ad substantiam sequitur accidens, in ordine ad tertium. Posset etiam fieri vis de æquivocatis ejusdem, vel alterius denominationis, et de æquivocatis a casu, vel a consilio. Plura alia considerabit lector acutus.

29. *Secundum quid sumitur dupliciter.* Ad aliud dico (sicut alias notavi) quod *secundum quid tale*, potest accipi dupliciter. Uno modo, ut accipitur in fallacia tali, 1. Elenchorum quod cum addito, scilicet distrahente, accipitur. Alio modo, pro minus principaliter tali : vere tamen et formaliter tali. Exemplum primi, ut *homo mortuus*. Exemplum secundi, ut accidens respectu substantiæ. Argumentum igitur procedit primo modo : Doctor autem loquitur hic secundo modo. Per idem dicendum est ad argumentum sequens : hæc responsio est necessaria plerumque in doctrina hujus, et maxime in his Logicalibus, ut patet infra, quæst. 5. cap de Differentia.

Ad aliud dico, quod loquitur 1. Elenchorum, de virtute sermonis stricte, et quantum est ex vi vocis significativæ, hic vero loquitur famose, et quoad usum : quare non contradicit. Videatur ibi pro majori elucidatione hujus responsionis, et alibi plures. Ita etiam loquitur de Analogo æquivoco, hic vero de Analogo univoco.

30. *Syncategoremata an sint modi intelligendi.* Ad aliud dicendum quod syncategoremata sunt dispositiones quædam attributæ ab intellectu (rei) significatis : et similiter dicendum de verbis ad voces comparatis. Possunt ergo dici modi quidem intelligendi, et activi, et passivi, suo modo : nam aliter intelliguntur cathegoremata cum ipsis, et aliter sine ipsis. Unde in modis intelligendi dantur plures gradus, ut patet in simili de intentionibus secundis, ut dictum. Sed an sint intentiones secundæ, vel non, dubium est, cum conveniant terminis significativis, nedum in tertia acceptione, sed in prima et secunda : de diversitate autem eorum, et proprietatibus, et ulteriori investigatione, quæratur apud auctores, et maxime Parisienses, et Oxonienses. Hæc cuncta pertractare nimis prolixum videretur.

31. Ad aliud dico, quod ly *unus*, vel *aliquis*, et hujusmodi, additum termino communi, facit ipsum supponere determinate, ita quod non confuse : ideo ad verificandum talem propositionem sufficit verificatio prædicati de uno suppositorum. Determinatur ergo ad standum pro supposito suo et uno ; sed quia non magis pro hoc uno, quam pro illo, ideo indeterminate, ita quod ly *indeterminate* habet referri ad indifferentiam suppositorum, et ly *determinate* ad verificationem, et acceptionem suppositalem : pro quorum pleniori declaratione quære auctores, ut nos, in materia de suppositionibus terminorum, et aliqua alibi, in doctrina hujus, et maxime infra, cap. de Substantia, quæst. 1. et 2. Non est igitur contradictio, nec repugnantia in dictis Doctoris, si bene exponantur.

Ad aliud, patet ex æquivocatione hujus termini *tantus*, de qua habes videre infra, quæst. 2. cap. de Accidente.

Ad ultimum dico, quod ly *plures* ibi non accipitur comparative, sed positive, ut tactum est prius. Vel si adhuc comparative,

non distribuit quemcumque terminum sequentem, sed tantum formam, in qua fit comparatio, vel terminum comparationis.

32. De secundo. Dubitatur, circa quædam dicta in solutionibus argumentorum, et ipsis argumentis. Primo videtur quod illa propositio in primo argumento, scilicet *nihil diminuit ab aliquo, nisi ponatur*, non sit vera, ut patet hîc, *Æthiops est albus secundum dentes*, imo videtur quod non diminuit illud, quod ponitur a parte ejusdem extremi, juxta sententiam hujus, distinctione 36. primi, in solutione principali, solvendo primam objectionem, ubi dicit quod distractum respectu distrahentis non est distractum, sed respectu tertii, ad quod comparatur sub ratione distrahentis. Similem sententiam habet primo Reportationum distinctione 3. quæstione 5. articulo 2. solvendo objectionem, dicens quod unumquodque, quod secundum quid est aliquid simpliciter est illud secundum quid. Primo etiam Elenchorum, quæstione 51. tangit idem fere.

Item, quare potius negatio, vel distributio a parte subjecti distribuit prædicatum, quam determinatio diminuens, vel distrahens ?

Item, contra illam propositionem, in solutione secundi principalis, *determinabile non contrahit determinationem ad secundum quid :* est instantia ad hominem, in tertio, distinct. 11 quæst. 1. solvendo tertium principale, ubi dicit, quod cum dicitur, *Christus est homo creatus*, ly *creatus* distrahitur ibi per ly *homo :* et tamen est determinabile ejus.

33. Item, quare potius ad supposita, quam ad secundum quid. concedit determinabile contrahere determinationem ?

Item, videtur quod repugnant ista, aliquid videlicet esse contractivum alicujus et non determinativum ejus, seu determinationem.

Item, quare dicit, aliquando contrahit ad supposita ?

Item, solutio secundi videtur repugnare solutioni tertii, ubi concedit hominem esse determinationem unius, etiam ad secundum quid.

Item, videtur illud tertium principale, ex fundamento 5. Metaphysicæ concludere quod ratio unitatis consistit in sola negatione, quod non concedunt sequaces hujus, imo nec ipsemet, ut patet 4. Metaph. quæst. 2.

Item, circa quartum principale, et solutionem ejus, licet satis dictum sit, plura tamen dubitari possent. Primo, an requirantur semper duo appellata ad hoc signum *uterque*.

Et videtur quod non, quia non habet majorem vim distribuendi, quam *omnis* . sed *omnis* non requirit plura appellata, seu supposita, ut multi volunt.

Item, videtur quod non stant simul, *non plures*, vel *tantum unus*, et *uterque.*

Item, qualiter stant simul distributio, et divisim verificatio ?

Item, quomodo plura possunt sumi per modum unius, absque repugnantia ?

Ad ista respondetur, sustinendo Doctorem, qui loquitur aliter in Elenchis, et in 34.
sententiis, ut videtur : sed omnia concordari faciliter possunt. Considerandum enim est quod aliter loquendum est de partibus unitis, et de ipsis seorsum acceptis, et aliter de aliquo in se, et ad tertium comparativum in ratione prædicati, vel subjecti : *homo* enim et *mortuum* repugnant inter se, ut patet ex rationibus eorum : sed ipsis unitis in ratione determinabilis, et determinantis et comparantis ad tertium, utpote ad hominem, dicendo, *homo mortuus est homo*, est oppositum in adjecto ex 2. Perihermenias, cap. 2. sed nihilominus homo mortuus est homo mortuus simpliciter, vel homo secundum quid simpliciter, ut vult Doctor. Sunt ergo tria consideranda, scilicet determinabile, et determinatio diminuens, et tertium Modo cum dicitur, *Æthiops est albus secundum dentes*, licet ibi albedo sit simpliciter albedo, et non destruitur in se, diminuitur tamen in ordine ad tertium. Et quod nota est convenire subjecto suo, vel

secundum se totum, vel secundum majorem partem ejus.

35. Intelligit ergo Doctor, quod determinatio, diminuens aliquod determinabile, vel in se vel saltem in ordine ad tertium, debet esse ex parte ejusdem extremi cum ipso, vel saltem ibi intelligi : et sic loquitur, ubi allegatur in Sententiis.

Ad aliud, licet posset dici quod quia *hoc est hoc*, et *illud est illud*, potest tamen dici quod hoc ideo est, quia vis negationis vel distributionis negative cadit, nedum super extremum, sed etiam super copulam, et per consequens super prædicatum, cum res verbi se teneat a parte prædicati; aliæ vero determinationes tantum cadunt super extrema, quia sunt absolute modificationes vel dispositiones, et non respective.

Ad aliud, quod facit bonam difficultatem ad hominem, ex 3. Sententiarum, potest dici uno modo, quod illa verba ponit in quadam responsione Topica, et non assertive, ideo ponit aliam responsionem meliorem ad argumentum. Vel aliter quod *homo* non est ibi determinabile, sed determinatio, ut patet ex littera sequenti, ubi addit Doctor, ut dicatur *creatus homo*. Per quem ordinem dat intelligere quod *creatus* est determinabile primo loco positum, ut prius notavi : et ita illa verba non repugnant hic dictis, imo confirmant, ut patet.

36. Et si dicatur, quod *homo* est substantivum, vel substantia, et *creatus* adjectivum vel accidens, dic (ut prius notavi) quod secus est quoad utentes, secus de rigore sermonis et ex natura rei. Hoc maxime habet colorem in proposito. Nam natura humana habet modum accidentis in Christo, ut iste, et alii Theologi pertractant in eodem tertio.

Ad aliud, patet ex natura determinabilis quia non potest conferre alteri, quod ipsum se non habet. Quod ergo sibi convenit confert. Quia ergo determinativum eris [illegible] ad quod sibi additur, et quia simpliciter, et non diminutum, ideo non diminuit.

Ad aliud, potest dici, quod *contrahere* præscindit a *determinare*, ut patet in Theorematibus hujus. Sed ad propositum dico, quod hic intelligitur contractivum materiale, non formale. Vel si contrahit formalem contractionem, ita suo modo determinationem. Placent tantum præcedentes responsiones.

Ad aliud potest dici, quod hæ duæ propter determinationes convenientes duabus sunt uni determinabili, ut si dicatur, *homo rationalis*, vel hujusmodi. 37

Ad aliud patet ex littera, ubi dicit Doctor, quod habet rationem determinationis, non quod proprie sit determinatio.

Aliud est etiam forte accipere *hominem* in obliquo, et aliud in recto ad propositum ut patet speculanti.

Ad aliud, patet quod unitas necessario importat negationem, vel pro formali, vel saltem pro connotato, licet non præcise illam dicat. Vera est ergo propositio assumpta, per locum a concomitantibus substantiam, vel ex necessario consequenti alterum.

Ad aliud dico, quod est magna altercatio de hoc quod assumitur, an scilicet *omnis* requirat plura appellata actu, ut patet practicanti auctores de natura distributionum. Sed breviter potest probabiliter dici, quod requirit plura supposita, saltem in esse objectivo, et si non in actuali existentia, ut in simili supra, cap. de Genere, dictum est. Similiter dicatur de ly *utrque*. Posset etiam dici quod expressius *utrque* requirit duo, quam *omnis* tria vel plura, eo quod importat demonstrationem duorum, saltem ad intellectum.

Ad aliud dico, quod bene sunt omnes, ut satis declarat Doctor in littera, et hoc [illegible] *[illegible]*, ut supra declaravi, [illegible] *plures homines*, etc.

Ad aliud, patet ex natura hujus distributionis, et proprietatum ejus. Una est regula generalis, quod ad hoc quod propositiones de hoc signo *utrque* sint veræ, oportet quod prædicatum insit divisim illis pro quibus subjectum distribuitur. Unde si Socrates, et Plato portent simul unum lapidem, hæc esset falsa, *utrque* [illegible] 38

portat lapidem, et hæc vera, *Neuter istorum portat lapidem*.

Advertendum etiam, quod a propositione in qua ponitur *uterque* ad propositionem, in qua ponitur *isti*, loco *uterque*, subjectis pro eisdem sumptis, valet argumentum, et e contra : et hoc si *isti* tenetur divisive, secus si collective. Et hoc est quod tetigit Doctor, in solutione quarti principalis, dicens, *illud quod ponitur loco consequentis, si sit unum*, et plura alia quærantur ad hæc, in parvis, et magnis Logicalibus.

Ad ultimum patet in multis, ut de partibus in toto, sive sint essentiales, sive integrales : et hoc sive sit compositio realis, sive rationis. Nec *modus quid*, nec e contra sed *quid*, *quid* ; et *modus modo* repugnant, ut supra dictum est sæpe. Opposita enim possunt per modum compossibilium, et non opposita aliquando per modum incompossibilium, et sic de aliis. Similiter substantia per modum accidentis, et absolutum per modum respectivi. Addat diligens lector, his præmissis existentibus incitativis, subtiliora, et altiora, ut expedire videbit, judicio boni viri.

Differentia vero communiter proprie, et magis proprie dicitur. Cap. 4.

QUÆSTIO XXIII

Utrum prima divisio Differentiæ sit conveniens

Albertus *tract.* 5. *cap.* 1. Okam 1. *part. Log. cap.* 23. Cajet. *cap. de Differentia*. Joannes Angl. *et* Bras. *super hanc quæst.* Conimbr. *in cap. de Different. quæst.* 1. Complut. *disp.* 7. *de Differentia quæst.* 1. Sotus *q.* 23. Ruvius *cap. de Different. quæst.* 2 Merinero *cap.* 4. *de Different. disput.* 1. *quæst.* 1. Rodrigues *quæst.* 1. *de Differentia art.* 1. Didacus a Jesu *disput.* 8. *quæst.* 4. Faber. *disput.* 4. *dub.* 2. Aversa *quæst.* 12 *Log. sect.* 4.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Circa capitulum de Differentia, quæritur primo : *An hæc divisio prima differentiæ*, scilicet in differentiam communiter, proprie, et magis proprie, *sit conveniens?* Quod non videtur ; quia non est divisio generis in species. Genus enim æque proprie dicitur de speciebus. Nec totius in partes integrales ; quia totum non prædicatur de partibus talibus, sed divisum hîc prædicatur de dividentibus. Nec vocis in significationes; quia tunc hæc vox, *differentia*, primo importat illa tria, et non sequeretur ad dividentia, nec esset definibile ; quia æquivoci non est definitio. 6. Topic. cap. 2. Nec est aliqua divisio per accidens. Patet, quia in omni membro divisionis intelligitur per se divisum, quod nunquam accidit in divisione per accidens.

Item, hæc divisio non est per opposita. Tum, quia est trimembris : ergo aliquod membrorum alteri non opponitur ; quia tantum unum uni opponitur. Tum, quia ad unum membrum sequitur aliud, sequitur enim differunt magis proprie : ergo differunt communiter. 1. accidente aliquo; sequitur etiam, differunt proprie, ergo communiter, et etiam sequitur, differunt magis proprie ; ergo proprie.

Consimilis dubitatio est de divisione, quæ ponitur ad declarandum definitionem Generis, ibi ; *Eorum quæ prædicantur*, etc. quia quod prædicatur de pluribus, prædicatur proprie, quod de uno solo, communiter ; unum etiam membrum videtur sequi ad aliud, et universaliter de divisionibus, per proprie, et communiter datis.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum, quod tales divisiones sunt 2. *Conclusio* bonæ, quia sunt vocis in significationes, non vocis æquivocæ, penes primum modum æquivocationis ; quia sic æquivoca primo important multa, sed penes secundum modum ; quia vox sic æquivoca significat unum proprie, et ex impositione ; aliud vero transumptive, et ex usu, sicut dicit Aristoteles 1. Elencho-

rum, cap. 2. *Secundus modus est ex eo, quod soliti sumus sic dicere.*

Ad argumenta. Ad primum argumentum, patet quod non sequitur ad dividentia, neque definitur ut æquivocum, sed sumpta in uno sensu univoca est, et potest definiri, et esse principium consequentiæ.

Ad secundum dico, quod membra sunt opposita.

Ad primum contra hoc dicendum, quod habet reduci ad divisionem bimembrem, sic: *Differentiarum quædam magis propria: quædam non magis propria*: et ultra, *non magis propria, quædam proprie, quædam communiter*: et sic universaliter omnis divisio non bimembris reducitur ad bimembrem. Alia autem membra posita sunt membra subdivisionis; et ponuntur propter brevitatem, loco divisi in eo, ex hoc, quod divisum est unum membrum principalis divisionis.

Ad secundum contra hoc dico, quod membra debent intelligi sub præcisione, et sic nullum sequitur ad aliud. Sic etiam in divisione sequenti, et quædam differentia facit alteratum, quædam aliud; quæ membra non sunt opposita, nisi sumatur alteratum tantum.

EXPOSITIO

3. Circa capitulum de Differentia quærit circa primam divisionem Differentiæ, quæ est in communem, propriam et magis propriam, an scilicet sit convenienter assignata.

De primo. Advertendum quod Porphyrius assignat duas, vel tres divisiones Differentiæ, licet aliæ possent dici subdivisiones primæ divisionis: quare dicit Doctor primam divisionem. Quid *Differentia*, et quoties, patet in littera Porphyrii, et ibi in littera Doctoris, et sequentibus quæstionibus, copiose. *Divisio* vero, quæ et partitio, et sectio subauditur, quoties accipitur hic, in primo argumento breviter Doctor tangit; sed profusius de ipsa, et ejus modis, et conditionibus et speciebus tractatur apud Boetium in libro Divisionum, et ubi ibi allegat copiose.

Ordo hujus quæstionis ad præcedentem patet ex processu Porphyrii, et his quæ tacta sunt supra quæst. 12. Ad sequentem vero patet ipsius ordo manifeste. Divisio autem communis est.

De secundo. Arguit duabus rationibus pro parte negativa. Prima procedit ex sufficienti deductione specierum divisionis, eas removendo ab hac, de qua quæritur, ut arguatur sic: Illa divisio non est bona, quæ sub nullo specierum divisionis sufficienter et famose assignatarum cadit; sed hæc est hujusmodi, ergo, etc. Supponit enim Doctor, cum Boetio, divisionem omnem esse aut per se talem, aut per accidens; si primo modo, hoc contingit tripliciter, aut scilicet Generis in Species, et generaliter superioris in inferiora, licet Boetius divisionem Speciei in individua, videatur reducere ad divisionem totius in partes: sed hoc potest salvari et declarari diversimode; aut totius in partes, aut vocis in significationes. Si vero secundo modo, hoc etiam contingit tripliciter, quia aut est subjecti in accidentia, aut e contra: aut accidentis in accidentia, quando plura insunt eidem tertio, quorum membrorum declaratio exemplaris quæratur in Boetio, ubi prius; sed breviter pro nunc sit talis. 5

Exemplum primi ut animalium aliud rationale, aliud irrationale; vel sic, aliud homo, aliud asinus; secundi, ut domus aliud tectum, aliud paries; tertii, canis alius latrabilis, alius bellua marina; quarti, ut hominum quidam albi, quidam nigri; quinti, album aliud lapis, alia margarita; sexti, dulcium alia alba, alia rubea. Ostendit autem Doctor minorem inductive. Primo quod non sit Generis in Species, quia non æque primo dicitur de his tribus; nam principalius de Differentia magis propria dicitur: quia illa est simpliciter differentia, aliæ vero secundum 6

quid. Secundo quod non totius in partes, eo quod prædicatur de dividentibus, non sic totum integrale, vel essentiale, de quo loquitur : nam totum Universale pertinet ad primum membrum. Tertio, quod non vocis in significationes, propter tres causas. Primo, quia non æque importat illa tria, ut dictum est. Secundo, quia est principium consequentiæ, quæ non est in æquivocis. Tertio, quia definibilis est, quod non convenit æquivoco. 6. Topicorum, cap. 2. Deinde ostendit, quod non est divisio per accidens, quoad aliquod trium membrorum unica probatione, quia ipsa intelligitur per se in omni membro divisionis, quod non convenit diviso per accidens : nam nec accidens in subjecto, nec e contra; nec unum accidens contingenter concurrens in eodem tertio cum alio includitur per se.

6. *Divisionis conditiones.* Secunda ratio principalis procedit per viam remotionis conditionis bonæ divisionis ab ista. Solet enim communiter dici, quod ad bonam divisionem tres conditiones requiruntur. Prima quod membra dividentia non coincidant inter se. Secunda quod membra dividentia disjunctive sumpta, convertuntur cum diviso. Tertia quod membra dividentia debent esse positiva, saltem in divisione Generis in Species. Modo prima divisionis conditio non convenit huic divisioni, quod ostendit Doctor dupliciter. Primo quia trimembris, quare unum membrum non opponitur alicui, aliter plura uni opponerentur, contra Philosophum 10. Metaph. text. comm. 17. et 1. Perihermenias, cap. 5. Secundo, quia unum membrum sequitur ad aliud, quod non convenit in oppositis. Quod autem sequatur deducit, et littera satis patet. Formetur autem argumentum sic ; illa divisio non est bona, cui non conveniunt conditiones bonæ divisionis : hæc est hujusmodi, quare, etc. Minor autem deducatur ut prius. Formare sic argumenta, omitto plerumque sagaci lectori. Addit quod similiter potest argui ad probandum divisionem assignatam de *prædicari* vel *prædicabili*, cap. de Genere, esse inconvenientem : et quia membra coincidunt, et ad invicem sequuntur. *Prædicari* enim est *præ alio dici*, quare quod prædicatur de pluribus, proprie prædicatur, quod de uno solo communiter, vel improprie, ut patet : et similiter, inquit, ubicumque datur divisio per *proprie*, et *communiter*.

Ad oppositum adducit Porphyrium in littera, quem sequuntur Averroes, et Boetius, et Albertus, et cæteri expositores. 7.
Deinde respondet brevibus, et clare ad quæsitum, dicens, quod est bona divisio, et æquivoci in æquivocata, non tamen penes primum modum, sed penes secundum : de quibus modis habetur primo Elenchorum. Est enim primus modus, cum æquivocum est a casu ; secundus, cum a consilio : tertius, cum terminus simplex unum, compositus duo denotat. Exemplum primi ut canis, vel equus ; secundi, ut risus, vel sanum ; tertii, ut immortale. Et adducit dictum Aristotelis, 1. Elench. cap. 2 de illo secundo modo æquivocationis, qui non propter analogiam, sed propter transumptionem distinguitur a primo, ut ipse habet super 1. Elenchorum, quæst. 15. Vult ergo dicere, quod hoc nomen *differentia* proprie significat illam, quæ facit aliud, vel quæ est per se vel quæ est magis proprie dicta. Transumptive autem, et quadam metaphora significat illam, quæ facit solum alteratum, vel quæ est per accidens, vel quæ est communis, seu propria.

Consequenter respondet ad primum 8.
principale implicite negando quod non sit divisio æquivoci in æquivocata. Et ad primam probationem non respondet, eo quod ostendit quod non sit æquivoci quoad primum modum, quod concessum est. Ad secundam autem respondet, et ad tertiam, quod non sequitur, nec definitur, nisi in uno sensu : et sic non est æquivocum, sed univocum. Cum enim dicitur, est differentia magis proprie dicta, ergo differentia. Non valet, nisi præfacta distinctione, et sumpta *differentia* illo sensu, ut patet. Similem sententiam habes infra, quæst. 4. Antepræedicamentorum. Adverte ibi, cum

dicit Doctor, *et esse principium consequentiæ*, quod potest intelligi vel de inferente, vel de illato indifferenter, ut patet speculanti : sed magis hic intelligi debet de illato. Nam consequens etsi non tempore, tamen natura prius est antecedente, et ita est principium consequentiæ.

9. Ad secundum, negat assumptum. Et ad primam probationem, ostendit qualiter reducitur ad bimembrem : sicut etiam Porphyrius in littera facit. Et excusat Auctorem notabiliter dicens, quod posuit illa duo membra, scilicet differentiam communem et propriam, loco divisi, id est, hujus quod est *differentia*. Non magis proprium, quia est secundum membrum principale primæ divisionis, et hoc fecit gratia brevitatis, et ita generaliter omnis divisio, vel est bimembris formaliter, vel reductive.

Divisio [o]mnis est [bi]membris

Ad alia probationem dicit, quod membra cum præcisione sumpta, non inferunt se invicem : nam non sequitur, differunt differentia proprie sumpta tantum, ergo differunt differentia communiter dicta. Similiter de aliis est intelligendum. Eodem modo, inquit, est dicendum de membris alterius divisionis, cum scilicet dividitur differentia in facientem alteratum, et in facientem aliud : pro quibus omnibus videatur Boetius in Commento hic, et cæteri expositores. Similem sententiam habet infra, cap. de Qualitate, comparando species Qualitatis inter se, et quantum ad oppositionem, et consecutionem membrorum, et specierum, et alibi plerumque.

10. De Tertio. Licet prædicta satis clara sint, pauca tamen tangam, pro majori declaratione. Primo circa primum principale, videtur quod ista divisio possit poni Generis in Species, eo quod major est unitas in intentionibus, quam in rebus, ut supra dictum est sæpe, hæc ergo intentio *differentia* poterit poni genus ad has tres speciales, licet ex parte fundamentorum non reperiatur tanta unitas. Quod etiam additur, *Genus* scilicet *dici æque de speciebus*, habet instantiam : quia in omni genere stat ordo, et analogia, ut patet supra, et in primo, distinct. 3 quæst. 3 et est sententia Philosophi 8. et 10. Metaphys. et quod ibi dicitur, *tamen sufficit non prædicari de partibus*, contra prædicatur in obliquo et concretive. Prima etiam probatio ad ostendendum quod non sit sola in significatione, videtur insufficiens : quia tantum procedit de primo modo æquivocationis. Alia etiam probatio, quæ ostendit quod non sit divisio per accidens, videtur assumere falsum : tenendo æquivocationem divisi, ut patet.

Item, videtur illa propositio assumpta in secunda ratione principali, scilicet *tantum unum uni opponitur*, esse falsa, loquendo de contrariis, et relativis oppositis : nam album opponitur nigro, et flavo, etc. 11.

Item, non videtur quod membra alicujus divisionis sequantur ad invicem : disparata enim, vel repugnantia sunt.

Item, cum dicit in solutione primi argumenti *, quod *differentia sumpta in suo sensu potest esse principium consequentiæ*, est instantia infra, quæst. 4. Antepraedicamentorum, solvendo tertium principale, ubi dicit quod talis illatio non est consequentia sed illatio ejusdem ex se, et 1. Elenchorum, quæst. 8 solvendo secundum principale dicit idem. *Nam ad hoc*, inquit, *quod consequentia sit bona, oportet quod consequens virtualiter includatur in antecedente, et non sit propter* [illegible]. * num. 8

Item, videtur quod illa reductio hujus divisionis ad bimembrem, quam tangit in solutione secundi principalis, non sit bona, eo quod una conditionum bonæ divisionis est, quod membra sint positiva, ut supra dictum est. Alia adducet curiosus lector, ut expedire videbitur. Ad ista breviter respondetur.

Ad primum, quod saltem in fundamentis requiritur major proportio, et in intentionibus est major universalitas, ut supra cap. de Genere, habetur. Modo in fundamentis harum trium differentiarum non est talis proportio, non enim ita [illegible] 12.

12. [illegible]

guit Socratem a Platone, sicut *rationale* hominem ab asino. Unde prædicari in *quale* convenit æquivoce Differentiæ, et duobus ultimis Universalibus. Est ergo hæc vox *differentia* æquivoce significativa harum trium intentionum, et ei nulla una primo correspondet, in ratione significati. Contra, tunc videtur quod Universale, vel prædicabile, non erit univocum ad quinque Universalia, contra ea quæ determinata sunt supra, in materia in univocatione Universalis in communi. Circa hoc stude, forte infra, quæst. 5, prolixius tangetur.

13. *In Speciebus quomodo inæqualitas.* Ad aliud, tactum est supra, quæstione de univocatione Universalis et infra, quæst. 4. Anteprædicamentorum patet, et alibi sæpe. Est enim inæqualitas specierum quoad differentias, æqualitas vero in conceptu generico. Contra, sensitivum a quo sumitur animalitas, in homine est nobilius quam in asino, ergo animal nobilius in hoc, et illo, et per consequens non æque prædicatur. Responsionem quære.

Ad aliud, quod loquitur Doctor de prædicatione formali essentiali, et in recto.

Ad aliud, concedo quod infertur, ut patet ex solutione quæstionis.

Ad aliud, etiam concedo quod illud non sufficienter procedit nisi præfacta distinctione.

Ad aliud, dico quod intelligitur de per se, et primo oppositis, ut alias prolixius patebit.

14. Ad aliud dico quod non sequuntur generaliter ad invicem per locum intrinsecum, vel per viam essentialis inclusionis, sed per necessariam concomitantiam in tertio, ut quæstione præeunte tactum est. Exemplum sequitur, *Est superficies, ergo linea*, vel *superficiatum, ergo lineatum*, quod tamen non arguit unum includi formaliter in altero, sed concomitari necessario, et sic de aliis.

Ad aliud dico, quod loquitur extensive de consequentia, et non proprie, ut loquitur Doctor, ubi allegatur in Anteprædicamentis, et hoc intelligo, nisi fieret consequentia respectu alterius inclusi, vel includentis virtualiter.

Ad ultimum, dico quod illa conditio intelligitur de divisione Generis in species, vel generaliter quod intelligitur conditio formaliter, non circumlocutive. Circumloquimur enim positiva plerumque per quasdam negationes, ut patet in divisione animalis per rationale, et irrationale ; et in divisione entis, per in alio, et non in alio, etc. Si quis etiam objiceret contra divisionem, quia commune non ponit in numerum cum suis inferioribus, patet de quo communi hoc intelligi debet.

Differt enim Socrates a Platone alteritate, et ipse a se sene, vel jam puero, vel jam viro. Cap. eod.

QUÆSTIO XXIV

An hæc sit vera, Socrates senex differt a seipso puero

Commentator *super cap. de differ.* Joannes Angl. et Brasavol. *super hanc quæst.* Rodrigues *in recapitulatione textus hujus quæst.* Vide citatos *quæst. antecedenti.*

Quæritur circa primum membrum divisionis differentiæ, an sit hæc vera, *Socrates senex differt a seipso puero.* 1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia relatio requirit duo extrema in actu ; quia si sit, suum subjectum est ; et si hoc, ejus correlativum est, quia relativa sunt simul natura. Sed Socrates senex, et Socrates puer, non sunt simul natura in actu ; ergo differentia (quæ est relatio quædam) non est inter illa, ut extrema, cujus oppositum notat illa propositio.

Item, si Socrates senex differat a seipso puero, ergo non est idem sibi puero, ergo non est idem sibi. Prima consequentia patet, quia idem, et differens opponuntur, ergo ad unum sequitur negatio alterius. Probatio secundæ consequentiæ, negatio in antecedente negat identitatem universaliter ; ergo

sequitur negatio identitatis ejusdem a se, sicut a superiori, ad inferius negando, et hoc tantum significat consequens.

Item sequitur, Socrates senex differt a se puero : ergo Socrates senex, et Socrates puer differunt, ergo Socrates senex, et Socrates puer sunt multa : et ultra, ergo Socrates et Sccrates sunt multa. Consequens est falsum : ergo et primum Antecedens. Probatio primæ consequentiæ : sic enim sequitur in omnibus relativis æquiparantiæ. Sequitur enim, Socrates est similis Platoni, ergo Socrates et Plato sunt similes. Et ratio est hæc, quia relativum æquiparantiæ, qualiter denominat utrumque extremum. Probatio secundæ, *Differerentia est species multitudinis*, per Aristotelem 5. et 10. Metaph. context. 10. 12. et 17. sequitur: ergo differunt : ergo sunt multa ; sicut sequitur, *album est, ergo coloratum.* Probatio tertiæ consequentiæ, quia ab inferiori ad suum superius tenet affirmando, quemadmodum a determinatione non diminuente sequitur ad determinabile; sic arguitur ibi, ergo consequentia bona.

Ad oppositum est Porphyrius.

2. Item, arguitur ratione sic. Circa ens immediate opponuntur *idem*, et *diversum*, per Aristotelem 10. Metaph. Aut ergo Socrates senex, et Socrates puer sunt idem, vel diversum. Non idem quia tunc hæc affirmativa, *Socrates senex est Socrates puer*, esset vera : sed hoc est falsum ; est ergo diversum, et hic sumitur *differens*, ut est commune ad omne diversum.

Conclusio. Ad quæstionem dicendum, quod propositio distinguenda est, secundum æquivocationem ; quia sumpto *differre* in communi, est vera propositio ; quia isto modo, quodcumque accidens impedit omnimodam identitatem. Accipiendo tamen *differentia* proprie, vel magis proprie, est propositio falsa, ut patet ex ratione istorum differentiarum.

Ad primum argumentum potest dici, quod oportet extrema relationis esse in actu, quoad rationem referendi, et non quoad existentiam : quia prius, et posterius, licet non simul existant, tamen simul sunt secundum rationem, qua referuntur : nam quando prius est sub ratione prioris, posterius est sub ratione posterioris, licet tunc non existant.

Aliter potest dici, quod *Socrates puer*, non est per se extremum hujus relationis, sed *Socrates puer differens*, quia per se extrema relationis æquiparantiæ, nominantur eodem nomine illius relationis, illud autem extremum est per se simul cum *Socrate sene differente;* quia pro eodem tempore est hoc differens ab illo, et illud ab isto.

Ad secundum dico, quod hæc consequentia non valet, *Non est idem sibi puero : ergo non est idem sibi* ; quia in prima, negatur identitas respectu termini accidentalis : in secunda vero, respectu substantialis, qui importatur per *sibi*, quod est relativum reciprocum, et in hoc fit fallacia Consequentis, quia ad diversitatem accidentalem, non sequitur diversitas substantialis, sed e converso. Sed si ly *sibi*, in consequente referat Antecedens cum determinatione, scilicet hoc totum, *Socrates senex*, tunc patet consequentiam non valere ; quia in Antecedente, et Consequente, respectu diversorum terminorum accidentalium, negatur identitas. Unde quod hic assumitur in probatione, quod in Antecedente negatur identitas universaliter, falsum est ; sed tantum respectu hujus termini, *Socrates*. 3.

Ad tertium dico, quod negatur prima consequentia, propter negationem inclusam in *differt*, ut patet in aliis, quia hæc est vera, *Socrates differt ab omni*

homine, sicut *Socrates non est idem omni homini*; hæc tamen est falsa, *Socrates et omnis homo differunt*, sicut hæc, *Socrates et omnis homo non sunt idem*.

Ad probationem dicitur, quod tenet in relativis æquiparantiæ, ubi non includitur negatio, ut de simili patet, sic non est de differentia.

Contra hoc. Negatio inclusa in *differt* non tollit talem consequentiam, nisi propter hoc, quod terminus præcedens ipsum, et subsequens, diversam habent suppositionem, unde tenet, observata eadem suppositione, talis consequentia, etiam cum *differt*. Sed in singularibus non refert præponere, vel postponere negationem, per Aristotelem 2. Perihermenias, cap.1 ergo in illis, cum *differt*, bene tenet talis consequentia.

4. Ideo potest concedi illud ultimum Consequens, scilicet *Socrates senex, et puer, sunt multa*, sed non sequitur, ergo *Socrates et Socrates sunt multa*; quia illa determinatio in Antecedente respectu talis prædicati, diminuit a Socrate absolute. Ideo non sequitur, ut superius ad inferius, sed ut secundum quid, ad simpliciter. Similiter in illo conjuncto sumitur Socrates secundum accidens, quia secundum rationem alicujus, quod secundum rationem talis prædicati est sibi extraneum absolute sumpto, et in dictis secundum accidens, sive prædicatis, sive subjectis, non tenet a conjunctis ad divisa, per Aristotelem in 2. Perihermenias text. 2.

EXPOSITIO

5. Quærit, circa exemplum Porphyrii in littera, declarando primum membrum divisionis prædictæ, scilicet differentiam communiter acceptam, qui dicit quod nedum ab alio, sed etiam a seipso, inquantum nunc motum, nunc quiescens, vel nunc puer, nunc vir, vel senex, differt aliquid tali differentia, *An* scilicet hæc propositio, *Socrates senex differt a se ipso puero*, sit vera.

De Primo, non oportet laborare, quia hi termini satis noti sunt. *Socrates* enim (ut aiunt) fuit Primus Philosophorum, a quo Socratici dicti sunt. Unde ob sui primitatem, et famositatem, communiter auctores ejus nomine utuntur. Quid *senex*, quid *puer* et *differentia*, satis clarum est. *Pueritia* enim et *senectus* sunt de numero septem, vel octo vel pauciorum ætatum, ut Medici, et Philosophi, atque Theologi varie loquuntur. Quærantur auctores, ut lector voluerit. Ordo quæstionis patet. Divisio communis est.

De Secundo arguit tribus rationibus ad partem negativam. Prima sumitur ex natura relationis, et relativorum. Relatio enim est ens duplici dependentia dependens; quare impossibile est eam esse sine extremis, cum sit dependentia unius ad aliud, ut infra, cap. de Relatione, habet iste. Et eo modo quo est relatio, quærit extrema, si actu, actu; si potentia, vel aptitidine, similiter. Cum igitur *differentia* dicat relationem actualem, quærit extrema actu. Unde communiter dicitur quod omnis alietas, et differentia, quærit existentiam extremorum. Ideo licet dicatur Chimæram esse non eamdem homini, non tamen distingui vel differre ab homine. Modo idem Socrates non est actu simul senex et puer, ut patet: quare non recte, nec vere dicitur quod differt a seipso puero. 6.

Secunda ratio procedit per locum ab oppositis, et infert a primo ad ultimum, non identitatem Socratis sibiipsi, quod implicat loquendo de omni modo identitatis. Et ostendit se procedere a destructione consequentis ad destructionem antecedentis.

Tertia ratio procedit a primo ad ultimum, per tres consequentias inferendo, eumdem Socratem esse multa: quod implicat. In probatione primæ consequentiæ, assumit unam propositionem notabilem, de relativis æquiparantiæ. Vide .22 distinct. 1. et alibi

sæpe idem. In probatione secundæ adducit dicta Aristotelis 5. et 10. Metaphysicæ. Videatur in 5. textu non habente commentum et in 10. *text comm.* 10. 12. 17, *et alibi*. Tertiam consequentiam probat per regulas communes Logicales, quas supra sæpe notavi.

7. Ad oppositum arguit primo auctoritate; deinde ratione, per locum ab oppositis: cujus fundamentum sumit ex 10. Metaph. text. com. 12. Deinde respondet paucis, et faciliter ad quæsitum, tenendo partem affirmativam: præmissa tamen distinctione differentiæ, de qua quæstione præcedente. Nam tantum propositio illa est vera, accipiendo *differentiam* pro differentia communiter accepta, ut extendit se ad quodcumque accidens per accidens: et sic senectus et pueritia sunt differentiæ. Secus est si accipiatur differentia propria, vel magis propria: nam sic propositio est falsa. Et ratio hujus est, quia, nullum accidens per se rei variatur, manente re, imo tale est coævum rei, et idem sibi: sub cujus opposito non potest intelligi illud cujus est absque implicatione. Oppositum est de accidente per accidens. Nedum igitur ab alia re, sed a seipso, in diversis temporibus, tali differentia aliquid potest recte differre. Ista est ratio, quam Doctor tacuit. Sequeretur enim quod si aliquid differret a se talibus differentiis, tunc simul esset ipsum, et non ipsum: quod manens non manens non est idem, nec rei essentia variatur, manente re ipsa.

8. Consequenter solvit [illegible] argumenta principalia. Ad primum respondet dupliciter. Primo ad majorem: distinguendo de esse actu, aut in ratione referendi, aut in ratione [illegible]. Exemplificat de priori, et posteriori. [illegible] quartum principale. [illegible] esse simul natura, non est esse [illegible] sed esse proprium [illegible] jectivum. [illegible]

[illegible] 9.

[illegible] tellectu et gravi, et [illegible]

[illegible]

[illegible] 10.

[illegible]

Ad tertium principale, secundum unam viam respondet, negando primam consequentiam, recurrendo ad naturam hujus verbi *differt* : nam includit negationem, ratione cujus mobilitat immobilitatum capax sequens, et immobilitat mobilitatum : et assignat instantiam in aliis terminis.

Ad probationem vero illius consequentiæ, respondet bene, quod tenet in relativis æquiparantiæ positivis, non negativis.

11. Objicit consequenter notanter contra hunc modum dicendi, ostendendo quod quamvis habeat locum in terminis communibus, non tamen in terminis discretis, vel singularibus, aliter enim supponit terminus communis, dum præponitur; et aliter dum postponitur officiali, ut cum dicitur : *ab homine tu differs, et tu differs ab homine.* Prima vera, secunda falsa. Similiter in proposito, hæc, *Socrates differt ab homine*, est falsa : sed hæc, *Socrates differt ab omni homine*, est vera, quia ibi ly *differt* immobilitat mobilitatum : hæc autem, *Socrates et omnis homo differunt*, est falsa, quia ibi, sicut et in prima, mobilitatur *homo*, et tunc vel Socrates non esset homo, vel differret a seipso, quorum utrumque est falsum. Sed in terminis singularibus non habetur hæc diversitas suppositionis, quia si sic discretus, discrete semper habetur.

12. *In singularibus*, inquit, *non refert proponere*, et 2. Perihermenias, cap. 1. Sequitur igitur gratia materiæ, *Socrates senex differt a seipso puero, ergo Socrates senex, et Socrates puer differunt.* Conceditur igitur prima consequentia, et similiter secunda, quam appellat ultimam, licet non simpliciter, respective tamen, quia in ordine ad primam. Ponitur enim aliquando superlativus pro comparativo, et e contra. Universaliter enim verum est quod eo modo quo aliqua differunt sic sunt multa, si ratione, ratione; si re, re; si accidentaliter, accidentaliter, etc. Negat ergo Doctor tertiam consequentiam et assignat duas rationes negationis. Prima, quia est fallacia a secundum quid ad simpliciter. Secunda, quia arguitur a conjunctis ad divisa, in dictis secundum accidens, contra Aristotelem 2. Perihermenias, cap. 2. Raro enim valet argumentum a conjunctis ad divisa, sicut e contra.

De Tertio, circa dicta aliqua occurrunt 13.
dubia. Primo circa solutionem quæstionis * * num. 2.
videtur quod propositio illa non sit distinguenda, quia vel sumitur ibi *differre* absolute, et indifferenter ad illa tria membra, aut determinate contracte. Si primo modo, cum sit analogum, debet sumi pro famosiori significato, et sic propositio est simpliciter neganda. Si secundo modo, quod videtur verius juxta illam propositionem supra, cap. de Specie, quæst. 2. Quando scilicet aliquid se habet ad aliqua simpliciter, et secundum quid, si addatur sibi aliquid determinans ad secundum quid, stat tantum pro illo : sed hîc additur *senectus*, vel *pueritia* ipsi differentiæ, quæ determinant ad secundum quid *differre* : quare stabit differentia hîc ex vi sermonis, pro differentia communiter accepta, non igitur distinguenda est propositio.

Item, contra primam solutionem ad pri- 14.
mum principale, videtur quod simultas requisita ad relativa, nedum quoad actum referendi, sed quoad existentiam, debet intelligi : alias distinctio relationis in actualem, et aptitudinalem, nulla esset. Quod probatur, nam quoad esse objectivum, et intellectuale, simul sunt risibile, et risus : et ita quoad actum referendi. Quare si talis duntaxat actus requiritur ad extrema relationis actualis, una erit actualis, sicut alia, distinctio igitur nulla. Assumptum probatur, nam impossibile est intelligere aptitudinem, vel aptum natum, inquantum tale, nisi intelligatur terminus, seu illud ad quod est aptitudo, licet non necessario simul sint actu.

Posset etiam dubitari ibi, qualiter illud quod non est actu in re, vel cum alio, possit esse actu in intellectu, vel simul in alio sic actu. Sed hoc infra, cap. de Relatione, quæst. 3. habet prolixius videri.

Item, contra secundam solutionem ejusdem argumenti, arguitur. Unius per se relationis est unum per se extremum : nam

relatio habet entitatem, unitatem, et perseitatem, ab extremis : sed differentia est una relatio, et per se, ergo ipsius erunt extrema realia. Modo hoc totum, *Socrates senex differens*, vel *Socrates puer differens*, non est hujusmodi, patet enim quod est aggregatum per accidens ; ergo, etc.

15. Circa solutiones secundi, et tertii principalium, possent plura tangi, et de natura officialium diversorum, et diversimode mobilitantium, et suppositionibus terminorum, sed omitto hic tantam prolixitatem. Videantur alibi copiose. Sed videretur alicui, quod illud copulatum, *Socrates senex et Socrates puer*, non faciat singularem, contra ea quæ habet Doctor, in objectione contra primam viam, solvendo tertium principale.

Item, videtur quod *senectus et pueritia* non sint determinationes diminuentes, cum sint accidentia naturalia hominis, cum quibus vere salvatur natura humana. Prima ergo ratio assignata, pro negatione tertiæ consequentiæ tertii principalis, nulla est.

Item, videtur quod arguendo a conjunctis ad divisa, in terminis accidentalibus, valet argumentum. Nam sequitur, *Socrates est homo albus, ergo Socrates est homo* : et sic de aliis : imo in substantialibus non valet, quia non sequitur, *Homo est animal, ergo homo est*. Plura alia circa hoc possent adduci, sed ista ad præsens sufficiant, quibus solutis, alia facilius solventur.

16. Ad ista respondetur. Ad primum dictum est prius de mente hujus, 1. Elenchorum, quæst. 16. quod illa propositio, *Omne analogum*, etc. non est vera de virtute sermonis, et sic dando primum membrum, nihil sequitur; quod additur quoad secundum membrum, scilicet quod contrahitur, posset dici conformiter dictis hujus, 1. Elenchorum, quæst. 9. et 10. quod terminus æquivocus non potest contrahi proprie, nec per mediate adjunctum, et multo minus per immediate adjunctum, sicut est in proposito. Terminus enim, vel fundamentum relationis, non intelligitur proprie tanquam contractivum ejus, et maxime ubi plura fundamenta, et plures termini connumerantur. Cum enim dicitur, Socrates senex? potest utrumque esse fundamentum, vel utrumque terminus. Quare oportet distinguere de differentia, ut dicit Doctor. Quæratur singularis doctrina hujus, super 1. Elenchorum, quæstionibus prœallegatis, ad hoc dictum Doctoris supra, cap. de Specie, quæst. 9. si est verum, intelligitur de immediate adjuncta via discursivi processus tantum, et non de virtute sermonis, sed arguitive adducit illam propositionem ibi.

Terminus relationis non est ejus contractivus.

17. Ad aliud, quod tangit lenem? difficultatem, habet videri prolixe infra, cap. de relatione, et super quintum Metaphysicæ, et super Sententias, et alibi : sed pro nunc breviter potest dici, quod in hoc differunt quia hoc, aptitudo, et illud actus, vel *actualis* relatio. Et forte non quærit relatio aptitudinis terminum. Vel si sic, non actu relatum, sed aptitudine, vel nullo modo. Præscindit enim terminus ejus ab actu et potentia, ut dicit Franciscus in 1. Conflatu?, dist. 30. quæst. finali. Ubi plura singularia ad propositum notari possunt. Risus etiam non mutuo forte refertur, nec per se est relativum risibilis, sed potius risivum, vel quidditas cujus est passio. Dato igitur quod intellectus intelligat simul risibile et risum, non tamen ut actualia entia, nec actu mutuo et per se relata : [illegible] est de differente et differente. Respectus enim aptitudinalis nunquam fit actualis seu formalis, sed bene formalem expectat, et [illegible] differre a fundamentali [illegible] tamen intelligitur, et [illegible] fundamento inhæret, vel [illegible], ut infra, cap. de proprio, quæst. 1. habetur. Plura alia [illegible] hic [illegible] Super [illegible] de Genere, [illegible] de aptitudine [illegible] tionibus ejus, et alibi [illegible].

18. Ad aliud, dico quod Doctor [illegible] quid per se, et formaliter est hic relativum et quid per accidens, seu materialiter. [illegible] ergo quod differens, et differens sunt formaliter, et per se talia. Socrates vero puer

et senex materialiter. Concedo ergo quod unius per se relationis sit unum per se extremum formaliter, plura tamen materialiter. Ad plura etiam per se referri potest idem, licet non primo. Vide ubi supra quottavi Doctorem, et Franciscum, et 1. dist. 4. Posset etiam dici, quod additio fundamenti, vel termini, respectivo, non arguit aggregativum per accidens, ut supra, in materia de Universali in communi, tactum est : et ita negaretur quod affertur per se unitas extremi in proposito, propter additionem istorum ipsi differenti.

19. *Singularis terminus quomodo æquivalet communi geminatus* Ad aliud potest dici, quod si singulare geminatum æquivaleret termino communi, hoc verum erit tantum respectu diversorum singularium, id est, ubi geminantur diversa singularia, et non ubi idem sibiipsi, sicut accidit in proposito.

Ad aliud dictum est supra, quæst. 2. de Specie, in simili. Licet enim pueritia non distrahat, vel diminuat a ratione Socratis absolute, diminuit tamen in ordine ad tertium, scilicet multitudinem, sicut notanter dicit Doctor in littera, *respectu talis prædicati,* etc. ita quod arguere a multitudine tali, scilicet accidentali, ad multitudinem essentialem, est arguere a secundum quid ad simpliciter, ut patet.

Ad aliud, vide infra, super 1. Perihermenias, quæst. 7. optime, et super 2. Perihermenias, ubi allegatur. In aliquibus prædicatis accidentalibus sequitur, in aliis non, ut patet per regulas Philosophi ibidem. Quære expositores, et maxime Antonium Andreæ post hunc, ut nosti.

Differentia est, qua abundat Species a Genere. Cap. eod.

QUÆSTIO XXV

An prima definitio Differentiæ, scilicet, qua Species abundat a Genere, *sit convenienter data*

Joannes Angl. Brasavol. *et* Rodrigues *super hanc quæst.* Vide citandos *q.* 27.

1. *Ad argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, quia quod abundat ab alio, est in plus illo. Genus est in plus, quam Species, et non e converso, per Aristotelem in Prædicam. cap. de Substantia, ubi dicit. *Animal plus complectitur, quam homo,* ergo, etc.

Item, si sic, quæro, a quo Species habet differentiam, non a nullo, quia ex nihilo nihil fit : non a se, quia nihil facit se esse in actu. Si igitur habeat, ergo habet hoc a genere ; sed hoc est inconveniens propter duo. Primum est, quia tunc non abundaret in hoc a Genere ; cum utrumque habeat illud. Secundo, quia haberet tunc Genus in se contraria : qua enim ratione una Species habet unam differentiam a Genere : pari ratione, alia Species habebit aliam differentiam sibi oppositam ; ergo utramque habet, ergo opposita simul.

Dicitur hic, sicut Porphyrius in littera respondere videtur, quod Species habet differentiam a Genere, et ita Genus habet illam differentiam in potentia tantum, Species autem actu. Nec sequitur tunc primum inconveniens : quia illud *abundare* debet intelligi, quoad *actu habere.* 2. *Species habet differentiam a genere.*

Ad secundum dicitur, quod non est inconveniens opposita simul inesse eidem in potentia.

Contra primum. A nullo potest aliquid verius haberi, quam ipsum illud in se habeat : igitur a Genere non potest Species habere verius differentiam illam, quam Genus habeat illam ; sed Species habet illam actu, Genus tantum in potentia : ergo Species illam a Genere non habet.

Contra secundum. Omnis potentia est reducibilis ad actum : igitur si opposita in potentia insunt Generi, poterunt inesse actu, quod est impossibile.

Item contra utrumque simul. Illud quod tantum inest alicui in potentia, non prædicatur vere de illo cum hoc verbo, *est;* quia, *esse,* denotat actualem unio-

nem extremorum : sed hæc est vera, *Animal est rationale* : ergo prædicatum non tantum inest subjecto in potentia.

Ad oppositum est Porphyrius.

3. *Conclusio.* Dicendum, quod Species abundat a Genere in differentia : quia definitio exprimit totum per se intellectum definiti; quia aliter non conveniret primo definito, sed definitio constat ex Genere, et Differentia ; ergo Differentia est aliquid de per se intellectu Speciei, et non de intellectu Generis; quia si sic, Genus per se prædicaretur de differentia, vel e converso : quorum utrumque est falsum, et nugatio esset in definitione; quia ponendo rationem Generis, et Differentiæ loco nominum, idem bis diceretur : ergo Species abundat Differentia a Genere.

Ad argumenta. *Esse in plus, est dupliciter.* Ad primum dico, quod *esse in plus*, est dupliciter, scilicet secundum continentiam actualem, vel potentialem, sive secundum indifferentiam, et isto secundo modo, Genus est in plus, ut vult auctoritas adducta, Species vero alio modo : et ideo sic abundat a Genere.

Ad secundum dico, sicut dictum est ; quia sicut compositum naturale habet formam in potentia a materia, inquantum materia est in potentia per se ad formam, et ideo quando materia est, est etiam forma compositi in potentia : formam autem habet compositum in actu ab agente, quod actu inducit formam in materiam : sic Species in potentia habet Differentiam a Genere, quod est proportionale materiæ.

Ad primum contra hoc, concedo, quod Species non habent Differentiam in actu a Genere, quia nec Genus illam habet actu.

Ad secundum potest dici, quod non est inconveniens opposita in actu inesse eidem *Genere*, licet sit inconveniens de eodem *numero*.

Vel aliter, quod potentia non dicitur hic, ordo ad actum, ut sumitur 9. Metaphys. context. 2. et inde, sed *potentia* dicitur hic, indeterminatio, sive per oppositum, actus proprie determinat aliud, et tunc Genus habet Differentias in potentia, id est, indeterminate, et isto modo non intelligitur propositio illa, quod *Omnis potentia reducibilis est ad actum*.

Per hoc ad aliud, concedo enim quod hæc est vera, *Animal est rationale*, nam sua contradictoria est falsa ; sed non est vera universaliter, non est enim inconveniens, aliquid prædicari vere de eo, quod est in potentia ad ipsum, id est, indeterminate se habet ad ipsum, et hoc particulariter, non universaliter.

EXPOSITIO

Definitio illa, et processus Doctoris, intelligi maxime habet de Differentia primo intentionaliter accepta, sed nihilominus omnia possunt intelligi in secundis intentionibus, ut ostendam. a

Quantum ad PRIMUM omnes termini clari sunt ex sæpe dictis. Ordo quæstionis ad præcedentes patet, quia prius erat investigandum circa divisionem multiplicis, et declarationem membrorum, quam circa declarationem eorum, sicut multiplex [illegible], prius est dividendum, quam definiendum. [illegible]

De SECUNDO [illegible] b

tangit Auctor in littera, et Boetius in Commento egregie, quæ ubique videbis. Allegat in primo membro illud principium famosum Philosophorum, quod habetur 1. Physicorum, *text. comm.* 34. et 1. Elenchorum, cap. 2. et alibi sæpe, quod tamen etsi materialiter, vel effective verum sit, ordinaliter tamen falsum, et natura, et duratione, ut recte Theologi sentiunt. Pro secundo membro est propositio famosa, quæ est Augustini 1. de Trinitate, cap. 1. et Philosophi 2. de Anima, *text. comm.* 47.

6. Adducit immediate evasiones, imo bonas solutiones ad illa duo, quæ inferuntur, sustinendo tertium membrum inductionis : et in hoc solvit secundum principale.

Objicit consequenter contra has evasiones tribus rationibus ; duabus primis rationibus divisim, et seorsum, et tertia conjunctim. Assumit in prima ratione propositionem notabilem, quæ potest elici 2. Elenchorum, scilicet, *Nihil dat quod non habet*, vel *quod de se non habet*, etc. In secunda assumit aliam famosam, quæ potest haberi 9. Metaph. text. comm. 8. et 2. Metaph. comm. 1. et 8. Physic. et 1. Cœli, et alibi sæpe, maxime in doctrina hujus. In tertia ratione tangit dictum Philosophi 1. Perihermenias, cap. de *Verbo*. Ad oppositum allegat Porphyrium.

7. Deinde respondet ad quæsitum, tenendo partem affirmativam, quam paucis optime declarat, eo quod definitio indicat essentiam, et intellectum adæquatum essentialem definiti : quod patet 1. Topic. cap. 4. ubi definitur *definitio*, quod scilicet, *est oratio quid est esse significans*. Constat autem ex genere, et Differentia : ut 6. Topicor. et 7. Metaphys. et alibi plerumque patet. Sequitur ergo quod Differentia includitur in intellectu essentiali Speciei : non sic autem est de intellectu Generis. Quod probat dupliciter, quæ omnia tacta sunt copiose supra, quæst. 3. et 6. de Genere, et infra, quæst. 7. Anteprædicamentorum, et alibi, in doctrina hujus sæpe, ut ibi notavi. Hoc etiam tangit 2. quæst. sequente, ubi vult quod ista definitio est Differentiæ inquantum constitutiva Speciei est, et non inquantum divisiva Generis.

Differentia est de essentia Speciei.

8. Consequenter solvit argumenta principalia. Ad primum respondet, distinguendo de continentia. Est enim *continentia* multiplex, ut alias notavi, quia alia *formalis*, seu *actualis*, ut totum Physicum, vel Metaphysicum, continet suas partes ; alia *potentialis*, seu *permissiva*, ut materia Physica, vel Metaphysica, continet formas, vel proportionalia formis ; alia *virtualis*, ut causa efficiens continet effectum, et maxime æquivoca ; alia *eminentialis*, ut Deus continet omnia alia entia ; alia *unitiva*, ut patet in identice plura continentibus. Secundum ergo diversos modos continendi, Genus est in plus Specie, et e contra : et unum est continens alterum, et e contra : et sic exponit Aristotelem, et Porphyrium diversimode intelligendo *abundare*.

Continentia multiplex.

Ad secundum principale, recurrit ad solutionem prius datam supra, quam declarat pulchre, Physice, comparando formam naturalem compositi ad materiam, et ad efficiens, a quibus diversimode in composito habetur : et sic duæ evasiones datæ supra ad argumentum, bene procedunt. Habet enim compositum formam a materia, eo modo quo materia illam habet, quia tantum in potentia. Nam in quocumque est aliud, habens est, et tale habitum, ut in illo habetur : habet autem actu formam ab efficiente effective : et posset addi quod ex se, vel a forma ipsa formaliter. Et sic tripliciter, vel quadrupliciter forma est in composito potentialiter a materia ; effective actualiter ab efficiente ; formaliter actualiter ab ipsa forma ; virtualiter, vel occasionaliter, vel causaliter a fine. Ea tamen quæ dicit Doctor firma sunt, et sufficientia. Est igitur fallacia Consequentis in argumento, penes secundum modum, quia arguit ab insufficienti, ut patet. 9.

Ultimo respondet ad illas tres replicas. Ad primam, concedit assumptum. Et quod infertur sic glossando quod non habet Differentiam actu a Genere, bene tamen potentia.

Ad secundum respondet dupliciter. Primo concedendo opposita inesse eidem generi, sicut rationale, et irrationale, insunt actu homini, et asino, quæ sunt eodem genere, et sic de aliis. Secus est de eodem *Specie*, vel saltem *numero*. Reducere autem ad actum potentialitatem differentiarum in Genere, est constituere Species, sicut de materia, et formis oppositis, est dicendum. Alia responsio, quod æquivocatur de potentia : et est satis bona responsio. Uno modo sumitur ut dicit ordinem ad actum, et sic est differentia entis 9. Metaph. *text. comm.* 2. *et inde*. Alio modo pro indeterminato, et sic sumitur in proposito. Materia enim et proportionabile ei est potentiale, et de se indeterminatum : actus vero determinatum, et determinativum 7. Metaph. *text. comm.* 49. Primo modo procedit argumentum.

10. Per hoc respondet ad tertium distinguendo de prædicatione differentiæ de genere, aut scilicet universali, aut particulari : quod potest intelligi dupliciter. Uno modo, recurrendo ad illas tres acceptiones termini communis, et tunc universaliter prædicari intelligitur illud, quod in tertia acceptione sibi convenit, hoc est, in suppositione simplici, et pro natura sic indeterminate sumpta. Particulariter vero, quod in prima, vel secunda acceptione, quia scilicet pro suppositis verificatur. Alio modo satis bene intelligitur, *Universaliter*, id est, in propositione universali : *particulariter* autem, id est, in propositione particulari, vel indefinita. Unde hæc est vera, *Animal est rationale*, vel *Aliquod animal est rationale* ; sed hæc est falsa, *Omne animal est rationale*. Stat ergo Generis potentialitas, vel indeterminatio, cum tali prædicatione. Hæc tacta sunt supra, cap. de Genere, quæst. 3. solvendo sextum principale, ubi de duplici indeterminatione dictum est. Plura horum declarativa alibi quærantur.

11. DE TERTIO quamvis prædicta satis clara sint, aliqua tamen tangam, pro majori declaratione eorum. Primo videtur quod ea quæ dicuntur in solutione quæstionis, et in toto processu ejus, non possunt explicari ad secundas intentiones. Cum igitur Porphyrius logice definire debeat, et per consequens intentionaliter, videtur quod ista definitio non sit bona.

Item, videtur quod illud fundamentum Doctoris, in solutione quæstionis, et argumentorum, quod scilicet genus in potentia, vel indeterminate, continet differentias, Species vero actu, sit falsum, quia unumquodque est actu seipsum ; sed Genus est differentia, saltem realiter, ergo impossibile est Genus esse actu, quin differentia sit actu : quia materialiter non existens non potest esse idem : continentia ergo Generis respectu differentiarum non est potentialis, vel permissiva, sed potius actualis, vel unitiva.

Item, si intelligitur definitio de Differentia secundo-intentionaliter sumpta, quomodo erit in intellectu Speciei, cum sint disparata, et quomodo per ipsam abundabit a Genere? et quomodo continetur in uno actu, in alio in potentia? et sic de aliis, quæ ibi dicuntur.

Posset etiam dubitari de his quæ tangit, quantum ad prædicationem Generis de Differentia, et e contra. Videtur enim quod Differentia per se prædicetur de Genere, quia quidquid propter quid demonstrari potest de aliquo, per se prædicatur de illo ; sed Differentia est hujusmodi respectu Generis, et hoc loquendo in Analyticis ; ergo, etc. Patet consequentia cum majori. Minorem autem probo ex dictis hujus 2. dist. primi, quæst. 2. in solutione, ubi dicit quod quidquid primo, et immediate convenit alicui de quolibet quod est in eo, sive sibi superiori, sive inferiori, potest demonstrari propter quid, per illud cui primo convenit, tanquam per medium ; sed Differentia primo, et immediate, et per se convenit Speciei, Genus vero includitur per se in Specie, tanquam superius ad Speciem. Igitur per rationem Speciei de Genere propter quid demonstrari poterit ipsa Differentia. 12

13 Quod tangitur in solutione secundi principalis, de continentia formarum in materia, posset dubitari, prolixe pertractando inchoationes formarum, et rationes seminales, et diversas potentias materiæ, quæ pertinent ad Physicum, et Metaphysicum. Videatur iste 7. Metaph. et 2. Sententiarum, dist. 12. et 18. et alibi, 2. Physic. et alibi sæpe, et maxime Antonius Andreæ in quæst. 3. principiorum, et moderni Scotistæ, et super primum Physicorum; in quæstionibus etiam 9. Metaphysicæ videatur iste pro multiplici acceptione *potentiæ* præclare.

Item, videtur quod hæc, *Animal est rationale*, sit vera universaliter, sic dicendo, *Animal est omne rationale.*

Item, ex hoc quod Socrates est indeterminate se habens ad sedere, et ambulare, non sequitur, *Socrates sedet*, igitur solutio illa ultimi argumenti minus recte procedit, alia inquirat ingeniosus lector.

14. Ad ista per ordinem. Ad primum, dico quod licet (ut dictum est) principalius, vel expressius intelligantur dicta in hac quæstione, et definitione, de fundamentis, possunt nihilominus in actu *signato* verificari in secundis intentionibus, sicut in simili infra, quæstione secunda sequenti, ad finem, declarat Doctor illam definitionem quartam Differentiæ : *qua* scilicet *differunt a se singula.* Cum ergo dicitur, *Differentia est qua abundat*, et hic supponunt intentiones Differentiæ, Speciei, et Generis, pro fundamentis, sicut supra, de Genere, et Specie, sæpe dictum est. Quod igitur in actu *signato* dicitur de intentionibus concretive sumptis, in actu *exercito* verificatur in fundamentis. *Est* igitur *Differentia*, ut est intentio, qua non ut forma informante, nec intrinsece constituente, sed *qua* ut intentione applicabili ei, quod est principium formale intrinsecum actualiter, formaliter inclusum in Specie, ut supponit pro fundamento, *abundat Species* a *Genere* supponente eodem modo. Est ergo definitio Logica, quia de intentione, et intentionibus, ut tamen pro fundamentis supponentibus, ut patet.

Ad secundum, quod tangit pulchram difficultatem, potest dici uno modo, quod identitas realis aliquorum est duplex. Una ratione unius, vel utriusque extremorum, se identificantium. Alia, ratione convenientiæ, vel identitatis in tertio. De prima procedit argumentum, sed non de secunda, qualis est in proposito. Fundamentum hujus solutionis potest colligi ab isto 8. dist. Primi. Aliter potest dici, quod actualitas, et potentialitas, de quibus loquitur Doctor in littera, debent intelligi quoad inclusionem formalem, et formalem identitatem : non quoad inclusionem realem, seu identitatem talem. Qui vero non ponerent distinctionem aliquam præter opus intellectus, inter Genus et differentiam, difficulter possent evadere argumentum. 15. *Identitas realis multiplex.*

Breviter ergo dico, quod Genus continet actualiter potentialiter, id est, indeterminate differentias, quas Species determinate continet. An autem possit sustineri, Genus continere formaliter Differentias, dubium est. Et potest dici quod non, ut indeterminatum est, sed bene ut contractum, et esse totius communicans. Plura ardua Metaphysicalia possent hic adduci, sed hæc sufficiunt junioribus. 16.

Ad aliud, patet ex prima solutione, qualiter omnia illa in actu *signato* dicuntur de Differentia, ut est secunda intentio.

Ad aliud, quantum ad prædicationem Generis de Differentia, videatur iste 3. Metaphysicæ. Sed quantum ad prædicationem Differentiæ de Genere, dico quod duplex est demonstratio, sicut duplex medium, universale scilicet, et particulare. Dictum Doctoris 2. distinct. Primi, ubi quottatur, intelligi debet (ut est adductum ad propositum) de demonstratione particulari, et tunc superius supponit, et verificatur pro inferiori. Ut si argueretur sic : *Omnis homo est rationalis, aliquod animal est homo, ergo*, etc. Si vero acciperetur *animal* ut commune est, vel ut indifferens, prædicatio Differentiæ de ipso erit per accidens, sicut et propriæ passionis hominis. Vide hunc, quæst. 1. Prologi Sententiarum, solvendo

objectionem quamdam ex Henrico de Gandavo.

17. Posset aliter dici, quod dictum Doctoris debet intelligi de eo quod per se primo inest per modum passionis, non deest. Vel aliter quod Doctor in originali suo correxit illa verba *sine superiori*, etc. ut patet intuenti opus ejus quod castigavimus.

Propositionis universalitas et particularitas unde attenditur. Ad aliud dico, quod universalitas et particularitas propositionis debet attendi maxime ex parte subjecti, et non prædicati, quia syncategoremata a parte subjecti disponunt in ordine ad prædicatum, non autem e contra, ut infra, cap. de Substantia, quæst. I. habet Doctor. Aliter etiam potest dici, quod hæc est falsa, *Omne animal est omne rationale*, si ponatur rationalitas convenire intelligentiis. Sed hæc est instantia specialis; prima solutio sapit.

Ad aliud, non currit similitudo, quia indeterminatio, vel indifferentia Socratis ad illa accidentia, est contingens, et subjectiva. Generis autem respectu differentiarum est necessaria, et inseparabilis, ut patet speculanti.

Definiunt autem et hoc modo. Cap. de Diff.

QUÆSTIO XXVI

An Differentia possit definiri

Joannes Angl. Bras. et Rodr[illegible] super hanc *quæst.* Vide etiam Scotum *quæstione sequente.*

1. Quod non videtur; quia Differentiæ non est Differentia, sic enim esset procedere in infinitum : omne autem quod definitur, habet Differentiam. Item, sola Species definitur : Differentia non est Species.

Ad oppositum est Porphyrius.

Conclusio. Ad quæstionem dicendum, quod Differentia potest definiri, quia habet Genus, scilicet Universale, quod per aliquam per se Differentiam descendit in ipsam, ut patebit in solutione quæstionis sequentis.

Ad primum, concedo quod Differentiæ non est Differentia, respectu cujus Differentia habet rationem Differentiæ ; sed potest habere Differentiam, respectu cujus ipsa est Species : sicut illud quod est *prædicari in quale*, per quod constituitur Differentia in sua Specie, sicut *homo per rationale*. 2. Ad argum.

Contra, tunc Differentia respectu alicujus non est Differentia ; quod est falsum, quia necessario est Differentia, et per se : ergo respectus ad quodcumque non poterit illud tollere. Concedo, quod Differentia ut *quid* in se, non est Differentia ut *modus*, tamen necessario est Differentia, ut *quid* : sic species est modus ejus.

Ad aliud concedo quod Differentia est Species.

EXPOSITIO

De Primo. Termini clari sunt. Sed videtur quod ordo hujus quæstionis ad præcedentem est præposterus, quia prius erat videndum an possit definiri, quam disputandum de ipsius definitionibus. Sed de ordine parum refert. Salvari tamen potest hoc modo, quia definitio, de qua in quæstione præcedente, maxime attendi habet de Differentia fundamentaliter sumpta, de qua non est principalis intentio Logici. Vel si de secundis intentionibus possit verificari, ut declaratum est, non tamen secundum illam rationem, secundum quam principaliter hic consideratur. Non principalis consideratio hic de Differentia est, ut habet rationem Universalis, vel prædicabilis : quare definitio [illegible], vel principalis, [illegible] quod sola, de qua ex intentione hic loquitur Porphyrius, ut Doctor. Igitur ut ordine ad illam præcedit hanc quæstionem, an scilicet Differentia possit definiri, et sic salvatur ordo. Littera satis communis est. 3

De Secundo, [illegible] bus ad partem negativam, quæ satis claræ sunt, [illegible] ex [illegible] 4

damentis Philosophi, quantum ad majores. Ubi advertendum, quod bene formando primam rationem, illud quod ponitur pro majore debet poni minor, et e contra.

Ad oppositum adducit Porphyrium. Brevibus verbis respondet ad quæsitum, tenendo partem affirmativam. Illud enim potest recte definiri, quod habet Genus et differentiam, et si est respectivum, habet fundamentum, et terminum : sed Differentia est hujusmodi, ut hîc loquimur de ea, quare, etc. Minor patet ex dictis sæpe supra, et maxime quæstione de numero Universalium, et de definitionibus Generis et Speciei. Universale enim, vel *prædicari de pluribus*, (quæ est ratio ejus) contrahitur per *quid*, et *quale* : et ulterius ipsum *quale* per quale essentiale, et accidentale : et iterum quale essentiale specificatur per *differentibus specie*, et *numero*. Differentia ergo cum sit species Universalis, habet Genus, habet etiam differentias, ut quale essentiale, ibi stando, si definiatur ipsa in communi. Si vero ipsa ut intermedia est, additur *differentibus specie* ; si iterum ipsa ut ultima, additur *differentibus numero* ipsi *quali* essentiali. Doctor vero remittit se ad quæstionem sequentem, quia ibi hæc omnia clarius pertractantur.

5. Deinde respondet ad argumenta. Ad primum, distinguendo de Differentia, vel ut Differentia est, vel ut species. Primo modo procedit argumentum, secundo modo non. Et licet frater Joannes Foxal dicat hîc quod hæc tota solutio non possit verificari de Differentia, nec ut est primæ intentionis, nec ut secundæ, sed prima pars de prima, et secunda de secunda, quia solum Differentia ut est primæ intentionis, habet rationem differentiæ respectu alicujus : et solum Differentia ut est secundæ intentionis, habet rationem, vel modum Speciei ; tamen probabiliter dico, quod tota solutio potest verificari de Differentia, ut est secundo-intentionale, et forte etiam tota de Differentia, ut est primo-intentionale, licet minus proprie.

6. Intelligo ergo verba Doctoris sic, quod Differentia ut unum Universalium, non habet differentiam constitutivam ejus, utpote hoc quod est *in quale essentiale*, inquantum Differentia sumitur sub modo differentiæ, id est, suiipsius ut modi, ita scilicet quod sicut ista est vera, *In quale essentiale est Differentia ut modus*, ita esset vera ista, *Differentia ut tertium Universale, est Differentia* : sed tantummodo habet illam differentiam, quæ est divisiva superioris, et ipsius constitutiva, inquantum habet modum speciei : ita quod nihil aliud vult dicere Doctor ibi, nisi quod differentia potest accipi vel ut *quid*, vel ut *modus*. Primo modo ipsius est Differentia, ut tamen induit modum speciei, secundo modo non. Nam Differentia ut hîc sumitur, non induit modum differentiæ, sed bene Speciei, vel Generis. Non ergo intendit Doctor asserere quod Differentia respectu alicujus possit habere modum differentiæ, sed potius negat, et sic tota solutio potest intelligi de secundis intentionibus, aliter non bene esset ad propositum argumenti, quia argumentum nedum de primis, sed etiam de secundis intelligi potest. *Differentia quomodo habet differentiam.*

Posset etiam intelligi solutio de Differentia, ut est primo-intentionale, eo quod habet modum Speciei. Prædicatur enim de pluribus differentibus numero, in eo quod quid : ut patet de rationali. Vel de differentibus specie, si est intermedia. Quare cum omnis species habeat definitionem, differentiæ erit definitio. Hoc maxime posset teneri, si vera esset illa opinio, quæ ponit differentiam superiorem prædicari per se de inferiori. Sed secundum veritatem hoc non est verum. Nam licet rationale respectu hominis, vel animalis, habeat rationem, vel modum Differentiæ, non tamen habet veram rationem speciei, nisi similitudinarie : eo modo quo aliqui dicunt ens esse speciem. Et una ratio hujus est, quia pars Speciei non est species, ut habet iste, in 2. distinct. 1. quæst. 6. et hoc loquendo de parte, quæ sic est pars, quod non totum. Alia ratio est, quia nihil proprie est Species, quod non est per se in Ge- 7.

nere : Differentia est hujusmodi, quæ, etc. Et propter hoc aliqui distinguunt de specie prædicata, et de specie subjecta. Si ergo Differentia erit species, erit tantum prædicata et non proprie subjecta ; sed quantum valet illa distinctio tactum est aliqualiter supra, et alias habet videri. Verius igitur solutio verificatur de Differentia secundo-intentionaliter, quam de ipsa primo-intentionaliter accepta.

8. Objicit notabiliter contra solutionem, et assumit unam propositionem famosam in doctrina ipsius, quod videlicet comparatio alicujus ad quodcumque, non variat rationem propriam ejus, vel saltem non destruit ipsam. Omne enim per se tale, ad quodcumque comparatur semper est tale. Et potest confirmari ex 1. Physic. text. comment. 26. et inde, *Quod vere est*, etc. Quæratur iste, in Quodlibeto, quæst. 3. articulo 2. et in primo, distinct. 2. parte 2. quæst. 1. solvendo principale, et alibi sæpe. Male ergo dicitur quod Differentia comparata ad suam differentiam non habet rationem Differentiæ, cum ipsa sit per se ipsa, vel Differentia.

Ad hoc respondet, dicens, quod Differentia ut *quid*, non variatur ex comparatione ejus ad quodcumque, et maxime ad suam differentiam : sed hoc non obstante, non habet modum differentiæ, hoc est, non induit se ut modum comparatum ad suam differentiam, sed induit speciem ut modum. Est ergo Differentia comparata ad quodcumque, sed non habet modum Differentiæ in ordine ad aliquid, et hoc sibi, licet aliis sit modus. Est enim sibi *quid*, quod non *modus* sibiipsi, aliis vero *modus* est, et non *quid*, semper tamen *quid*.

Ad secundum principale respondet, ut sæpe supra, quod Differentia est species et hoc ut *modus*, non ut *quid*. Cuilibet enim Universali applicatur species ut *modus*, non sic de aliis.

9. De Tertio. Quia in quæstione sequenti habent ista videri copiose, pauca tangam pro nunc. Primo circa istam prædicationem, *In quale essentiale est Differentia*, dubitatur, quia constitutivum essentiale aliquod non continetur sub ipso ; sed in quale essentiale continetur Differentia, ergo non continetur sub ipso : falsa ergo est talis prædicatio.

Item, tunc sequeretur quod Differentia præcederet seipsam. Nam *In quale essentiale* præcedit differentiam, cum constituat eam, et sit pars ejus ; sed in illo priori in *quale* est Differentia : ergo Differentia ante seipsam, quod impossibile.

Item, quare Differentia non habet modum Differentiæ, sicut Species Speciei, et Genus Generis, maxime cum transsumitur a Differentia, ut est principium formale differendi, vel ut est nomen primæ intentionis, sicut quandoque sequentia habetur.

Item, cum differentia primo-intentionaliter accepta non definiatur, quia non est proprie species, et Differentia secundo-intentionaliter fabricetur ab intellectu, sumpta a proprietate fundamenti, igitur videtur quod illa eodem modo non possit definiri. 10.

Item, videtur quod illa propositio *Omne quod est per se tale*, etc. sit falsa : nam 4. et 7. Metaphysicæ Philosophus videtur velle quod accidens in ordine ad substantiam sit non ens, et tamen in se est vere ens. Similiter de terra, et ipsius quantitate in se, et in ordine ad cœlum, et sic de aliis.

Item, cum dicit quod Differentia est necessario Differentia, videtur dicere falsum cum contingenter causetur ab intellectu et in esse conservetur.

Ad ista respondetur. Ad primum manifestum dictis supra, quæst. 6. de proprio Universalis. Contineri sub aliquo contingit dupliciter. Vel continentia [illegible] denominationis ; vel [illegible]. Primo modo non [illegible] [illegible], et [illegible] sub [illegible], et maxime in secundis intentionibus, quia [illegible] sunt modi intelligendi. [illegible] est possibile, et [illegible]. 11.

Ad [illegible] supra, quæst. 4. et 5. de Universali, [illegible]

bet intelligibilis. Sed breviter et probabiliter dico: quod in illo priori *in quale* non est Differentia formaliter, sed tantum fundamentaliter : nisi forte Differentia ut *modus* præcederet differentiam ut *quid*, quod non videtur probabile, maxime si sint idem in re.

12. Ad aliud dico, quod ratio illius est tacta supra, et habetur 1. Reportationum. distinct. 25. quæst. 2. ex quod omnia Universalia reducuntur ad duo prima, scilicet Genus et Speciem. quod non solum verum est in fundamentis, sed in ipsis intentionibus. Et hoc ideo quod omne Universale habet aliqua supposita, aut solum numero, aut specie differentia, quare induit modum Generis vel Speciei, non ita est principium differendi formaliter, vel ex principiis subjecti egreditur, vel adest et abest per transmutationem Physicam : ergo non induit modum Differentiæ, nec proprii, nec Accidentis. Licet igitur aliis, et primo-intentionalibus, et secundo-intentionalibus, sint modi illa tria Universalia ultima, non tamen sibiipsis. Secus est de duobus primis. Dubium tamen est de Accidente, an sibi et aliis possit applicari, ut *modus* de quo infra. cap. de Accidente.

Et quod additur in argumento ex quæstione sequente, de illa transumptione, verum est quoad nomen, non autem quoad omnem proprietatem.

Ad aliud tactum est sæpe supra, qualiter est alio modo unitas, et convenientia, et ordo in intentionibus, et alio modo in rebus. Definitur enim transcendens secundo-intentionaliter, et similiter generalissimum, et proprium, et individuum : sed non ita fundamenta. Dato ergo quod proprietas ex parte rei sit incitativum intellectus ad fabricandum talia, non tamen uniformitas hinc inde nisi rara. Similiter potest dici de modis significandi, suo modo, et vocibus significativis, et proprietatibus correspondentibus habent ergo ista modum Speciei propriæ, non ita fundamenta.

14. Ad aliud dico, quod dicta illa Philosophi intelliguntur improprie, et transumptive ut iste exponit 1. et 4. Sententiarum. Et quod tangitur de quantitate terræ, similiter non simpliciter, sed improprie, et respective debet intelligi : licet ibi posset esse instantia, quia non arguitur de eo quod est per se tale. Est ergo accidens vere ens et in se, et in ordine ad substantiam, licet illud verum ens sit diminute ens, respectu illius quod est substantia.

Ad ultimum potest dici, quod intelligitur in sensu composito, eo modo quo intelligitur illa propositio 1. Perihermenias *Omne quod est quando est*, etc. Aliud est ergo dicere differentiam esse necessario, et aliud ipsam necessario esse ipsam. Qui vellet etiam ibi recurrere ad esse quidditativum et ad esse existentiæ ipsius Differentiæ, forte posset. Sed de hoc non curo modo : supra in simili tetigi ista, et alias si occurrent, nunc festino ad alia.

Differentia est, quæ de pluribus differentibus Specie in eo quod quale sit prædicatur. Cap. eod.

QUÆSTIO XXVII

An hæc definitio sit conveniens. *Differentia prædicatur de pluribus differentibus Specie in eo quod quale*

Auctores in cap. de Differentia. Okam 1. part. Log. cap. 23. et in expositione cap. de Differentia. Albertus parvus q. unica de Differentia. Tart. 6. *de Differentia.* q. 1. Conimb. *q.* 2. *de Differ. art.* 1. Joannes Argent. et Bras. *super hanc quæst.* Hurtado disp. 9. Log. sect. 4. Mendoza. Soto. Toletus. Rodriguez. Fuentes. Ravens. Lovanienses. Fonseca. Villalpandus. et alii communiter cap. *de Differentia.*

Quod non videtur : quia definitum ex- 1. *Argumenta pro parte negativa.*
cedit definitionem ; prædicatur enim definitum de ultima Differentia, et completiva Speciei, et non definitio : quia illa Differentia tantum inest Speciei specialissimæ, et ejus suppositis.

Item, definitio excedit definitum. Probatur quia *sensibile* prædicatur de pluribus differentibus Specie in eo quod

quale. Ultimo non est Differentia; quia differentia est abstractum significans aliquam intentionem secundam. Impossibile est autem aliquam secundam intentionem in abstracto prædicari de re primæ intentionis. Probatio assumpti: quia differens, dicitur denominative a differentia, denominativum autem tantum differt ab abstracto suo; ergo etc. Antecedens patet per Porphyrium. Nam ubi vult exponere membra divisionis Differentiæ, exponit sic: Differt enim Socrates senex a se puero et quiescens ab agente.

Item, hoc quod est prædicari, est ratio relativi, ut patet de Universali: differentia autem non est relativum, quia relatio non refertur; esset enim procedere in infinitum, differentia autem est relatio; quia secundum ipsam refertur differens ad differens, vel etiam relatio æquiparantiæ, omnis enim differens, aliqua differentia differt a differente; ergo differentia non refertur.

Hoc etiam patet inductive; quia ad nullam rem primæ intentionis refertur, quia non est simul natura cum aliquo, nec ad aliquam secundam intentionem; quia non ad Genus, vel Speciem, vel Individuum; quia quodlibet illorum habet correlativum, ut patet ex prædictis: nec ad Proprium, vel Accidens, quod est manifestum.

Item, nulla definitio differt Specie ab alio, per suam definitionem, Differentia autem non differt; quia subjectum et prædicatum significant sub oppositis modis interpretationibus, quia nugatio falsitatem. Item, Porphyrius ponit alias definitiones; ergo vel illæ non valent, vel ista non valet; quia Unius tantum est una definitio, per Aristotelem 6. Top. cap. 4.

2 Conclusio [illegible] Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum ad quæstionem, quod

Differentia est duplex, quædam ultima, quædam intermedia. Hæc definitio convenit Differentiæ intermediæ universaliter, et est vera definitio: ponitur enim ibi Genus, et Differentia ipsius Differentiæ; quia Differentia Species est respectu Universalis, sicut de Genere prius dictum est; quia Universale per Differentias sub se in ipsum descendit; quia illæ per se dividunt Universale, et ipsum ad Differentias contrahunt. Differentiæ autem per se dividunt superiorem, per se sunt constitutivæ inferiorem, quia per illas superius determinatur ad inferius, tamen non est definitio Differentiæ universaliter; quia non Differentiæ ultimæ. Sicut enim est quædam Species specialissima, et quædam Subalterna, et sicut est aliqua descriptio data de Specie specialissima tantum, sic est Differentia quædam ultima, et quædam intermedia, sic quod est aliqua descriptio omnis Differentiæ intermediæ, cujusmodi est ista. Differentia duplex

Genus, ubi Differentia ultima, non definitur nisi per differentibus numero; ergo est aliud Universale ab ista Differentia sic definita, sicut Species est aliud Universale a Genere; non enim est aliud differentia inter Genus et Speciem, nisi in differentibus specie, et numero: quæ duo communiter se habent, circa prædicari in quid, et in quale: cum igitur prædicatur in quid, faciunt duo Universalia; ergo prædicatum in quale, idem dico.

Item, secundum aliquos etiam definitionem Differentiæ convenit Differentiæ intermediæ et ultimæ; quia in illa definitione ponitur habere prædicari de pluribus in quale, et non ponitur quod differentibus specie, vel numero; ergo superius conclusit illas, nec illud tantum de pluribus in quale dicitur; quia pluribus [illegible] convenit pluribus

specie, et *numero*, sicut unum æquivoce convenit uni *specie*, et uni *numero*, ut patet 5. Metaphysicæ cap. de Uno, cont. 8. et inde. Sed tunc videtur, quod definitio Universalis, in qua ponitur *prædicari de pluribus*, absolute et non pro aliquo significato, nihil valeat; vel si sic, tunc poterit Differentia definiri in eo communi per *prædicari de pluribus in quale*, intelligendo *quale*, pro quali essentiali.

3. Sed contra, tunc Genus, et Species erunt unum Universale sicut et Differentia, cujus unius Universalis definitio esset *prædicari de pluribus in quid*.

Genus prædicat partem essentiæ, species totum.

Dici potest, quod Genus, et Species non tantum differunt per hoc, quod est *prædicari de pluribus numero* et *specie differentibus*, sed *in quid*, convenit eis æquivoce, quia Genus prædicat partem essentiæ, Species vero totum. Non sic autem *quale substantiale* convenit æquivoce Differentiæ ultimæ, et intermediæ, quia utraque dicit partem formalem : definitio igitur ista est tantum Differentiæ intermediæ, et non ultimæ.

Differentia in communi definitur.

Differentiæ autem in communi est sufficiens definitio *prædicari de pluribus in quale essentiale*, quæ convenit utrique Differentiæ : *prædicari* autem *in quid*, univoce non convenit Generi et Speciei; ideo illa sunt duo Universalia, Differentia vero unum.

Plura est univocum, ad plura specie, et numero.

Pro definitione autem Universalis, et Differentiæ sic in communi, oportet dicere *plura* esse univocum ad *plura specie*, et ad *plura a numero* : et simpliciter inesse, idest, vere utrique pluralitati convenire, licet unum insit uni numero et Speciei, sicut simpliciter et secundum quid; sicut *non homo* est univocum ad mortuum, et non mortuum, licet *homo* conveniat simpliciter, et secundum quid illis, nec unum est æquivocum ad illa, quia tunc suum oppositum esset æquivocum, cum sibi omnimode opponatur; sed significat simpliciter unum numero, et pro aliis non accipitur nisi per determinationem distrahentem, sicut nec homo pro homine mortuo. Nec est inconveniens *unum*, licet non sit æquivocum ad hæc, distingui in hæc, ut patet 5. Metaph. cont. 27. et 1. Top. quia sic multa alia nomina distinguuntur ibi non in æquivocata, sed in *simpliciter et secundum quid*, ut patet ibi de privatione.

Ad primum argumentum patet.

4. *Ad 1. 2. principale.*

Ad secundum dico, quod *differentia* potest esse nomen primæ intentionis, vel secundæ. Primo modo est nomen abstractum, et significat relationem, et est Species multitudinis, ut *multum* est differentia entis. Secundo modo est concretum sicut et alia nomina intentionum, de quibus hîc agitur, et transumit a *differentia*, ut est nomen primæ intentionis : significat autem intentionem applicabilem ei, quod est principium formale Differentiæ, ut est res primæ intentionis.

Cum ostenditur quod sit abstractum, potest dici, quod *differre*, tantum dicitur denominative *a differentia*, ut est nomen primæ intentionis : et quod dicit Porphyrius quod *Socrates senex differt a se puero*, non est quia *differentia*, ut est intentio, sit in uno extremo, et denominet ipsum sic; *Socrates differt*, sed sic est illud ad propositum, si Socrates senex, differt a se puero : ergo differentia est inter extrema, ut *differentia*, est nomen primæ intentionis : ergo in altero extremo est aliquod principium, quod dicitur differentia, ut *differentia* est intentio; illud est *pueritia*; ergo *pueritia* est differentia communis : et sic est intelligendum de extremis aliorum membrorum.

Ad 3.

Ad tertium potest dici, quod *differen-*

tia, ut est res primæ intentionis, est relatio, et sic non refertur; ut autem est secunda intentio, refertur, et non est relatio. Cum autem per inductionem ostenditur, quod non refertur, potest dici, quod secundum rationem sui generis refertur ad illud, de quo dicitur, quod vocari potest *subjectum*, quia prædicatum refertur ad subjectum, nec ad Individuum, nec ad Speciem, ut ad primum correlativum; quia secundum Aristotelem 4. Top. cap. 9. oportet Speciem dici ad illud, ad quod Genus dicitur.

Dicit autem in speciali, quod Differentia, secundum quod divisiva, dicitur ad Genus, non quod Genus sit primum ejus correlativum, quia primo est Speciei, sed ratione divisi: ita quod primo dicitur ad divisum: secundum autem quod est constitutiva, dicitur ad Speciem, non inquantum Species, sed inquantum constituta per differentiam.

5. Per hoc patet ad quintum, quia non sunt multæ definitiones Differentiæ secundum se, sed prima est ejus, secundum quod est constitutiva Speciei. est enim sensus: *Differentia est, qua abundat Species a Genere*, idest, quæ cum Genere constituit Speciem, ita quod ibi ponitur *species*, ut correlativum Differentiæ inquantum Species est constituta, et Differentia constitutiva; *abundat a Genere*, ponitur pro *constituere*, et propria ratione constituendi; quia non ut Genus constituit Speciem.

Secunda definitio, est Differentiæ intermediæ, inquantum est Universale: sed si sumatur generalius, dempto hoc, quod est *differentibus specie*, est propria Differentiæ, inquantum hic de illa agitur. Aliæ duæ definitiones sunt Differentiæ, inquantum divisiva est. Prima datur a divisione activa, in qua ponitur ratio differentiæ divisivæ, scilicet *nata dividere*: cum correlativo scilicet diviso, et termino divisionis, scilicet eo, in quo divisum dividitur, scilicet ea quæ sunt sub eodem Genere.

Quarta non multum valet, ut ipse dicit in littera: et cum corrigitur, tunc contrahitur magis ad differentiam constitutivam.

Ad quartum potest dici, quod *Differentia* ut est nomen secundæ intentionis, sic est æquivocum: uno enim modo significat intentionem applicabilem ei, quod est principium differentiæ, ut est relatio realis, sicut *rationale* dicitur differentia, et sic est Universale hic. Alio modo significat relationem rationis, cujus species sunt, *differentia numero* et *differentia specie*, a quibus dicitur denominative *differens specie* et *differens numero*, et sic est abstractum: sicut quando est nomen primæ intentionis. Hoc videtur probabile, quia *differens specie*, est univoce in omni genere: ergo est denominativum intentionale. Similiter Differentia definita sic, *Qua differunt a se singula*, reperitur in omni genere, quia tantum diversificatur per materiam accidentalem: ergo et *differens* concretive dictum, quod ponitur in ejus definitione. Non est enim definitio, nec descriptio conveniens, nisi convertatur cum definito, vel descripto: ergo aliquo modo est *differentia* abstractum, et nomen secundæ intentionis, a quo possit denominative dici *differens*, ut est intentionale.

Tunc ad argumentum concedo, quod Differentia differt ab aliis Universalibus definitione, et Species; nec significatur idem per subjectum, et prædicatum sub disparatis rationibus.

Contra. Videtur quod Differentia, ut est Universale, sit abstractum, tum quia est qua differunt a se singula per quartam definitionem, quæ enim aliquid est ab-

bum, illud est albedo. Tum etiam, quia si sit concretum, et denominativum : a quo abstracto dicetur denominative? videtur quod a nullo.

7. Ad primum dico, quod definitio sic intelligi debet ; *Differentia est qua*, non ut forma informante, ut est de albedine, sed qua, ut intentione applicabili ad principium, differentia Specie *singula differunt a se.* Differentia specie, quia Differentia denominative dicitur de Differentia, ut est relatio rationis.

Ad aliud dico, quod ejus abstractum non significatur uno nomine, sicut nec abstractum Generis, Speciei, et Accidentis, vel Proprii, quæ omnia constat esse concreta ; sed posset exprimi per circumlocutionem sic ; *intentio differentiæ* ; et illud non prædicatur de rationali. Juxta dicta potest dici, quod *multum* cum omnibus speciebus suis, et ita *unum* per oppositum, possunt æquivoce esse res, vel intentiones : primo modo, loquitur de eis Metaphysicus, secundo Logicus, et sic faciliter salvatur eorum univocatio in omni genere : tamen *in quid* potest esse æquivocum ad plura *specie* et *numero* : salvatur etiam quomodo *pluribus* non sit æquivocum in definitione Universalis.

EXPOSITIO

8. Quæritur de secunda definitione Differentiæ, licet sit prima, via intentionis hîc, ut notavi prius, et hæc quæstio est valde subtilis, et plura ambigua includens, et difficilis, quare lento gressu discutiatur, et non volatu asinino, sed aquilino.

De Primo. Satis noti sunt termini ex dictis. Quoties sumitur *in quale*, et *quale*, dictum est supra, et dicetur magis infra, quæstione præsenti, et sequente, et alibi. Videatur Philosophus, et expositores 5. Metaph. text. comment. 19. et in Prædicamentis, cap. de qualitate, et in tractatu de modis significandi. et in doctrina hujus, hîc et alibi sæpe. Ordo quæstionis patet ex dictis, quæstione præeunte, et hoc in comparatione ad quæstionem præcedentem, ad sequentem vero similiter patet, ut supra de definitione generis, et partibus definitionis, disputatum est. Divisio communis fere.

De Secundo, arguit quinque rationibus ad partem negativam. Duæ primæ procedunt ex adæquatione, et inconvertibilitate definitionis, et definiti, et e contra. Nam communiter assignantur tres conditiones bonæ definitionis. Prima quod sit convertibilis cum definito, sic quod conveniat cuilibet ejus supposito, et soli definito. Secunda quod explicet adæquate essentiam, et quidditatem definiti, nihil diminutum, neque superfluum continendo. Tertia quod faciat differre ipsum a quocumque, de quo non verificatur, vel non ipso, de quibus quæratur in Topicis, et in lib. Definitionum Boetii, et alibi. Ex remotione igitur primæ harum arguit duabus primis rationibus. Licet enim ad inferendum bonitatem definitionis, non sufficeret una, vel alia istarum, sed omnes simul quæruntur, aliter esset consequens in inferendum, tamen in sufficientiam ejus sufficit remotio unius, vel alterius, quia facilius est destruere, quam construere : *et bonum est ex causa integra, malum autem ex privatione cujuscumque conditionis requisitæ.* 9.

Definitionis tres conditiones.

10. Prima ratio clara est, nam præsupponit differentiam hîc definitam, esse unum de quinque Universalibus, et esse communem ad differentiam intermediam, et ultimam. Definitio autem ista non est ita communis, sed tantum convenit intermediæ, vel genericæ, ut patet.

Secunda ratio etiam clara est, quæ tamen ponit differentiam (ut prima facie apparet) esse abstractum, et per consequens non applicabilem subjecto, vel fundamento primo-intentionali, quia præcise in concreto applicantur intentiones fundamentis, ut supra tactum est sæpius. Quod autem sit abstractum ostendit eo quod sibi correspondet concretum, ut differens : quod con-

firmat ex textu. Ubi adverte quod cum dicit in fine, *et consimiliter in aliis*, quod per *alia*, intelligit alia duo membra, hoc est, differentiam propriam, et magis propriam : ut scilicet homo per risibile ab asino, per rudibile differt differentia propria, et per rationale ab irrationali differt differentia magis propria.

11 Tertia ratio potest reduci ad remotionem secundæ conditionis bonæ definitionis, quia scilicet hæc definitio non exprimit essentiam definiti convenienter, eo quod definitum non est relativum : hæc autem definitio est relativi, quare, etc. Potest ergo formari argumentum sic : quandocumque in definitione non relativi ponitur relativum, ut essentiale in definitione, definitio est vitiosa : sed in hac definitione ponitur taliter relativum, ergo, etc. Minorem ostendit in principio argumenti, ubi dicit quod *dici de* est ratio, vel de ratione relativi. Nam *dici de*, ut dictum est supra, quæst. 4. convenit accidentibus intentionalibus, utpote prædicatis, quæ referuntur ad subjecta. Implicite enim in hoc quod est *dici de*, includitur prædicatum, vel prædicabile, et subjectum, vel subjicibile, quæ sunt relativa : et ponitur hic loco generis, quare ut pars essentialis definitionis.

12. Quod autem Differentia non sit relativum ostenditur. Primo ratione ostensiva, eo quod est *quo* et non *quod*, hoc est, est relatio, ergo non est relativum. Patet consequentia, quia si relatio esset relativum, tunc referretur ad aliud, aut ergo seipsa, aut alia : non seipsa, quia in omnibus citra primum differunt *quo et quod*, sententia Boetii. Si alia, quæro de illa ut prius, vel ergo in infinitum processus, vel relatio non refertur, et per consequens relativum non erit, et propter hoc communiter dicitur, quod relatio non fundatur in relatione.

Consequenter ostendit idem inductive. Nam si differentia refertur, aut ergo ad rem primæ intentionis, aut secundæ : non primæ quia tunc relativa non essent simul natura quod est contra Philosophum, in Prædicamentis, cap. de Relatione. Res enim primæ intentionis sunt priores natura secundis intentionibus, cum sint earum causæ, et fundamenta secundarum intentionum : nec ad rem secundæ, ut ostendit inductive, præsupponendo quod unum uni opponitur. Genus autem opponitur Speciei et e contra, igitur neutrum opponitur Differentiæ. Individuum vero opponitur Universali, quare non Differentiæ. Proprium autem et Accidens non videntur aliquam habitudinem habere ad Differentiam, tum quia habent alia correlativa, tum quia posteriora natura.

Quarta ratio procedit per remotionem tertiæ conditionis bonæ definitionis, et præsupponit quod *Differentia* est abstractum, et *differens*, vel *differt*, ejus concretum : concretum autem non potest vere prædicari de suo abstracto, ut supra, q. 3. de genere, declaratum est, quia sunt oppositi modi inseparabiles, etc. Cum ergo non possit recte dici quod differentia differt per suam definitionem ab aliis, non potest per consequens definiri. Unde hoc argumentum non solum ostendit hanc definitionem, de qua quæritur, non esse convenientem : sed universaliter concludit, differentiam non posse habere definitionem. Quinta, et ultima ratio potest reduci contra secundam conditionem bonæ definitionis, eo quod non adæquate hæc definitio dicit [illegible] definiti, quod patet : quia sic superflue ponerentur aliæ, quas assignat Porphyrius. Allegat Philosophum 6. Topic. ut habetur, cap. 1 et supra, cap. de Specie, quæst. 1. [illegible] habetur, et ibi declaravi [illegible]. 13

Ad oppositum * adducit Porphyrium, deinde respondet ad quæsitum. Ubi duo facit. Primo conclusionem responsivam ponit. Secundo objectionem quamdam adducit, et solvit. Secunda ibi : [illegible] *Differentia*, etc. Circa primum adhuc duo facit. Primo quamdam distinctionem præmittit. Secundo, juxta membra distinctionis, intentum concludit. 14

Dicit ergo, quod *Differentia* est duplex, scilicet [illegible] generis, non ultima, et constitutiva Speciei 15

subalternæ; sicut corporeum, vel animatum, vel sensibile in Genere Substantiæ, et similiter in aliis. Alia est Differentia *ultima*, quæ scilicet est divisiva ultimi Generis, et constitutiva Speciei specialissimæ : ut *rationale*, vel secundum alios, *mortale*, respectu hominis. Vel hoc totum *rationale mortale*. Hæc distinctio satis patet de mente Philosophi, et Porphyrii, ut supra, q. de numero Universalium, tetigi. Ponit ergo, juxta membra hujus distinctionis, duas conclusiones, vel tres, saltem implicite. Prima, quod hæc definitio secunda est Differentiæ intermediæ, universaliter sumptæ : ita quod cuilibet tali convenit, et respectu ejus habet dictas conditiones bonæ definitionis, et declarat quid ibi loco Generis est, et quid loco Differentiæ, sicut tetigi quæstione præcedente, et in simili supra, cap. de Genere, et Specie, copiose.

15. Secunda conclusio est, quod hæc definitio non convenit Differentiæ ultimæ : ex qua sequitur tertia, quod scilicet non est definitio Differentiæ universaliter sumptæ, ut scilicet est communis ad intermediam, et ultimam, quæ est tertium Universale. Et dat quamdam congruentiam hujus in simili de Specie, quod scilicet sicut Porphyrius assignat unam definitionem Speciei, quæ præcise specialissimæ convenit, aliam vero vel alias, quæ conveniunt tam specialissimæ, quam subalternæ, de quibus supra, cap. de Specie, habes, ita assignat unam definitionem Differentiæ, quæ tantum intermediæ convenit, vel si Differentiæ in communi, non tamen universaliter ; alias vero assignat, quæ conveniunt cuicumque Differentiæ, et ita ipsi communi primo, et universaliter, ut patet discurrendo.

16. Deinde objicit contra ista valde notanter. Prima objectio ducit ad hoc inconveniens, quod scilicet si prædicta essent vera, darentur plus quam quinque Universalia, quod ostendit ex simili modo se habendi ipsius modi prædicandi in *quid*, ad *differens specie*, et *differens numero*, et ipsius modi prædicandi in *quale*, quare cum per divisionem, et contractionem ipsius *in quid*, pro differentibus specie et numero constituantur duo Universalia, scilicet Genus et Species, similiter si hæc definitio non sit Differentiæ in communi, sed intermediæ, erit alia definitio Differentiæ ultimæ, quæ conveniunt in hoc quod est *in quale essentiale*, et differunt præcise per *differens specie*, et *numero*. Ipsum ergo *in quale* contractum per illa, constituet cum illis has duas species, habentes distinctas definitiones : quare sex Universalia. Ubi adverte cum dicit in littera, *quæ duo consimiliter se habent*, etc. quod illud debet referri ad *differens specie*, et *differens numero*. Vel ergo sex Universalia, vel hæc definitio erit Differentiæ in communi, et non intermediæ. Secunda objectio est quasi confirmativa præcedentis, et exclusiva cavillationis.

Diceret enim aliquis quod Differentia intermedia, et ultima, non erunt duo Universalia, quia conveniunt univoce in ipso Universali in communi, cujus erit una definitio communis utrique, ex hoc Logice et in ratione prædicabilis, propter illas quas assignat Porphyrius in ratione divisivi, et constitutivi, et distinctivi, in littera, ut infra tangetur. Hic scilicet *prædicari de pluribus in quale*, scilicet essentiale, nihil aliud addendo. Arguit igitur quod talis definitio non valeret, quia datur per æquivocum, utpote per ly *pluribus*, quod ostendit per regulam Philosophi, in Topicis : quia oppositum ejus, scilicet *unum*, est æquivocum, ergo et ipsum : quia si unum oppositorum est multiplex, et reliquum. 1. Topic. allegat Philosophum pro assumpto. 5. Metaph. text. comm. 8. et inde, et maxime text. com. 12. et supra, c. de Specie, q. 2. pertractatum est. Æquivocum vero non præfacta distinctione, sicut non definitur, ita nec definit. Concludit ergo quod simpliciter Differentia ultima, et intermedia erunt duo Universalia. 17.

18. Consequenter ibi, *sed tunc videtur*, instat ut conclusionem principalem defendat, et per instantiam tollit secundam objectionem dicens, quod si procederet illud argumentum, tunc definitio Universalis primo Peri-

hermenias assignata, non valeret, quia datur per *pluribus*, nihil addendo, nec ipsum contrahendo, seu distinguendo, quod tamen non est dicendum, ut supra declaravit, q. 6. et communis schola defendit. Si autem, inquit, concedit definitionem Universalis valere, in qua ponitur ly *pluribus* absolute, a simili habes concedere, et veram definitionem Differentiæ in communi non vitiari per ly *pluribus*, maxime cum ibi contrahitur per ly *in quale*. Sed fortificando objectiones adhuc replicat inferendo hoc inconveniens, scilicet quod Genus et Species possunt consimiliter poni unum Universale.

Nam sicut tu fugis inconveniens illatum, scilicet quod essent sex Universalia, eo quod conveniunt illa duo, Differentia scilicet intermedia, et ultima, in ipsa universali Differentia cujus erit una definitio, et univoca, ita dicam quod Species, et Genus conveniunt in hoc communi, quod est *prædicabile de pluribus in quid*, appelletur A, quod scilicet sit infra Universale, et supra Genus et Speciem, et definiatur tali definitione univoca utrique, et tunc erunt tantum quatuor Universalia.

19. Deinde ibi cum dicit, *dici potest* : respondet simul ad hanc replicam et ad primam objectionem, ostendendo singularissime similitudinem non currere, comparando differentiam ultimam, et intermediam, ex una parte ad Genus et Speciem ex alia : quia nedum per *differentibus specie*, et *numero*, differunt illa, sed in ipso *in quid* : quia æquivoce eis convenit, uni per modum partis proprie, licet appropriate per modum totius : alteri per modum totius, et proprie, et appropriate, ut supra, q. de numero Universalium habet. Non sic ex alia parte est æquivoco illo ipsum *in quale essentiale*, quia utraque Differentia prædicat partem formalem, licet tamen per modum totius. Conveniunt ergo in una definitione Differentiæ in communi, illa duo; non sic ista conveniunt in aliquo infra Universale : quare concludit, ut prius, quod Differentia erit unum Universale, Genus vero et Species duo.

Deinde ibi : *Per definitionem autem Universalis*, etc. solvit secundam objectionem, simul et illud dubium de definitione Universalis, ostendens ly *pluribus* esse æquivocum ad *plura numero, specie*, etc. et simpliciter dici de eis. *Unum* vero licet non sit æquivocum ad *unum numero, specie*, etc. non tamen simpliciter dicitur de eis, sed secundum quid de uno specie, vel genere, et simpliciter de uno numero, sicut supra, q. 2. de specie, in secunda via tenuit. Exemplificat de *homine*, et suo opposito, quod est *non homo*, nam *homo* de homine vero dicitur simpliciter, et de homine picto, vel mortuo, secundum quid ; modo *non homo* est vere univocum ad mortuum, et non mortuum, et simpliciter dicitur de utroque, licet falsa dicatur de non mortuo, intelligendo *non mortuum* pro homine vivo. Si autem intelligatur de lapide, vel hujusmodi, vere dicitur ; veritas tamen, vel falsitas enuntiationis non tollit univocationem prædicati : vere tamen, et simpliciter dicitur de mortuo, sive homine, sive alio. Reddit autem rationem, quare *unum* non dicitur æquivoce, recurrendo ad regulam Topicam, et concludit quod prædicatur sicut prius, scilicet simpliciter, et secundum quid : ut homo de vivo, et mortuo, per determinationem distrahentem ex parte et simpliciter. 20.

Tollit autem instantiam finaliter, quia aliquis diceret qualiter *unum* distinguitur in illo 1. Top. c. 5. et 5. Metaph. ubi supra, et non est nec univocum nec æquivocum ad ipsa, dicens quod hoc non est inconveniens, quia hoc contingit in multis nominibus multipliciter dictis, ut patet maxime 5. Metaph. et exemplificat specialiter inter alia de privatione. Ubi advertendum [illegible] quod Philosophus [illegible], text. comm. 27 et 5. Metaph. text. comm. 2. [illegible] privationis [illegible] ex parte [illegible], quam importat; alius modus ex parte [illegible], quam significat. [illegible] quatuor modos. Primus est, si aliquid non habet aliquid naturaliter habile, quamvis 21.

ipsum non sit natum habere illud, ut planta dicitur privari oculis : et iste modus est impropriissimus.

Secundus est, si non habet illud quod aptum est habere, aut ipsum, aut suum Genus : ut aliter homo dicitur privari visu, aliter talpa, et est minus proprius.

Tertius est, si non habet quod natum est habere, et quando, et in quocumque loco fuerit, et secundum quod, et ad quod, et ut quantum : ut catulus post 9. diem, et sic de aliis, et est propriissimus.

22. Quartus, per vim ablatio ejus, quod quis natus est habere secundum impetum naturalem, ut voluntarium : exemplum ubique clarum est. Ex parte vero negationis, modi privationis sunt quinque. Primus per appositionem hujus præpositionis *in*, in principio compositionis apud Latinos, vel hujus particulæ α apud Græcos : ut *inæquale*. Secundus ut *invisibile*, pro eo quod nullo modo est tale, vel pro eo quod est tale, sed turpiter, et sic de aliis : sed hic videtur coincidere cum primo modo. Tertius pro eo quod parum habet oppositi positivi, ut ἄπυρον, quod Latine idem est quod non igneum, sed hic continetur sub secundo. Quartus quod non facile, vel non bene est tale ; ut insecabile dicitur quod non facile aut non bene secatur. Quintus quod omnino non habet oppositum : et hoc modo monoculus non dicitur cæcus, sed qui nullo modo habet visum. Ad propositum autem Doctoris hic sufficiunt primi modi, scilicet ex parte aptitudinis assignati, licet etiam alii modi possint applicari bene.

23. Consequenter respondet ad argumenta principalia. Ad primum, remittit se ad dictum in solutione quæstionis. Ad formam argumenti, negandum est assumptum, et declaratio ejus, quia præsupponit falsum, scilicet differentiam in communi hac definitione definiri.

Ad secundum præmittit distinctionem Differentiæ notabilem, et breviter negat Differentiam, ut hic est sermo de ea, esse abstractum, sicut nec aliquid aliorum Universalium, eo quod (ut supra, cap. de Genere dictum est) Logicus definit secundas intentiones in concreto, nedum ad supposita, sed etiam ad subjecta, vel fundamenta, nam sic sunt applicabiles primis : bene tamen est abstractum, ut est species multitudinis, et primæ intentionis, a quo dicuntur concretive *differens* et *differens*, et significat relationem, inquit Doctor. 24.

Declarat autem quid sit *Differentia* secundo-intentionaliter accepta, ut hic est sermo de ipsa, dicens quod hoc nomen *Differentia* transumitur a Differentia, ut est nomen primæ intentionis, quod potest intelligi vel quoad originationem intentionis, ut quibusdam placet : et tunc Differentia primæ intentionalis sumitur ibi non pro relatione, vel specie multitudinis, sed pro fundamento, vel termino ejus, quod est principium formale differendi, de quo consequenter loquitur Doctor. Vel potest intelligi illa transumptio quoad similitudinem vocis, et satis bene, quidquid dicat Foksal, sicut hoc nomen *species* logice transumitur a specie, ut significat similitudinem realem ut supra, q. 4. declaratum est, qualiter *species est similitudo tenuis individuorum*, secundum Boetium. Similiter hoc nomen *proprium*, et hoc nomen *Genus* transumitur.

Intelligo ergo quod hoc nomen *Differentia*, ut significat secundam intentionem applicabilem ei, quod est principium formale Differentiæ, ut Differentia est res primæ intentionis, (ubi notanter dixit *res*, et non *nomen*, quia res, non nomina fundantur, et sunt relationes) transumitur a Differentia, id est, ab hoc nomine *Differentia* primo-intentionaliter accepto, eo quod sicut illud significat relationem fundatam in multitudine, vel speciem, seu modum multitudinis, ista istud significat intentionem applicabilem ei, quod est principium multitudinis, utpote rationali : et supponit pro eo, intantum quod ex hoc quod talis intentio alicui applicatur, sequitur necessario distinctio, et differentia essentialis ejus ab alio et ita multitudo : sicut hoc nomen 25.

risus transumitur ad floritionem prati ; et *cursus* ad motum velocem aquæ, et est æquivocatio penes secundum modum. Tangit ergo Doctor in solutione ista, triplicem differentiam : unam proprie sumptam, et formaliter, quæ est species, vel modus multitudinis, et primæ intentionis ; aliam transumptive, quæ est secundæ intentionis : tertiam fundamentalem, seu originalem respectu utriusque, sed diversimode : ut rationale, vel hujusmodi. Et potest poni fundamentum utriusque, vel saltem remotum primæ, et propinquum secundæ, secundum tamen diversas ejus acceptiones, ut supra in generali dictum est, de tribus acceptionibus significativis termini communis. Et licet Doctor appellet ipsum principium formale Differentiæ, posset etiam appellari principium materiale, alio respectu, pro quanto fundamentum, de quo statim magis.

26. Deinde ab probationem assumpti respondet, quod tantum a *Differentia*, ut est nomen primæ intentionis, con relive dicitur *differens*, et ad dictum Porphyrii respondet singularissime ipsum exponendo, dicens, quod cum dicitur, *Socrates senex differt*, non est intelligendum quod *differt*, vel *differens*, ibi prædicatum, sit concretum Differentiæ, ut est secunda intentio, *sed sic*, inquit, *est illud* dictum, vel exemplum, *ad propositum* ejus, quia illa extrema, scilicet *Socrates senex*, et *Socrates puer*, fundant ex natura rei differentiam, ut est relatio realis : a qua sic denominatur, et in ipsis extremis totalibus sunt aliqua principia formalia differendi, ut pueritia, et senectus, quibus intellectus applicat hanc intentionem *Differentia*, ut est communis, cujus nomen transumitur a Differentia reali, ut prius notavi. Similiter est de extremis Differentiæ propriæ, et magis propriæ intelligendum. Vult enim quod semper concomitantur se prædictæ tres Differentiæ.

27. Ad tertium respondet, recurrendo ad eamdem distinctionem Differentiæ, negando differentiam non referri, ut hic accipitur, licet ut est abstractum primæ intentionis, non referatur, ut procedit argumentum. Ad argumentum inductivum, concedendo primum membrum, negat secundum. Refertur enim ad illa tria, scilicet individuum relatione secundum genus, ut supra, cap. de Specie, q. 1. dictum est in simili. Vocat tamen Doctor *subjectum* tale correlativum, et illud est commune ad individuum, vel singulare, vel inferius : et universaliter ad quodcumque subjicibile. Et allegat Philosophum 4 Topic. c. 9. Refertur etiam ad Genus. Et ne aliquis instaret quod contra uni primo opponitur : species autem primo opponitur Generi, et e contra, declarat se, dicens quod non inquantum Genus est, sed inquantum divisum, et Differentia divisiva. Similiter refertur ad speciem non prout species est, sed inquantum constituta per differentiam, ubi semper supponunt intentiones pro fundamentis. Simile infra, cap. de Proprio, quæst. 1. habet, et alibi, sæpe.

Deinde antequam solvat quartum principale, solvit quintum, quia ejus solutio dependet ex dictis. Non est enim inconveniens ejusdem respectivi ad diversa relati, plures esse definitiones, ut supra, cap. de Specie, q. 1. dictum est. Differentia autem est hujusmodi, ut patet ex præmissis. Declarat ergo per ordinem quatuor definitiones Differentiæ, quas ponit Porphyrius. *Prima*, inquit, *est quæ inquantum* [illegible], ut supra, q. 3. hujus cap. notavi ; et littera est satis clara. *Secunda*, id est, ista de qua in hac quæstione quæritur, *est Differentia intermedia*, ut dictum est, et addit Doctor, *inquantum est universale* : hoc est, quod illa est ejus, ut est prædicabile, et per consequens ut refertur ad subjicibile relatione secundum Genus. Si autem accipiatur generalius, ut tactum est in solutione quæstionis, hoc est, non solum de *differentiis specie*, sed tantum de prædicabili *in quale*, scilicet essentiale, sed de Differentia in communi, ut est quoddam Universale, de quo hic agitur, neque tunc de illo est principalis intentio in hoc capite tanquam de adæquato subjecto.

[illegible]

29. Aliæ duæ, scilicet tertia, quæ est *Differentia est illud, quod est natum dividere ea quæ sunt sub eodem genere*; et quarta, quæ est, *Differentia est qua differunt a se singula*, dantur de ipsa, inquantum divisiva est. In quarum prima tangitur divisio activa; in secunda passiva. Sed sicut Porphyrius et expositores ejus in littera dicunt, consimiliter dicit Doctor, quod illa quarta sic absolute sumpta parum valet, et cum corrigitur per additionem istam, scilicet *et conducit ad esse, et est pars essentialis esse rei*, tunc contrahitur magis ad rationem constituendi, quam dividendi, hoc est dictu quod tunc illa definitio erit Differentiæ, inquantum constitutiva est, et sic duæ erunt ejus, inquantum constitutiva, et una inquantum divisiva, et quarta inquantum Universale, vel prædicabile.

30. Ad quartum principale respondet ponendo æquivocationem Differentiæ secundo-intentionaliter acceptæ. Nam uno modo accipitur prout jam in solutionibus præcedentibus declaravit, ut hîc est sermo de ea, scilicet ut est tertium Universale. Alio modo ut supra, cap. de Genere tactum est, declarando illam particulam *differentibus specie*, positam in definitione Generis: primo modo est concretum, secundo modo abstractum, cujus concretum est *differens*, et habet sub se duas species, scilicet *differentiam specie*, et *differentiam numero*, quibus correspondent sua concreta, scilicet *differens specie* et *differens numero*. Et adjungit congruitatem, et probabilitatem hujus distinctionis, et solutionis; quia tam definitum hîc, quam definientia, reperiuntur univoce in omni genere, eo modo quo de Genere supra, cap. de Genere, dixit, et declaravi ibi. Nulla autem res primæ intentionis sic reperitur, ergo hæc particula, scilicet *differentibus specie*, posita in definitione Differentiæ, cum sit applicabilis rebus omnium Genere, licet non omnibus, erit intentionale, et per consequens ejus abstractum. Et addit unam propositionem notabilem de convertibilitate definitionis, vel descriptionis; et definiti, seu descripti: et concludit intentum.

Differentia concretive et abstractive.

Ultimo, respondet ad formam argumenti concedendo consequentiam cum majori, negando minorem, et probationem ejus. Licet enim concretum opponatur suo proprio abstracto, non tamen concretum concreto disparato, vel abstracto, saltem non ultimato, ut supra, q. 3. de Genere, dixit. Supponitur ergo falsum in argumento, scilicet differentiam hîc definitam esse abstractum hujus concreti *differens specie*. Ex hac solutione habes quadruplicem differentiam, tres scilicet prius enumeratas, et quartam nunc additam, quæ est species multitudinis rationis, vel modus ejus, vel saltem in ea fundatur immediate. Instat contra ista, ostendendo quod differentia est abstractum, et hoc ut est tertium Universale: et est contra solutionem præcedentem, et contra solutionem secundi principalis. Quod probat dupliciter. Primo ex quarta definitione differentiæ, quia ponitur tanquam *quo*, et non tanquam *quod*. Esse autem *quo* est proprietas abstracti: esse vero *quod* concreti, quod ostendit in exemplo de albedine et albo. Secundo, quia si est concretum, habet abstractum, quærit ergo quid, vel quale, innuens quod nullum detur. 31.

Concretu suo abs stracto quomod opponat

Ad primum respondet, * declarando singularissime illam quartam definitionem, quæ declaratio ubique ponderanda est (sicut supra tetigi sæpius) quia definitiones intentionum dantur per fundamenta, pro quibus supponunt, et possunt bene intelligi prædicatione materiali esse veræ, quamvis, ob maximam subtilitatem Doctor reducit eas supra ad prædicationes formales. Unde cum dicitur, *Genus est quod prædicatur de pluribus*, etc. potest intelligi in prædicatione materiali sic: Genus est intentio applicabilis, vel applicata ei quod prædicatur de pluribus: saltem quidquid sit de Genere, et Specie, et de Differentia per modum prædicabilis definita, ipsa tamen in ratione divisivi, vel constitutivi definita, supponit necessario pro fundamento. 32

* num. *Intent. nes de niunt per fun menta.*

Dicit igitur quod *Differentia est qua*, 33.

non ut forma informante, sicut albedo est, qua aliquid est album formaliter informans ipsum, et hoc est dictum prius, quod scilicet differentia non induit modum differentiæ, sed bene Speciei, sed qua ut intentione applicabili principio differentiæ, ut rationali, vel hujusmodi, differentia specie, ut *quo* secundo-intentionaliter accepto, *differunt a se singula* specie. In qua declaratione tangit triplicem differentiam, scilicet duplicem secundo-intentionalem, et unam primo-intentionalem fundamentalem, vel secundo-intentionalem per modum primæ se habentem. Non solum enim istæ definitiones Differentiæ possunt verificari in fundamentis primo-intentionalibus, verum etiam in secundo-intentionalibus, ut supra de Genere et Specie in simili dictum est. Quartam vero tacuit hic, sed an ibi sit, ut scilicet est relatio realis, dubium est, de quo forte in tertio articulo.

Ad aliud dicit (sicut supra tactum est, et infra, cap. de Proprio, quæst. 1. solvendo secundum principale, habet) quod non potest abstractum differentiæ exprimi uno nomine, sicut nec aliorum Universalium, forte propter penuriam terminorum, vel æquivocationem, sed tantum circumlocutive sic, scilicet *intentio differentiæ*, similiter de aliis dicendum est : tale autem non prædicatur de rationali, quia est abstractum a subjecto. Unde supra dixit quod hæc est falsa, *homo est intentio*, imo hæc etiam *species est intentio*. Ubi notanter dicit *rationali* et non *rationalitas*, ut infra cap. de Accidente in simili habet, et supra etiam tetigi. Quia sicut intentiones concretive considerantur a Logico, ita et fundamenta, saltem in aliqua concretione.

Ultimo per modum corollarii epilogativi colligit principalia quædam dicta in solutione et quæstionis et articulorum. Primum dictum est de *multo* et *uno* quod possunt accipi, vel primo-intentionaliter, vel secundo-intentionaliter. Ideo 5. Metaphysicæ, cap. de *Uno*, Philosophus ponit duas divisiones *unius* ; unam realem, aliam Logicam. Similiter potest dici de *multo* et secundum hoc pertinent ad considerationem Logici, vel Metaphysici, diversimode considerantur, [illegible] quod [illegible] reperiuntur in omni Genere [illegible] intentiones, licet non [illegible] Hoc maxime intelligitur ex solutione quæstionis et quarti principalis. Communiter in originalibus [illegible] sequitur: *tamen potest esse æquivocum*, et videtur littera corrupta et judicio meo posset bene exponi sic : *In quid tamen potest esse æquivocum*, etc. quasi dicat, quod *in quid* æquivoce convenit Generi, et Speciei, ut prius dictum est, in corpore quæstionis, et loco istorum posuit *plura specie*, et numero, hoc est dictu, quod etsi *pluralitas* dicatur æquivoce de illis, et similiter *in quale*, non tamen *in quid*, quod intelligo via divisionis, non prædicationis, differentiæ accipiantur pro speciebus per eas constitutis.

Si volueris alio modo exponere, considera ipse. Posset littera intelligi absolute sic : *potest tamen esse æquivocum*, etc. scilicet aliquid potest poni æquivocum ad illa pro substratis supponentibus, licet illud non sit pluralitas. Addit etiam aliud dictum in solutione, quomodo videlicet *pluralitas* in definitione Universalis sit univocum etc. Tanta prolixitate juxta litteram usus sum, quia difficilis est, et ne videar *mea* (ut aiunt) [illegible] Lector autem ingeniosus abbreviet, vel dilatet, ut expedierit. [illegible] pro quibus laboro, [illegible] prolixitatem, vel majorem [illegible] imo dubito expositionem [illegible] plerumque [illegible] tamen *patiens est*. 31.

De Tertio, occurrunt nonnulla [illegible] ea dicta Doctoris in hac quæstione. [illegible] 32.

tum numero differunt, ut supra quæst. 1. de Genere, tetigit, similiter videtur dicendum de Differentia, non enim communior Genere ; igitur divisio differentiæ in intermediam et ultimam, est tantum in individua, sicut tactum est ibi, de divisione Generis in *generalissimum*, et *subalternum* : et Speciei in *specialissimam*, et *subalternam*. Individui vero, inquantum talis, non est definitio, neque demonstratio, neque scientia, 7. Metaph. et cap. de Specie in Porphyrio, et alibi sæpe. Male ergo dicit hanc esse bonam definitionem, et cum hoc ipsam esse differentiæ intermediæ, et non ultimæ, nec ipsius Differentiæ in communi. Posset consequenter ibi dubitari, sicut supra de definitione Generis, innuendo nugationem, cum dicitur *de pluribus differentibus*.

Item non videtur salvabile, unam differentiam alicujus Generis divisivam, esse univocam, et alteram oppositam æquivocam : cum igitur *in quid*, et *in quale* sint differentiæ ipsius *prædicabilis de pluribus* ut supra sæpe,et hîc dicit, ergo *in quid* non erit æquivocum, et *in quale* univocum. Probatio assumpti, tum per regulam Topicam, *Si unum oppositorum multiplex, et alterum erit multiplex* : tum quia Differentia est divisiva Generis, et constitutiva Speciei. Sed univocum, cujusmodi est Genus, non dividitur per æquivocum, similiter æquivocum non constituit intrinsece, et essentialiter univocum. Sicut enim non definitur, ita nec definit, et per consequens non constituit. Posset confirmari idem, ex identitate Generis, et differentiæ : unde sequitur unum esse multiplex, si alterum esset tale.

38. Item non videtur major convenientia Proprii et Accidentis, *in quali* accidentali, quam Generis et Speciei in ipso *in quid* : sed illud illis est univocum, ut videtur Doctor velle, in cap. de Proprio, et Accidente, ubi ponit multiplicem acceptionem Accidentis, et in definitione Proprii ponitur loco generis expresse, et Accidentis implicite, vel saltem se tenet ex parte generis, vel potentialis, seu contrahibilis utrobique.

Præterea, videtur quod ratio, quam assignat pro ista æquivocatione, nulla sit, cum dicit quod *Genus prædicat partem*, etc. Quia si sic, sequeretur ubique quod nihil esset univocum parti et toti, quod videtur falsum, tam de partibus subjectivis, quam etiam de essentialibus, et integralibus atque quidditativis. Posset insuper ibi * ponderari qualiter *Genus prædicat partem et Species totum* formaliter accepta. Nam supra, quæst. 3. de Genere, dixit, ex intentione Boetii, quod *Genus in prædicando est totum, licet in definiendo sit pars*. Similiter quomodo differentia, cum sit relatio rationis, prædicat partem formalem Individui vel Speciei ?

Item, posset congrue dubitari, quare non definivit Porphyrius differentiam in communi, ut est tertium Universale, de quo in hoc cap. intendit, ut dicit hîc Doctor, cum tamen Genus in communi definiat, et non genus subalternnm, nec generalissimum primo ?

Item, quare potius differentiam intermediam, quam ultimam definit, maxime cum Speciem specialissimam in ratione prædicabilis definiat, et non subalternam?

Item, aut Porphyrius enumerat species specialissimas Universalis, aut tantum subalternas, aut utrasque. Si specialissimas erunt plura quinque, patet, quia differentia ultima, et intermedia, sunt duæ species specialissimæ Differentiæ in communi, ut hîc videtur haberi ; similiter de genere generalissimo et subalterno respectu Generis in communi et de specie specialissima et subalterna respectu Speciei, et de proprio hujus, et illius, respectu Proprii ; et de accidente separabili, et inseparabili respectu Accidentis, est dicendum. Erunt igitur decem Universalia. Si subalternas primas, erunt tantum duo, videlicet unum dictum de pluribus *in quid*, et alterum *in quale*, vel saltem erunt tantum tria, vel ad plus quatuor, ponendo æquivocationem ipsius *in quid* et ipsius *in quale* in communi :

Genus videlicet, et Species, Differentia, et Prædicabile in quale accidentale dictum, nisi forte fingas illud esse æquivocum.

Item, videtur implicare, cum dicit *unum* dici simpliciter, et secundum quid, non tamen æquivoce, cum tamen secundus modus æquivocationis 1. Elenchorum assignatus sit ille.

40. Item quomodo non esset fallacia a *secundum quid* ad simpliciter, vel saltem e contra hic, *sunt unum numero, ergo unum specie*, contra Aristotelem 5. Metaph. qui sic docet recta arguere.

Item, sicut unitas numeralis et simpliciter unitas, et aliæ secundum quid, ita pluralitas proportionis est simpliciter, et maxime pluralitas, ut docet Philosophus ibidem, in 5. Quare infert alias, et non e contra : sicut ex alia parte per oppositum de unitate : igitur sicut *unum* dicitur simpliciter, et secundum quid, ita eodem modo *pluralitas*; declaratio ergo Doctoris nulla est.

Item, ei quod est simpliciter tale, et ei quod secundum quid, nihil datur commune univocum, ex intentione hujus, infra, cap. de Relatione, et 1. Sententiarum, dist. 29. Ergo *unum* non est univocum ad unum numero, et specie, etc. igitur æquivocum, vel datur medium, quod videtur contra istum, et sequaces communiter.

41. Circa illud exemplum de *non homine* posset dubitari, sed non curo immorari. Mirum est etiam quod Genus, vel Species addita unitati, dicatur determinatio distrahens, sicut *mortuum homini*, cum tamen ista consequentia non valeat, *homo vivus, ergo homo mortuus* : hæc autem valet, *sunt unum numero, ergo unum specie*, vel *genere* etc.

Item, potest dubitari circa tales divisiones, *unius* scilicet et *pluralitatis*, et aliorum sic divisorum, ad quam speciem divisionum a Boetio assignatarum habent reduci. Non videtur quod ad aliam, quam vel æquivoci in æquivocata, vel univoci in univocata, vel si ad nullam, igitur Boetius diminutus est. Plura alia possent hic tangi, sed hæc principalia sunt, et satis difficilia, a quibus si liberati fuerimus, alia evadere non dubitamus.

Ad ista igitur, sustinendo semper Doctorem veritatis, salva sententia alterius, sic conabor respondere. 42.

Ad primum, alias illam difficultatem problematice tetigi, quod scilicet potest poni Genus, et similiter Species, atque Differentia, etc. habere modum Generis respectu suorum inferiorum, vel modum Speciei specialissimæ, et prima via videtur magis secura, quæ si teneatur, faciliter evaditur argumentum, negando differentiam inter medium et individuum, ultimatum saltem. Sed si alia via teneatur, difficile est evadere argumentum. Et similiter argueretur de Specie specialissima, et de Genere generalissimo, quorum definitiones assignat Porphyrius, nisi quis diceret, quod tales definitiones intelliguntur in actu *signato*, ut verificentur in fundamentis in actu *exercito* et sic individua definiri non inconvenit, secus esset de actu *exercito*, et sic exponeretur Philosophus, ubi allegatur.

Sed videtur difficultas specialis adhuc de generalissimo, quod Doctor, in quæstione Anteprædicamentorum, assignat subjectum libri Prædicamentorum, et hoc secundo-intentionaliter sumptum, cum subjectum scientiæ habeat necessario *quod est* et *quid*, et passiones demonstrabiles per se primo de ipso, quæ non possunt verificari de individuo. Similiter supra dixit quod definitiones secundarum intentionum in actu *signato* assignatarum verificantur per se primo de seipsis, [illegible] 43.

[illegible]

Ad aliud quod tangitur de [illegible] patet ex dictis supra, cap. de Genere, in 44.

quæstione de hoc mota, et quæst. 2. ponuntur enim non ut partes distinctæ, sed ut specificatum, et specificabile : et ita unum est expositio alterius. Dantur enim istæ definitiones communiter, ut docet Philosophus 7. Metaph. per Genus primum, et omnes differentias, usque ad ultimam.

Unum oppositorum potest esse univocum et alterum æquivocum.

Ad aliud, sustinendo ipsum *in quid* esse proprie æquivocum, potest dici uno modo, quod suum oppositum est etiam æquivocum, cujus modi est ipsum *in quale* in communi ad *in quale essentiale* et *accidentale*. Nam illud sibi primo opponitur, et non *in quale essentiale*, ut patet. Vel aliter, quod non inconvenit unum oppositorum esse æquivocum, et alterum univocum, quando non sunt opposita secundum omnem significationem, et sic est intelligendus Philosophus in Topicis, et est intentio Doctoris hîc, et infra, quæstione ultima de Differentia, sustinendo *rationale* esse æquivocum, et *irrationale* univocum. *In quid* autem et *in quale*, sive in communi, sive essentiale non sunt opposita secundum omnem significationem, quia omne prædicatum in *quale* videtur dicere tantum partem formalem, vel essentialem, vel accidentalem, licet forte per modum totius, et ita videtur quod opponatur modo prædicandi *in quid* ipsius Generis, et non ipsius Speciei.

Et quod ibi additur, scilicet quod *differentia adveniens generi constituit speciem*, hoc potest concedi, sed in illo priori non præfacta distinctione, non est proprie differentia. Unde differentia potest significari mediate per vocem æquivocam, et immediate per univocam : non dicitur recte, advenitur Generi, nisi mediate in illo priori, vel remote. Et cum dicitur quod *æquivocum non est divisivum univoci*, potest concedi proprie, quia sicut nec constituit proprie in illo priori, ita nec dividit, nisi remote. Vel aliter quod illud posset negari. Nam utrumque dividentium aliquando potest poni æquivocum et ita æquivocum æquivocans per æquivocantia potest dividi, ut patet infra, cap. de Accidente, quæstione 1. Potest etiam unum dividentium esse univocum, et alterum æquivocum, ut patet in divisione entis in substantiam et accidens. Vel unum univocum, reliquum vero (ut hîc ponit Doctor) dictum simpliciter, et secundum quid. Hæc tetigi aliqualiter supra, quæstione quarta Antepædicamentorum.

Sed licet ista sint probabiliter dicta, habet nihilominus dictum Doctoris specialem difficultatem, de divisione Generis in species per differentias, cum differentia dividat, constituat, et definiat, quæ non possunt convenire æquivoco, ut tetigit argumentum. Resolute ergo tenendo hanc viam, dicatur quod Differentia ut differentia est, non est æquivocum, sed bene potest significari per vocem æquivocam, et univocam. Unde ejusdem significati possunt esse voces significativæ plures ordinatæ, quarum una remotius, altera propinquius ipsum significat.

46. Ad aliud, potest sustineri major convenientia illorum duorum in quali accidentali, quam istorum in ipso *in quid*, quia ibi non est illa multiplicitas partis et totius, sicut hîc. Aliter forte posset poni ibi æquivocatio, suo modo, et quod additur de definitionibus proprii, et accidentis, potest dici quod ponitur tantum circumlocutive, vel quod ibi contrahitur per immediate adjunctum, eo modo quo æquivocum potest contrahi, de quo forte magis infra, suo in loco.

Ad aliud, quod hîc loquitur de parte essentiali, vel quidditativa, et toto uniformi. Licet igitur partibus, et toti Universali, sit aliquando aliquid univocum, partibus tamen essentialibus, et toti tali raro. Unde infra, cap. de substantia, dicit quod analogice prædicatur Substantia de partibus substantiæ, et de ipsa substantia, imo Substantia, quæ est Generalissimum, non prædicatur de illis formaliter, et proprie in recto saltem: quia tantum reductive sunt in genere. Optime igitur assignat Doctor rationem illius æquivocationis, et hoc logice loquendo, quia sicut materia et forma sic sunt primo diversa, ita Genus et Differentia, maxime fundamentaliter accepta.

Genus igitur habens modum materiæ, aliter *in quid* dicitur, et aliter Species habens modum totius. Vel aliter, quod non sequitur semper ex alietate rationis modi prædicandi, nullum esse univocum parti et toti ; sed prima responsio placet, logice loquendo, et intelligendo de partibus essentialibus et toto tali.

47. Qui vellet aliter imaginari hic, posset probabiliter a principio dicere, quod Doctor loquitur hic extensive de æquivocatione, cum dicit *in quid* esse æquivocum, quia scilicet non est strictissime univocum : tamen vere est univocum, hoc est, infra latitudinem graduum univocationis continetur sicut alias sæpe declaravi men'em ejus, et sic faciliter omnia salvarentur, quæ adducta sunt tanquam inconvenientia. Est igitur univocum analogum, quanta analogia non reperitur *in qua'i essentiali*, et ideo respective loquendo, illud est univocum, et istud æquivocum, non autem simpliciter loquendo : et tunc posset constitutio specierum subalternarum ordinate sub Universali descendendo sic imaginari, ita quod *in quid* adveniens Universali, constituit unam Speciem subalternam, similiter et *in quale* ex alia parte ; et iterum *in quale essentiale* unam, et *in quale accidentale* aliam. Hæc omnia probabiliter dicta sint.

48. Ad aliud, quod additur supra, qualiter scilicet ista formaliter accepta, possunt dicere partem, et totum, et qualitatem essentialem, etc. patet supra, quæstione de numero Universalium, et cap. de Genere, et alibi, ubi ista tetigi. Transferuntur enim sicut nomina, ita et proprietates fundamentorum ad intentiones. Et quod dicitur de illis in actu *signato*, verificatur in fundamentis in actu [illegible]. Plura alia circa ista declaranda quære.

Ad aliud, potest dici quod definivit aliis definitionibus Differentiam in communi, et etiam hac definitione, licet non præcise, seu adæquate ; quia stando in una parte hujus definitionis, sufficienter definitur, ut dicit Doctor in littera. Posset etiam dici, quod definit intentiones, quæ sunt applicabiles propinquæ saltem, [illegible] et non aliæ. Sed hoc habet instantiam propter definitionem Generis, ut tangit argumentum. Prima ergo solutio placet.

Ad aliud, potest probabiliter dici, quod ideo non definit differentiam ultimam, quia differentiæ ultimæ rerum communiter sunt ignotæ, ideo Philosophus 2. Posteriorum, text. comm. 17. dicit quod *quælibet pars definitionis est in plus, quam definitum*, et quod Differentiæ communiter acceptæ in definitionibus sunt communes : quare intentionem applicabilem fundamento non definivit. Et si instetur ex Philosopho 7. Metaphysicæ, qui docet definire ex ultima differentia, dico, quod est ultima circumlocutive communiter, et ex pluribus venata, et communiter per accidentia, saltem propria. Et quamvis aliquando diceretur nota, raro tamen respectu alterius. Vel potest dici quod implicite definitur definita differentia intermedia, quia nihil aliud addi oportet, nisi *differentibus numero*. Ne videatur ergo superfluus, tacuit illam, et quod additur de Specie specialissima, potest dici quod illam definivit, et propter diversitatem prædicabilitatis ejus in *quid*, et ut ostendat differentiam speciei a Genere in ratione prædicabilis. Non omnis species, ut species est, prædicatur de tantum numero differentibus, sicut infra, in simili de proprio dicit : si igitur species prædicatur de differentibus specie, hoc est ut induit modum Generis, et non modum Speciei : quare nihil [illegible] Auctor et Doctor [illegible] loquuntur. 49

Ad aliud, patet ex dictis. Si enim tenebitur illa via, quæ ponit illa quinque dici de tantum numero differentibus, potest dici quod [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] pro illa via, [illegible] vel 50

ad minus octo, quia tamen conveniunt in eodem nomine communi, utpote genera in genere, et sic de aliis, posuit præcise quinque generales intentiones. Et si quæras, quare non posuit tantum duo, sustinendo illam coordinationem, quam prius notavi, potest dici (sicut in simili supra tetigi) quod hoc ideo congrue fecit, quia multum remota sunt ab applicatione, et prædicatione, de fundamentis. Cum igitur Logicus consideret intentiones, et enumeret, et definiat, ut applicabiles (saltem de propinquo) fundamentis, et in propriis concretis, non duo Universalia, sicut nec decem dixit.

51. Illa tamen via de æquivocatione, habet magnam probabilitatem : qua tamen non posita, sic evaditur argumentum. Et si quis vellet enumerare illa communia cum illis speciebus, non recte sentiret, quia superiora non ponunt in numerum cum inferioribus. Exemplum hujus patet in aliis : nam enumerando species figuræ, dicimus triangulum esse unam ejus speciem, non obstante quod contineat sub se alias specialissimas.

Ad aliud, quod tangit bonam difficultatem, potest dici uno modo, (sicut supra, cap. de Specie, quæst. 2. notavi) quod *secundum quid* est æquivocum, et similiter *simpliciter*, ut habet iste in 4. distinctione 11. quæstione 3. solvendo Henrici motiva, et quod Doctor hîc accipit *secundum quid* pro posteriori naturaliter, vel pro minus principaliter tali, sicut accidens dicitur ens secundum quid. Sed posset fieri vis de rigore sermonis, quando dicitur secundum quid tale, et quando tale secundum quid, de quo non curo modo. Non excludit ergo Doctor univocationem unius propter hæc, sed denotat analogiam cum univocatione. Negatur igitur quod ille sit secundus modus æquivocationis. Per idem patet ad aliud sequens.

52. Ad aliud, quod est satis pulchrum motivum, potest dici, quod facilius est destruere, quam construere, ex 7. Topic. quare plures conditiones requiruntur ad identitatem inferendum, quam ad distinctionem. Sicut in moralibus, bonum est ex causa integra, malum vero ex defectu quocumque seorsum : ita omnis pluralitas dicitur simpliciter pluralitas, non ita omnis unitas est simpliciter talis : quare magis patet Analogia, et ordo hîc, quam ibi. Hæc videtur intentio hujus, in 2. distinct. 1. quæst. 6. solvendo unum principale: *Quæcumque*, inquit, *differentia sufficit ad distinguendum, sed non sic de identitate*. Quære ibi optime. Et ad Philosophum dico, quod quamvis tales consequentiæ valeant forte potius in ordine ad opposita respiciendo, quam ad rationem formalem Pluralitatis, non tamen tanta analogia est. Tenet etiam ille modus arguendi ex concomitantia, et generalitate inferentis, respectu illati. Breviter ergo dico, quod communiter cum omni univocatione dantur gradus, plus tamen in uno, quam in alio, ut patet : vide 5. Metaphysicæ quæst. de *uno* optime ad hæc. Plura hîc Metaphysicalia addantur. Posset etiam ibi dubitari, cum dicit Doctor quod *unum* opponitur omnimodæ pluralitati, cum tamen 5. Metaphysicæ videatur esse unus modus unitatis, cui non opponitur multitudo : sed hoc habet videri ibi notanter, famose saltem unum dicit.

Ad aliud, concedo secundum hanc viam, 53.
quod est univocum, Analogum tamen; sed an Analogia detur ut medium, maxima altercatio est : videatur iste super 1. Elench. quæst. 15. notanter, et alibi plerumque ad hæc.

Ad aliud, potest dici quod accipit determinationem distrahentem extensive ibi. Exempla vero ponimus non ut ita sit, ut supra sæpe notavi.

Ad ultimum, patet ex dictis. Nam tenendo viam istam, reducetur illa divisio ad divisionem Generis in species. Et quod dicit Doctor, quod non est divisio univoci, loquitur antonomastice de univoco, scilicet propriissime accepto : hæc satis probabilia sunt, et satis consona doctrinæ hujus plerumque. Sed nihilominus posset alia via hîc probabiliter sustineri, scilicet quod loquitur Doctor de *secundum quid et simpli-*

citer hic proprie. Nam sua exempla, et declaratio, multum prætendunt ad hæc: sed sic dicendo difficilius solvuntur argumenta. Sed ad primum potest dici, quod accipit æquivocum propriissime, cujusmodi est primus modus æquivocationis, quando scilicet vox æque primo plura importat, et proprie, et non transumptive.

54. Ad aliud, quod illæ consequentiæ tenent propter generalem concomitantiam illorum modorum et non propter formalem continentiam, ut dictum est prius : secus est de *mortuo* et *vivo*, respectu hominis. Licet forte in aliquo sensu hæc consequentia valeret, *homo vivus, ergo mortuus*. Vel e contra, de quo vide notanter infra, super 1. Perihermenias, quæstione 7. Et si quis objiceret, quod æquivocum non definitur, *unum* autem in communi sic, per hoc quod est *esse indivisum*, etc. potest dici, quod non est proprie definitio, sed nominis declaratio vel descriptio, quæ non repugnat æquivocis.

Æquivoci potest esse descriptio, non definitio.

Ad aliud patet prius.

Ad aliud, quod potest dari medium respective loquendo, juxta illam regulam communem Scoticam, *Quando*, scilicet, *sunt duo extrema, inter quæ sunt media, quanto magis aliquid recedit ab uno, tanto accedit ad alterum*, imo assumit nomen alterius, ut patet 5. Physic. de mediis contrariorum. Quæritur iste, quæst. finali prologi Sententiarum, et quæst. 8. Quodlibeti. Secundus ergo modus æquivocationis potest respective poni medium inter univocum, et æquivocum primi modi : licet simpliciter contineatur sub ambitu latitudinis æquivocorum.

Ad aliud patet ex dictis.

Ad ultimum, patet quod reduci potest ad divisionem æquivoci in æquivocata, in aliquo gradu saltem. Eligatur via quæ magis placuerit, dummodo possint cuncta consequenter bene salvari : sed prima via videtur efficacior, et ad mentem hujus 5. Metaphysicæ.

55. Secundo, circa quædam dicta in argumentis principalibus, et solutionibus eorum brevibus aliqua motiva occurrunt. Primo, videtur quod illud dictum, in solutione secundi principalis, scilicet quod *differentia est relatio, et species multitudinis*, sit falsum, et implicans contradictionem. Ut videtur : quia quod est species absoluti, est absolutum : differentia est species multitudinis, *multitudo* autem est absolutum, ergo etc. Patet consequentia cum majori, et prima pars minoris est ibi. Secundam vero probo, nam multitudo est quantitas, quantitas vero a toto genere ponitur absolutum. Confirmatur ratio, nam 5. Metaph. text. comm. 20. ponuntur relationes primi modi fundari super *unum et multa*, ergo *unum* et *multa* sunt absoluta.

Item videtur contradicere sibi in solutione secundi principalis, et quarti, quia in prima dicit quod *differens* dicitur tantum concretive a *differentia*, ut est nomen primæ intentionis ; in alia autem ponit quod dicitur concretive a *differentia*, ut est nomen secundæ intentionis.

Item, posset dubitari circa illud dictum in tertio principali, et solutione ejus, quod scilicet *relatio non refertur*, cum tamen omne ens omni enti sit idem, vel diversum 10. Metaph. text. comm. 12. Similiter *proportionalitas est similitudo proportionum*, secundum Euclidem, in quibus, ut iste plerumque commemorat, et sustinet relationem fundari in relatione, ad quod sequitur necessario ipsam relationem referri : nam in quo est albedo, ipsum est album. 56.

Item, licet idem possit referri ad plura per se, ut supra, cap. de specie, quæst. 1. habet et hic et infra, cap. de Relatione, et alibi sæpe, per se tamen primo non est possibile : et sic exponit Philosophum, quod scilicet *unum unius oppositum*. Dubium igitur est quod sit per se primum correlativum Differentiæ, an scilicet genus ut divisum, an forte Species ut constitutæ : nam ad utrumque per se refertur et in speciali, ut dicit.

Item, maxime ut videtur, assignat duas definitiones ejus, loquendo distincte, vel inquantum constitutiva, quia sicut in ordine ad diversa, ponuntur plures definitiones

ejusdem respectivi, in ordine tamen ad idem, non nisi una, ut supra, quæst. 1. de Specie, notanter declaravit.

57. Item, circa dicta in solutione quarti principalis, posset dubitari de fundamento differentiæ, ut est relatio realis, et ut relatio rationis, et an semper concomitentur se, quare etiam illa realis non sufficeret, et per consequens alia est superflua, vel e contra.

Item, communis doctrina est, quod abstractum et concretum conveniunt in principio vocis, et differunt in fine : hoc autem non potest salvari in proposito, cum dicitur, quod *intentio differentiæ est ejus abstractum*.

Item, ex illa distinctione de differentia, videtur sequi quod concretum prædicetur de suo proprio abstracto, quia sicut Differentia, ut est tertium Universale, differt ab aliis Specie, differentia ipsa, ut est relatio rationis, ita ipsamet differt specie ab aliis, vel genere, vel numero, et sic concretum denominat proprium abstractum, quod est inconveniens, ut patet supra, quæstione 3. de Genere.

Item, qualiter *unum* et *multum* sint intentiones, cum sint de prædicamento Quantitatis, quæ est ens reale. Oppositum etiam videtur dicere 5. Metaph. quantum ad *multum*. Philosophus etiam 5. Metaph. pertractat de modis *unius* et *multi*, logice sumptorum : videtur igitur quod Metaphysicus consideret illa ut intentiones, et non solum Logicus. Plura alia addat, si poterit, ingeniosus lector.

58. Ad ista respondetur. Ad primum, qui vellet tenere illam viam satis apparentem, quam sequitur Franciscus de Mayronis, scilicet quod quantitas a toto genere sit respectivum, faciliter solveretur argumentum negando *multitudinem*, et similiter *quantitatem* esse absolutum : sed tenendo aliam viam, quam imitatur Doctor, potest dici quod *differentia* et *diversitas* sint modi quidam accidentales multitudinis, et non proprie species. Similiter dicendum est de *identitate*, et *similitudine* respectu *unitatis*. Important igitur *multitudo* et *unitas* relationes tales, sicut rationes necessario fundandi eas, tamen præcise dicunt ipsas, sicut *unum* importat negationem, non tamen præcise ipsam. Vel posset distingui de *multitudine* pro formali, et pro substrato : et similiter de *unitate*. Primo modo possent dici relationes, secundo modo absoluta, vel transcendentia indifferentia. Et quod additur, *multitudinem* scilicet esse speciem quantitatis, hoc potest negari, quia *multitudo* est transcendens, et in plus quam *numerus* accidentalis, qui est species quantitatis : nisi extendatur multum ipsa quantitas, pro quibus vide ipsum 4. Metaphys. et in 1. Sententiarum, et alibi, et super 4. Physicorum. Quomodo autem *unitas* se habeat in ratione fundandi relationes primi modi, et similiter *multitudo*, quære in Quodlibeto, quæst. 6. sed melius in 1. dist. 19. et 31. et super 5. Metaph. Illæ namque quæstiones Metaphysicales valde declarant omnia difficilia in his quæstionibus, et e contra plerumque.

Multitudo an sit species quantitatis.

Ad aliud, potest dici quod illa exclusiva est accommodata, ita quod intendit Doctor *differre* dici concretive a *differentia*, ut est primæ intentionis, sic scilicet præcise quod non a differentia ut est tertium Universale non tamen simpliciter præcise. Vel aliter, quod propter difficultatem illius argumenti evadendam, tenet illa exclusio. Difficultas tamen alterius argumenti cogit oppositum. 59.

Differre quomodo concretum differentiæ

Ad aliud, potest dici quod famose loquitur hic, alibi autem ex intentione ostendit quod relatio fundatur in relatione, maxime alterius denominationis. Videatur tamen singularissime ad propositum, in 2. distinct. 1. quæst. 5. et in Quodlibeto, quæst. 3. et in 4. distinct. 12. quæst. 1. supra etiam, quæst. 3. de Genere, tetigi plura ad propositum. Non oportebat igitur hic aggredi illam difficultatem, quia differentia realis est *quo*, et non *quod*. Et si quæratur de ipsa comparata ad alia entia, an differat ab eis, vel non ; posset dici uno modo, quod est relatio fundamentalis, et sic non differt.

Vel aliter, quod non proprie differt, sed bene est primo diversa, de quo habes videri in Formalitatibus. Quære singulariter 5. Metaph. quæst. 1. conclusione 9. de Relatione, et ubi ibi notavi, et quæ ad hoc ponderando.

60. Ad aliud, quod quærit [illegible]tem, posset probabiliter dici, diversis considerationibus, quod Genus esset per se primum uno modo, et alio modo species. Prioritate enim naturæ prius comparatur ad divisum, quam ad constitutum ; sed prioritate perfectionis, et intentionis, e contra : et quia a fine unumquodque est juste denominandum, potest probabiliter dici, quod respectus ejus ad constitutum est essentialior, et prior simpliciter. Vel posset dici, quod per se primo refertur ad utrumque, propter duas relationes, quas fundat, scilicet dividentis, et constituentis : ad quod tamen principalius dic ut prius. Et cum dicitur quod non refertur per se primo ad plura, verum est relatione ejusdem rationis. Exemplum : Socrates est pater, et est similis, inquantum pater, per se primo refertur ad filium ; inquantum similis per se, per se primo ad simile : eodem modo dicendum in proposito.

Ad aliud, patet ex littera Doctoris, quia divisio, et similiter constitutio, est duplex, una activa, alia passiva. Secundum hoc assignantur diversæ definitiones sic, vel sic. Vel aliter dicatur, quod una est expositio alterius, ut supra cap. de Specie, in simili, quæst. 1. dixit.

61. Ad aliud dico, quod fundamentum differentiæ realis est reale, et secundum esse reale. Fundamentum vero differentiæ rationis est ens rationis, vel reale, secundum esse tamen diminutum, vel rationis. Unde cum dicitur, *homo et asinus differunt*, ibi est differentia realis. Sed cum additur *differunt specie*, est differentia rationis. Sed an cum hoc realis ? Potest dici quod sic, secundum diversas tamen acceptiones significatorum. Ubicumque ergo fundatur realis, potest fundari et rationis, licet non e contra. Nec igitur una, nec alia superflua, ut patet, sicut nec multitudo unitatem [illegible].

Ad aliud, patet infra, cap. de Denominativis, et cap. de Qualitate, de diversitate denominativorum concretorum, ut ibi notatur copiose. Breviter intelligitur illud dictum famosum ubi concretum recte potest formari ab abstracto, ubi sunt, non. Exemplum de *studioso* dicto a *virtute*, etc.

62. Ad aliud, quod illud illatum non est inconveniens forte, quando concretum sumitur ut modus, et in respectivis, et transcendentibus. Exemplum, *accidens accidit, inhærentia inhæret*, de quo [illegible] supra, quæst. 3 de Genere. Vel posset concedi processus ille in infinitum in respectibus rationis, ut supra dictum est. Et hoc salvat melius repugnantiam, quæ videtur in modis illis oppositis. Vel si velles dicere ibi sicut in rebus, quod differentia non differt proprie, sed est diversa, consideranti occurrit. Vide ubi supra notavi super 5. Metaph. ad propositum pro, et contra. Plures etiam combinationes, et denominationes hic possent adduci, et multiplicatio in respectibus istis quæ omnia relinquo lectori. Si quæratur quare potius a differentia, ut relatio rationis dicatur concretive, quam a differentia, ut [illegible] ut supra notavi in expositione. Si quæratur etiam, an talis differentia rationis, ut est abstractum, sit species Universalis : dicendum quod non ut quid, sed bene ut modus, ut de Individuo dictum est : nisi quod posset poni relatio rationis transcendens, hoc tamen non tollit ejus limitationem ut quid.

Ad aliud, patet 5. Metaph. quæst. de [illegible] Logici. Datur enim unitas rationis, et realis, et similiter multitudo et quantitas.

Ad ultimum, quod multa dicuntur in Metaphysica, sunt Metaphysicæ : sicut in Logica sunt Logicæ : et [illegible] 2. ubi nomina multiplicia pertractantur, hoc verum est. Addat, et diminuat diligens lector in consimilibus, ut videbitur.

Risibile enim et mortale de homine, prædicatum in eo quod quale est homo dicitur, sed non in eo quod quid est. Cap. eod.

QUÆSTIO XXVIII

An Differentia prædicetur in quale

Joannes Angl. Bras. *et* Rodrigues, *super hanc quæstionem.* Vide citatos *quæst. antecedenti.*

1. *Argumenta pro parte negativa* Quod non videtur, quia *quid* dicitur a *quidditate,* Differentia prædicat quidditatem ejus, cujus est, aliter non poneretur in definitione ejus; igitur prædicatur in *quid.*

Item, si prædicatur in *quale*; igitur est qualitas : consequens est falsum, quia accidens est posterius substantia, Differentia est prior Specie.

Item, si prædicatur in *quale*, prædicatur denominative. Consequens est falsum, quia quod prædicatur denominative, prædicat aliam essentiam a subjecto.

Item, prædicatio denominativa distinguitur contra prædicationem univocam, per Aristotelem in Prædicamentis, Differentia autem prædicatur univoce, sicut Species, et Genera, per Aristotelem in Prædicamentis, cap. de Substantia, in secunda proprietate; ergo non denominative.

Ad oppositum est Porphyrius.

2. *Conclusio.* Dicendum, quod Differentia prædicatur in *quale*, quod ostendit Auctor dupliciter. Primo, quia ad quæstionem factam per *quale,* convenienter respondetur per differentiam. Secundo, quia sicut est in composito reali, ita proportionabiliter est in composito rationis : in composito autem reali, est aliquid habens rationem materiæ, et aliquid rationem formæ, igitur in composito rationis, erunt aliqua istis proportionabilia, nam *omnia ex quibus fit unum per se, alterum est ut potentia, alterum ut actus*, per Aristotelem 8. Metaph. cont. 6. 9. et 15. Differentia autem non habet modum materiæ; quia non est indeterminata, nec in potentia, quæ propria sunt materiæ : ergo habet modum formæ; *forma* vero, et *qualitas*, et *actus* idem sunt : ergo habent modum qualis respectu Speciei, et hoc est prædicari in *quale*.

Intelligendum tamen, sicut est actus duplex, primus, qui facit ens simpliciter in actu : et secundus, qui præsupponit ens in actu, et tantum facit ens in actu tali : sic est forma duplex, et qualitas duplex, et ita a qualitate duplici duplex est modus *qualis*. Differentia sumitur a primo actu, scilicet a forma specifica, quæ est qualitas essentialis, et ideo prædicatur in quale essentiale, non accidentale, sicut alia duo Universalia sequentia. *Actus duplex.* *Forma duplex*

Ad primum argumentum dico, quod ad prædicari in *quid*, non sufficit quod prædicet *quid*; sed quod prædicet *quid*, per modum *quid* : Differentia autem prædicat essentiam per modum informantis, non per modum subsistentis. 3. *Ad argumenta.*

Ad secundum dico, quod est qualitas, secundum quod dicitur 5. Metaph. cont. 10. sed non ut qualitas est unum generalissimum, sed æquivoce, ut *forma,qualitas* et *actus* sunt eadem transcendentia.

Ad tertium dico, quod consequentia non valet; quia opportet addere in Antecedente, quod prædicat aliam naturam et illud est falsum, et sine illo non sequitur Consequens. Vel aliter, quod accepto *quali* accidentali in Antecedente, valet consequentia, sed sic non ponitur Antecedens verum : nam denominativum differt a principali solo casu, idest, cadentia ad subjectum : et illud tantum

convenit his, quæ prædicantur in *quale* accidentale; quia quod prædicatur in *quale* essentiale, non habet ipsum pro subjecto, ut accidens dicitur esse in subjecto.

Contra solutionem ad primum. Contra responsionem ad primum argumentum, si prædicet *quid* et non per modum *quid*: igitur illud quod prædicat, et modus sub quo prædicat sunt *Respondetur.* opposita. Dico quod opposita habent fieri circa idem, ideo *quid* ut res, et *quale* ut modus, non opponuntur: sed res rei, et modus modo, ut *plurale* significatum, et *singulare* ut modus, non opponuntur; sunt enim simul in hac dictione, *plurale*, etc.

EXPOSITIO

4. Quærit de illa particula, scilicet *in quale*, posita in definitione Differentiæ. Et licet possit eodem modo dubitari de aliis partibus definitionis, ut supra, cap. de Genere, disputavit, utpote de differentibus specie, et an in fundamentis vere sit prædicatio Differentiæ de specie, an requirat multas species, et an sit principium specierum, quæ omnia omisit, quia satis solvuntur proportionabiliter ex dictis supra, cap. de Genere. Specialiter igitur de modo prædicandi Differentiæ quærit, nam in illis omnibus convenit cum Genere, in hoc vero differt. Et quamvis a simili supra, an scilicet *in quid* convenienter ponatur in definitione Generis, et quæst. de numero Universalium, et quæst. 3. de Genere, et etiam in illa: An genus sit principium speciei, satis solvi possit quæstio ista, nihilominus ad majorem expressionem, et declarationem seorsum voluit eam disputare.

De Primo. Termini satis noti sunt ex præcedentibus. Ordo vero patet de se. Textus communis est.

5. De Secundo. Tribus rationibus arguit ad partem negativam. Prima procedit ex interpretatione hujus vocabuli *in quid*. Formentur argumenta resolute. Secunda infert unum inconveniens, Differentiam scilicet esse qualitatem, quia *in quale* est modus prædicandi qualitatis; nam ad quæstionem factam per *quale* convenienter respondetur per qualitatem, eo modo quo diversis generibus correspondent diversi modi prædicandi, respondendi, et interrogandi, et modis intelligendi, et essendi originem habentes.

Probatio falsitatis in illo argumento est specialis, de differentia in genere substantiæ, quæ prior est specie, saltem prioritate naturæ, sive sit ultima sive intermedia, ut pars toto; prioritate etiam consequentiæ, loquendo de intermedia; qualitas vero est posterior specie de genere substantiæ, et similiter forte specie Quantitatis.

Sed si voluerit probare generaliter falsitatem consequentis, arguitur sic: Genera sunt impermixta, formaliter saltem, ut potest colligi 5. Physicorum et 3. Metaph. ergo res unius generis non est de essentia alterius. Differentia autem est de essentia speciei cujus est, in omni genere: ergo non est determinate qualitas ut est genus distinctum ab aliis. 6.

Tertia ratio infert aliud inconveniens, Differentiam scilicet prædicari denominative, ut distinguitur contra prædicari univoce, quod ostendit esse falsum dupliciter. Ubi adverte quod illud ultimum argumentum.

Item *prædicatio denominativa*, etc. non est argumentum principale, sed est secunda probatio falsitatis consequentis illius tertiæ principalis. Ad oppositum adducit Auctorem in littera.

Deinde respondet ad quæsitum, et dicta Porphyrii in littera assignantis duas rationes, quare Differentia prædicatur in *quale*: quæ omnia patent ex dictis supra atque. Ubi tangit de duplici compositione, et propositione materiæ et formæ. Ubi intellige compositionem rationis, tam pro ratione subjicibili, quam rationis, diversimode loquendi, et quoad actum primum et secundum, sed formaliter ad 7.

virtualiter. Et similiter omnia possunt intelligi de intentionibus in actu *signato*, licet expressius loquatur de fundamentis, et actu *exercito* : sed tu cuncta caute mensurabis. Allegatur Philosophus 8. Metaph. et est text. comment. 6. 9. et 15. idem habet 7. Metaph. ad finem, et alibi sæpe. Ibi etiam tangit convenientiam horum terminorum, *qualitatis* videlicet, *actus*, et *formæ* notanter. Vide eum 5. Metaph. et in Theorematibus, et 19. distinct. 1. quæst. 1. et 1. dist. 2. quæst. 5 et in 4. distinct. 6. quæst. 10. Ad majorem confirmationem, Aristoteles etiam, quem ubique imitatur, utitur his terminis, tanquam synonymis plerumque. Distinguit consequenter de actu duplici, et similiter qualitate, et forma, ut supra, cap. de Genere, quæst. penultima, habet, et infra cap. de Substantia, quæst. 3. et est intentio Philosophi expresse in pluribus locis. Quæratur 2. et 3. de Anima, 5. et 8. Physic. et alibi sæpe, huic enim divisioni actus correspondet divisio potentiæ in essentialem, et accidentalem : licet in Theorematibus videatur dicere, quod in ordine ad actum secundum præcise intelligatur : hoc tamen speciale est. Consequenter solvit argumenta principalia.

8. Ad primum, inquit, aliud est prædicare *quid*, et aliud prædicari *in quid*. Hoc est dictu, aliud est esse de quidditate rei, et ita prædicare tamen quidditatem, et etiam importare nedum particulariter, sed totaliter, ex consequenti, et ratione modi significandi; et aliud est habere modum *quid*, vel essentiæ, hoc est subsistentis, et non denominantis respectu ejus. Primum convenit Differentiæ, secundum Generi, ut supra sæpe dictum est. Realitatibus enim ejusdem rei possunt convenire diversi modi, et essendi, et prædicandi. Modus namque rei formalis est ipsa. Hoc idem habet pulchre in Theorematibus, ubi inquit quod essentiale est in plus quam in quid dictum.

Ad secundum, respondet per æquivocationem *qualitatis*. 5. Metaphysicæ text. comment. 19. ut supra, quæst. de numero Universalium dixit.

Ad tertium respondet dupliciter. Primo, 9.
negando consequentiam, propter fallaciam Æquivocationis, et Consequentis: nam arguitur ex insufficienti, vel ex indeterminato ad determinatum : et etiam ex æquivoco ad unum æquivocatorum : sed unum istorum sufficit ad vitiandum argumentum. Potest enim esse difficultas specialis ibi de compossibilitate horum locorum, de quo non curo modo. Alio modo respondet, concedendo consequentiam, et negando antecedens, eo modo quo recte est antecedens et propositio una. Pro cujus declaratione pertractat proprie logice definitionem denominativorum, ut distinguuntur ab univocis, sicut supra, quæstione 3. de Genere, habet, et ibi ad plenum tetigi totum. Ubi finaliter tangitur multiplicitas subjecti, et accidentis, et *in quale*, quæ omnia patent.

Ultimo, redit super solutionem primi 10.
principalis, replicando optime, quia videntur repugnantia concedi in illa solutione, hoc est, quod aliquid dicat *quid*, et non per modum *quid*, sed *qualis* : quia modus prædicati videtur repugnare subjecto, sicut *quid*, et *quale* repugnant, sed propter solutionem Doctoris, potest faciliter ibi dici, quod licet modus prædicati repugnet subjecto, sic quod non possit esse modus ejus, prædicatum tamen non repugnat sibi, ut cum dicitur, *lapis est albus*, prædicatum non repugnat subjecto, sed bene modus ejus. Si tamen prædicatum prædicaretur sub modo repugnanti prædicato, bene valeret argumentum. Doctor tamen aliter respondet, dicens, quod repugnantia, vel oppositio, habent fieri circa idem : et est sententia Philosophi in Elenchis, et 10. Metaphysicæ, et alibi sæpe. Res vero et modus, non sunt idem, id est, ejusdem generis, vel rationis, inter quæ intelligitur esse oppositio; igitur non opponuntur; licet igitur *quid* opponatur *quid*, et *quale*, *quali*, tamen *in quid* non opponitur *quali*, nec *in quale*, *quid* ; sed *in quid*, *in quali*. Res, inquit, rei, et modus modo, opponuntur. Et exemplificat de plurali, ut *quid*, et singulari ut *modus*, ut supra habetur.

Modus non opponitur rei, nec contra, sed modus modo, et res rei.

11\. De Tertio. Quia hæc omnia satis abunde superius, et alibi examinavi, ideo pauca occurrunt. Posset enim primo dubitari, qualiter rationes Auctoris in littera probant Differentiam, ut est tertium Universale, prædicari in *quale*: tum quia sive quæratur de re, sive de intentione, qualis sit, non convenienter respondetur per differentiam sic sumptam; ut si quæratur qualis sit homo, non convenienter dicitur quod est differentia. Similiter si quæratur qualis sit species, non recte respondetur differentia.

Item, quare appellat compositionem ex genere et differentia, primo-intentionaliter maxime, compositum rationis, cum ex natura rei uniantur in homine, et sic de aliis. Posset fieri altercatio circa illud dictum ex 8. Metaphysicæ, sed nolo immorari modo.

Item, circa illam declarationem definitionis denominativorum posset dubitari: quia 12. distinctione 2. quæstione 1. vult superius vel partem essentialem denominative prædicari.

Item, videtur quod nedum res rei, sed modus rei, opponatur; quia non solum opponitur albedo nigredini, sed etiam disgregativitas visus, quæ est modus albedinis, opponitur nigredini: similiter caliditas opponitur aquæ.

Item, cui unum oppositorum per se convenit, reliquum nec per se, nec per accidens, convenit eidem: sed Differentia de hac, et illa, prædicatur per se *in quid*, igitur prædicari *in quale* non est proprius modus ejus. Ad ista faciliter respondetur.

12\. Ad primum, patet supra, cap. de Genere, quæst. 6. solvendo primum principale, sicut duplex est *quid* de Specie in ordine ad Genus, ita dicendum est in proposito in ordine ad Differentiam, ut patet.

Ad aliud, tetigi prius sæpe, et nunc brevibus in solutione quæstionis. Considerata enim a Metaphysico possunt appellari *rationes*, vel *entia rationis*, in comparatione ad considerata a Physico, sicut sæpe habet iste, et in Theorematibus et 1. Metaph. et 1. Sententiarum, in Reportatis dist. 8. quod quatuor causæ, ut considerantur a Metaphysico, abstrahunt a [illegible], ut considerantur a Physico: et ita compositio, seu constitutio ex realitatibus Generis, et Differentiæ, in esse præciso, et abstracto, potest dici *compositio rationis*, et hoc ratiocinabilis. Licet in unitate in re sit correspondentia in [illegible], hoc tamen accidit, quia in esse objectivo, et quidditativo talia considerat Metaphysicus: et isto modo quælibet pars definitionis appellatur *forma*, id est, prædicatum formale, respectu definiti, cum quo stat unum habere rationem potentialis respectu alterius.

Potest etiam dici compositio rationis ratiocinantis, id est, facta per intellectum, eo quod intellectus facit illam orationem seu complexionem longam. 8. Metaph. et hoc via divisionis, vel compositionis, seu formaliter, seu virtualiter saltem. Potest adhuc strictius dici compositio rationis ratiocinantis, ut in actu signato ex intentionibus consideratur, vel ex conceptionibus primo-intentionalibus sub secundis. 13.

Ad aliud ex dictis in solutione, et supra, quæst. 3. de Genere, patet: nam hic loquitur stricte logice de prædicatione denominativa, quæ dicitur a posteriori, alibi vero extensive, sicut 3. dist. 1. et infra, in Antepraedicamentis habet, quod omnis prædicatio, absolute formalis, potest dici denominativa.

Ad aliud, potest dici quod loquitur Doctor hic de oppositione formali, et distinguitur contra virtualem [illegible] te procedunt de virtuali.

Aliter dici, quod sermo est de modis extensive sumptis, qui videlicet sunt modi respective, res vero absolute, [illegible] sunt, et sermo de modis proprie dictis, qui præcise modi sunt, et ab intellectu contingenter applicantur rebus. [illegible] primo modo, non secundo modo; [illegible] neque formaliter, neque virtualiter [illegible]. Sed considera plura, hinc et inde ponderanda. 14.

Ad ultimum dico, quod Differentia, ut Differentia, non prædicatur *in quid*, licet bene ut Species, vel Genus : sed semper, ut differentia est, prædicatur *in quale* : et sic concedo assumptum. Vel aliter, quod relativa non dicuntur opposita, nisi ad idem, et secundum idem comparata. *In quid autem* et *quale* sunt respectiva, quare non opponuntur, nisi ad idem comparentur, modo vero differentia comparatur ad diversa in argumento, utpote ad sua inferiora, et ad fundamentum, cui applicatur : et sic potest de his *in quid*, de illo vero *in quale* prædicari. Cætera altius considerabit lector.

Assignant et hoc modo, Differentia est, qua differunt a se singula, namque secundum genus non differunt. Sumus enim animalia nos et irrationalia, sed additum rationale disjunxit nos ab illis. Rationales sumus nos et Dii, sed mortale appositum nobis disjunxit nos ab illis.

QUÆSTIO XXIX

An mortale *sit Differentia animalis rationalis divisiva, et hominis constitutiva*

Joannes Angl. *et* Bras. *Super hanc quæst.* Rodrigues *in recapitulatione textus hujus quæst.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod sic videtur per Porphyrium hìc, et in cap. de Specie.

Item, *rationale* non est ultima hominis Differentia ; ergo præter illam oportet addere aliam, illa autem non est nisi *mortale*. Probatio Antecedentis, ultima Differentia convertitur cum definito, sed *rationale* non convertitur cum homine, quia inest Intelligentiis, ut hìc dicit Porphyrius et Aristoteles 1. Ethic. Dicitur quod æquivoce inest illis et nobis.

Contra, per Aristotelem 2. de Anima, c. 3. cont. 33. et 37. *Potentiæ distinguuntur per actus, et actus per objecta* : objectum autem actus intelligendi eorum, et nostri, idem est, scilicet *quod quid est*, rei materialis, saltem idem genere : ergo potentia naturalis univoca.

Item, si *rationale* sit ultima hominis Differentia : ergo *irrationale* erit Differentia ultima constitutiva alterius Speciei tantum, quia Differentiæ divisivæ additæ Generi similiter Species constituunt.

Ad oppositum : *animal rationale* non prædicatur in *quid* de differentibus Specie ; ergo non est genus. Antecedens patet ; quia Intelligentiæ, cum non sint substantiæ animatæ, sensibiles, non erunt animalia, per locum a definitione, et præter nos, illæ sunt tantum rationales : ergo *animal rationale*, non habet Differentias divisivas. 2.

Item *mortale* non constituit Speciem. Probatio, Differentia sumitur a forma, unde inest Speciei ratione formæ, *mortale* tantum sumitur a materia ; quia *materia est principium, quo res potest esse, et non esse*, per Aristotelem 7. Metaph. cont. 22. et hoc intelligitur tantum de materiis individualibus, quæ non pertinent ad Speciei essentiam.

Item, Differentia primo inest Speciei, postea vero Individuis, quia per formam Speciei, *mortale* vero e converso, quia per Aristotelem 1. Metaph. cap. 1. *Actus, et generationes omnes, per se sunt circa singularia* : ut Callias sanatur per se : homo vero per accidens : *mortale* dicit aptitudinem ad transmutationem : aptitudo autem ad aliquid, est ejus per se, cujus est terminus aptitudinis.

Item, Differentia est prior Specie, vel simul, sed *mortale* posterius homine secundum naturam ; quia prius natura est homo, quam sit aptus ad dissolutionem.

Item ultima differentia convertitur cum definito: *mortale* non convertitur cum homine.

Item, Differentia conducit ad esse, et est pars rei per Porphyrium, *mortale* non conducit ad esse hominis.

3. Conclusio Ad quæstionem dicendum, propter istas rationes, quod *animal rationale* non est Genus, nec *mortale* Differentia divisiva ejus, vel constitutiva hominis. Ad Porphyrium dicitur, quod loquitur secundum opinionem Platonis, qui dicit Intelligentias animalia esse rationalia. Definit enim *animal*, quod *est substantia se movens motu voluntario*; et hæc ratio competit Intelligentiis.

Contra hoc, Porphyrius non loquitur hic de animali secundum hanc definitionem, sed secundum hanc, *substantia animata sensibilis*, quia ponendo coordinationem eorum, quæ sunt in genere Substantiæ, dividit *corpus animatum* in *insensibile*, et *sensibile*, et sub corpore animato collocat *animal*, per hoc innuens Genus descendere in hanc Speciem, per alteram Differentiarum divisivarum; sic autem collocat Aristoteles *animal*, et similiter definit per illud Genus, et illas Differentias; ergo loquitur secundum opinionem Aristotelis.

Potest igitur concedi, quod non loquitur de animali secundum opinionem Platonis, quia secundum illam rationem non loquitur, quam posuit Plato de animali; sed loquitur secundum opinionem vulgi: nihil enim communiter concipitur, nisi per aliquam speciem imaginativam, et ideo communiter imaginatio circa insensibilia decipit. Ideo dicitur 3. Physicor. context. 75. quod *fatuum est credere imaginationi*. Et ideo vulgus sequens imaginationem, concipit de Intelligentiis, quasi idem quod de substantiis corporeis, et ita essent ponenda animalia rationalia secundum veram rationem animalis; sic autem loquitur Porphyrius, quia loquitur minus provectis, qui non intelligunt multum remota a sensu.

Ad rationem dico, quod *rationale* est æquivocum nobis, et Intelligentiis. Ipsæ enim intelligunt per species innatas, nos autem per acquisitas, ideo non egent sensibus ad scientias, nos vero indigemus, per Aristotelem 1. Posteriorum, in principio quia omnis nostra cognitio ortum habet a sensu. Præterea ipsæ intelligunt complexa sine discursu, nos vero cum discursu, ut dicitur 3. de Anima, context. 14. *omne nostrum intelligere est cum continuo tempore*.

Contra; quia tunc eodem modo *irrationale* esset æquivocum, quia *quot modis dicitur unum oppositorum, tot et reliquum*, per Aristotelem 1. Topic. cap. 12. ergo hæc est vera uno modo: *Intelligentia est irrationalis*, quod videtur inconveniens.

Item, æquivoca sunt, quorum solum nomen commune est; ergo si *rationale* sit æquivocum illis, et nobis, sequitur quod tantum sit commune secundum nomen, sed nos sumus intelligentes secundum rem; ergo ipsæ tantum secundum nomen.

Ad primum istorum dici potest, quod non est inconveniens hanc multiplicitatem concedere secundum æquivocationem. *Intelligentia est irrationalis* vera est in uno sensu. Vel aliter, quod est simpliciter vera, quia *irrationale* tantum opponitur *rationali*, ut est Differentia animalis, non autem ut est Differentia constituens Speciem substantiæ incorporeæ, sicut convenit Intelligentiis, et tunc hæc: *Homo est irrationalis*, est omnino falsa, et hæc: *Bos est irrationalis*, omnino vera.

Contra, privatum nihil proprie dicitur

nisi hoc quod est aptum natum habere habitum; bos non est aptus esse rationalis; ergo non est irrationalis. Potest dici, quod in compositione, *irrationalis*, habet accipi negative, non privative.

Contra, tunc non est Differentia animalis divisiva, quia excedit animal, nec prædicatur de ea per se Differentia superior, scilicet *sensibile*, quia non est de intellectu ejus, si tantum importat negationem rationalis.

Dici potest ad utrumque quod hîc est tantum negatio in genere, non extra genus, ut est Differentia animalis. Vel potest concedi, propter secundum istorum, quod non est Differentia proprie loquendo, quia Differentia quælibet accipitur a forma, et ideo diversarum Specierum diversæ sunt Differentiæ propriæ.

6. Aliter potest dici ad primam objectionem, quod privative oppositum actui, vel alicui significanti actum, privat actum et relinquit aptitudinem; sed privative oppositum alicui significanti aptitudinem, privat actum, et aptitudinem; et si quid relinquit, hoc est tantum secundum genus; *rationale* autem tantum significat aptitudinem, et *irrationale* hoc privat, est tamen *irrationale* aptum habere rationem secundum genus, quia inquantum animal sibi non repugnat, sicut nec talpæ videre.

Ad aliud de ratione æquivocorum, dico quod *æquivocum* in utroque sensu, est univocum significans aliquid, et non tantum vox, tamen nihil est commune significatis, nisi tantum vox; sed in hoc sensu accipitur vox, cum uno significato in isto, et cum alio significato in alio, sic *rationale* secundum vocem, et significationem perfectius inest illis, quam nobis.

Ad illud, quod primo objectum est contra illam responsionem, potest dici, quod dictum Aristotelis verum est, sed non dicit præcise potentias distingui per objecta, sed possunt distingui per diversos modos operandi, aliter non esset sensus communis distincta potentia, a sensibus particularibus, quod est contra Aristotelem 2. de Anima, cont. 14. et circiter. Distinguitur enim a sensibus particularibus, propter diversum operandi modum, circa idem objectum; quia quod per se cognoscitur ab aliquo sensu particulari, per se cognoscitur a sensu communi.

Ad aliud principale potest dici, quod 7.
non oportet, quod si una Differentia cum Genere constituit Speciem specialissimam, quod alia similiter, licet utraque constituat Speciem. Unde *animal irrationale* (si *irrationale* sit Differentia vera) potest esse genus intermedium, et *animal rationale*, definitio completa hominis, et hoc maxime est verum, quando est oppositio imperfecti ad perfectum. In quolibet enim Genere, uno perfecto existente, sunt multa imperfecta, per recessum ab illo, secundum diversum gradum, ut patet in coloribus; *rationale* autem est perfectissimum in genere animalis.

EXPOSITIO

Circa quartam definitionem Differentiæ, 8.
quæ est *Qua differunt a se singula*, cui corrigendo adjungitur, quod *conducit ad esse, et est pars essentialis esse rei*, quærit circa exempla Porphyrii, primam partem declarantis, ubi dicit quod *per Genus non differt species a specie, sed differentia dividit*, ut alias inquit, *non separat hominem ab irrationalibus animalibus, sed rationale*; item *rationale* non separat hominem a Diis, sed *mortale*; videtur ergo velle quod *animal rationale* sit genus intermedium, divisum per *mortale*; et *immortale*; quærit, inquam, Doctor, an *mortale* sit differentia divisiva

animalis rationalis, et constitutiva hominis. Ubi etiam implicite quæritur, an *animal rationale* sit genus, ut patet.

9. DE PRIMO. Satis noti sunt termini. *Mortale* enim videtur dicere aptitudinem ad *mori*, et similiter *rationale* ad *ratiocinari*, licet non ut aptitudines sunt, sed pro principiis intrinsecis aptitudinum debent poni differentiæ, ut habet Franciscus hic ; et infra, super 1. Perihermias quæst. 7 habet iste notabilem definitionem de *mortuo* et *vivo*. *Rationale* etiam nedum videtur importare, vel pro significato, vel pro connotato naturam intellectualem, vel intellectualitatem, sed (ut dictum est) aptitudinem vel potentialitatem ad *ratiocinari*, vel *discurrere* ; quare non proprie convenit Deo, nec Intelligentiis, ut quidam volunt. Important etiam partem primo, ex consequenti totum, ut supra sæpius habetur.

10. *[Ra]tio tri[pl]iter su[mit]ur.* *Ratio* namque uno modo solet dici *vis ratiocinativa* : et sic videtur Porphyrius accipere hic, cum dicit *sumus enim rationales nos et Dii*. Alio modo potest dici forma constituens hominem, seu modus cognoscendi hominis, ut distinguitur ab Intelligentiis, ut docuit Doctor in littera, solvendo argumentum primum principale. Unde Augustinus, in libro de Differentia spiritus et animæ, inquit : *In potentia sensus mutabitur in imaginationem, imaginatio in rationem, potentia in intellectum, intellectus in intelligentiam, intelligentia in Deum*. Tertio, accipitur pro definitione, seu quidditate, vel formali rationale. Videatur Philosophus 1. 7. et 8. Metaph. et [illegible] ad propositum copiose. Non curo multum in his declarationibus adducere antiquos, quia satis ex seipso Scotus exponitur. Dimitto in arbitrio lectoris se extendere, ut voluerit.

11. Non dubito cuncta [illegible] posse dici, quod ex quibuscumque antiquis, quia addidit altissime inventis. Unde non ratione [illegible] ritatis, et ineptitudinis recipientium veritatem, ut habet Philosophus [illegible] plus antiqui [illegible]

[illegible] patent.

DE SECUNDO. Ad partem [illegible] arguit primo auctoritate [illegible] prima ostendit *rat*[illegible] differentiam, eo quod non co[illegible] homine, quod alias declaravi, q[illegible] scilicet intelligi debet d[illegible] mam converti cum specie, et [illegible] [illegible] ultimata, et completa constitutione, et non de præcisa entitate, excludendo alia, ma-xime in via hujus : est enim [illegible] ritate Porphyrii in littera hic, et Philoso-phi 1. [illegible] eum. Videtur igitur *mortal*[illegible] Ad hanc rationem [illegible] 12

[illegible] 13

inquit, idem est objectum intellectus Angelici, et humani, quod appellat *quod quid rei materialis*, saltem, inquit, idem genere. Hoc dicit vel propter diversitatem specificam, et numeralem per consequens repertam in talibus quidditatibus, vel forte quia non semper eadem numero, vel specie, intelliguntur ab illis, et a nobis. Concludit igitur quod sicut objectum naturale est idem, ita potentia naturalis quod ideo specificat, quia potest esse diversitas circa objectum supernaturale, et modum cognitionis ejus, et circa lumen gloriæ quod se tenet ex parte potentiæ, non ut naturalis, sed ut elevatæ, ut patet. Vel dicit *potentia naturalis*, propter diversitatem in principio cognoscendi, et modo cognoscendi, ut patet in solutione hujus argumenti infra. Secunda ratio potest fundari super regulam Topicam : *Quoties*, scilicet, *dicitur unum oppositorum*. Et infert hoc inconveniens, duas videlicet tantummodo species specialissimas esse sub animali, quod multum obviat perfectioni universi.

14. *Mortale sumitur a materia, non a forma.* Ad oppositum arguit sex rationibus satis efficacibus, in quibus fundat solutionem quæstionis. Prima ratio ostendit *animal rationale* non esse genus per locum a definitione ad definitum destructive. Secunda ratio et sequentes, ostendunt quod *mortali* non convenit ratio differentiæ.

Prima, eo quod sumitur a materia, et non a forma. Differentia vero accipitur a forma vel a realitate formali, ut patet sæpe supra et est intentio Porphyrii, et Philosophi expresse. Pro minori allegat Philosophum 7. Metaph. text. comm. 22. et inde. Idem 1. Physicorum, et 1. de Generatione, et alibi plerumque. Exponit autem Philosophum de qua materia debet intelligi dictum ejus et potest confirmari expositio illa ex dictis ejus, in 3. distinct. 22. et 7. Metaph. Tertia ratio procedit ex differentia convenientiæ prædicatorum per se ad prædicata per accidens, ut habetur in communitatibus Porphyrii ; cum igitur in hoc *mortale* conveniat cum prædicatis per accidens, quod primo inest individuis, non erit prædicatum per se, igitur nec differentia. Assumptum deducit ex 1. Metaph. in Proœmio, et ex alia propositione notabili quod scilicet aptitudo per se est ejus cui convenit actus, et videtur quod velit subintelligere, primo, aliter non esset ad propositum.

Quarta ratio procedit ex prioritate differentiæ, ad illud cujus est constitutiva, vel saltem simultate : quod forte dicit propter ultimam, et intermediam, sed prius declaravi quomodo sunt priores ambæ, saltem natura : hoc autem non convenit *mortali*, inquit. Quinta ratio procedit ex proprietate ultimæ differentiæ prius declarata, quæ non convenit *mortali*, ut patet : quia aliis ab homine convenit. Ultima ratio procedit ex definitione quartæ differentiæ bene intellecta et correcta destructive. *Mortale* enim potius ad non esse, quam ad esse conducit. 15. *Constitu- vum pr- cedit con- titutum.*

Deinde respondendo ad quæstionem, paucis concludit ex his rationibus partem negativam, ubi possunt formaliter poni duæ vel tres conclusiones, quoad duas, vel tres partes quæsiti. Consequenter respondet ad argumenta principalia.

Ad Porphyrium exponendum, ponit primo responsionem aliorum, quod scilicet imitatus est in hoc Platonem ; nam ratio animalis ab ipso posita convenit Intelligentiis, quæ est quod movent se motu voluntario, quod etiam facit per opinionem hujus, in 2. ubi tenet Angelum seipsum continue movere. Definit etiam Augustinus 8. Civit. (imitando tamen in hoc Platonicos, et maxime Apuleium Mandarensem) Dæmones, dicens quod *sunt genere animalia, mente rationalia, animo passiva, corpore aerea, duratione æterna*. Ibi etiam dividit *animal rationale* in Deos, Dæmones, et homines. Doctor vero non negando hanc esse opinionem Platonicorum sed ostendendo quod Porphyrius non est imitatus in hoc Platonicos, instat, eo quod non imitatur illam definitionem Platonis, sed potius Aristotelis, ut patet in processu ejus, cap. de Specie, assignando coordinationem prædicamentalem.

16. Defendit ergo Porphyrium alio modo, et satis bene, dicendo quod loquitur [illegible] secundum opinionem vulgi sequentis imaginationem, quæ non elevatur extra sensibilia, nec elevat, et ideo decipitur et decipi communiter circa insensibilia. Ubi notanter dicit quod *communiter nihil* [illegible], etc. quia licet speciali influentia, vel notitia Fidei, non tamen naturali modo cognoscendi viatoris, de qua intelligit Doctor. Notanter etiam dicit quod *communiter decipit* quia aliquando coincidit cum veritate. Et adducit Philosophum 3. Physicorum, text. comm. 75. Imaginatur igitur vulgus quod subtantiæ incorporæ sint animalia quædam sicut corporeæ sensitivæ. Unde inolevit consuetudo in lege nostra, ut manuducerentur vulgares in notitiam Angelorum, depingere eos corporeos, et alatos, et præcinctos in mysterium agilitatis, nunc nudos, nunc armatos, ad diversa credita declaranda. Similiter Trinitatem personarum, ut Patrem ad modum antiqui dierum, sedentis in throno, Filium in modum junioris, et Spiritum sanctum aliis diversis modis. Unde Paulus inquit Rom. 1. cap. quod *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. In quibus omnibus valde opus est [illegible] discretionis, ne figura in prototypum, et fruitio in usum, vel e contra mutetur. Ideo Boetius in libro de Hebdomadibus recte dicit, quod *Communium animæ conceptionum aliæ sunt communes omnibus, aliæ tantum sapientibus, ut incorporalia non esse in loco.*

...s incorporeæ cur corporeæ ...ngantur.

17 Assignat autem causam quare ita loquitur Porphyrius, dicens, quod loquitur minus provectis, hoc est, junioribus, et rudibus, ut patet ex Proœmio suo, et hujus libelli nomine. Appellatur enim Isagoge in Categorias Aristotelis, cum quo concordat sententia Philosophi, in Proœmio Physicorum de cognitione confusa præcedente distinctam, et quod pueri primo appellant omnes homines patres, et postea discernunt. Plura alia hic possent adduci sed nolo ultra id quod necesse est me extendere, [illegible] lector.

Deinde respondet ad primam rationem principalem. Ubi bene [illegible] *Primum*, et recurrit ad responsionem prius datam supra, immediate post argumentum ponendo scilicet æquivocationem [illegible] quod declarat assignans duas rationes ejus æquivocationis. Primo, quia illi intelligunt per species innatas, id est, concreatas, secundum multos, ut habet videri in 2. distinct. 3. quæst. 10. et hoc intelligendum est de speciebus quidditatum communium, ut illi asserunt; unde possunt procedere in cognitionem singularium, et [illegible] sibi innatum.

18. [illegible]

Nos vero acquirimus de novo species, mediante sensu, ut constat ex 1. Posteriorum, et idem habetur in libro de Sensu, et Sensato, de quo habes videre in primo hujus distinct. 3. quæst. 6. et in Reportatis, distinct. eadem, et super libros de Anima; quia variæ sunt opiniones Doctorum de istis speciebus, an scilicet sint sensibiles depuratæ, an certe intelligibiles ex illis natæ, aut quidditates abstractæ [illegible] hoc certum est, quod per species sensibiles via originis procedimus ad intelligendum.

Secunda ratio est, quia ipsi sine discursu intelligunt, nos autem cum discursu. Et notanter dicit complexe, quia circa apprehensionem incomplexorum non est proprie discursus, [illegible]

[illegible]

Vult ergo quod [illegible]

19. Contra hanc æquivocationem adducit consequenter duas replicas. Prima procedit ex regula Topica sæpe allegata de commultiplicitate oppositorum : cum ergo *rationale* et *irrationale* sint opposita, si unum multiplex, et reliquum: ex quo infert quod hoc concesso, hæc esset vera in uno sensu,

Intelligentia an irrationalis.

Intelligentia est irrationalis, quod videtur prima facie absurdum. Simile argumentum habet infra quæst. 5. Anteprædimentorum, contra æquivocationem entis : nam ipsa posita, inquit, sequeretur, quod hæc esset vera in uno sensu, *Substantia est non ens*, quia non est Quantitas, neque Qualitas, igitur non ens, ut opponitur illis, si ens non dicit conceptum communiorem illis. Et talis modus arguendi patet ex 6. Topic. cap. 13. Secunda replica procedit ex definitione æquivocorum, sophistice tamen inferendo, ut patebit.

Ad primum istorum respondet dupliciter. Primo, concedendo quod infertur, sicut in simili infra, ubi jam quottavi, concedit substantiam esse non ens in uno sensu, sicut vox acuta potest dici obtusa, non ut opponitur obtusitas acutiei vocis, sed ut opponitur acutiei magnitudinis, vel liquoris, et similiter in aliis multiplicibus potest concedi, et magis hîc si *irrationale* dicat solam negationem *rationalis*.

20. Alia responsio est, concedendo illam propositionem, non præfacta distinctione, nam simpliciter, inquit, est vera, vel secundum alios debet dici simpliciter esse falsa. Sed prima littera placet, ut statim declarabo. Vult ergo quod *irrationale* non sit multiplex, sicut supra in simili sæpe dictum est, et hoc quia non opponitur *rationali* secundum omnem significationem, sed tantum secundum unam, ut scilicet est differentia animalis, non autem ut est differentia substantiæ incorporeæ eo videlicet modo, quo convenit Intelligentiis. Ex quo infert quod hæc est simpliciter falsa, *Homo est irrationalis*. Secus esset dicendum secundum primam responsionem, nam posita æquivocatione *irrationalis* esset vera in uno sensu, sicut hæc, *Intelligentia est irrationalis*. Et addit quod hæc propositio, *Bos est irrationalis*, est omnino vera, hoc est, non distinguenda, sed simpliciter concedenda. Contra quod objicit et posset etiam applicari contra illud jam concessum, scilicet quod Intelligentia est irrationalis, et argumentum procedit ex natura privativi, vel privationis, nam est negatio in apto nato et in genere et non absoluta vel extra Genus : quare hæc non conceditur proprie, *Lapis est cæcus*, licet sit non videns, igitur ista, *Bos est irrationalis*, erit falsa, cum *irrationale* dicat privationem rationalis ut videtur.

Ad hoc respondet dupliciter. Primo, negando assumptum, scilicet *irrationale* esse nomen privativum, sed videtur negatio præcise. Unde ly *in*, inquit, positum in compositione, scilicet hujus vocis, vel dictionis, *irrationale* (nam ibi mutatur gratia Euphoniæ *n* in *r*) debet accipi negative, ut videlicet idem significat quod *non*, et non privative, et sic potest dici de bove, quia est non rationalis, licet non sit aptus ratiocinari, sicut lapis est non videns. Et antequam ponat secundum modum ad idem argumentum, objicit contra istum modum dicendi, inferendo quod tunc non esset differentia divisiva animalis, si idem diceret quod *non rationale* et probat consequentiam dupliciter. Primo, quia excederet animal, quod non convenit differentiæ divisivæ, ut patet, sed potius divisum excedit dividentia, seorsum saltem. 21.

Irrationa-le an pri-vationem importet.

Quod autem excedat patet, quia de quocumque alio ente a rationali dici potest, cum de quolibet dicitur alterum contradictoriorum, et sic non solum animali convenit. Secundo, quia si solam negationem importat, et positivum non est de intellectu negationis, igitur *sensibile*, quæ est differentia superior, non erit de intellectu irrationalis : hoc autem repugnat communiter dictis, ut supra sæpe tactum est, id est, differentiam inferiorem includere per se superiorem, ut videtur elici ex 7. Metaph. text. comm. 43.

Ad hanc objectionem respondet dupliciter. 22.

ter. Primo negando consequentiam, et ad utramque consequentiam respondendo, quod negatio illa non est extra genus, sed in genere, et talis potest esse differentia, et non dicitur de aliis ab animalibus. Sed licet hoc evadat aliqualiter primam probationem consequentiæ, non tamen secundam quia sive sit negatio in genere, sive extra, non includit in suo intellectu positivum, ideo aliter respondet dicens, quod potest concedi propter secundum istorum, id est, propter secundam probationem consequentiæ, quod *irrationale* non est differentia, et hoc proprie loquendo, hoc est, formaliter, licet forte circumlocutive : vel non est differentia constituens aliquam determinatam speciem animalis. Et assignat rationem ex origine differentiæ a forma, cum igitur diversarum specierum animalis sint diversæ formæ, habebunt diversas differentias positivas. In fine litteræ bene esset *differentiæ propriæ*, omittendo copulationem, vel sic, *differentiæ et propria*, scilicet propriæ passiones, nam diversitatem differentiarum consequitur diversitas passionum, ut patet.

[illegible]rationa[illegible] [illegible] diffe[illegible]ntia ani[illegible]alis.

23. Consequenter ibi, *Aliter potest dici*, etc. Ponit secundum modum dicendi ad illam objectionem supra ibi, *Contra, privatum nihil proprie dicitur*, etc. sustinendo *irrationale* accipi privative distinguendo consequenter de privatione, scilicet privante actum, et privante aptitudinem, et similem distinctionem habet infra, in Postprædicamentis, qu. 5. et dicit quod prima privatio privat actum, et etiam aliquando potentiam respectu agentis naturalis saltem, et habitum ut cæcitas : aliquando tantum actum, ut tenebra ; sed dimittit, vel relinquit, inquit, aptitudinem, non solum secundum speciem, quando est propria. Secunda vero, nec actum, nec aptitudinem, nec habitum, nec potentiam dimittit vel relinquit. Quod non aptitudinem, de qua magis videretur, patet ; quia alias non esset privatio aptitudinis, et hoc maxime secundum speciem, vel genus propinquum : et si quid, inquit, relinquit, hoc est secundum genus tantum et non secundum speciem. Pro [illegible] nota modos privationis 5. Metaphys. quos supra, quæst. 5. hujus [illegible]. Applicando ad propositum, dicit quod *rationale* [illegible] tantum aptitudinem, et *irrationale* privationem illius : nihil ergo secundum speciem relinquit, sed tantum secundum genus relinquit aptitudinem, vel non repugnantiam : et sic dicitur de bove, nam inquantum animal est, non repugnat sibi ratiocinari, sicut exemplificat de talpa. Prima ergo privatio in hoc distinguitur a secunda, quod prima dimittit aptitudinem etiam secundum speciem, secunda tantum secundum genus, vel nullo modo in casu, maxime secundum genus.

Ad [illegible] igitur argumenti dicitur, distinguendo majorem, et similiter minorem. Nihil enim dicitur privatum, quod non est natum, etc. verum est aut secundum speciem, aut saltem secundum genus, vel ad minus [illegible] loquendo secundum transcendens. [illegible] secundum speciem, saltem secundum genus, est natum habere rationem, [illegible] est animal est natum habere rationem, et salvatur in bove, ut patet. 24.

[illegible]

Deinde solvit secundam objectionem principalem supra ibi, *[illegible]*, etc. dicens quod licet significatis æquivoci, [illegible] nihil sit commune, [illegible] tamen [illegible] accepta possunt esse univoca habentia universale [illegible] per unam significationem dicit rem, et conceptum [illegible] et per alio alterum. Non sequitur ergo quod intelligentiæ sint tantum [illegible] secundum [illegible], et non secundum rem, [illegible] secundum rem. [illegible] ut patet. Cum [illegible] pluralitas [illegible] cujus oppositum [illegible] argumentum.

Ex hoc solutione [illegible] patet, quod [illegible] æquivoca non est, [illegible] tamen habet [illegible] Elenchorum apud [illegible] bit. 25.

Consequenter his objectionibus, et solutionibus expeditis, redit ad solvendum illam replicam, in secundo argumento principali supra, contra responsionem ibi datam, et jam sustentatam, atque declaratam de æquivocatione *rationalis* diis et nobis, ibi videlicet, *Contra per Aristotelem* 2. *de Anima*, etc. et exponit notabiliter ipsum, et ostendit quod argumentum non procedit, quia non valet, nisi in causis præcisis, ille modus arguendi. Potentiarum enim distinctio alia est ab intrinseco, alia ab extrinseco : et illa adhuc duplex, alia objectalis, alia modalis, id est, ob diversitatem modi agendi, stat igitur identitas objectalis cum diversitate modi agendi : unde non sequitur identitas potentiarum ex identitate objectorum tantum, nam, (ut notavi prius) facilius est destruere, quam construere : et ubi plures requiruntur conditiones ad inferendum identitatem, sufficit defectus unius ad inferendum distinctionem.

Identitas objecti non infert identitatem potentiarum.

26. Exemplificat notabiliter de sensu communi, et particularibus, et objectis eorum, et allegat Philosophum 2. de Anima. text. comm. 45. et circiter. Pro quibus declarandis, vide istum 3. distinct. 1. quæst. 3. et in Quodlibeto, quæst 13. et super libros de Anima, et alios ut nosti; est igitur fallacia Consequentis in argumento.

Ultimo, solvit ultimum principale, negando differentias oppositas esse ejusdem communitatis, ideo una potest esse specifica specialissima, altera vero specifica subalterna, sic, inquit, est in proposito, et hoc ponendo *irrationale* esse differentiam veram jam propter dicta. Et addit pro confirmatione horum, unam notabilem propositionem, quæ potest fundari in dictis Philosophi 8. Metaph. text. comm. 8 et 10. Metaph. text. com. 2. et inde littera tota satis clara est.

27. De Tertio, etsi pertractare hujus quæstionis difficultates, magis pertineat ad Metaphysicum, et Theologum, atque Physicum, quam ad Logicum, ne tamen præterire videar, pertæsus ea quæ ad communem utilitatem faciunt, aliqua circa dicta brevibus dubia tangam, inchoando ab argumentis post oppositum, in quibus stabilitur veritas quæsiti. Primo circa primum argumentum posset dubitari, *an Intelligentiæ sint animalia*, et posset probari quod sic, nam compositum ex materia et forma intellectuali videtur esse animal, sed Angelus, vel Intelligentia est hujusmodi, ergo. Minor est nedum Paganorum, sed etiam multorum Theologorum, super 2. Sententiarum, dist. 3. Major vero potest persuaderi, quia si in forma ignobiliori continetur aliquid virtualiter, multo magis in forma nobiliori ; sed sensitivum, a quo dicitur animal, continetur in anima humana ergo eodem modo, vel multo magis in forma Angelica. Quanto etiam forma materialis est nobilior, tanto magis requirit plura organa ad operationes suas exercendas, quod arguit materiale animalis.

Item, quoad secundum argumentum, non videtur quod mortale insit ratione materiæ quia opposita habent fieri circa idem : sed vita, vel vivum, inest ratione formæ, ergo et mors, vel mortale. 28.

Item, res habet esse principaliter per formam, ergo habet non esse principaliter propter non esse formæ, et ita fundamentum argumenti ex 7. Metaphysicæ non currit.

Item, illa expositio de materiis individualibus non videtur valere, quia quod convenit pluribus ejusdem rationis, convenit eis ratione alicujus communis, cui primo convenire debet, quare cum materiæ individuales plures sint, et ejusdem rationis, igitur esse, quo res habet esse, vel non esse, vel corruptibilitas, seu mortale, non convenit primo materiæ individuali, sed potius ipsi materiæ in communi.

Item, quoad tertium argumentum, videtur primo dubia illa propositio Aristotelis 1. Metaph. maxime in doctrina hujus Doctoris, ut patet 1. Metaph. et alibi sæpe, nam tenet actus, vel operationes primo esse circa Universalia, vel communia.

Item, cum dicit quod *aptitudo ad aliquid* 29.

est ejus per se, etc. non videtur bene intelligibile, nam si sic, sequeretur quod risibilitas esset per se, et primo hominis singularis cum terminus ejus, cujusmodi est *ridere*, sit primo singularis, ut videtur.

Item circa solutionem principalem, et ea quæ sequuntur, ubi tenere videtur quod *rationale* sit differentia ultima hominis, posset dubitari, eo quod ultimæ differentiæ rerum sunt nobis ignotæ, cujus oppositum tunc eveniret.

Item, quoad solutionem primæ rationis principalis, videtur repugnantia in dictis hujus, hic et alibi : nam in 2. Sententiarum dist. 1. quæst. 6. impugnat illam viam, quæ est Alexandri, et Thomæ, et aliorum antiquorum, quæ negat in Angelis discursum, et in Prologo Sententiarum, qu. 3. ostendit quod Beati discurrunt.

Item, si intelligere per species innatas, et per acquisitas, argueret differentiam specificam, vel genericam sic intelligentium, et æquivocationem ratiocinativæ, sequeretur quod Christus non esset homo univoce nobiscum, quod est contra fidem. Patet consequentia, quia sicut Angelis fuerunt concreatæ species omnium rerum, ita Christo, ut habet videri in 3. dist. 14.

30. Item, in secundo, ubi supra, videtur sustinere quod intellectualitas ut talis sit ejusdem rationis specifice in Angelo et anima, licet essentiæ eorum non sint ejusdem speciei : sed (ut prius dixi) non videtur aliud intelligere per *rationale*, quam intellectuale.

Item, sive *irrationale* dicat negationem in genere, sive privationem, non videtur posse sustineri illa propositio, tanquam vera *Intelligentia est irrationalis*, cum non contineatur sub genere animalis. Genus enim quasi commune habitui et privationi est illud, cui convenit aptitudo ad utrumque, ut singularissime habet dist. 28. Primi, quæst. 1. in solutione.

Item, posset dubitari quæ illarum duarum viarum de ly *in*, in compositione *irrationalis* sit convenientior.

Item, videtur ibi supponere differentiam [illegible] per se [illegible], cujus oppositum ex [illegible] 7. Metaph. et 4. Sententiarum.

Item an [illegible] sit [illegible] veram differentiam animalis, vel non.

Item, non solum privationem aptitudinale, sed etiam [illegible], [illegible] secundum genus, ergo illa distinctio privati non procedit.

Item videretur quod hæc esset vera, *Lapis est irrationalis*, quia [illegible] in corpore, et in substantia : similiter sequeretur quod hæc, *Albedo est irrationalis*, et [illegible] esset vera ponendo univocationem entis, et ita universaliter privatio cujuscumque [illegible] de alio, quantumcumque disparato. 31

Item, circa illud dictum Philosophi *Potentiæ distinguuntur per actus*, etc. possent plura tangi ad altiora pertinentia, sed nolo modo immorari. An etiam [illegible] sit objectum sensus communis, et particularis, bonum dubium esset.

Item, contra fundamentum solutionis ultimi principalis, potest argui ad hominem nam in 2. dist. 1. quæst. 6. in argumento post oppositum dicit quod quanto forma creata est nobilior, tanto distinguitur in plures gradus nobilitatis : et exemplificat comparando elementa ad mixta, et mixta inanimata ad animata, et plantas ad animalia, et irrationalia ad rationalia, vel intellectualia : manifestum autem est quod forma humana, vel rationalis, est nobilior forma irrationali, vel brutali ; ergo directe sequitur oppositum [illegible], vel repugnantia manifesta in dictis Doctoris. [illegible] alia si voluerit.

Ad ista per ordinem. Ad primum. [illegible] de materia [illegible] perplexa est [illegible] quidam solutis [illegible] quibusdam [illegible] Bonaventura et quidam [illegible] 2. dist. [illegible] Videntur [illegible] a Metaphysico, et ejusdem [illegible] in [illegible] quæst. libri de anima [illegible] habetur [illegible] quicquid sit de hoc, [illegible] 32. [illegible]

tenere in ipsis non esse materiam, Physice loquendo, licet bene proportionabile materiæ, ut genus, ostendit enim sufficienter in Quodlibeto, quæst. 9. quod impossibile est Angelum informare materiam : hoc tamen non demonstraret forte ipsum in se non componi ex materia ; aut igitur simpliciter negandum est in intelligentiis esse materiam, aut si concederetur, non tamen sequitur quod sint animalia, sicut optime Bonaventura 8. dist. Secundi ostendit. *Animal* enim *dicitur habens sensum*, et cum dicitur quod anima sensitiva continetur virtualiter, negatur ; quia frustra poneretur in eis : secus est de homine ; nec indigent organis, quibus exercerent opera diversa vitalia. Quæratur iste 8. dist. Secundi et alii.

Exemplum de ponentibus cælum componi ex materia, et anima intellectiva. De continentia animæ sensitivæ in intellectiva est bene dubium, an scilicet est ponenda præcise in homine virtualiter, vel æquivalenter, an certe formaliter : sed quidquid sit, non sequitur illatum, sicut non sequitur e contra : forma scilicet perfectior continetur in aliquo virtualiter, ergo imperfectior. Exemplum de forma corporeitatis, et de vegetativa, seu sensitiva in homine, respectu intellectivæ.

33. *Corruptibilitatis causæ variæ.* Ad aliud, posset fieri longus processus de causis mortalitatis, vel corruptibilitatis rerum : una est enim generalis, eo quod omnia originaliter ex nihilo, ideo tendunt in nihil. Specialis vero alia activa, alia passiva. Prima duplex, alia extrinseca, alia intrinseca. Passiva etiam alia objectiva, alia subjectiva. Potest igitur probabiliter dici, quod mortalitas nedum ratione materiæ, sed etiam formæ, et principalius convenit homini, et non solum ratione formæ sed etiam efficientis positive vel negative : et generaliter quot sunt causæ dandi esse, tot non esse, suo modo. Famose tamen attribuitur materiæ, propter annexam privationem, quæ machinatur ad maleficium 1. Physic. text. com. 80. et sic arguit Doctor hîc. Quærantur Expositores, et Quæstionistæ super 1. Physic. et 1. de Generatione, et 7. Metaph. Mesaphysici etiam, specialiter iste in 7. Metaph. et melius in 2. dist. 15. et 19. et in tertio, dist. 16. et in 4. dist. 44.

Ad aliud dico, quod eo modo quo convenit corruptibilitas ratione materiæ, convenit ratione ipsius communi primo, et hoc potentia remota : sed ratione ipsius in particulari potentia propinqua. Quæratur notabiliter iste in tertio, dist. 22. et 7. Metaphysicæ.

Ad aliud, quod tangitur de veritate illius 34. *Actiones sunt singularium, quomodo.*
propositionis 1. Metaphysicæ, licet exponatur (et satis bene) de actibus transeuntibus debere intelligi, et non de immanentibus, et objective, et non subjective : universaliter tamen potet dici, quod vera est sic, videlicet, *Actiones sunt singularium*, et objective, et subjective, maxime transeuntes; et hoc vel præsuppositorum, vel per actiones constitutorum, vel tanquam ultimate denominatorum. Ubi etiam advertendum, quod alia est ratio agendi, vel terminandi, et alia conditio agentis, vel terminantis. Quæratur iste super 1. Metaphysicæ, et alibi sæpe. Nam famose pertractat hanc propositionem, et sæpenumero.

Ad aliud, patet ex dictis per illam distinctionem de potentia propinqua, et remota : a simili applicando ad aptitudinem talem, vel talem. Posset etiam negari similitudo, quia in uno accipitur actio terminative, vel objective esse alicujus: in alio vero subjective. Posset etiam dici, quod propositio est vera, ut accipitur a Doctore, sed non concludit intentum : concedo enim quod cui convenit terminus aptitudinis, ei per se convenit aptitudo, sed non dicit per se primo. Posset ulterius concedi, quod *ridere* est primo hominis, licet *hoc ridere hujus*, alia etiam ratio agendi, alia conditio agentis, ut prius. Vide singularissime infra, in Prædicamentis, cap. de Substantia, quæst. 2.

Ad aliud posset dici uno modo, quod 35. *Differentia ultima circumlocutive potest exponi.*
circumlocutive saltem potest Differentia ultima cognosci, licet forte non in se distincte, et formaliter : et sic intelligit Doc-

tor. Aliter quod verum est naturaliter, sed concurrente fide secus est. Vide 13 dist. 1 de quo alibi altius habet perscrutari.

Ad aliud potest dici uno modo ex documento generali supra assignato, quod in materiis realibus loquitur in his quæstionibus secundum communes Auctorum opiniones, et ita intelligit hic de discursu Intelligentiarum. Vel aliter quod potest verificari respective loquendo, sicut diceretur firmamentum non moveri motu proprio respectu primi mobilis. Vel magis ad propositum, firmamentum diceretur moveri proprie, et primum mobile non moveri sed potius mutari, propter velocitatem motus: vel quod terra nullius est quantitatis respectu cœli, sic hic, Angelus si discurrit, discurrit in tempore imperceptibili, vel in instanti, seu cum instanti temporis: quia non requiritur prioritas et posterioritas durationis ad discursum, sed sufficit ordo naturæ: nostrum autem intelligere est cum continuo, et tempore perceptibili plerumque. Potest igitur dici, quod in comparatione ad nos non discurrunt, secus est simpliciter loquendo: et sic salvatur Doctor ubique. Nam alibi vult ostendere quod non repugnat eis dicurrere simpliciter loquendo.

Angelus an discurrat.

36. Et si diceretur, quod tunc Deus discurreret, quia ordo naturæ potest assignari in cognitione Dei; dicendum quod ad dicursum requiruntur tria. Primum cognoscere hoc per hoc. Secundum cognoscere hoc post hoc. Tertium quod terminus discursus sit objectum immediate cognoscibile, et alio actu. Quidquid sit de duobus primis, tertium saltem non reperitur in divinis. Vide notanter 15. q. Quodlibeti et alibi pluries tactum.

In Deum non cadit discursus.

Ad aliud, quod est optimum motivum contra viam communem, concedo quod illud non est sufficiens medium negandi simpliciter discursum, nec ponendi diversitatem specificam, sed bene respective loquendo, ut dictum est.

Ad aliud, quod loquitur Doctor ibi problematice, etsi asserendo. Alia enim via securior est, nisi loquendo de convenientia transcendenti. Vel aliter, quod [illegible] intellectualem pro [illegible] vel perfectione [illegible] essentiam, et non per [illegible] intrinsecam formali, sicut ponitur [illegible]tia.

37 Ad aliud, quod hæc propositio [illegible] [illegible], patet verificari uno modo, si ly *in* teneretur ut est negatio extra genus: alio modo ut est negatio in genere, vel privatio non in genere proprio, sed [illegible], ut puta in substantia. Pro quo declarando, vide singularem doctrinam in Primo dist. [illegible] quæst. 1, in solutione, et 5. Metaph. cap. de Privatione.

Ad aliud dico, quod utraque via indifferenter potest teneri, quia coincidunt communiter negatio in genere, et privatio, ut habet in primo, ubi supra. Ad aliud, quod loquitur [illegible], ut supra cap. de [illegible] notavi. Ad aliud, potest dici, quod non nisi circumlocutive. Ad aliud, quod licet conveniunt in relinquendo aptitudinem secundum Genus, differunt tamen in relinquendo, et non relinquendo secundum speciem, quia illud aliquando relinquit, hoc vero nunquam.

Ad aliud, potest concedi totum, ut patet ex doctrina hujus, in primo, ubi supra, et hoc extensive loquendo: [illegible] tamen accipiuntur nomina privativa, aptitudinem denotantia, quam actum in tali [illegible]. Logice tamen illa extendi usque ad [illegible] procedit, ut patet. [illegible] Philosophi, *Potentiæ*, etc. videtur [illegible] 1. Metaph. et 5. dist. 1. et 2. et [illegible], sed potest breviter dici, quod aliter distinguuntur potentiæ per actus, et aliter actus per objecta, nam prima est extrinseca et a[illegible], secunda vera ex[illegible], [illegible] vide [illegible] quæst. 13. optime.

38 Ad aliud, videtur Philosophus, [illegible] 2. de anima, et [illegible] Nat[illegible]. Potest [illegible] dici, quod habent diversa objecta [illegible] et [illegible] rationem formales objectivas, de quo [illegible] disputare. [illegible]

ris, et subordinatis, non inconvenit, imo necesse est ponere identitatem objecti, licet non præcise, et adæquate.

Ad ultimum, quod tangit bonum motivum, etsi posset dici quod argumenta in pede quæstionis sunt Topica, et non assertiva, et ex Dic'is aliorum communiter accepta, et maxime in proposito : nam illud argumentum, de quo fit sermo in 2. habet Thomas in 2. contra Gentiles, c. 92. et 94. et in 2. Sententiarum. Potest etiam colligi ex Bonaventura, et aliis antiquis, et facit apparenter pro via Thomæ, ponentis quemlibet Angelum esse speciem, ut patet, et ita parum curaretur ad intentionem Doctoris. Nihilominus potest dici, quod loquitur ibi de contentis sub eodem genere remoto, hîc vero de contentis sub eodem infimo, ut patet per exempla sua hîc, et inde loquitur enim ibi de gradibus entium substantialium, quæ sunt de perfectione universi : hîc vero de speciebus animalis præcise, et sic est ad mentem Philosophi, 10. et 8. Metaph. ut allegatur prius, cujus ulteriorem speculationem relinquo lectori sagaci. Posset etiam pertractari propter verba Doctoris hîc in fine quæstionis de gradibus perfectionalibus specierum, et qualiter prima species excedit alias, et qualiter accedunt, et recedunt et an positive, vel privative et an formaliter, vel virtualiter, seu eminenter. Sed alius erit locus, quia non sunt logicæ considerationis, nec plura nunc dictorum, nisi ut satisfaciamus, et nobis ipsis, et curiose investigantibus, et sic Dei gratia est finis differentiæ de Differentia, pacis quoque Auctori sit semper laus, et gloria.

Proprium vero quadrifariam dividunt, etc. Cap. 5.

QUÆSTIO XXX

Utrum Proprium sit Universale

D. Thom. *Opusc.* 48. *cap.* 7. Averroes *cap. de Proprio.* Albert. Mag. *tract.* 6. *de Proprio cap.* 1. *et tract.* 7. *cap.* 1. Okam 1. *p. Log. cap.* 24, *et in expos. cap. de propr.* Albertus Parvus *q. unica de Proprio.* Joan. a Magistris *q.* 9. *Log.* Joan. Angl. *et* Bras. *super hanc. q* Cajet. Sotus, Toletus, Merinero, Ruvio *cap. de Proprio* Conimb. *cap. de Proprio art.* 3. Complut. *disp.* 8. *de Proprio quæst.* 1. Rodrigues *q.* 1. *de Proprio art* 1. Aversa *q.* 10. *de Proprio sect.* 2.

Quod non videtur ; quia oppositum non prædicatur de opposito, Proprium, et commune opponuntur : ergo hæc est falsa, *Proprium est commune,* sed commune, et Universale idem sunt : ergo. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, nulla intentio secunda prædicatur vere in abstracto de re primæ intentionis, hæc est vera, *Risibilitas est proprietas* : ergo Proprium non est secunda intentio. Item per Aristotelem in 4. Top. cap. 9. si Genus est ad aliquid, et Species, Universale est ad aliquid ; Proprium vero non : ergo, etc. Prima pars minoris patet ; quia Universale cum sit essentialiter prædicabile, dicitur ad illud, de quo prædicatur, sive ad subjicibile. Secunda probatur ; quia Proprium non refertur ad illud cujus est Proprium; nam nullum accidens refertur ad suum subjectum, quia tunc omne accidens esset relativum. Similiter illud, cujus est Proprium, prius naturaliter est Proprio, relativum autem simul est natura cum correlativo, nec ad aliquam aliam refertur intentionem, ut patet inductive, sicut argutum est supra, de Differentia. Item, Proprium manet, non existente intellectu, quia non existente intellectu, adhuc , sicut prius, *habere tres* inest omni triangulo, et soli, et semper.

Ad oppositum est Porphyrius et Aristoteles 1. Topic. cap. 3. ponens Proprium esse prædicatum ; ergo Universale.

Ad quæstionem dicendum, quod Proprium est Universale ; quia prædicatur de pluribus ; est enim secundum Aristotelem 1. Top. prædicatum conversim, idest, convertitur cum illo, cujus est proprium ; illud autem est Universale, 2 *Conclusio.*

quia potest esse demonstrationis subjectum, quia omne Proprium potest demonstrari de eo, cujus est Proprium, per definitionem : Universalium autem est demonstratio, per Aristotelem 1. Posterior. ergo si ipsum subjectum prædicatur de pluribus : et suum convertibile prædicatur de pluribus, quod est Proprium.

Proprium æquivocum. Intelligendum tamen, quod *Proprium* est æquivocum ; quia potest esse nomen primæ intentionis, et sic opponitur communi, potest enim aliquid dici Proprium Individui, sicut et Speciei, et sic est concretum, et a proprietate dictum.

Alio modo *Proprium* est nomen secundæ intentionis, significans intentionem secundam, scilicet prædicatum convertibile non prædicans essentiam, ut definitur 1. Top. cap. 4. et sic est species Universalis ; quia Universale descendit in ipsum per differentias per se divisivas ejus, scilicet *prædicari convertibiliter in quale accidentale*.

3. *Ad primum principale.* Ad primum argumentum dici potest, quod Proprium opponitur communi, ut est res primæ intentionis, non autem ut est secunda intentio. Vel aliter, quod sunt relativa, et unum relativum dicitur de alio, non tamen oppositum de opposito ; quia non sunt opposita, nisi respectu ejusdem.

Proprium autem respectu Speciei, commune est respectu Individuorum sub Specie contentorum ; quia de illis dicitur, ut de pluribus, non de Specie, cujus est Proprium.

Ad. 2. Ad aliud patet ; quia *Proprietas* est abstractum *Proprii*, ut est nomen primæ intentionis, non secundæ.

Contra, risibile est Proprietas, risibile est Proprium : ergo Proprium est Proprietas : præmissæ sunt veræ : ergo conclusio : sed res primæ intentionis non prædicatur de re secundæ intentionis in abstracto, sicut nec e converso.

Item, si sit est nomen secundæ intentionis est concretum, quid est ejus abstractum ?

Ad primum dico, quod est fallacia Accidentis, quia extranee insunt accidentia realia, et intentionalia ipsi subjecto.

Ad secundum dico, quod ejus abstractum non significatur uno nomine, sicut nec in aliis quatuor, sed per circumlocutionem sic exprimitur, *intentio Proprii*.

Ad tertium principale dici potest, 4. *Ad 3.* quod si Genus sit ad aliquid, oportet Speciem esse ad aliquid per se, sed non primo, sed secundum genus, sic Proprium secundum suum genus, quod est Universale, dicitur ad aliquid, scilicet ad illud de quo dicitur, ut ad subjectum, quia prædicatum dicitur ad subjectum.

Aliter potest dici, quod secundum propriam rationem refertur primo ad Speciem, non inquantum Species, sed inquantum habens Proprium.

Cum dicitur quod non, quia accidens non refertur ad subjectum, dico, quod subjectum Proprii, ut est intentio, non est Species, sed res aliqua primæ intentionis, ut *risibile*, sicut de Universali supra dictum est, tamen illud cui applicatur intentio Proprii, potest esse in eo cui applicatur intentio Speciei, ut *risibile* in homine.

Ad secundam probationem cum dicitur, Proprio prius est illud, cujus est Proprium, dico, quod subjectum secundum se est prius, sed non inquantum habens Proprium, non est autem correlativum Proprii, nisi inquantum habens Proprium.

Ad quartum dico, quod nihil proprie *Ad 4.* accidit alicui ita sumpto *accidit*, nullo existente intellectu, similiter nec accidit omni ; quia nil est commune omni cui possit accidere aliquid, nullo intellectu existente.

EXPOSITIO

5. Postquam expedivit se circa capitulum de Differentia, quærit circa capitulum de Proprio, inchoando a communioribus, *an Proprium sit Universale.* Prius enim est investigandum an sit Universale, quam de aliis conditionibus ejus, et cæteris dictis Auctoris, circa ipsum. Et potest pertractari quæstio tam in fundamentis, quam in intentionibus, sed principalius in intentionibus, ut patet.

De primo. Quid *proprium*, et quoties accipitur, patet communiter hic in textu, et glossa est in dictis Doctoris hujus, in processu, atque in tratactu Modorum significandi. Dicitur enim *proprium*, a *prope*, ideo mihi est proprium quod est meum, et non tuum. Vide istum 15. dist. 4. et alibi. Unde advertendum, quod sicut dictum est de differentia tripliciter accepta, quod potest accipi æquivoce tam in primis, quam in secundis intentionibus, ita similiter dicendum est de proprio quadrupliciter accepto, in hoc capitulo. Intentio vero Auctoris et Doctoris est de ipso 4. modo prout videlicet est intentio applicabilis ei, quod egreditur ex principiis speciei et inest in actu *signato* convertibiliter, ut verificatur in actu *exercito* ut consequenter dicetur, nam alii modi ipsius Proprii reducuntur ad accidens, saltem ut modus.

Ordo quæstionis ad præcedentem, et sequentem patet. Divisio communis est.

6 De secundo, arguit quatuor rationibus partem negativam. Prima procedit per locum ab oppositis, et patet. Secunda procedit ex modo prædicandi secundarum intentionum de primis, et præsupponit hîc esse sermonem de Proprio, et Universali secundo-intentionaliter sumptis. Tertia procedit ut prius, de Differentia q. 3. argumentatum est : et allegat pro fundamento Philosophum 4. Topic. cap. 9. specialiter autem tangit qualiter non refertur ad illud cujus est, propter duo. Quarta ratio ostendit quod est ens reale, et per consequens non est species Universalis, ut hîc loquimur de Universali.

Ad oppositum adducit Porphyrium, et Philosophum 1. Topicorum. c. 3. et 4. Deinde respondet ad quæsitum tenendo partem affirmativam, quam probat per locum a definitione Universalis constructive, et allegat Philosophum in Topicis lib. 1. c. 4. Bene enim valet argumentum, *Est prædicatum, ergo Universale,* licet non e contra : quamvis sit instantia de definitione, ut patet supra, q. de sufficientia Universalium. Et qualiter prædicatur de pluribus declarat, quia de his de quibus suum subjectum cum quo convertitur : et potest sermo iste verificari in actu *signato* in intentionibus, et exerceri in fundamentis, sicut de aliis dictum est.

Proprium est Universale.

Quod autem suum subjectum prædicatur de pluribus, ostendit, quia illud est subjectum demonstrationis, in quo passio demonstratur de subjecto : tale autem est commune, vel Universale, ut patet 1. Posteriorum text. comm. 14. idem habetur 7. Metaph. text. com. 53. et alibi sæpe, quod igitur prædicatur convertibiliter de Universali est Universale, quare Proprium Universale. Propter argumenta tamen distinguit de Proprio, primo-intentionaliter et secundo-intentionaliter sumpto. Primum a *proprietate* concretive dicitur. Secundum vero non habet abstractum, uno nomine nominatum, ut infra dicit, et primo modo, inquit, Proprium potest esse individui, sicut speciei : sicut in civilibus, mutata lege naturæ, hæc domus est propria Petri, hæc vero Joannis. Unde proprietarii dicuntur tales sicut usuarii Minores, ab usu simplici rerum, secluso dominio. in quo sequuntur legem naturæ, et Evangelicam perfectionem. Similiter illo modo dicitur risibilitas hominis proprietas, a qua forte transumptive dicitur *Proprium,* ut est intentio, ut prius de Differentia dictum est. Sic tamen homo et risibilitas, non in esse comparato, sed reali, considerantur, de quo statim magis dicetur. 7.

Consequenter respondet ad argumenta 8.

principalia. Ad primum dupliciter. Primo quod argumentum committit fallaciam Æquivocationis, quia procedit de proprio primo-intentionali, hic vero est sermo de secundo intentionali, quale est commune, licet dicatur transumptive Proprium. Secundo sustinendo argumentum non concludere de Proprio primo-intentionali, etiam recurrit ad compossibilitatem relativorum de eodem : respectu tamen diversorum, sicut supra tactum est de patre et filio, et Genere et Specie. Potest igitur Proprium comparari vel ad speciem, vel ad individuum, et hoc maxime loquendo de fundamento, vel subjecto hujus relativi *proprium*. Primo modo est proprium : secundo modo commune.

Proprium tripliciter potest considerari. Unde advertendum, quod sicut supra de Differentia dictum est, quod scilicet est triplex, utpote principium formale differendi sicut rationale, et relatio realis, et tertia quæ est relativum rationis et tertium Universale : ita hic imaginandum est de Proprio. Uno modo est passio realis emanans ex principiis subjecti, ut *risibile*, sive sit absolutum, sive respectivum. Secundo modo est relativum reale a *proprietate* dictum, sicut commune reale communitate. Tertio modo est intentio applicata illi fundamento sic egredienti, quod dicitur prædicatum convertibile in quale accidentale, et per consequens non ingrediens essentiam subjecti, etsi sub ejus opposito nequit intelligi. An autem hæc responsio possit applicari ad proprium, ut est intentio, habet consequenter investigari.

9. Ad secundum, patet solutio : nam præsupponit falsum, scilicet *proprietatem* esse abstractum *proprii*, ut hic accipitur. Sed contra hoc instat dupliciter. Primo ostensive juxta illud principium famosum (per quod tenet forma Syllogismi) : *Quæcumque* scilicet *uni et eidem sunt eadem*, etc. (Philosophi et Priorum, atque Elenchorum primus 7 Topic. et 4. Metaph. et arguit in tertia figura et potest regulari per *dici de omni*, ut patet. Communiter enim Doctor non observat rigorem logicum in arguendo, sed sufficit quod argumenta regulare possint. [illegible] enim propter transgressores facta est, similiter regulæ doctrinales propter errantes. Si quis igitur instaret quod argumentum non valet quia est ex puris indefinitis, esset puerilis instantia, cum non solum hic, sed alibi hoc accipit. Infertur igitur hanc esse veram, *Proprium est proprietas*, quia ex veris nil nisi verum. Quare proprietas non erit abstractum primo-intentionale, quia si sic, non prædicaretur vere de concreto secundo-intentionali, cujusmodi est proprium, ut in argumento accipitur, sicut enim secundæ intentiones de primis tantum concretive, ita et primæ de illis dici debent. Universaliter namque sub eo modo significandi quo accidens prædicari potest de subjecto et subjectum de accidente, et sub quo non, non. Unde sicut hæc est vera *Homo est albus*, ita e contra : licet in alietate modi prædicandi ; et sicut hæc falsa, *Humanitas est alba*, ita et e contra. Secunda instantia est inquisitiva, sicut supra de differentia in simili, habet. *Proprium est proprietas [illegible]*

10. Ad primum dicit, quod est evidens : et posset etiam reduci ad figuram dictionis, sicut supra sæpe habet, ut patet comparando hominem ad animal in actu signato et *exercito*. Similiter comparando hominem ad speciem et Socratem. Cum igitur dicitur quod *risibile* est proprietas, accipitur secundum esse quidditativum, vel materiale, dum vero additur in minori, risibile est proprium : accipitur secundum esse signatum, et ita variatur, et [illegible] [illegible] et hoc est quod [illegible] [illegible], etc.

[illegible] Ad secundum, clara est solutio ex dictis prius.

Ad tertium principale respondet dupliciter. [illegible]

inquantum species, quia sic habet Genus pro ejus correlativo,sed inquantum habens Proprium, sicut differentia refertur ad ipsam ut constitutam.

11. Et quia probationes videntur contra hoc, respondet per ordinem : et videtur breviter dicere ad primam, quod aliud est dicere *habens Proprium*, et dicere *subjectum Proprii*, et declarat juxta dicta supra de Universali in communi, in quo subjective est Proprium,dicens quod non in specie secundo-intentionaliter sumpta, nec etiam primo-intentionaliter, nisi multum remote : et ex hoc possunt alia loca declarari, utpote illud supra de Substantiis primis, et secundis ; et illud infra de albedine, vel albo Socrate, et accidente. Unde non sequitur, *Socrates est albus, album est accidens, ergo Socrates accidens* : sicut non sequitur, *Socrates est homo,homo est substantia secunda, ergo Socrates*.Sic hîc,*Risibile est Proprium, homo est risibile* ; *ergo*, etc. Nam in omnibus talibus variatur medium et acceptio ejus. Licet igitur in suppositione personali possit salvari quod Species est subjectum Proprii, accipiendo utrumque, ut supponunt pro fundamentis,non tamen accipiendo ipsa,ut *quid*, et pro significatis; bene tamen verum est, quod Species ut *quid*, non abjiciens tamen modum speciei, est subjectum Proprii, ut modus, id est,illius quod denominative dicitur proprium, quia nedum fundamenta, sed intentiones habent passiones,quibus applicatur Proprium ut modus, ut supra dictum est. Similiter ipsummet proprium est subjectum Proprii,et sic subjectum denominat suum accidens.Nam ista quinque Universalia, sunt quinque generales modi intelligendi,applicabiles omnibus, aliquo illorum quinque modorum prædicandi prædicabilium, sive sint res, sive intentiones. Ubi lector plura addere valebit, quia alias hæc tacta sunt, et ex dictis nota.

Species quomodo subjectum Proprii.

12. Ut igitur Species supponit pro fundamento, vel subjecto suo (nam plerumque accipimus fundamentum et subjectum pro eodem hîc) est habens Proprium,ut Proprium supponit pro subjecto, et sic potest salvari speciem habere Proprium, et esse quodammodo subjectum ejus, quia supponit pro subjecto subjecti illius, et est subjective in eo.Dato igitur quod non referatur Proprium ad risibile, refertur tamen ad Speciem ut habentem ipsum. Ubi notanter dicit *risibile* et non *risibilitas*, propter causam prius assignatam : quia scilicet applicari debent intentiones fundamentis, eo modo quo sunt prædicabilia proportionaliter eis, vel naturis earum, et non aliter.

Proprii subjectum dupliciter consideratur.

Ad aliam probationem respondet subtiliter, et videtur facere mixtum sermonem (ut alibi solet) ex primis et secundis intentionibus : nam cum dicit *Proprio prius est illud*, etc. habet maxime verificari in fundamentis, vel si in intentionibus, ut tamen supponunt pro illis. Subjectum igitur Proprii potest dupliciter considerari. Uno modo secundum se , alio modo ut habens Proprium ; sicut de Genere respectu Differentiæ posset distingui, vel secundum se, vel ut diviso considerato. Ubi applicabis verba Doctoris in actu *signato* in intentionibus ad fundamenta in actu *exercito* subtiliter.

Species quomodo prior et simul natura Proprio.

Vult enim dicere, quod quamvis subjectum primo-intentionaliter acceptum, ut homo verbi gratia, sit prior risibili, natura saltem, ut tamen induit modum speciei, et per consequens subjecti passionis et habentis passionem : et similiter risibile induit modum Proprii, et habiti a suo subjecto, non est prior ipso risibili,sed simul natura, quia quando hoc est habens illud et illud habitum ab isto : et sic appellat subjectum ipsam Speciem supponentem personaliter, ut prius, vel fundamentum sub Specie respectu fundamenti sub proprio. Qui vellet illa verba applicare ad Proprium, ut relativum primo-intentionale, faciliter diceret : sed tota difficultas est de ipso, ut est intentio, et sic est ad propositum solutionis, et argumenti. 13.

Ad quartum respondet, quod etsi fundamentum Proprii, ut est quartum Universale, sit in re aliquando ex natura rei, non tamen ipsa intentio. Et ostendit quod illa definitio, scilicet *accidere omni*, et *soli*, et

semper, (de qua in quæstione sequente) formaliter et in actu *signato* accepta, non verificaretur de aliquo, præter opus intellectus, ut patebit in quæstione sequente. Dato enim quod in re esset unio essentialis rerum, et communitas quædam radicalis, non tamen prædicatio actualis, nec Universale in actu quia intellectus est qui facit talia. Quod igitur assumitur de triangulo, non procedit.

14. De Tertio. Occurrunt quædam dubia circa dicta. Primo circa solutionem quæstionis. Videtur enim quod illa solutio non sit ad propositum, quia tantum verificatur de Proprio primo-intentionaliter accepto : nam ut est secunda intentio, de nullo demonstratur, ut patet ; nec est prædicatum convertibile respectu alicujus, imo accidentale et separabile, quia modi intelligendi separabiles sunt, ut supra quæst. 3. de Genere, dixi.

Item, ratio Universalis per se convenit cuilibet ejus Speciei, non igitur sermo esset hic de Proprio, ut est species Universalis, non ratione subjecti, sed ratione ipsius in se formaliter esset prædicabile de pluribus : aut igitur declaratio non est ad propositum vel ad intelligenda in fundamentis. Posset igitur difficultari, an solius Universalis sit demonstratio.

Item, videtur quod Proprium, ut est primæ intentionis, non opponitur communi, quia opposita debent esse ejusdem generis. Res igitur rei, et intentio intentioni opponitur, ut patet supra in simili, quæst. 4. Cum ergo commune sit secundo-intentionale, et Proprium primo-intentionale, non opponentur, quod est contra illam distinctionem in solutione quæstionis, et prima primi principalis.

15. Item, sicut de ratione Proprii est convenire uni soli Speciei, ita et omnibus contentis sub ipsa : quare non solum erit Proprium Speciei, sed etiam individuorum. Confirmatur, quia videtur essentialior comparatio ejus ad individua, ut est species Universalis, si capiatur secundo intentionaliter, quam ad Speciem. Ideo ponitur ly *omni* immediate post ly *accidit*, in definitione ejus. Illa igitur solutio secunda primi principalis, minus bene procedit.

Item, illa propositio in textu argumenti principali, scilicet quod *Nullum accidens refertur ad suum subjectum*, non videtur vera, imo contradictoria ejus est vera, quia omne accidens habet definiri per subjectum, quod non est propter aliud, nisi propter habitudinem ejus ad subjectum, ut habet infra quæst. [illegible] hujus cap. et quæst. de Denominativis, et super 7. Metaph. et in 4. Sententiarum, dist. 12, et alibi sæpe, et est intentio Philosophi expresse 7. Metaph. et alibi sæpe, supra etiam cap. de Genere, quæst. 2. pertractavi idem aliquantulum. Nec probationes illius propositionis currunt, nam quod infertur in prima, non est inconveniens. Et quod tangitur in secunda de simultate relativorum, non est universaliter necessarium, ut patet in relativis tertii modi, licet aliter satis bene responderetur ad illam recurrendo ad habere, ut tale.

Item, videtur quod inconvenienter dicat subjectum Proprii non esse Speciem, quia hæc est vera in secundis intentionibus *Proprium inest Speciei*, et non aliter quam ut subjecto, ut videtur. 16.

Item, posset difficultari an proprium primo-intentionaliter sit subjective in Specie similiter accepta sicut dicit Doctor, cum sint realiter idem, ut multi volunt.

Item, quando aliquid est per se cuicumque non [illegible] est tale : cum ergo subjectum secundum se sit prius proprio, ergo [illegible] erit etiam prius Proprio. Hoc posset confirmari ex dictis hujus [illegible] Sent. [illegible] quæst. 2. ubi dicit quod nullum [illegible] præcedit [illegible] actu [illegible] præcedit [illegible] quæst. [illegible] Primi [illegible] Contingentia voluntatis [illegible] et [illegible] ut [illegible].

Item, [illegible] quod datur [illegible]

norem unitate numerali, et 1. atque 7. Metaph. et alibi sæpe tangit idem : male igitur dicit in ultima solutione, quod nihil est commune, non existente intellectu.

17. Ad hæc respondetur. Ad primum (ut tetigi in exponendo litteram, et sæpe supra) quod ibi accipiuntur intentiones in actu *signato*, et declarantur in actu *exercito*, et fundamentis, tanquam in clarioribus, et ultimate consideratis.

Ad aliud per idem. Vel aliter quod talia sunt prædicata, qualia permittunt subjecta, ut habet Boetius de Trinitate. Supposita igitur Speciei per se, perseitate primi modi, sunt supposita Proprii perseitate secundi modi, sive loquendo in actu *signato* in intentionibus, sive *exercito* in fundamentis. Unde sicut ista est per se primo modo, *Species prædicatur de Differentibus numero*, ita ista, *Proprium accidit omni*, est in secundo modo, ut probabiliter teneo, et proportionaliter dicatur in fundamentis.

18. Dico igitur, quod Proprium, ut Proprium, non habet alia supposita, quam Speciei supposita proportionaliter capiendo utrumque, licet bene, ut species, habeat alia : et intelligo in secundis intentionibus supposita Speciei, non de quibus in actu *exercito* potest dici, sed de quibus tantum actu *signato* : hoc est, non hanc et illam speciem, sed hoc, et illud differens numero. Et cum dicitur, quod definitio Universalis per se convenit Proprio, hoc habet solvi in simili, infra de definitione accidentis. Unde dico breviter pro nunc, quod prædicari accidentaliter convertibiliter convenit proprio per se essentialiter, et similiter quod prædicari per se in secundo modo convenit ei per se in primo modo. Refert igitur multum in talibus locutionibus respicere ad perseitatem inhærentiæ, et inhærentis : et similiter dicendum est de ly *essentialiter*. Declaratio igitur Doctoris optima est, et salvari potest recte intelligenti. Hæc responsio evadit multas ambiguitates hîc, et subtilis est, quare eam ponderabit, et alte investigabit lector sollicitus.

19. Ad aliud de demonstratione, tetigi supra. Breviter dico quod in scientiis humanitus acquisitis, pro statu viæ, solius Universalis est demonstratio per proprium medium, imo generaliter in nulla scientia, singularis, inquantum talis, est demonstratio : etsi enim de essentia divina Theologus aliquid demonstrat, hoc est inquantum est natura, vel quidditas, et non inquantum singularis, pro quibus tamen altius videatur iste, super 7. Metaph. quæst. 13. et alibi. *Demonstratio est solius Universalis.*

Ad aliud dico, quod *commune* est duplex, primo-intentionale videlicet, et secundo-intentionale. Primo modo opponitur proprio primo-intentionali, et non secundo modo, maxime si tale sit proprium speciei, et ita argumentum non est contra Doctorem. *Commune duplex.*

Ad aliud potest responderi ex definitione Universalis passionis primo Posteriorum, ubi dicitur quod *inest omni, et per se, et secundum quod ipsum :* et videtur æquivalere definitioni Porphyrii hîc, et e contra. Loquendo ergo tam in intentionibus, quam in fundamentis, illa tria sunt per ordinem, ita quod posterius est essentialius posteriori, sicut in definitione naturæ 2. Physic. dicitur quod *est principium motus, et status ejus in quo est primo per se, et non secundum accidens*. Ubi tamen non tenetur uniformis ordo loquendi, etsi ad intellectum, et ordinem construendi sit similitudo,

Habitudo igitur proprii ad habens ipsum, essentialior, et specialior est, et secundum speciem ad ipsum refertur, ut optime dicit Doctor in littera. Licet igitur habitudine secundum Genus essentialius respiciat ea, de quibus secundario dicitur, non tamen habitudine secundum Speciem. 20.

Nec obstat quod ly *omni* ponatur primo loco, quia hoc arguit potius oppositum, sicut in exemplis prædictis patet. Priores enim differentiæ in definitionibus sunt minus essentiales, id est, essentiam definiti adæquate exprimentes, quam ultimæ, vel posteriores : et ita ly *soli*, et *semper*, specificant ly *omni*, sicut *per se*, et *secundum quod ipsum* in illa. Aristoteles ergo recte

dicit, quod est commune, et Universale respectu individuorum, proprium autem respectu speciei. Et si dicatur, quod respectus ad quodcumque non tollit essentiale; sed quodcumque igitur comparabitur erit Universale. Concedo quod semper est Universale et respectu ad Speciem hoc non tollit, sed ad hoc aliud addit.

21. Vel dic, ut prius, recurrendo ad supposita Speciei, quæ secundario sunt proprii, et ita potest dici quod Proprium est proprium Speciei in ordine ad rationem inhærentiæ, vel inessendi : nam ratio Speciei, et non Individui est adæquata ratio talis consecutionis. Sed potest dici commune, vel Universale respectu ejus, inquantum includitur, et particulariter, et supponit pro pluribus. Non enim prædicatur risibile de Socrate et Platone, inquantum tales, sed inquantum homines, et similiter in secundis intentionibus declarat, suo modo.

Ad aliud dico, quod etsi accidens omne habeat ordinem, seu relationem dependentiæ, seu inhærentiæ, saltem aptitudinalis, ad suum subjectum, non tamen propter hoc esse essentiale ejus est ad aliud se habere : et ita non est formaliter ad aliud, et de tali, (formaliter scilicet, et non materialiter, seu secundum dici, relato) loquitur Doctor in littera. Modo Proprium cum sit formaliter respectivum rationis, non solum habet referri ad subjectum, sed ad formale essentiale relativum, aut secundum genus, aut secundum speciem, aut utroque modo : et sic procedit prima probatio argumenti bene.

22. Secunda potest satis bene evadi, ut in littera patet; licet enim homo sit prius specie, ut est intentio, non tamen homo in esse comparato, et speciem habens, ut accidens, non tamen sunt formaliter relativa. Ubi attende quod alius est modus habendi correlativorum, et alius formæ a subjecto, et ita species est habens proprium, ut correlativum alterum habet, non tamen ut subjectum formam inhærentem, nisi connotative, sed sic risibile, vel hujusmodi, proprium habet et ita caute intellige Doctorem.

Ad aliud patet ex dictis, quod ibi actus signatus notificatur in primis; hic enim proprium prædicatur de Specie, vel ratio Speciei, est secundi modi in actu signato exercenda, vel primis proportionaliter. Qualiter autem accipitur, infra q. 2. de Accidente, optime habet. Supponit igitur species in tali locutione pro subjecto subjecti ipsius proprii, ut prius dixi.

Ad aliud dico, quod loquitur Doctor in his Logicalibus factum de Proprio, et subjecto, quoad considerationes reales, et ideo potius tenet distinctionem realem eorum, quam identitatem, ut patet. Posito tamen quod sint idem realiter in fundamentis, tunc non proprie diceretur proprium inhærere, licet bene inesse; nec proprie, sed extensive potest dici esse in, sicut potentiæ animæ dicuntur esse in essentia animæ, cui tamen sunt realiter idem, ut in 2. dist. 2. habet iste. 23.

Ad aliud dico, quod aliud est loqui de subjecto absolute sumpto, et aliud sub respectu habentis accepto. Primo modo concedo quod est prius, secundo modo non, ut dicit Doctor; et hoc reduplicative tenendo ly *inquantum*; secus si permissive, seu specificative teneretur, de quo habet videri infra, quæst. 2. de Accidente, solvendo principalia. Et cum allegatur Doctor in 2. et 1. dico quod accipit ibi absolutum causæ, et non fundamentum sub respectu reduplicative. Ubi etiam attendendum quod aliud est loqui in talibus de relativis duorum primorum modorum, et aliud de relativis tertii modi.

Ad ultimum dico, quod loquitur hic de communi, seu Universali complete, aut saltem in potentia propinqua. Ubi vero allegatur, loquitur de communi, seu Universali incompleto, et in potentia remota, quorum declarationem lege prius supra, et alibi. Lector curiosus addat si oportuerit.

Et quod soli accidit et omni et semper, quemadmodum homini esse risibile. etc. Cap. eod.

QUÆSTIO XXXI

Utrum definitio Proprii quarto modo (*scilicet* quod accidit omni, soli, et semper) *sit convenienter data*

Joannes Angl. Bras. *et* Rodrigues, *super hanc quæstionem.* Vide citatos *quæst. antecedenti.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; quia non ponitur ibi genus Proprii, quod est Universale, nec ratio ejus loco sui.

Item, ista ratio competit Differentiæ ultimæ, et completivæ Speciei; quia illa convertitur cum definito, per Aristotelem 7. Metaph. cont. 43. ergo, etc.

Item, proprietas sic convenienter definitur; non ergo Proprium, nisi per accidens.

Item, Accidens est distincta Species a Proprio; ergo inconvenienter ponitur in ejus definitione.

Item, datur per copulationem; ergo est increpanda, per Aristotelem 6. Topic. Item definitum cum sit intentio, potest esse univocum in omni genere, sed accidens non est univocum; quia tunc tantum essent duo generalissima, substantia scilicet, et accidens.

Ad oppositum est Porphyrius.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dicendum, quod ista definitio est convenienter data; quia per primam particulam, scilicet *accidit*, habetur ratio prædicati, et modus prædicandi, scilicet in quale accidentale, per *omni et soli et semper*, habetur convertibiliter, et per has differentias descendit Universale in Proprium, ut patet in divisione Universalis. Est etiam hæc ratio eadem illi, quæ ponitur ab Aristotele 1. Top. cap. 4. *Proprium est prædicatum non prædicans essentia convertibiliter.*

Accidens æquivocum. Sciendum est autem, quod *accidens* æquivoce est nomen primæ intentionis, et secundæ. Primo enim modo significat naturam extra animam, secundum quod Aristoteles 5. Metaph. cont. 13. et inde, dividit ens in substantiam, et accidens. Secundo modo adhuc est æquivocum, uno enim modo, idem est quod prædicatum non essentiale, et sic est idem quod *esse in*, secundum quod, *esse in*, distinguitur contra, *dici de* : in principio Prædicamentorum, quia quod dicitur *de*, est prædicatum essentiale, quod est *in* non est essentiale. Alio modo est intentio quædam sumpta a proprietate in re, sub quo et ejus opposito, intelligi potest illud cujus est accidens sine repugnantia. De accidente primo modo non loquitur Logicus, nisi per accidens. Secundo modo, ponitur in definitione Proprii. Tertio modo, est unum Universale distinctum contra alia quatuor.

3. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum patet. Per *accidit* enim intelligitur prædicari per *omni*, de pluribus sub Specie contentis, illa enim particula, in hoc quod est *una*, ex qua habetur convertibilitas ejus cum Specie, dicit universalitatem ejus ad omnia, quibus inest Species, cujus est Proprium.

Ad secundum patet, quod Differentiis non accidit, quia prædicant essentiam, licet non per modum essentiæ.

Ad tertium dico, quod proprietas, ut est nomen primæ intentionis, non sic convenienter definitur, sunt enim quæ definiuntur secundum intellectum ; ergo ibi sumuntur intentiones, quæ non definiunt rem primæ intentionis; quia sunt naturaliter posteriores ea. Si vero sit nomen secundæ intentionis, significans idem quod *intentio proprii*, illa non convenienter definitur sic, quia illa significatur, sub modo opposito ei, quo sibi convenit accidere omni.

Ad quartum patet : quia procedit de accidente tertio modo dicto.

Ad quintum dico, quod per omnia illa copulata, *omni*, *et soli*, *et semper*, debet intelligi unum circumloqutum, scilicet *convertibiliter*, et non est inconveniens ponere copulationem, ad circumloquendum aliquid in definitione.

Ad sextum patet, quia procedit de accidente primo modo.

EXPOSITIO

4. Quærit de definitione Proprii quarto modo, de quo est intentio hic, et specificat quartum modum, eo quod Porphyrius describit quodammodo ipsum aliis tribus modis sumptum, sicut de Differentia suo modo habetur supra. Nam Proprium secundo-intentionaliter sumptum, illis tribus modis dictis, potest dici accidens, saltem ut modus, sed an sic de Proprio quarto modo, patebit infra, et specificat ipsam definitionem in littera, quæ, ut dixi quæstione præcunte, potest reduci ad illam Primi Posteriorum, ut patet speculanti.

De Primo. Satis noti sunt termini ex dictis prius, quid videlicet *definitio*, et quoties *accipitur*. Quid etiam *proprium quarto modo*, patet, sive accipiatur primo-intentionaliter, sive secundo-intentionaliter, et magis quæstione sequente elucescet. Et in hac quæstione, quid *accidere*, et quoties sumitur, patet in solutione hujus quæstionis, et infra, cap. de Accidente, quæst. 1. et 2. et quæstione sequente. Illæ aliæ particulæ *omni et soli et semper*, satis notæ sunt. Per primum denotatur adæquatio extensiva continentiæ, vel prædicationis, atque generalis habitudo. Per secundum specificatio rationis inessendi, et præcisa, atque specialis habitudo, et adæquatio (ut ita loquar) intensiva. Per tertium adæquatio extensiva durationis, et ex omnibus simul, ut dicit Doctor, convertibilitas. Denotatur enim inseparabilitas Proprii, atque ejus convertibilitas respectu sui subjecti per illa tria, et hoc secundum esse materiale, et secundum esse quidditativum ejus in fundamento correspondente, et correspondenter in intentionibus signandis. Ponuntur etiam illa tria [illegible] implicite importantia sua determinabilia, scilicet supposita, vel rationem [illegible] naturam, vel rationem formalem ejus, et tempus. Unde 1. Posteriorum dicit Philosophus quod demonstratio omnis est ex his quæ sunt universaliter, tam ex parte temporis, quam suppositorum. Quæ omnia intelligi debent, tam de primis, quam de secundis intentionibus proportionabiliter loquendo.

De secundo, arguit per rationes partem negativam. 1.

Prima ratio procedit per illam. Bona definitio [illegible], non debet dari per Genus et Differentiam 6. Topic. aut saltem per rationem Generis loco ipsius ; hic vero non ponitur nec genus Proprii, nec ratio ejus, quæ est *prædicari de pluribus*, qua utitur Porphyrius in definitionibus aliorum, ut patet supra.

Secunda ratio procedit per [illegible] alterius conditionis bonæ definitionis, ut prius notavi, quia scilicet convertitur [illegible] a definito, quod non debet. Allegat Philosophum 7. Metaph. text. com. [illegible] tamen declaravi illud dictum Philosophi.

Tertia ratio procedit eodem modo, et hoc si proprietas accipiatur primo-intentionaliter, ut videtur ipsam accipere, vel si secundo-intentionaliter in esse, alias definitio abstracti non convenit concreto, sed e contra, nisi per accidens, propter diversitatem modorum significandi. Sed primum videtur magis ad propositum. Unde dicit, ergo proprium [illegible], quasi dicat, quod sicut definitio [illegible], et e contra. Ita definitio, proportionabiliter loquendo [illegible] est primo [illegible] Proprii, ad [illegible].

Quarta ratio impugnat [illegible] particulam positam in definitione, quia est [illegible] definiti. 2.

Quinta ratio [illegible]

nitionis hujus, dari scilicet per copulationem contra doctrinam Philosophi 6. Topicor. cap. 13.

Sexta ratio ostendit excessum definiti respectu definientium, quod non convenit in bona definitione, sed e contra potius, quia quælibet pars definitionis est in plus, etc. 2. Poster. text. com. 17. et maxime hoc verum est de parte prima, quæ ponitur loco Generis, et universaliter nullam excedit definitum. Cum igitur Proprium, sicut et aliæ intentiones, reperiatur univoce in omnibus novem Generibus, accidens vero non, quia tunc tantum essent duo generalissima, inquit, videlicet Substantia, et Accidens : incongrue ergo ponitur accidens in definitione Proprii, quia si pro uno significatorum, tunc proprium excedit, si ut communis omnibus, illa est communitas solius vocis : æquivocum autem, inquantum tale, non definit.

Ad oppositum adducit Porphyrium in littera.

7. Deinde respondet ad quæsitum, tenendo partem affirmativam, quam exprimendo, declarandoque, dicit quod per ly *accidit* in hac definitione primo loco positum, implicite habetur ratio prædicati, et modus prædicandi. Nam logice loquendo, ut infra, quæst. 2. de Accidente, patet. Hæc verba *inesse*, vel *adesse*, vel *accidere*, important rationem prædicati, non præcise, sed contracte, ita quod æquivalet dicere, *Proprium accidit*, et dicere, *Proprium est prædicatum in quale accidentale*. Nam quod prædicatur in *quid*, non accidit ; similiter quod prædicatur in *quale essentiale*, non accidit : eo ergo quod dicitur *accidit*, habetur quod in *quale accidentale* dicitur. Per alia vero tria quæ sequuntur, scilicet *omni*, et *soli*, et *semper*, habetur convertibilitas, vel convertibile : et ita intellectus definitionis est, quod Proprium prædicatur de pluribus in *quale accidentale convertibiliter* : et posset addi *differentibus specie*, vel *numero*, ut prius de Differentia dictum est, nisi forte quod solius Speciei specialissimæ intelligitur esse definitio, et proprium, ut supra, cap. de Genere, quæst. 4. tetigi. Et remittit se ad divisionem, et subdivisionem Universalis in textu, cap. de Genere, vel potius prædicabilis, et supra sæpe habetur : et addit quod hæc definitio coincidit cum definitione Philosophi 1. Topic. c. 4. et nimirum, quia omnia fere quæ dicit Porphyrius, accepit hinc inde ex dictis Aristotelis.

Propter argumenta tamen solvenda, adducit pulchram distinctionem de accidente, 8.
quæ clarius, seu diffusius, habetur infra, cap. de Accidente, quæst. 1. et potest reduci ad bimembrem sic : Accidens aliud intentionale, aliud reale. Primum duplex, etc. ut patet in littera. Allegat Philosophum 5. Metaphysicæ, pro accidente reali, text. com. 13. et inde, implicite saltem, et tangit illa intentionalia consequenter, scilicet *esse in*, et *dici de :* de quibus supra, quæst. 4. et infra, quæst. 2. de Accidente, et cap. de Substantia. Dicit igitur quod Accidens, quod distinguitur contra substantiam, pertinet ad considerationem Metaphysici, et non Logici, nisi per accidens. Secundo modo ponitur in definitione Proprii, tanquam Genus, vel Differentia generica communis duobus ultimis Universalibus, seu univoce, seu analogice. Sed tertio modo est quintum Universale. Et hæc multiplicitas, et cognitio ejus, evadit plures difficultates in his quæstionibus, ut patet. Consequenter respondet ad argumenta principalia.

Ad primum, per interemptionem assumpti : et declarat qualiter ibi implicite, et æquivalenter, ponitur genus Proprii vel ratio generis loco ipsius, et totum prius dixi. Ubi adverte in littera ad unam parenthesin ibi (*In hoc quod est una*, etc.) usque ibi, exclusive (*dici universalitatem* etc.)

Ad secundum, similiter interimendo assumptum, licet enim differentia ultima convertatur cum definito, et hoc intelligendo sane, ut prius sæpius notavi, non tamen prædicatur accidentaliter : quare hæc definitio non convenit ei complete, sed tantum partialiter. Ubi tangit modum præ-

dicendi differentiæ, ut supra sæpe habetur.

Ad tertium, eodem modo negando assumptum. Ubi, distinguendo de proprietate, dicit quod neutro modo definitur hac definitione. Nam ea quæ ponuntur in hac definitione, sunt entia rationis, seu intentiones secundæ, ut dicit Doctor, *tantum definiunt secundum intellectum*, hoc est, ens rationis, vel fabricatum per intellectum, et non ens reale, quia definientia præcedunt naturaliter definitum : intentiones autem sequuntur naturaliter res primæ intentionis.

9. *Abstractum non recte dicitur accidere.* Dato etiam per casum, quod proprietas est abstractum, ut est sermo de ea, non definitur convenienter hac definitione, quia Logicus definit intentiones, ut actu applicabiles rebus, sed abstracta, ut talia, non sic possunt applicari : quare non recte potest dici, quod proprietas accidit, quia abstrahit ab accidere, licet forte in potentia accidit, vel identice, non tamen formaliter, sicut album accidit, non tamen albedo proprie, logice loquendo. Universaliter enim definitiones in actu *signato* debent dari de secundis intentionibus, eo modo quo in actu *exercito* possunt verificari in fundamentis, ut prius notavi, et infra magis pertractabitur. Intelligit ergo Doctor ibi per modum oppositum ei, cui convenit accidere actu, modum significandi abstracti, qui opponitur modo concreti, ut patet.

Ad quartum, inquit, ex distinctione prædicta accidentis, quomodo accipitur *accidit* in hac definitione : negatur igitur assumptum.

Ad quintum, quod licet inconveniens sit definire per copulationem, denotando distinctas partes definitionis copulari, non tamen circumlocutive, ubi differentiis non est nomen determinatum impositum, ut supra notavi : sic fit in proposito, ut declarat.

Ad ultimum, patet ex æquivocatione accidentis : nam procedit de ipso primo modo accepto, ut patet.

10. De Tertio. Licet prædicta satis clara sint, aliqua tamen paucis tangam, et primo circa solutionem quæstionis. Videtur enim quod per ly *accidit*, non habetur ratio prædicati cum ponatur pro differentia hic ; per differentiam autem non habetur ratio generis, aliter sufficeret sola differentia in definitione.

Item contra distinctionem illam de accidente secundo intentionaliter accepto, quantum ad primum membrum, cum dicit quod est idem quod *esse in*, etc. videtur [illegible] supra, quæst. 4 in solutione secundi principalis, ubi dixi quod *esse in* convenit accidentibus realibus, *dixi vero de* convenit accidentibus secundo intentionalibus : quare *esse in* non convenit Proprio, ut hic est sermo de eo. Posset ita ponderari qualiter sub opposito accidentis, maxime inseparabilis, possit intelligi illud cujus est, *sine repugnantia* : quia tunc ignis sub frigiditate, et sic de aliis, quod videtur inconveniens. Posset etiam ponderari qualiter per accidens considerat Logicus accidens reale, cum tamen sit fundamentum per se consideratorum ab ipso.

Item, accidentia conferunt ad cognoscendum *quod quid est* primo de Anima, quare non solum per priora, sed etiam per posteriora dari potest definitio, quod est contra primam partem solutionis tertii principalis. 11.

Item cum definitio sit indicativa essentiæ rei, eadem autem essentia significatur per concretum, et abstractum, igitur eadem definitio utriusque, quod est contra secundam partem ejusdem solutionis. Confirmatur ex dictis supra, quæst. 7 ad 4um, ubi dicit quod [illegible] intentio, inquantum [illegible] inquantum applicabilis rei, ubi videtur velle quod in abstracto est applicabilis rei, similiter dicendum est de proprietate.

Item, videtur hic concedere quod in quæstione præcedenti negavit : proprietatem scilicet esse abstractum Proprii, ut est intentio.

Item, in quinto argumento videtur [illegible]

ferre tanquam inconveniens illud quod est necessarium plerumque, disparatum scilicet definiri per aliud, ut patet de Genere et Specie, et sic de aliis.

Item, posset dubitari, quare prohibetur definire per copulationem, cum tamen definitio detur aliquando per distincta realiter, inter quæ licet ponere copulationem.

Item, videtur quod illud illatum in ultimo principali, scilicet si accidens esset univocum, quod tunc essent tantum duo generalissima, non sequatur. Nam antecedens a multis ponitur, et consequens minime.

12. Ad ista respondetur. Ad primum, quod juxta sententiam Philosophi 7. Metaph. text. comm. 16. idem nomen potest plura importare, ut exemplificat de hoc nomine *Ilion* vel *Ilias*. Ita dico hîc, quod hoc nomen, vel dictio, *accidit*, non solum importat Differentiam, sed etiam Genus, ut notavi, et cum dicis quod tunc sufficeret ponere differentiam, in definitione, negatur. Unde refert dicere, *Proprium accidit* et dicere, *Proprium in quale* vel *Proprium convertibiliter*. Cujus causa est, quia verbum quodcumque, et maxime secundo-intentionale, videtur in se continere rationem prædicati, quod non contingit in aliis terminis.

Ad aliud, notavi satis supra, quæst. 4. hoc dubium : sicut enim ex parte fundamentorum aliquando dicuntur essentialiter et *in quid*, et *in quale essentiale*, aliquando vero accidentaliter, et *in quale accidentale*, ita proportionabiliter attribuuntur ista intentionibus, ut sæpe notavi. Potest ergo poni æquivocatio hujus quod est *esse in* vel potest dici quod convenit accidentibus realibus in esse cognito consideratis et ita in actu *signato* attribuitur secundis intentionibus in actu *exercito* primis vel secundis ad modum primarum sumptis. Non negavit ergo universaliter ab intentionibus *esse in* supra quæst. 4 sed specialiter ab istis, de quibus loquitur, et hoc in ordine ad fundamenta : licet alio respectu possent dici *esse in*, sicut omne accidens habet *esse in*.

Ad aliud, patebit in sequentibus, et maxime quæst. 2. de Accidente. 13.

Ad aliud, notavi supra, et infra in quæst. Antepraedicamentorum, potest accipi ibi *per accidens* scilicet secundario, vel *per accidens*, scilicet per aliud, vel ratione alterius, vel *per accidens*, ut opponitur perseitati primi modi, quia habitudo respectus ad fundamentum convenit ei in secundo modo, ad terminum vero in primo modo : et ita tale fundamentum per accidens consideratur a considerante respectum. Potest etiam tale fundamentum considerari vel in esse reali, vel in esse cognito et sic diversimode diceretur considerari a Logico.

Ad aliud, tactum est prius : et breviter dico, quod loquitur de formaliter et quidditative definientibus. Modo licet accidentia rei conferant ad investigandum *quod quid est*, non tamen ad formaliter definiendum, sed potius e contra.

Ad aliud, dixi supra, quæst. 1. et 3. de Genere. Aliud est enim Logice, aliud Metaphysice definire intentiones : eadem etiam essentia diversimode significatur, et et ita diversimode potest definiri. Definiuntur a Logico intentiones ut modi intelligendi sunt, et ita in concreto, et ex concretis : a Metaphysico autem ut *quid*. Ad confirmationem, tactum est supra, ubi allegatur. Et breviter potest dici, quod Doctor capit intentionem ibi, non pro abstracto, sed famose loquendo, eo modo quo dicitur, quod Genus est intentio. Vel aliter, quod intentio etiam in abstracto est applicabilis, sed si actu, ut notanter dicit Doctor in littera : sicut dicitur quod albedo est applicabilis lapidi, et sic de aliis. 14.

Ad aliud dico, quod non concedit illud, sed ponendo quod sic, inquirit an argumenmentum cogat, sicut ponendo vacuum, inquiritur an in eo esset motus.

Ad aliud dico, quod illud est inconveniens, ut in proposito ponitur, scilicet tanquam Genus, vel pars essentialis definitionis, et ita instantia de Genere, et Specie

non procedit, quia per additamentum unum definitur per reliquum.

15. Ad aliud, licet Philosophus, ubi allegatur, loquatur de conjunctione disjunctiva, ut patet in exemplis suis de bono, et ente ita quod intentio est sua, quod non bene datur definitio, quæ sub disjunctione refertur ad diversa, ut si definiatur bonum per hoc quod est esse delectabile visui, vel auditui ; aut ens, per hoc quod est agere, aut pati : quia tunc, inquit, contingeret bonum esse non bonum et ens non ens, etc. tamen sustinendo dictum Philosophi universaliter, ut allegatur, non solum respectu conjunctionis disjunctivæ sed etiam copulativæ potest dici, quod ratio illius est eo quod una pars definitionis est modificativa, determinativa, et qualificativa alterius. Unde sicut non bene diceretur, quod Socrates esset homo, et albus, sed tantum homo albus : ita nec quod homo est animal, et rationale : non obstante etiam quod rationale in casu distingueretur realiter ab animali si accipiantur a diversis formis realiter distinctis. Vel aliter, quod ratio illius est, ut denotetur quod definitio dicit conceptum simplicem et exprimit essentiam unam, et quod pertinet ad primum actum intellectus, et quod propositio in qua enunciatur de definito, sit propositio una, et per se ica. Plura addat ingeniosus lector.

16. Ad ultimum dico, quod illud bene sequeretur Logice loquendo, ut hic loquitur Doctor, licet non Metaphysice, de quo habet videri infra, quæst. 4. Anteprædicamentorum : et sic salvari potest controversia, sed adhuc contra dicta quis objicere posset, tamen quia non videtur accidens secundo-intentionaliter sumptum, seu *in quale accidentale*, esse univocum, sive commune, Proprio et Accidenti : quia tunc ponerentur tantum quatuor Universalia. Nam sicut Differentia in communi ponitur Universale, cui scilicet convenit prædicari *in quale essentiale*, ita tale accidens. Si autem dicas quod æquivoce convenit Proprio, et Accidenti, tunc non definitur, nec erit hoc genus, cujus oppositum videtur, ut [illegible],

et infra, quæst. 1. de Accidente. Tum etiam quia si Proprium definitur, habebit proprium, quia propria passio [illegible] ex principiis definientibus, et [illegible] formali; et similiter illud proprium habebit aliud, et sic procedetur in infinitum in medio demonstrationis, quod est impossibile et contra Aristotelem 1. Posteriorum, et alibi sæpe.

Ad primum istorum, dico prius diversos modos dicendi in his divisionibus, et additionibus Universalis. Potest uno modo teneri [illegible] ad hæc duo Universalia, et cum infertur quod tunc tantum quatuor Universalia, hoc potest negari, quia numerus Universalium assignatur, vel secundum Species specialissimas, vel saltem subalternas propinquas specialissimis, [illegible] et hoc tantum generice nuncupatas. Si vero teneatur æquivoce, vel analogice, dicendum est consequenter, quod non definit [illegible] æquivocum, sed ut est [illegible] remote significans differentiam [illegible] Proprii et Accidentis [illegible] per immediate addita, et sic est nomen generale contractum per specialia, vel differentia communis, [illegible] secundum aliam viam ; et sic se tenet ex parte generis, vel potentiæ, ut prius dixi in simili. 17.

Ad aliud, [illegible] Proprium habere proprium, sicut prius de differentia et genere dixi in simili ; et tunc [illegible] de Universali [illegible]. Sed forte illa pr[illegible] quod omne [illegible] definitionem habet [illegible] Philosophus 2. Poster. [illegible] non curo modo disputare. Et [illegible] quod illud proprium proprii [illegible] proprium. [illegible] proprium, quod non [illegible] sicut de propriis passionibus [illegible] dicimus. Licet igitur proprium [illegible] 18.

quid, species tamen ut *modus* habeat proprium, non inquantum proprium sed in quantum species, caste loquendo, Proprium tamen ut *modus* non habet proprium, nec in fundamentis, nec in intentionibus.

Nam etsi non rideat semper, tamen risibilis homo dicitur, non quod jam rideat, sed quod aptus natus sit ad ridendum; hoc autem ei semper naturale est.

QUÆSTIO XXXII

Utrum Proprium sit distinctum Universale ab Accidenti

Vide citatos *quæst.* 30.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; quia Proprium vel est substantia, vel accidens; non substantia quia omnis substantia est essentialiter eadem alii, vel essentialiter diversa; Proprium non est substantia essentialiter diversa à Specie, quia tunc impossibiliter prædicaretur de Specie; nec essentialiter eadem, quia tunc poneretur in definitione Speciei, cum definitio totam exprimat essentiam definiti; non autem ponitur, quia potest demonstrari de Specie per ejus definitionem.

Item, omne quod est in composito, præter materiam, et formam, est ejus accidens; quia hæc sola substantiam rei constituunt, Proprium est in composito præter hæc; ergo, etc.

Item, omne resultans ex compositione formæ cum materia, est accidens. Proprium est hujusmodi; ergo, etc.

Item, e converso, quod omne accidens sit Proprium, probatur. Omne accidens definitur per subjectum per Aristotelem 7. Metaph. cont. 4. 17. et 19. ergo enunciatur per se, secundo modo de illo subjecto, per quod definitur; quia hæc est ratio secundi modi per se, quando in ratione prædicati ponitur subjectum: ergo illud accidens de illo subjecto potest demonstrari; quia sic sunt omnes conclusiones demonstrationis per se; ergo illud est Proprium respectu subjecti.

Item, sumpto aliquo accidente, quæro de illo, aut inest huic subjecto per se, et erit Proprium; aut non, sed per accidens, per hoc quod inest alii; aut igitur illi inest per se, et sic est Proprium; vel si semper per accidens, procedetur in infinitum in subjectis. Item, ad principale, Proprium definitur per *accidit*; ergo non differunt essentialiter.

Item, accidens dividitur per *separabile, et inseparabile.* Proprium videtur esse accidens inseparabile. Ad oppositum est Porphyrius, et Aristoteles 1. Top. cap. 3. ponens Proprium, et Accidens duo distincta prædicata.

Ad quæstionem dicendum, quod sunt distincta Universalia; quia accidentium quædam sunt ab intrinseco, et hoc vel ratione materiæ, ut quantitas; vel qualitatum activarum, sicut qualitates sensibiles posteriores: quædam ab extrinseco, et hoc dupliciter, vel manent amoto illo extrinseco, ut nigredo ab æstu, vel non manent, ut calor, vel figura aquæ, quæ sibi derelicta redibit ad propriam naturam: nullum istorum est Proprium; quia nullum istorum convertitur. Est enim defectus in aliqua trium particularum requisitarum ad convertibilitatem, vel in omnibus. 2. *Conclusio Accidentium quædam ab intrinseco quædam ab extrinseco*

Est præter hæc, accidens, quod inest Speciei ratione formæ, ita quod forma Speciei est ejus per se, et immediata causa: posita autem causa necessaria, et præcisa, et immediata, ponitur et effectus, et amota amovetur: ideo omni habenti formam Speciei, inest tale accidens, et semper: et non habenti

formam Speciei, non inest tale; ergo est simpliciter convertibile cum Specie, et potest per definitionem de ea demonstrari. *Proprium* igitur, ut hic sumitur, est intentio applicabilis tantum accidentibus ultimis, sed Accidens, ut est quintum Universale, applicatur tantum aliis prius enumeratis, quæ dicuntur accidentia communia, vel quia communiter insunt subjecto et aliis; vel communiter, idest, indifferenter insunt, et non insunt, sive sic, sive sic, non sunt convertibilia. Sic igitur patet differentia istarum intentionum per se, ex definitionibus earum; quia Proprium est prædicatum, non essentiale conversim. Et ideo sub ejus opposito non potest intelligi illud, cujus est, sine repugnantia, quia intelligeretur immediata per se causa, et necessaria sub opposito sui effectus primi, sed *Accidens est quod adest et abest, vel quod contingit eidem inesse, et non inesse* ut dicitur 1. Topic. c. de Accidente, id est, sub quo, et ejus opposito, potest intelligi illud, cujus est, sine repugnantia, quod dicit Porphyrius de Accidente inseparabili, de quo minus videtur quomodo abest, vel adest, quia subjectum potest intelligi sub opposito, dicens: *potest enim corvus intelligi albus, et Æthiops nitens candore.*

3. *Ad primum principale.* Ad primum argumentum dicitur, quod procedit de accidente, ut est res primæ intentionis, similiter secundum, et tertium.

Contra: tunc omne Proprium est accidens isto modo; quia cum nullum Proprium sit substantia, videtur quod omne sit accidens; quod non videtur verum; quia accidens primæ intentionis, vel est concretum, vel abstractum. Si abstractum, non prædicatur vere de secunda intentione; quia nec per se primo modo. Si concretum, contra, res primæ intentionis non denominant rem secundæ intentionis.

Ad hoc dicitur, quod *accidens*, ut est nomen primæ intentionis, est æquivocum ad novem Genera. In hac enim, *Omne proprium est accidens*, tantum potest accipi pro accidente unius generis, et nullum istorum universaliter inest Proprio; quia *Proprium*, cum sit univocum ad Proprium in hoc genere, et in illo, pro omnibus distribuitur, et *Accidens* stat tantum pro accidente unius generis; significatur ergo, quod omne Proprium cujuscumque generis sit accidens, accipiendo *accidens* pro uno significato: tamen hæc est vera, *Omne Proprium in hoc genere est accidens*, accipiendo prædicatum pro uno significato, et est hæc prædicatio reducibilis ad denominativa, sicut universaliter quando subjectum prædicatur de accidente; quia *Proprium*, ut est intentio, est accidens intentionale applicabile ei, quod prædicatur de ipso pro aliquo inferiori, sicut *album est animal*, si album insit alicui animali.

Vel potest dici, quod prædicatio denominativa, univoca et æquivoca dividunt prædicationem secundum se, quando subjicitur, quod natum est subjici, et prædicatur quod natum est prædicari, cujusmodi prædicatio non est, quando concretum subjicitur respectu sui subjecti, etc.

Contra, hoc Accidens dicitur intentionale, et reale, et accidens intentionale prædicatur de omnibus istis quinque per se.

Potest dici, quod ista, *Proprium est accidens*, non est vera, accipiendo accidens, ut est quintum Universale, et patet in solutione quæstionis: nec ut est res primæ intentionis, nisi prædicatione per accidens, in uno sensu æquivocationis, et hoc, sumpto Proprio particulari-

ter, ut dictum est in ultima responsione. Est autem universaliter vera, sumendo *accidens* pro accidente intentionali, scilicet pro accidente, quod est idem quod prædicatum non prædicans essentiam; sed universaliter falsa est hæc, *Proprium est accidens*, ut hîc est sermo de Accidente, quod est quintum Universale.

Ad quartum. Ad quartum dicitur, quod accidens determinans sibi subjectum, definitur per subjectum, quod accidens vocatur. 7. Metaph. context. 17. et 19. accidens copulatum, ut *simum* respectu nasi, non quodlibet autem accidens est tale, ut *album*, vel alia accidentia communia.

5. Contra, in 7. Metaph. cont. 4. probat Aristoteles quod substantia præcedit omne accidens, definitione, *necesse est enim in uniuscujusque ratione, substantiæ rationem esse*, quod non videtur intelligi tantum de copulatis; quia tunc non ostenderet ordinem substantiæ secundum se, ad accidens secundum se, quod tamen ibi intendit, ut patet ex eo, quod concludit postea, quod sufficit determinare de sola substantia, ad determinandum de ente, ut dividitur in x. Prædicamenta. cont. 5.

Item, uniuscujusque sicut est *quod quid est*, sic est definitio; ergo si aliquod accidens habet definitionem absolutam sine subjecto, habet *quod quid est* absolutum; igitur est ens absolutum; ergo est substantia, quod est inconveniens.

Ideo dicendum, quod omne accidens reale, definitur per subjectum; quia est ens per illud, non tamen quodlibet prædicatur secundo modo per se de illo subjecto, eo quod subjectum ponitur in ejus definitione, sicut in definitione simi ponitur nasus, non tamen hæc est per se, *nasus est simus*, quia nec vera universaliter, sed sufficit ad hoc, quod subjectum ponatur in definitione accidentis, quod illud accidens non possit reperiri nisi in illo tali subjecto. Plus autem requiritur ad prædicationem per se, sive ad Proprium, scilicet quod egrediatur ex per se principiis subjecti, et de tali subjecto intelligitur ratio secundi modi dicendi per se.

6. *Ad quintum.* Ad quintum dico quod accidens quodlibet inest alicui per se, idest, sine medio, et ad illud subjectum est status, sed non quodlibet inest per se, ita quod egrediatur ex per se principiis illius subjecti, sic accipitur *per se* in secundo modo, sicut album, si inest homini per accidens, inest superficiei per se, idest immediate, sed non ut *per se* dicit causam.

Ad sextum. Ad sextum patet, quod accidens, ut ponitur in definitione Proprii, significat idem quod prædicans non essentiam.

Ad septimum. Ad ultimum dico, quod accidens inseparabile habet rationem generalem accidentis, scilicet adesse, et abesse, etc. quia sub ejus opposito potest subjectum intelligi sine repugnantia intellectus, ut dicitur in littera de corvo et Æthiope, sed sub opposito Proprii non potest. Ideo Proprium non est accidens inseparabile.

EXPOSITIO

Hîc sequor ordinem originalium antiquorum, et non jam hactenus impressorum. Ex solutione namque hujus quæstionis patet solutio illius, qua quæritur de illa particula definitionis Proprii, scilicet *semper*, ut patet ex remissione Doctoris ibi, in principio solutionis, cum dicit *ut patet ex prædictis*, ubi remittit se ad dicta in hac quæstione. 7.

De primo, termini sunt noti, et maxime loquitur de intentionibus, et hoc ut *quid* sumptis. Ordo patet : nam ex dictis in solutione præcedentis quæstionis oritur hæc quæstio, ubi Doctor posuit illam divisio-

nem accidentis : et tenet quod accidens positum in definitione Proprii, non est quintum Universale : quia tamen multa videntur facere ad oppositum, non immerito examinare voluit distinctionem harum intentionum, et a quibus proprietatibus ex parte rei originantur, et licet ex doctrina Philosophi 2. de Anima ponens differentiam inter aliqua duo debeat prius cognoscere utrumque, et Doctor non adhuc determinaverit de accidente, nihilominus præsupponit notitiam ejus haberi ex textu, et aliquantulum ex præcedentibus, et explicabit jam in solutione hujus quæstionis optime. Ad sequentem vero quæstionem (ut dixi) patet ordo. Divisio communis est.

8. De secundo, septem rationibus arguit ad partem negativam : et licet principalis intentio sit de intentionibus, sermo tamen Doctoris extenditur plerumque ad fundamenta, et arguendo, et declarando, ut solet, et mirum, quia sicut intentio ad intentionem, ita fundamentum ad fundamentum.

Prima ratio procedit per viam divisionis sufficientis entis, removendo unum membrum, et inferendo reliquum implicite. Ostendit enim quod Proprium non sit substantia, quia tunc vel esset de essentia Speciei, scilicet de genere substantiæ, quod non contingit, quia tunc poneretur in ejus definitione, et ita in demonstratione esset petitio, cum per definitionem Speciei demonstraretur passio, quia idem esset medium, et illatum, causa et effectus. Nec potest poni substantia essentialiter diversa a subjecto, quia tunc falsa esset prædicatio ejus de subjecto, sicut hæc est falsa, *Homo est lapis*, vel *asinus*. Idem autem et diversum sunt immediate opposita circa ens, et ita cum ly *essentiale* maxime circa substantiam. Posset etiam alio modo probari quod non sit substantia, et hoc generaliter loquendo, sive de fundamentis, sive de intentionibus. De fundamentis sic, quia tunc solius substantiæ esset proprium; consequens est falsum secundum veritatem, licet aliqui concedant ipsum. Consequentia probatur, quia quod est formaliter de genere priori, non posset esse passio generis posterioris, quia etiam idem esset prius et posterius respectu ejusdem : passio namque posterior est suo subjecto, natura saltem ; substantia vero prior omni accidente, ergo impossibile est passionem accidentis esse substantiam, similiter arguendo proprium secundo intentionaliter clarum est quod non est substantia, ut nos de mente latius loquemur de secundis intentionibus.

Secunda ratio procedit per [illegible] [illegible] compositio. Ubi etiam videtur procedere de substantiis, nisi extendatur [illegible] ad accidentia et similiter materia [illegible] habet iste super 7. Metaphysicæ. 9.

Tertia ratio procedit ex [illegible] Proprii, et potest confirmari ex 1. Physic. text. comm. 8, et hæ tres rationes [illegible] non proprium esse accidens.

Quarta ratio e contra ostendit omne accidens esse proprium, et assumit fundamentum ex Philosopho 7. Metaph. text. comm. 4. 17. et 19. et ex 1. Poster. text. comm. 9. Tu vero formabis argumenta resolute, ut scis.

Quinta ratio idem ostendit per viam deductionis in infinitum, et potest confirmari ex 2. Physic. text. comm. 86. Omne enim per accidens tale, reducitur ad per se tale.

Sexta ratio reducit ad [illegible] primum membrum, scilicet quod omne proprium sit accidens, et procedit per locum a [illegible], vel saltem a parte subjectiva ad totum Universale.

Ultima ratio procedit ex [illegible] accidentis [illegible] membrorum [illegible] Proprium, ut videtur.

Ad oppositum adducit Auctorem, et Philosophum in Topicis lib. 1. cap. 2. Decidit [illegible] ad quæstionem, tenendo partem affirmativam.

Pro cujus declaratione [illegible] 10
[illegible] accidentis [illegible] applicando [illegible] ad hoc

duas intentiones. Et solet similis dictinctio (quantum ad primam partem scilicet de accidentibus communibus) poni in Antepraedicamentis, assignando sufficientiam Prædicamentorum. Videantur Expositores, et iste infra, quæstione ultima quinto Antepraedicamentorum, et 5. Metaph. quæst. 5. et inde. Quædam, inquit, de numero accidentium eveniunt subjectis ab intrinseco, et hoc vel ratione materiæ, ut quantitas, quæ tantum convenit rebus materialibus : licet instantia sit de cœlo, sed in veritate nulla est, quia ibi est materia, et notanter dicit *ratione materiæ*, et non ipsi materiæ, quia subjectum accidentis, maxime absoluti, de quo tantum hîc loquitur, est ens, vel substantia in actu formali, ut 3. dist. Primi habet, quæst. 7. et 3. dist. 2. quæst. 4. quod intelligo comparando substantias inter se, et etiam via ultimatæ reductionis, ut supra, quæst. 6. notavi. Quædam ratione qualitatum activarum, quæ possunt poni quatuor primæ qualitates, vel saltem duæ illorum, scilicet caliditas et frigiditas : qualia sunt, inquit, qualitates sensibiles posteriores, sicut sunt calores, sapores, et odores. Quæratur Philosophus copiose in lib. de Generatione. Tales enim consequuntur primas qualitates, ut patet. Nam nigredo communiter sequitur caliditatem, albedo frigiditatem, et sic de aliis suo modo : quorum ulterior perscrutatio pertinet ad naturalem Philosophum, et Medicum, qualitas vero tam prima, quam secunda, est sensibilis, ideo notanter dixit *sensibiles posteriores*.

11, Quædam autem eveniunt ab extrinseco ; et hoc dupliciter, vel diu manentia, quæ habent se ad modum habitus; vel cito desinentia, quæ sunt ut dispositiones. Primæ manent amoto eorum effectivo, secundæ tantum durant, quandiu durat virtus agentis impellentis, vel imprimentis præsentis, et exemplificat satis clare, forte primo modo est nigredo Æthiophum. Sed dubium est, an etiam sit ab intrinseca complexione, saltem de Indis, et Singaris, et Lombardis, et Hispanis, et sic de similibus patet. Exemplum est de gyrationibus factis in aqua ex lapide, vel remo, vel hujusmodi projectis vel applicatis. Et addit propositionem negativam, dicens quod nullum talium sit proprium, quia non est convertibilitas, nam tres particulæ supra positæ in definitione Proprii, scilicet *omni*, *soli*, *et semper*, non verificatur de talibus respectu alicujus determinati subjecti, ut patet ; aut saltem aliqua earum, ut inquit. *Quare*, inquit, *est præter hæc accidens, quod inest speciei ratione formæ* specificæ, tanquam per se causæ immediatæ, et necessariæ. Ubi notanter dicit, quod *inest Speciei*, scilicet primo, et hoc ratione formæ, speciei scilicet, et non Individui inquantum talis.

Ubi nota quod addidit de causalitate ejus 12.
necessaria, præcisa, et immediata : nam per has particulas excluduntur instantiæ de causa contingenti, et partiali, et remota, vel universali, pro quibus vide Philosophum 1. Poster. text. comm. 30. et 9. Metaph. text. comm. 10. et inde, et istum ibidem notanter. Similem propositionem adducit sæpe. Vide 1. quæst. prologi Sententiarum in principio solutionis in opinione Philosophorum, et 2. dist. Primi, parte secunda, quæst. 4. contra opinionem in principio, et 3. dist. 1. quæst. 7. contra 1. opinionem, et alibi sæpius. Omni igitur habenti formam Speciei inest tale accidens, et non habenti non inest, quare convertitur, et per definitionem demonstratur, primo de Specie, deinde de contentis : secus est de aliis accidentibus prius enumeratis. Breviter igitur dictinctio in forma est talis : Accidentium quædam eveniunt ab intrinseco, quædam ab extrinseco. Primo modo dupliciter, vel ratione formæ specificæ, et sic sunt propriæ passiones; vel non, et hoc contingit dupliciter, quia vel ratione materiæ, et sic est quantitas; vel ratione qualitatum activarum, et sic sunt qualitates secundæ. Si insunt ab extrinseco, hoc contingit dupliciter, quia vel amotis causis effectivis eorum, permanent in subjectis, ut adustio solis; vel non permanent, ut gyratio aquæ ex projectione lapidis. Et omnia

talia dicuntur accidentia communia, vel per accidens. Per oppositum prædicabilia dicuntur accidentia propria, et per se. Applicando prædicta ad intentiones, declarat notabiliter quid sit Proprium, et quid Accidens, secundo-intentionaliter accepta.

13. Dicit ergo quod *Proprium* (ut hic est sermo de eo) est intentio applicabilis tantum accidentibus ultimis, scilicet in littera enumeratis, quæ scilicet eveniunt ab intrinseco, ratione formæ specificæ. Intellectus enim motus occasionaliter ex proprietate reperta in talibus accidentibus, comparat ea ad sua subjecta, et ex parte objectorum comparatio passio est respectus rationis in eis subjective derelictus, cui attribuitur transumptive hoc nomen *proprium*, sicut prius de aliis supra notavi. Et inde est quod modus prædicandi, denominandi, et essendi, talis intentionis, habet reduci ad proprietates fundamentorum ultimate, et radicaliter. Accidens vero, ut est quintum Universale, proportionaliter declarando, applicatur aliis accidentibus enumeratis supra ab intrinseco, sive ab extrinseco eveniant. Ubi singularissime declarat quare talia accidentia appellantur communia, dicens, vel quia indifferenter insunt, et hoc vel indifferentia communitatis per remotionem præcisæ inhæsionis, vel forte indifferentia contradictionis, hoc est dictu, vel quod excedunt in hærendo, quia non tantum uni determinato subjecto specifico insunt, ut patet de albedine, quæ nunc homini, nunc asino convenit, vel quia insunt, et non insunt indifferenter. Nam licet homo sit albus, potest tamen esse non albus, vel saltem intelligi talis.

Posset tamen aliter dici accidens commune, aut scilicet communitate causalitatis, quia causatur a pluribus; aut communitate prædicationis; aut communitate inhæsionis, quia scilicet toti subjecto, et cuilibet parti ipsius potest inesse. Et per oppositum dicitur accidens proprium tripliciter, sed tene dicta Scoti. Concludit igitur differentiam, seu distinctionem horum duorum Universalium, quod est principale in quæstione ex definitionibus, et proprietatibus eorum a Philosopho in Topicis lib. 1. cap. 4. et a Porphyrio hic, cap. de Proprio, et Accidente, de quibus in sequentibus amplius erit sermo.

Consequenter respondet ad argumenta principalia, et ultima solutione solvit tria principalia argumenta, recurrendo ad æquivocationem accidentis, de qua quæstione præeunte habetur, et infra, quæst. 1. de Accidente. Et quia talis responsio (si valet) videtur concedere proprium esse accidens, ut inferitur in argumentis illis, cum non sit substantia, ideo objicit subtiliter inferendo hoc inconveniens, scilicet proprium esse accidens, ut accidens dividitur contra substantiam. Quod autem sit inconveniens deducit, quia nec in abstracto, nec in concreto, res primæ intentionis prædicatur de secunda. Non primo modo, quia tunc essentialiter, et per se juxta illam regulam sæpius recitatam supra : *Omnis, scilicet, vera prædicatio in abstracto est per se primo modo.* Clarum autem est quod res primæ intentionis non est de intellectu formali secundæ, nec e contra : non etiam secundo modo, quia sicut prædicationes *per se* non convertuntur in *per se*, ita nec universaliter formalis in formalem, nec denominativa in denominativam propriæ logicæ : secundæ autem intentiones denominant formaliter primas, ergo non e contra. Ad hoc argumentum subtile subtiliter respondet. Primo, supponendo æquivocationem accidentis ad novem Genera, sicut et entis, ut prius notavi, et infra quæst. 1. de Accidente et quæst. 4. Antepraedicamentorum habet amplius videri. Secundo, supponendo quod in æquivocis non est propria prædicatio, nisi prædicatio denominativa. 14.

Cum igitur dicitur quod omne proprium est accidens, volendo similiter [illegible] de veritate hujus. *Proprium est accidens*, dicit quod cum Proprium sit [illegible] univocum in communi genere, ut patet de quo et [illegible], quare in hac propositione *Omne Proprium*, etc. subjectum pro universalitate universaliter distribuitur, prædicatum vero 15.

Omne proprium est accidens quomodo.

ro habet accipi pro uno significatorum præcise, utpote pro Quantitate, vel Qualitate, vel hujusmodi : igitur propositio illa sic universaliter sumpta, est falsa, quia denotaretur quod accidens unius generis prædicaretur de proprio cujuscumquegeneris, quod non videtur possibile, alias propriæ passiones omnium generum essent in uno novem Generum accidentium; sed si limitetur ita, quod sit Universale accommodatum; sic scilicet, *omne proprium in hoc genere est accidens*, dicit quod est vera, licet non e contra, scilicet quod omne quod est in hoc genere est proprium. Et declarat uno modo qualis prædicatio est, dicens quod est denominativa, reductive saltem, licet non formaliter, sicut communiter contingit, quando subjectum prædicatur de accidente : est enim prædicatio indirecta, seu materialis. Et posset dici quod ibi prædicatur accidens de accidente accidentis, vel alio modo, quod prædicatur subjectum de accidente accidentis subjecti subjecti, diversimode declarando ly *accidens*, et ly *subjectum*, et exponit se consequenter in littera, ut satis patet.

16. Alio modo respondet sic in simili infra, quæst. 5. Anteprædicamentorum, solvendo ultimum principale, habet quod non oportet concedere illam prædicationem esse denominativam, nec univocam, etc. quia talis divisio habet locum in prædicatione secundum se, hoc est, formali, et directa, quæ scilicet proprie est prædicatio, non autem sic in materiali, seu indirecta, quæ potius est dicenda subjectatio, quam prædicatio. Nam si hujusmodi reductio admitteretur, sequeretur quod prædicationes per se converterentur, contra Aristotelem : et quod hæc esset per se primo modo, *Homo est asinus*, licet non immediate reducendo, quod est absurdum, licet aliquibus non videatur inconveniens, qui communiter omnia inconvenientia pro convenientibus ponunt. Prædicatum enim habet rationem formæ respectu subjecti, et hoc vel formæ essentialis, vel accidentalis : subjectum vero rationem materiæ, et ideo licet, extensive loquendo, dividatur prædicatio in formalem, et materialem, sola nihilominus formalis, proprie loquendo, est vere prædicatio, et maxime logice : quod dico propter prædicationes identice identicas, quæ nec proprie formales, nec proprie materiales appellandæ sunt.

Prædicatio formalis sola proprie est prædicatio.

Deinde replicat contra dicta, quia videtur quod hæc sit formalis, et perseica, *Proprium est accidens*, cum accidens dividatur in reale, et intentionale, quod videtur esse commune istis quinque Universalibus. Ad quod respondet, quod accidens, ut est quintum Universale (de quo est sermo in hac quæstione) non prædicatur de Proprio formaliter, sed an materialiter, posset esse dubium, de quo infra. Accidens etiam primo-intentionale non prædicatur de Proprio secundo-intentionali, insi ad intellectum prius assignatum in illa responsione. Tamen hæc est vera, *Omne Proprium est accidens*, etc. quam vocat ultimam responsionem, quod verum est comparando ad præcedentem immediate. Vel si intelligit generaliter, transmutetur littera. Vel dic, quod illa particula, scilicet, *Vel potest dici quod prædicatio denominativa univoca*, etc. est secunda pars illius responsionis ultimæ, de qua loquitur. Accipiendo tamen alio modo accidens, (ut in solutione quæstionis præcedentis habetur, et infra, quæst. 1. de Accidente) illa prædicatio est vera, etiam universaliter, sic scilicet, *Omne Proprium est accidens*, id est, prædicatum non essentiale, falsa autem universaliter, accipiendo Accidens pro quinto Universali, ut in hac quæstione est sermo de ipso, et hoc verum est præcipue in prædicatione formali : imo ut sic falsa est etiam particulariter, ut patet, et negativa contradictoria universaliter vera. 17.

Ad quartum principale respondet primo, 18. secundum opinionem communem, ut supra, quæst. 2. de Genere tactum est, distinguendo de accidente, copulato scilicet, vel indifferenter, seu absolute sumpto. Contra quam solutionem instat dupliciter. Primo ex dictis Philosophi 7. Metaph. text.

comm. 4. et 5. ubi innuit universaliter omne accidens definiri debere per substantiam, de quo infra, quæst. 8. Antepraedicamentorum, et alibi plerumque patebit. Tertio infert ex illa responsione accidentia alia præter copulata esse substantias, quia essentias absolutas independentes haberent, quod est impossibile. Esse enim cujusque accidentis est inesse, et omne accidens est ens in alio, et sic de aliis pluribus fundamentis Aristotelis, et hujus ubique, ut infra magis patebit.

Ultimo ponit solutionem propriam, ut supra, cap. de Genere, quæst. 2. et infra, quæst. de Denominativis habet, concedendo universaliter omne accidens definiri per substantiam, vel subjectum : et hoc verum est loquendo de accidente reali, quod intelligendum est implicite, vel explicite, et loquendo de definitione completa reali, et hujusmodi. Nec sequitur quod infertur consequenter in argumento principali de prædicatione secundi modi, arguitur enim ab insufficienti : oportet ergo addere sic, *subjectum ponitur in definitione prædicati, et egreditur ex principiis essentialibus ejus necessario*, ut in illa distinctione de multiplici consecutione accidentis in corpore quæstionis tactum est, non est sic de simitate respectu nasi, nec de albedine respectu margaritæ, vel hujusmodi.

Accidens omne reale definitur per subjectum quomodo.

Requiritur tamen solitaria inhæsio, ut definiatur accidens per subjectum, non tamen est necessaria, et universalis : quare etsi aliquam, non tamen omnem proprii conditionem habet accidens, propter ipsius per subjectum definitionem. Dicit igitur notanter Doctor, quod hæc non est per se, *nasus est simus*, quia nec necessaria, nec universalis. *Per se* enim infert *de omni*, et omnis prædicatio per se est *necessaria*, quod verum est loquendo de perseitate primi, et secundi modorum, patet igitur ad argumentum.

Prædicatio accidentis de subjecto non est per se.

19. Ad quintum principale respondet notanter, distinguendo *de per se*, ut scilicet dicit [illegible], vel causalitatem necessariam essentialem. Primo modo [illegible]

omne accidens [illegible] per se, sed non secundo modo, et in hoc videtur [illegible] [illegible] super [illegible] de [illegible] [illegible] videtur posse reduci ad [illegible] modum, [illegible] ad primum, secundum, vel quartum, [illegible], et ad illud quod [illegible] 2. [illegible]. Videtur [illegible] super 4. Metaphysicæ, quæst. 2. et alibi plerumque. De his erit sermo prolixior infra, quæstione finali super Porphyrium.

[illegible]

Ad [illegible] principale, patet [illegible] ex dictis : [illegible] de [illegible], ut patet.

Ad ultimum principale, [illegible] sime, quod proprium [illegible] est accidens separabile, ita nec inseparabile, quia illa dividunt accidens, ut est quintum Universale, et ratio [illegible] utrique, quia utrumque est [illegible] in *quid* accidentale, non convertibile, et sine repugnantia intellectuum potest [illegible] subjectum sub opposito utriusque : [illegible] est de proprio, ut supra, in solutione quæstionis, tetigit : de quo magis infra, quæst. 2. de Accidente [illegible] : igitur Proprium esse accidens inseparabile, nam aliter concluderet argumentum.

Proprium non est accidens separabile.

DE TERTIO. [illegible] in hac quæstione [illegible] [illegible] [illegible]. Primo circa solutionem principalem quæstionis, videtur quod [illegible] de accidentibus [illegible], quia nihil agit in se [illegible] vel [illegible] jecto, seu supposito : [illegible] dens [illegible] effectiva subjecti, ergo [illegible] tale est [illegible] plura, [illegible] [illegible].

Item, [illegible] formæ [illegible] [illegible] accidens [illegible] loquendo de formis [illegible] [illegible]

quia cœlum ponitur quantum, et sine materia, secundum Aristotelem, et Commentatorem, non ergo ratione materiæ semper inest quantitas.

Item, quare non declaravit, penes quid insunt qualitates activæ, cum sint accidentia, sicut aliæ qualitates posteriores ?

Item, 1. Physicorum, text. comm. 80. dicit Philosophus quod materia cum forma sunt causa omnium accidentium, non igitur qualitates activæ, seu primæ, ut dicis, erunt causa aliarum. Per idem potest impugnari quod sequitur de forma Speciei.

21. Item, videtur quod illa causalitas arguat distinctionem realem passionis a subjecto : qualitates etiam elementorum videntur esse propriæ passiones illo modo, cum consequantur formam Speciei, ut patet.

Item, quare quartum, et quintum Universale, non vocatur accidens, cum fundamentum utriusque dicatur accidens ?

Item, quomodo sub opposito accidentis, maxime inseparabilis, possit sine repugnantia intellectus intelligi subjectum potius, quam subjectum passionis sub ejus opposito ?

Item, intentio *proprium* est accidens per accidens respectu sui fundamenti, et potest sub ejus opposito intelligi, ut videtur, sicut supra, de Modis intelligendi, generaliter dictum est capite de Genere ; quare igitur non vocatur accidens, et quomodo ei convenit definitio posita hîc a Porphyrio, et a Philosopho in Topicis ?

Item, posset dubitari quid intelligit per *formam Speciei*, aut scilicet formam Physicam, aut differentiam ab illa sumptam, aut tertiam entitatem, et consequenter omnia membra impugnare.

Item, videntur insufficienter loqui de accidentibus, quia de respectivis nullam mentionem fecit, nec penes quid insunt ostendit. Similiter quid dicendum erit de qualitatibus primæ Speciei, et hujusmodi. Plura alia ponderari hîc possent, sed his exclusis datur modus evadendi omnia alia.

22. Ad primum istorum, sustinendo illam famosam distinctionem esse congruam, dico quod posset ibi ly *ab intrinseco*, intelligi uno modo quasi a primæva rei constitutione, et entitate, et per oppositum *ab extrinseco* quod advenit rei de novo post ejus esse completum duratione. Alio modo potest intelligi in ordine ad efficientiam intrinsecam, et extrinsecam : et hoc magis sonant verba. Et cum dicis quod nihil efficit in se, nec movet se, dico quod hoc falsum est in doctrina hujus, ut patet 3. dist. Primi, quæst. 7. et dist. 3. Secundi, quæst. 10. et 25. dist. ejusdem, et 4. Metaph. quæstione penultima, et alibi. Idem enim in ratione *quod* potest esse movens et motum, licet non in ratione *quo*. Dico nihilominus quod, absolute loquendo, omne accidens aliud a Proprio potest dici evenire ab extrinseco, licet respective loquendo hoc ab intrinseco, et illud ab extrinseco evenire dicatur, de quo in sequentibus. Similiter illa alia propositio, omne accidens coævum etc. falsa est in doctrina hujus, imo substantia genita est causa effectiva, seu productiva suorum accidentium, vel saltem potest esse aliquorum talium. Sed ibi posset dubitari, an per motum, an certe per mutationem, an per simplicem emanationem, de quo alias.

Accidentia quomodo eveniunt rei ab intrinseco.

Ad aliud posset dici secundum unam viam, quod quantitas est concreata materiæ, sive indeterminata, sive sit determinata : et ideo congrue dicitur advenire composito, ratione materiæ, non sic ratione formæ. Similiter omnis materia est divisibilis, et entitative, et quantitative, non sic omnis forma. Similiter etiam, ut communiter ponitur, forma advenit materiæ quantæ, licet non aggregatum informet, quod maxime verum est in habentibus plures formas : nam omnes, præter primam, præsupponunt quantitatem. Similiter etiam est de proprio materiæ, et quantitatis, et quoad potentialitatem, et non activitatem Physicam, et quoad esse basim, et receptaculum aliorum, et sic de aliis pluribus, quæ habent considerari a Philosopho reali. 23.

Quantitas quomodo dicitur advenire composito.

Quod additur consequenter de cœlo, est

falsum, ut patet in doctrina ejus, in 2. Sententiarum, dist. 14. et alibi sæpe. Sed qui vellet tenere viam Aristotelis, posset dicere quod verba Doctoris hic habent intelligi de accidentibus generabilium, et corruptibilium. Vel distinguendum est de materia pro principio intrinseco ; vel pro subjecto.

Ad aliud potest dici, quod ideo de illis mentionem non fecit, quia secundum opinionem multorum, sunt propriæ passiones elementorum, de quo infra, quæstione finali super Porphyrium erit sermo. Sustinendo autem quod sint accidentia per accidens, dicetur ibi penes quod insunt composito.

Ad aliud de primo Physicorum potest dici, quod in causis datur ordo mediationis, et immediationis. Potest etiam distingui de *quo* et *quod*, et respectu causationis, et passivæ inhæsionis. Per idem ad aliud, quod sequitur de forma speciei, et hoc si intelligatur de forma partis, de quo infra magis.

Ad aliud tactum est prius, et quæstione sequente adhuc habet videri, qualiter intelligatur proprium causari : sed an distinguatur realiter a subjecto, problema est, et an ejusdem, vel alterius generis cum subjecto, de quibus alias. Dicatur ergo breviter pro nunc, quod passio emanat, seu ebullit a subjecto, vel ab ejus principiis, et in hoc intelligitur quodammodo causari. Quod additur de qualitatibus elementorum, patebit infra, quæstione finali super Porphyrium.

Ad aliud dico, quod licet nomine generico possit utrumque dici accidens, vel prædicatione materiali, non tamen nomine specifico, et capiendo accidens pro quinto Universali : et non obstat quod fundamentum utriusque dicatur accidens, quia est extensiva locutio.

Ad aliud, patebit infra, quæst. 2. de Accidente. Sed pro nunc dicatur, quod causa diversitatis est alietas consecutionis, et rationis inhærendi hujus, et illius : et ideo unum per se, alterum per accidens inest.

Ad aliud, patet ex dictis supra sæpe in simili de Genere, Specie, et Differentia. *Omnia namque, ut inquit Paulus, in figura contingebant illis*. Ex proprietatibus enim fundamentorum, seu subjectorum, sumuntur intentiones, et denominationes, et aliæ conditiones communiter.

Ad aliud, posset dari quodlibet [illegible] trium, et specialiter duo prima [illegible] ad impugnationes consequenter [illegible]. Ad præsentiam enim formæ, seu proprietatis individualis dicitur forma speciei. Proprietates etiam Physicæ consequuntur formam Physicam, et Metaphysicæ Metaphysicam. Non tamen inconvenit quod aliquæ proprietates conveniant ratione generis, sed cui per se conveniunt habet se, ut species. Unumquodque in sua propria ratione formali consideratum, habet se ut species, vel ut forma specifica.

Ad aliud, patet quod loquitur [illegible] de [illegible] ... ibus, et de his quæ ab omnibus conceduntur, tanquam distincta entia a subjectis. Respectus enim negantur a multis esse alia entia a subjectis : similiter sunt potius dispositiones, vel modi rerum absolutarum, quam res tales, ut 3. quæstione Quodlibeti, et alibi habet [illegible]. Sed sustinendo oppositum, alibi ponuntur modi [illegible] rum. Fundantur enim communiter in accidentibus absolutis, et in eis suo modo possunt reperiri accidentia, et passiones, sed in ordine ad substantiam, ut communiter omnia sunt accidentia, et [illegible] respectibus actualibus. Quære [illegible] dicamentis de sufficientia Prædicamentorum, et 5. Metaphysicæ, et alibi. [illegible] vero locutus est Doctor hic, ut ad propositum sufficiebat, ut [illegible] rem fundamentorum, quibus [illegible]

propriæ passiones, quia illa est necessitas consequentis, ut patet, nec consequuntur formam speciei in se. De respectibus vero identicis, dubium est qualiter prædicantur, de quibus alibi, quia transcendit propositum.

Quod ultimo additur de qualitatibus primæ speciei, patet ex dictis, et infra magis, important enim respectus, ut patet. Videatur iste 13. quæst. Quodlibeti, et alibi plerumque. Consequuntur etiam forte talia formam individui, et non speciei. Tacuit etiam qualitates secundæ speciei, vel quia immanifestæ, vel quia passiones propriæ, ut multis placet, de quibus omnibus in sequentibus erit prolixior sermo, Deo duce.

27. Secundo, circa argumenta principalia, et solutiones eorum, aliqua paucis tangam. Primo, cum dicitur in argumento primo principali, quod *proprium non est essentialiter eadem substantia speciei:* videtur enim oppositum hujus esse verum,ut communiter tenent Scotistæ, et hoc loquendo de proprio speciei in genere Substantiæ, nec sequitur quod infertur de definitione.

Item, cum dicit in tertio principali quod *Omne resultans ex compositione*, etc. videtur esse contra ipsum, et sequaces, qui ponunt tertiam entitatem resultantem, quæ non est accidens, ut patet.

Item, non videtur formaliter respondere ad tria principalia argumenta. Similiter nec replica sequens videtur ad propositum, quia divisio entis in substantiam et accidens, intelligitur de ente reali, cujusmodi non est Proprium.

Item, videtur quod illa propositio, *Nullum proprium est substantia,* sit falsa, quia sicut in prædicatione materiali ista est vera, *proprium est accidens,*ut Doctor consequenter declarat, ita et ista, *proprium est substantia*, et hoc sustinendo, id quod communiter tenent Scotistæ, videlicet quod proprium substantiæ sit reductive in genere substantiæ, et ita quoquomodo possit dici substantia, ut videtur.

28. Item, quod tangit consequenter in prima solutione replicæ, de æquivocatione accidentis novem Generibus, videtur dubium; nam si ens est univocum substantiæ et accidenti, videtur quod potius accidens sit univocum novem Generibus : primum ponit iste, et sequaces ubique.

Item, videtur quod ista sit vera *Omne proprium est accidens,* accipiendo accidens etiam pro uno significatorum, ut puta pro genere Qualitatis, et hoc sustinendo illam opinionem, quæ ponit omnes proprias passiones in secunda specie Qualitatis, quæ etiam potest elici ex dictis Doctoris hîc et alibi, in his logicalibus.

Item, videtur quod velit Doctor per se inferius in aliquo genere esse proprium, quod non videtur verum, quia tunc proprii proprium esset in infinitum : similiter proprium distingueretur realiter ab eo cujus est proprium : quia sive ponatur esse proprium speciei ejusdem generis, sive alterius, cum omnes tales sint distinctæ essentialiter, habebitur intentum : similiter accidens et proprium dicerentur de eodem, nam de tali inferiori diceretur intentio Accidentis, sicut de suo superiori, et similiter intentio Proprii per te, quod est contra Doctorem infra, quæstione finali super Porphyrium.

Item, si sua declaratio valet, sequeretur quod contingeret descendere sub prædicato Universalis affirmative supponente confuse tantum, quod est contra ipsum ubique.Consequentiam declaro, quia dicit quod hæc est vera, *Omne proprium in hoc genere est accidens*, ut accidens supponit pro aliquo suo inferiori, sicut exemplificat consequenter de animali.

Quod tangit consequenter in ultima res- 29.
ponsione, de prædicatione denominativa, videtur esse contra multos, qui ponunt prædicationem denominativam a priori. Et quod additur de prædicatione æquivoca, non videtur congruum, quia in æquivocis non est prædicatio, cum *prædicari* sit *præ alio dici*, et non solum voce significari.

Item, videtur quod ista prædicatio sit vera, saltem ut modus, *proprium est acci-*

dens, sicut et illa, *proprium est speciei*, et hoc capiendo accidens, ut est quintum Universale, cujus oppositum dicit Doctor in fine, et in principio solutionis replicæ sequentis. Circa quartum principale, et solutionem ejus, non oportet immorari hic, quia supra, quæst. 2. de Genere tetigi plura circa hæc, et infra, quæst. Antepraedicamentorum, et alibi sæpe habet idem, sed propter illud dictum in solutione, cum dicit, *sed sufficit ad hoc quod subjectum ponatur in definitione*, etc. posset dubitari, quid sit subjectum, per quod definitur albedo, et nigredo, et hujusmodi. Videtur etiam mirum quod dicit ad finem totius quæstionis, scilicet quod *Proprium non est accidens inseparabile*, cum tamen sit accidens reale prædicatione materiali ; et accidens intentionale, prædicatione formali ; aut igitur separabile, aut inseparabile : non primum, ut patet ; igitur secundum.

30. Ad primum istorum potest dici, vel quod loquitur Doctor famose, ut communiter in his logicalibus, de Proprio, sustinendo videlicet omnes proprias passiones de Genere accidentis ; vel quod capit hic *essentialiter idem* proprie, pro esse de essentia, sicut alibi sæpe habet : et sic sequitur quod infert de definitione speciei. Nec Scotistæ illi imitantur multum mentem ejus, qui dicunt passionem esse essentialiter eamdem subjecto. Vel secundo, quod proprium substantiæ non est substantia, proprie loquendo, sed substantiæ potius.

Ad aliud potest dici, quod loquitur de resultatione per modum actus secundi, id est, post compositionem. Nam formam esse in materia est compositum esse quoad actum primum. Vel forte loquitur famose, non ponendo tertiam entitatem : sed prima responsio magis placet.

Ad aliud, facile esset respondere ad formas argumentorum. Posset enim dici, quod illa tria argumenta procedunt de proprio primo-intentionaliter accepto, sicut et de accidente tali, sed quæstio est de intentionibus principaliter.

Ad aliud dico, quod licet illa replica non sit multum efficax, Doctor nihilominus admisit ipsam, ut videretur qualiter aliquo modo posset salvari prædicatio accidentis realis de Proprio ; ut etiam ostenderet divisionem entis in substantiam, et accidens reale, evacuare totum ens, et reale, et rationis quoquomodo.

Ad aliud, patet ex dictis, quia famose ponit proprium genere accidentis, vel quod non in recto potest dici Substantia, similiter etiam nec Quantitas, nec Qualitas, et sic de aliis. Et si inferatur quod nec accidens : potest negari, sicut rationale dicitur ens, non tamen substantia, saltem Prædicamentalis, est enim accidens non transcendens. 31

Ad aliud de æquivocatione accidentis patebit infra, q. 4 Anteprædicamentorum. Loquitur enim Doctor hic proprie logice, et ita tenet æquivocationem entis, sicut supra sæpe tactum est. Et similiter dicendum est de accidente, sed de hoc erit amplior sermo ubi prius, et supra, quæst. 9. aliqualiter pertractavi. Posset etiam nomen magis commune esse univocum et minus commune æquivocum, in casu, et ideo non tenet argumentum a minori.

Ad aliud, quod tangit bonum motivum, potest concedi quod infertur, tenendo illam hypothesim, imo ex dictis in hac solutione, videtur quod Doctor voluerit proprium esse ejusdem generis cum subjecto, maxime in accidentibus, et etiam in substantiis forte, sed non ita expresse : et hinc potest accipi fundamentum bonum pro dictis Scotistarum ad mentem ejus.

Ad aliud, sustinendo quod communiter tenetur de mente Doctoris, dico quod intelligit hic per *inferius* non directe, et formaliter tale, sed tantum indirecte, et reductive, sicut differentiæ divisivæ generis dicuntur inferius ad ipsum. Sustinendo vero aliam viam oporteret dicere consequenter, forte secundam speciem qualitatis non esse speciem aliquam, proprie loquendo, sed medias quasdam. Vel si poneretur in eodem genere cum subjecto suo, omne proprium negaretur processus in infinitum : nam statim esset in 32

secundo, vel esset ita *quo*, quod non *quod* : sed via communis Scotistarum de respectibus aptitudinalibus facilior est, et magis ad mentem Doctoris. Quod ibi tangitur de distinctione reali passionis a subjecto declarabitur in sequentibus, et alibi sæpe notavi. Quod etiam additur de Proprio et Accidente applicandis eidem fundamento, patet ex dictis quod non sequitur secundum illam viam, quam teneo, et infra magis ad hoc respondebitur, quæstione illa.

33. Ad aliud de descensu illo (quod est satis notabile) posset concedi secundum aliquos descensus copulatus, licet non copulativus. Vel aliter, et melius, quod in illa implicatione *in hoc genere*, subintelligitur ly *quod est*, ita quod sit sensus : Omne quod est proprium in hoc genere est accidens, et ita ly *proprium* confunditur, non autem ly *accidens*. Posset etiam dici, quod Doctor non curavit de hac micrologia in his sermonibus speculativis, ubi transcendit puerilia, et sophistica. Eligatur responsio quæ placuerit magis, sed secunda magis sapit ad mentem ejus, scilicet, vel quod ly *proprium*, vel ly *genere* confunditur. Exemplum primi, ut *omne quod in hoc genere est proprium, illud est accidens* : et sic erunt duæ propositiones. Exemplum secundi, *Omne proprium quod est in hoc genere illud est accidens*, sed primum placet, et neutro modo confunditur ly *accidens*. Est igitur una propositio explicite, et duæ implicite. Posset etiam distingui secundum compositionem, et divisionem, etc. ut voluerit solers lector.

34. Ad aliud, patet quod loquitur Doctor hîc de prædicatione proprie denominativa logice, quæ est formalis, et a posteriori saltem *secundum esse*, licet a priori *secundum dici*, vel *inesse*, de quo alias. Nec illi multum logice loquuntur, qui denominativam a priori ponunt. Quod additur de prædicatione æquivoca, patet quod loquitur extensive, ut Philosophus in Anteprædicamentis. Potest enim dici prædicatio, sicut et propositio, multiplex. In omni namque propositione est, suo modo, prædicatio ; non tamen vera, nec falsa, sed distinguenda est illa, in qua prædicatur æquivocum.

Ad aliud potest dici, quod loquitur Doctor hîc de prædicatione identica, seu quidditativa, et non modali Accidentis de Proprio, et intelligit quod sunt distincta Universalia ut *quid* sumpta : quia *quid*, *quid* ; et *modus*, *modo*, opponuntur ; sed an Proprium possit dici Accidens, etiam ut *modus*, posset dubitari, de quo forte in sequentibus magis, eo tamen modo quo Genus vel Species, posset dici accidens ; ita Proprium sive prædicatione modali sive quidditativa secundum diversam acceptionem accidentis.

Proprium quomodo dici poss accidens.

Ad aliud de subjecto albedinis, et hujusmodi, dico quod subjectum adæquatum ejus cui præcise convenit, est forte innominatum, sicut communiter subjecta odorum, saporum, et colorum. Consequuntur enim hujusmodi accidentia determinatam complexionem, et mistionem qualitatum activarum, quæ in pluribus materialibus entibus alterius rationis salvatur secundum gradus. Est enim corpus sic, vel sic, mistum, et forte propter tantam communitatem istorum distinxit Philosophus ipsa ab accidentibus copulatis, quæ videlicet in quibusdam naturis determinatis reperiuntur. Nihilominus tamen, absolute loquendo, reducuntur definitiones completæ quietativæ ipsorum, aut implicite, aut explicite ad subjecta, sicut in simili imaginamur de definitione materialium, per materias, quæ tamen raro explicite ponuntur. 35.

Ad ultimum dico, quod Doctor negat Proprium esse accidens inseparabile prædicatione formali : et forte etiam posset negari loquendo de prædicatione materiali : quia fundamentum accidentale cui applicatur, non est formaliter accidens separabile, vel inseparabile, licet sit aliquid talis, accidens etiam intentionale, quod prædicatur formaliter de Proprio et Accidente, et de aliis Universalibus, sive præcise idem sit sive aliud, non est positive separabile, vel inseparabile, sed tantum permissive, et præscindit ab utroque. Proprium vero nec posi-

tive, nec permissive est illud : sicut animal permissive est irrationale, homo vero minime. Forte tamen hæc est vera, ut modus *proprium est accidens separabile*, sicut enim sic conceditur esse accidens, ita conceditur esse separabile, vel inseparabile.

QUÆSTIO XXXIII

Utrum Proprium necessario semper insit

Vide citatos *quæst.* 30.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; quia *risibile* non semper inest homini, non enim homo semper ridet.

Dicitur quod risibile semper inest secundum aptitudinem, sed non semper secundum actum.

Contra, semper inest homini actu causa efficiens hujus proprii, scilicet forma hominis ; igitur et iste effectus semper est in actu.

Item, ad principale, substantia præcedit omne accidens tempore ; ergo tempore est, quando nullum sibi inest accidens, ut de accidente Aristoteles ibi loquitur, sed illo modo proprium est accidens ; ergo substantia est sine proprio.

Item, omnis potentia passiva est in potentia contradictionis, per Aristotelem 9. Metaph. context. 17. subjectum est in potentia passiva ad proprium ; quia materia ejus in qua : ergo potest esse sub proprio, et ejus opposito ; ergo non est necessarium quod proprium semper insit.

Ad oppositum est Porphyrius.

2. *Conclusio. Proprium egreditur ex principiis subjecti.* Ad quæstionem dicendum, quod Proprium semper inest, ut patet ex prædictis; quia Proprium egreditur ex principiis subjecti, et maxime a forma : non est autem possibile causam necessariam et immediatam alicujus poni, nisi ponatur effectus, et ideo quia semper inest subjecto sua forma ; quia non est id, quod est, nisi per illam, ideo semper sibi inerit proprium.

3. *Ad 1. princ.* Ad primum argumentum dico, quod *risibile* semper inest actu, licet *ridere* non semper insit ; quia *ridere* est commune accidens hominis, nec inest homini tantum aptitudinaliter ; quia illa aptitudo non est inhærentia risibilis ad actum, sed est ex parte ipsius proprii in se, nec est inconveniens, ridere aptitudinaliter semper inesse actu homini.

Ad 2. Ad secundum dico, quod illa propositio est intelligenda per se, quia substantiæ inquantum est, ex sua ratione, non sibi repugnant tempore præcedere omne accidens, cum substantia secundum se non dependeat ab aliquo accidente, est tamen per accidens falsa ; quia semper accidens est, quando substantia est ; quia consequitur immediate *esse* substantiæ, nec est inconveniens propositionem per se veram, esse impossibilem per accidens, sicut dicitur 6. Physic. cont. 15. quod omni motu contingit accipere motum velociorem, quod verum est respiciendo ad motum secundum ejus rationem generalem, sicut ibi loquitur Aristoteles de motu, sed in 8. ejusdem, context. 76. et circiter. Idem 2. Cæl. contex. 53. dicitur, quod omnis motus est determinatæ velocitatis, et tarditatis, quod verum est comparando motum ad determinata moventia, et mobilia, secundum quam rationem loquitur ibi Aristoteles de Motu. Similiter 4. Physic. cap. de Vacuo, context. 62. supponitur in illa demonstratione per impossibile, si enim spatium vacuum, quod quocumque corpore repleatur, contingit accipere spatium repletum corpore subtiliori, quod verum est secundum rationem generalem corporis, inquantum replens

locum, cujus oppositum est manifestum, respiciendo determinatas naturas naturalium.

Ad 3. 4. Ad tertium dicitur, quod omne quod est tantum in potentia passiva ad aliquid, est in potentia contradictionis ad illud. Subjectum autem respectu proprii non est solum in potentia passiva, sed in potentia effectiva, quia effective est proprium a subjecto.

Contra; materia, et efficiens non coincidunt, per Aristotelem 2. Physic. context. 70. igitur non est subjectum respectu proprii, materia, et efficiens.

Dicitur, quod verum est dictum Aristotelis de materia ex qua, et efficiente per transmutationem ; non de materia in qua, et efficiente sine transmutatione, cujusmodi materia, et efficiens est subjectum respectu passionis.

Contra, omne efficiens est in actu respectu cujus est efficiens, omnis materia est in potentia, sed idem non est in potentia et actu respectu ejusdem.

Potest dici, quod idem potest esse in potentia, et in actu, ratione diversorum, scilicet materiæ, et formæ, et non sunt opposita, nisi accipiantur secundum idem, et respectu ejusdem. Aliter dicitur, quod potentia ante actum opponitur actui, non quæ est cum actu, et ista potentia sola est in subjecto respectu passionis.

EXPOSITIO

5. Hæc quæstio videtur principaliter pertinere ad Proprium primo-intentionaliter acceptum, licet possit etiam ad secundam intentionem applicari.

De Primo, termini hujus quæstionis sunt satis noti ex præcedentibus, quid videlicet *proprium*, quid *definitio*.

Semper est distributivum temporale, affirmativum universale, et est adverbium temporis, cujus contrarium distributivum est *nunquam*, de quo habet videri in Grammaticis, et Logicalibus, et aliquantulum super 4. Physicorum, et posset extendi ad ævum, et æternitatem.

Necessitas in proposito accipitur pro necessitate simpliciter, quia sic conclusio demonstrationis potissimæ, in qua inhærentia passionis de subjecto ostenditur, est necessaria.

Ordo hujus quæstionis ad præcedentem patet, quia illa incidentaliter surgit ex secunda quæstione de Proprio, ideo prius erat examinanda, licet in aliquibus originalibus hæc ponatur ante ipsam, sed non recte quia in hac fit remissio ad ipsam, ut infra patebit. Divisio communis est.

De Secundo, arguit tribus rationibus 6.
pro parte negativa. Prima procedit ex negatione perpetuæ convenientiæ, seu inhæsionis risibilis homini, et hoc inferendo ex negatione tali ipsius actus ridendi. Ad quam immediate respondet, distinguendo de inhæsione risibilis, aut videlicet secundum aptitudinem, aut secundum actum. Contra quam notabiliter instat, non corroborando argumentum principale, sed ostendendo distinctionem, et ipsius applicationem esse nullam, quia videlicet ad actualem positionem causæ necessariæ immediatæ, et sufficientis, sequitur positio actualis effectus : forma autem specifica hominis est hujusmodi respectu risibilis, quare actu semper inerit risibile homini, et nedum aptitudine, ut dicis : hæc replica solvit argumentum principale, ut patet infra.

Secunda ratio procedit ex prioritate substantiæ respectu accidentis universaliter, ut habetur 7. Metaphysicæ, text. comm. 4. et inde : quod non solum verum est de prioritate naturæ, ut videtur expresse ex textu Philosophi, sed etiam durationis, et sub accidente sic sumpto includitur Proprium, ut patet per alias particulas ibi tactas, scilicet *definitione*, et *cognitione*, ut patet.

Secunda ratio procedit ex potentialitate passiva subjecti respectu Proprii, quæ vocatur contradictionis, quia potest indiffe-

renter esse sub ipso, et ejus opposito, sicut materia ex qua respectu formæ, suo modo (et est sententia Philosophi 9. Metaph. text. com. 17) ita materia in qua respectu accidentis universaliter sumpti. Ad oppositum adducit Porphyrii auctoritatem in littera, et idem habet Philosophus in Topicis.

7 Deinde paucis respondet ad quæstionem, tenendo partem affirmativam, et remittit se ad dicta in quæstione præcedente. Unde patet ordo quæstionis, ut ponimus eas, et transmutatio ipsarum, ut alii eas ordinarunt. Dictum est enim in solutione quæstionis præcedentis, in illa distinctione accidentis quoad multiplex *quo* inhæsionis ejus, quod proprium primo-intentionaliter sumptum accipitur a forma Speciei, et inest subjecto ratione talis formæ, tanquam causæ immediatæ, et quia talis forma semper inest, et est causa necessaria naturalis immediata et præcisa hujus passionis, necesse est semper ipsam passionem inesse. Et notanter dicit Doctor quod egreditur a principiis subjecti, ut statim notabo, et appellat formam causam ejus, et ipsum proprium vocat effectum. Ex sempiternitate igitur inexistentiæ specificæ formæ, arguit sempiternitatem inhæsionis passionis : et sic patet solutio quæstionis.

8. Consequenter respondet ad principalia. Ad primum (conformiter replicæ factæ contra evasionem adductam ad principale argumentum) dicit notanter quod risibile semper inest actu, licet in se sit aptitudo, sicut singulare ut *quod* est Universale ut *modus*, vel e contra : sicut enim albedo, vel quantitas, saltem in Eucharistia, quæ est in se actus, vel ens actuale, inest tantum aptitudine, ita aptitudo inest actu : secus, inquit, est de *ridere*, cum sit accidens per accidens hominis, ideo potest nunc inesse maxime cum sit separabile accidens. Et addit signanter, risibile non inest homini tantum aptitudinaliter sicut ridere ; sed actu semper. Et quia aliquis posset dicere quod est aptitudo, ideo aptitudinaliter inest, dicit Doctor, hoc excludendo, quod non intelligitur illa aptitudo risibilis, quoad

Risibile inest semper actu homini.

inesse homini, tanquam subjecto, ita quod esset aptitudo ad actu inhærere homini. *Non est*, inquit, *illa aptitudo in inhærendo risibilis ad actum, sed ex parte proprii in se*, hoc est, quod illa aptitudo est comparando risibile ad ridere, stando in ipso proprio in se, et ejus termino ad quem est habitudo essentialis ejus, ut videtur : non autem est comparando risibile ad actum, inhærendo homini, qui est extra proprium, non solum quoad denominationem, sed essentiam et habitudinem essentialem : sicut habitudo respectus ad fundamentum non est de essentia ejus. Inquantum igitur risibile dicit aptitudinem, non intelligitur in ordine inhærendi subjecto, sed in ordine ad actum ridendi, qui aptitudinaliter plerumque inest subjecto, et ita actus aptitudine, et aptitudo actu inest : ideo subdit quod *non est inconveniens ridere aptitudinaliter semper inesse actu homini* ; quia idem est ridere aptitudinaliter inesse, et risibile inesse : ideo notanter dixit Doctor quod intelligitur illa aptitudo *ex parte ipsius proprii in se*, hæc solutio est singularis, et notabilis circa quam in tertio articulo aliqua tangam.

Risibile est dicit aptitudinem respectu actus ridendi, non subjectum.

Ad secundum principale respondet satis probabiliter, exponendo Philosophum, in 7. Metaph. de prioritate substantiæ, etc. dicens quod dictum illud est verum per se, falsum autem per accidens. Priori enim natura, inquantum tale, non repugnat prioritas durationis, ut in 2. dist. Primi, et alibi sæpe habet iste : sed aliquando ex causa extrinseca, vel ex habitudine necessaria posterioris, vel ex consecutione necessaria, vel ex positione alterius, et sic de aliis contingit quod illud quod est prius natura non possit esse prius duratione, hoc tamen ei accidit, inquantum prius est, et ex natura sua, ut patet. Declarat autem ex dictis Philosophi hanc solutionem, et possibilitatem ejus notabiliter 6. Physic. text. comm. 15. ubi Commentator uniformiter respondet huic responsioni, et 8. Physic. text. comm. 76 et circiter : et fere idem 2. Cœli, text. comm. 53. et inde. Per se enim 9.

loquendo de motu, non determinatur ad certam velocitatem, et tarditatem, sed in ordine ad determinata mobilia, et moventia. Cœlum namque, secundum Philosophos non posset velocius moveri, tum ex parte motoris, tum ex parte mobilis forte, saltem de mobilibus, et corruptibilibus, hoc habet apparentiam : videmus enim aliqua mobilia, et nimio impetu velocitatis motus, statim dissolvi. Secundo hoc idem declaratur ex 4. Physic. text. comm. 72. de spatio et corpore replente, forte enim non potest reperiri in natura corpus replens locum, subtilius ipso igne. Ex parte tamen corporis et loci, non est repugnantia in infinitum ubi Commentator satis notanter scribit ad hoc propositum, quære ibi.

10. Ad tertium principale, distinguit de esse in potentia passiva, aut cum præcisione, aut sine. Primo modo procedit major, et sic minor est falsa : quia subjectum et est efficiens, et est subjectum respectu proprii. Primo modo non est potentia contradictionis ad ipsum, sed tantum secundo modo, ut patet. Sed contra hanc solutionem instat, ex 2. Physic. text. comm. 70. implicite tamen de non coincidentia materiæ et efficientis. Ad quod respondet notabiliter, distinguendo tam de materia, quam de efficiente. Materia enim alia ex qua, alia in qua, quod est subjectum. Similiter efficiens aliud cum transmutatione, aliud sine. Exemplum primi, ut calefaciens. Exemplum secundi, ut intellectus intelligens, forte et Deus creans, et sic de aliis. Dicit ergo quod auctoritas Aristotelis vulgata intelligi debet de materia, et efficiente primo modo sumptis. Sed instat contra hanc solutionem adhuc, quia videtur implicare contradictionem, idem videlicet esse in actu et in potentia simul respectu ejusdem. Efficiens enim, inquantum tale, est in actu, materia vero, inquantum talis, est in potentia, etiam materia in qua : si igitur subjectum respectu passionis est efficiens, et materia ; quomodocumque capiatur erit simul in actu et in potentia, respectu tamen ejusdem.

Materia et efficiens non coincidunt quomodo.

Ad hoc respondet dupliciter. Primo quod est fallacia ignorantiæ Elenchi, ut patet discurrendo per conditiones Elenchi, primo Elenchorum assignatas : oportet enim ad contradictionem inferendam recte, quod opposita dicantur de eodem simul, et secundum idem, et respectu ejusdem, et ad idem in respectivis. Est enim Elenchus Syllogismus contradictionis unius, et ejusdem non nominis tantum, nec etiam rei tantum, sed rei et nominis ; non synonymi, sed ejusdem, ex his quæ data sunt de necessitate accidere, non connumerato eo quod erat in principio, ad idem secundum idem, similiter et eodem tempore. Est igitur subjectum efficiens respectu passionis et materia, et ita secundum diversa est in actu, et in potentia, quia secundum rationem efficiens est in actu ; secundum rationem materia est in potentia. Licet igitur sit idem *quod*, habet tamen diversa *quo*, et hoc sufficit ad vitandum contradictionem. Aliter respondet, distinguendo de potentia, nam alia est abjiciens actum, alia stans cum actu. Prima dicitur ante actum, et potest dici respectiva actualis : secunda est cum actu, et potest dici absoluta, ut saltem respectiva aptitudinalis, de quibus habet videri super 1. et 3. Physicorum, et maxime in quæstionibus 9. Metaph. hujus et infra in Postprædicamentis notabiliter. Dicit igitur ad propositum, quod in subjecto respectu passionis est potentia, secundo modo, non primo modo, et ideo non sequitur illatum. 11.

Elenchi fallacia quæ.

De Tertio, potest primo dubitari de efficientia subjecti respectu proprii, ut tangitur in solutione quæstionis, et ultimi principalis, et etiam quæstione præcedente, et alibi sæpe in his Logicalibus, et reliqua doctrina hujus Doctoris. Videtur enim quod hoc non possit stare cum identitate reali ipsius ad subjectum, ut 3. dist. 1. quæst. 7. et 25. dist. 2. habet iste, videlicet quod relatio causæ et effectus requirunt diversitatem, nedum suppositalem, sed essentialem, et per consequens realem. Unde licet in divinis ad intra concedatur productio, non tamen causatio : sed Scotistæ communiter 12.

tenent identitatem realem passionis ad subjectum, tum quia eadem generatione generantur, et eadem corruptione corrumpuntur, tum propter eorum inseparabilitatem realem, etiam per quamcumque potentiam; tum propter necessitatem conclusionis demonstrationis, et sic de aliis, quæ habent videri alibi : igitur vel dicta Doctoris sibi contradicunt, vel aliquod horum fundamentorum est falsum.

Item, quare potius a forma, quam a materia speciei egreditur Proprium? mortalitas enim videtur convenire homini ratione materiæ, sicut risibilitas ratione formæ.

13. Item, videtur quod illa propositio, ***Non est possibile causam necessariam, et immediatam alicujus poni, nisi ponatur effectus*** (quam etiam quæstione præeunte habet) sit falsa, saltem de potentia absoluta Dei, et maxime in doctrina hujus, ut patet in 2. dist. 12. et in 4. dist. 12. ubi habet quod ***omne absolutum prius, realiter distinctum ab absoluto posteriori, potest separari, et separatim conservari***. Patet etiam de tribus pueris in camino ignis, nam ignis est causa necessaria, et immediata caloris, vel saltem calor calefactionis, seu caloris in calefactibili, et sic de aliis.

Item, posset ponderari, qualiter hæc propositio sit ab æterno vera, ***Homo est risibilis*** cum tamen non fuerit efficientia talis, nec principia realia, ex quibus egrederetur illa passio. Similiter nec quantitas, nec respectiva sunt de Genere activorum : quomodo igitur ibi erunt propria? similiter quomodo in secundis intentionibus, cum sola fabricatione intellectus habeant fieri. Plura alia possent ibi notari, sed relinquantur solerti lectori.

14. Ad ista, licet requirerent longum processum, breviter tamen pro nunc me absolvam : ubi primo notandum, quod de identitate passionis ad subjectum, in dictis hujus videtur ambiguitas, nam in quæstione 1. Primi, Metaphysicæ, et qu. 3. Prologi Sententiarum, videtur velle quod aliter in divinis, et aliter in creaturis, proprietas se habet ad suum subjectum, quia ibi realiter est idem, hic vero realiter consata, et per consequens realiter distincta, ut videtur. Similiter, in his Logicalibus videtur velle quod sint in diversis Prædicamentis, et per consequens distincta realiter, sustinendo distinctionem talem esse inter Prædicamenta, ut 5. Metaphysicæ habet ipse. Scotistæ nihilominus tenent identitatem realem passionis ad subjectum, et videtur intentio ejus in 2. Sententiarum, dist. 17. expresse, ubi dicit quod potentiæ animæ se habent ad animam, ut passiones ad subjectum, passio vero, inquit ipse, ebullit, seu egreditur, a subjecto, et ita est idem realiter ei, sicut ibi intendit ad propositum ostendere ex hoc identitatem potentiarum animæ cum essentia, et inter se. Difficulter invenies expressius hoc in doctrina ejus, sed potius oppositum, nisi bene exponatur.

Passio an sit eadem realiter cum subjecto.

15. Unde advertendum, quod ista se habent per ordinem, a se invicem abstrahendo, videlicet *dici*, *nasci*, *germinari*, *generari*, *produci*, *originari*, *pullulare*, seu *emanare*, aut *ebullire* ita quod *dici* est infimum, et *pullulare* supremum. Solet etiam distingui de passione extrinseca, et intrinseca. Exemplum primi ut accidentia inseparabilia, et sic forte tempus ponitur passio motus. Dicuntur autem extrinseca, non quin eveniant ab intrinseco, sicut quæstione præcedente tactum est : nec sic extrinseca, quia non de essentia speciei, quia sic omnis passio posset dici extrinseca, sed sic extrinseca, quia realiter causata in aliquo [illegible] per se existente, et absolute, licet non per se subsistentis. Exemplum secundi sicut *risibilitas*, quæ non dicit aliam rem absolutam [illegible] propter effectum respectu subjecti, talo etiam principium intrinsecum aliquando emanat a principiis subjecti, ut est proprium Speciei specialissimæ, vel saltem subalternæ, et hoc forte aliquando ratione materiæ, ut *mortale*, vel *habere* [illegible] in homine, vel ratione formæ, ut [illegible] Aliquando vero emanant ab essentia, vel quidditate illius cujus est

Passio extrinseca, et intrinseca.

proprium, sicut sunt propria transcendentia, et similiter in divinis.

16. Nunc ad argumenta per ordinem, dico quod Doctor intelligi debet ubique de efficientia extensive sumpta, hoc est, accipiendo magis abstractum implicite in minus abstracto explicite, id est, quod passio egreditur, ebullit, emanat, seu pullulat ex principiis, vel essentia subjecti. Unde ignorantia abstractionum multos errare facit, cujusmodi sunt obtusa capita, semper in valle nubilosa materialium, sensibilium et imaginabilium submersa, non valentia ad lucida montana quidditatum, et conceptuum mere intelligibilium, transcendere. Quare recte Augustinus, inquit quod *paucorum est ad sinceras veritates attingere et non nisi puræ animæ ad eas perveniunt*, ut egregie 3. dist. 1. quæst. 4. iste exponit; hac puritate purissimus certe erat Scotus noster, et sequaces plures, imo ut verum fatear, neminem vidi limpidum speculativum nisi dumtaxat Scotistam : habeant patientiam velint nolint detractores, quia coactus veritate loquor, sed hæc hactenus.

17. Loquitur igitur Doctor hîc de passione intrinseca et emanatione simpliciter necessaria, et non de passione extrinseca, et efficientia proprie dicta, sive fiat cum transmutatione Physica, sive non. Unde quod aliqui imaginantur hîc, salvando Scotum, videlicet quod subjectum est causa efficiens sine transmutatione, sicut etiam in solutione ultimi principalis hîc tangitur, nihil valet ad salvandum prædicta : quia sive fiat per transmutationem talem, sive non, dummodo sit proprie efficientia, arguit semper distinctionem realem, ut patet in creatione, et in productione actus intelligendi. Nihil enim seipsum gignit, nec efficit. Qui vellet etiam dicere quod loquitur Doctor hic famose, sicut communiter in his Logicalibus, posset probabiliter sustentare, sed prima responsio melior est. Tetigi autem in quibusdam notulis super quæstiones hujus in Metaphysicam, quæst. 1. qualiter potest glossari Doctor in illa prima quæstione, et quæst. 3. Prologi, ubi ponit differentiam inter passiones in creaturis, et proprietates in divinis. Notanter igitur dicit Doctor hîc in littera, quod proprium egreditur ex principiis subjecti, quod confirmant jam dicta : et quod loquitur hîc de efficientia extensive, et de proprio propriissime sumpto, quod est Speciei specialissimæ, vel saltem subalternæ, ut supra notavi. Stat igitur identitas realis cum emanatione, licet non cum propria extrinseca causalitate, et sic nulla controversia in dictis Aquilæ.

18. Ad aliud dico, quod quælibet pars definitionis est ut forma 7. Metaph. text. com. 35. Dato igitur quod conveniat aliquod proprium ratione materialis speciei, potest nihilominus dici quod inest etiam ei ratione formæ. Vel dic quod hîc sumitur *forma* pro quidditative specifica, ut quæstione præcedente tactum est. Sed quod ibi tangitur de *mortali*, dictum est supra copiose quæst. finali de Differentia. Potius videtur inesse ut proprium individui, quam speciei, sed ibi hoc notavi. Unde advertendum (et facit multum ad propositum) quod licet Philosophus, et expositores, et etiam iste Doctor, et alii Auctores, assignent plura pro passionibus, quæ nunc videntur quantitates, nunc qualitates, nunc relationes, etiam actuales, ut patet in Geometria, quare nimirum videtur ponere subjecta distincta realiter a talibus, et causare effective ipsa, sicut et cætera accidentia, nihilominus tamen secundum veritatem, proprium intrinsecum (de quo est hîc sermo) est tantum respectus aptitudinalis, consequens naturam speciei, in secundo vel in tertio saltem signo naturæ, cujus nulla causa effectiva, nec efficientia, potest assignari, nisi illa dumtaxat, quæ est speciei vel subjecti ejus, sive in re, sive in intellectu ponatur : ideo vere dicitur tale ebullire ex principiis intrinsecis, vel ex essentia, seu quidditate subjecti. Unde si risibilitas ponatur qualitas, et dicatur quod est passio hominis, hoc debet intelligi quantum ad aptitudinem, non quantum ad ab-

Proprium intrinsecum est respectus aptitudinalis.

solutum in risibili importatum ; de aliis eodem modo dicatur.

19. Unde notanter dicit Doctor, quod est potentia non abjiciens actum, ideo in Geometria *habere tres* ponitur passio trianguli, (quia conjungitur semper actus aptitudini) et hæc est communis doctrina Scotistarum cui adhæreo, quia inveni expresse in ipso 6. Metaph. quæst. 1 solvendo tertium principale hæc verba, quod videlicet *Conclusiones demonstrationis intelligendæ sunt de aptitudine, et non de actuali existentia*, hoc tene. Vocatur tamen proprium effectus, sicut loquitur Doctor hic extensive, ut dixi, cum tamen coeffectus deberet dici, vel aliquid ipsius effectus. Ubi tamen adverte quod licet proprie effectus dicatur in comparatione ad efficiens, est tamen nomen commune ad causalitatem quamcumque, sive intrinsecam, sive extrinsecam. Ita intellige hunc locum, et alia plura.

20. Ad aliud, patet ex dictis, quod loquitur hic de causa necessaria simpliciter immediata, et præcisa, et hoc loquendo de causa extensive, ut dictum est, et de effectu tali. Instantiæ vero adductæ ex fundamentis Doctoris procedunt de causa necessaria secundum quid, et non præcisa et proprie effective causante effectum, proprie et realiter distinctum et absolutum : quare nihil concludunt contra dicta. An autem caliditas sit proprium ignis et an possit separari a calore, infra habet videri.

Ad aliud dico, quod hæc fuit vera ab æterno in mente divina, *homo est risibilis* et quale esse habuit subjectum et principia ejus, tale habuit risibile. Sicut autem esse cognitum, et secundum quid tantum et possibile habuerunt illa, ita et istud.

Quod additur de quantitate et respectivis, licet aliqui velint quod tantum substantiarum sunt passiones, et posset colorari quoquomodo ex dictis hujus 6. Metaph. quæst. 1. tamen tenendo aliam viam, quæ verior est, dico quod licet illa non sint de genere activorum proprie Physice, sunt tamen Metaphysice. Similiter argumentum procedit de efficientia proprie dicta, hic vero loquimur de simplici emanatione, et sic illa sunt sufficientia principia.

Et quod ultimo additur de secundis intentionibus, supra, quæst. 6. tetigi hoc. Potest ergo dici, quod sicut intellectus dat eis entitates effective, ita dat aptitudines convenientes, et sicut suo modo habent principia intrinseca, ita et emanationem passionum.

Secundo dubitatur, circa solutionem primi principalis, cum dicit Doctor quod *risibile semper inest actu*. Contra quod non habet rationem entis in actu, non videtur posse inhærere actu, sed risibilis est hujusmodi, ergo, etc. Major patet, quia actu inhærere præsupponit actu esse. Minor habetur ex dictis hujus in Quodlibeto, quæst 2. articulo primo, contra Thomam, ubi dicit quod *aptitudo non habet rationem entis in actu, eo quod possit esse ad terminum non existentem* ; quod autem necessario exigit aliquid non existens, ipsum est non existens in actu quia relatio non est majoris entitatis termino, ut 8. distinct. 1. quæstione finali, et 13, quæst. Quodlibeti, et in simili 28. dist. 1. quæst. 3. habet ipse. 21.

Item cum prius natura sit ens in se quam inhæreat, videtur quod in illo priori habet aptitudinem ad inhærere, maxime cum inhærentia aptitudinalis sit passio cujuslibet accidentis, ut 7. Metaphysicæ, et 12. dist. 1. habet iste : male ergo dicit Doctor, quod *aptitudo non est inhærentia risibilis ad actum*.

Item risibilitas dicitur aptitudo hominis, et non aptitudo ipsius ridere, igitur in ordine ad subjectum illa aptitudo, et non ex parte ipsius proprii in se, ut dicit Doctor.

Ad primum dico, quod Doctor subtilissime, et singularissime respondet ad argumentum. Et cum dicis quod *aptitudo non habet rationem entis in actu*, ipse Doctor quæst. 13. Quodlibeti, solvendo argumentum principale, respondet ad hoc, dicens quod relatio quæ quantum est ex parte fundamenti, est actualis, et propter non entitatem termini est potentialis, ipsa denomi- 22

nat frequenter fundamentum, vel subjectum, quasi actualiter inesset : et exemplificat de inclinatione animæ separatæ ad corpus; et de actuali extensione scientiæ practicæ ad praxim ; et de mensuratione albedinis respectu colorum, et sic de aliis. Dico ergo quod in ordine ad fundamentum risibile est ens actu, et sic actu inhæret, ut dicit Doctor. Imo potest dici, quantum est ex parte fundamenti, quod homo semper rideat actu, ut patet in exemplis jam factis. Et si dicatur quod respectus essentialius dependet a termino, quam a fundamento, ergo principalius denominabitur talis, vel talis, a termino : hoc potest concedi ideo vocatur iste respectus aptitudinalis in ordine ad terminum principaliter : et quia non termino sed fundamento inhæret vel potius inest, dicitur respectus fundamentalis; et actualiter inhærens.

Risibile quomodo aptitudo, et actu ens

23. Dico igitur quod eo modo quo est actu ens, actu inhæret vel inest, si sic non repugnat modus inhærendi rei entitati. Exemplum de potentia materiæ, quæ ei actu inhæret, et ista respectu ejus potest dici actus, licet in ordine ad formam sit potentia. Unde sicut dictum est sæpe supra, de *quid* et *modus*, ita potest hîc imaginari, scilicet quod aliquid sit aptitudo, ut *quid*; et actus seu ens actu, ut *modus*. Similiter potest applicari hîc illa distinctio de actu formali, et entitativo, et de potentia duplici correspondente. Breviter ergo dico, quod cum dicitur *risibile actu inest*, ibi actualitas potest esse determinatio inhærentis, vel inhærentiæ. Primo modo non est vera, nisi extensive accipiendo *actum*, sicut dictum est de potentia, ut loquitur notanter in simili Doctor in Quodlibeto, quæst. 16. art. 2. de natura. Secundo modo est vera, et sic loquitur Doctor hîc, quia videlicet *inesse* risibilis est actualis, licet ipsum in se formaliter sit aptitudo.

24. Ad aliud dico, quod in respectivis non separatur inhærentia aptitudinalis ab actuali, sicut separari potest in absolutis, ut patet, ubi prius in arguendo allegatur Doctor. Ubi advertendum, quod non proprie in respectibus aptitudinalibus, seu in propriis passionibus, dicitur inhærere, vel accidere, ut 1. dist. 2. et 8. dist. 1. potest colligi de mente hujus sed bene convenire, vel inesse, ut loquitur caste Doctor, quia *accidentalitas*, *receptibilitas*, et *inhærentia* arguunt distinctionem realem proprie loquendo de rigore sermonis : propter tamen penuriam nominum utitur Doctor hoc termino *inhærentia* Dato igitur quod in risibilitate in illo priori naturæ, in quo quomodo præcedit inesse subjecto, includatur aptitudo ad inhærendum, illa tamen non est aptitudo, quam formaliter importat nomen *risibilis*, sed est ad *ridere*, et non ad actu inhærere, vel inesse.

Passiones proprie non dicuntur accidere subjecto

Vel posset negari quod in illo priori insit sibi talis habitudo, quia, ut sic, est tantum ipsa, nec prius est, quam insit fundamento, cum sit fundamentalis, et sic negaretur fundari aptitudo in aptitudine, ut fingit frater Joannes Foksal hîc. Et cum dicitur quod *inhærentia aptitudinalis sit passio*, etc. potest dici quod verum est in his quæ sunt vere accidentia, et per consequens realiter distincta a subjecto. Qui voluerit tenere aliam viam, dicat consequenter. 25.

Ad aliud, concedo quod dicitur aptitudo hominis, non tamen in ordine ad *inhærere*, seu *inesse*, sed in ordine ad *ridere* : est enim aptitudo actu fundamenti, sed potentia termini plerumque, et ideo notanter valde dixit Doctor, quod *est ridere aptitudinaliter*, ut denotetur actus inhærentiæ, et aptitudo termini. Est enim ibi actus entitativus formalis, et virtualis, et potentia objectiva formalis, et subjectiva.

Tertio dubitatur, circa solutionem secundi principalis, quia licet, ut dictum est, illa solutio sit apparens multum, et infra etiam, quæst. 2. de Accidente idem recitat, tamen quia 7. Metaph. quæst. 2. aliter sentit, videtur quod vel hîc, vel ibi, minus bene dicat. Ibi enim recitat tres modos dicendi aliorum, exponentium illam prioritatem substantiæ tempore, respectu accidentis, quorum tertius est iste, quem hîc 26.

ponit, et ipsum ibi satis subtiliter impugnat, et ultimo, ponit opinionem propriam. Posset etiam dubitari circa illa exempla ex Philosopho, in naturalibus, adducta, sed quia sunt alterius considerationis, omitto ea pro nunc.

27. Ad hoc potest dici breviter, sicut supra sæpe notavi, quod ad præsentem speculationem, ubi tantum per accidens considerantur ista realia, sufficiebat Doctori recitare aliquam viam probabilem exponentium Aristotelem, et inter omnes aliorum illa videtur efficax expositio, igitur satis erat illam recitare. In Metaphysica vero, ubi fuit locus proprius determinandi veritatem realem, altius investigavit Doctor expositionem dicti Aristotelis, et ita nulla absurditas est in dictis ejus. Sed si quis vellet simpliciter tenere hanc expositionem in Aristotele, non erit difficile declarare, etiam ad mentum Doctoris, argumenta quæ facit ibidem, contra ipsum, quod indagini altiori relinquatur, multa enim subtili lectori omittenda sunt.

28. Circa solutionem tertii principalis, non oportet immorari, quia omnia quæ ibi tangi possent, ex præcedentibus solvi possunt, videlicet quomodo est ibi potentia, extensive loquendo, et non ante actum, imo omnis potentia passiva potest negari, nisi in ordine ad terminum aptitudinis : loquitur tamen Doctor famose de Proprio, ut prius notavi : similiter patet quomodo est causa efficiens ejus. Et quomodo debet intelligi ibi efficiens sine transmutatione, et sic de aliis, quæ gratia brevitatis postpono, ad altiora accidentium montana volando. Ea quæ dicta sunt per totum de Proprio primo intellectualiter sumpto applicabis in actu *signato* ad Proprium Logicum. Est enim Universale, et recte definitur, et distinguitur ab Accidente, et semper inest. Ex paupere *usbario* hæc dicta sunt de *Proprio*. Qui proprietarius est, plura, si velit, addat.

QUÆSTIO XXXIV

Utrum Accidens sit de numero Universalium

Vide citatos quæst. 12. et eamdem pene repetit.

Quod non videtur : quia quod est in singulari, est singulare, nam receptum est in recipiente per modum recipientis: sed accidens est in singulari, ut habetur 5. Metaph. cap. de Eodem : ergo accidens commune est singulare, et illud accidens est illud, de quo hic agitur, ut patet per Porphyr. cap. de Genere in divisione, quam ponit ad notificandum definitionem Generis, dicentem, *et accidentia communia, sed non propria alicui.* 1. Argumenta pro parte negativa.

Item, Ens, 5. Metaph. dividitur in substantiam, et accidens. Ista divisio si valet, est per opposita, sed res primæ intentionis, non opponitur rei secundæ intentionis : ergo cum substantia, quod est alterum membrum divisionis, sit res primæ intentionis, accidens non erit res secundæ intentionis : igitur nec species Universalis.

Item, nulla res secundæ intentionis prædicatur per se de re primæ intentionis, sed hæc est prædicatio per se, *Qualitas est accidens* : ergo, etc. Probatio minoris, hæc est per se, *Qualitas est ens*, ut patet per Aristotelem 2. et 4. Metaph. sed expressius 8. context. ult. sed ens non habet alium intellectum, nisi substantiæ, et accidentis : ergo cum substantia non prædicetur per se de Qualitate, et ens prædicetur, sequitur, quod accidens prædicatur per se de illa.

Item, nulla species ipsius Universalis vere inest singulari, ut patet inductive, hæc enim est falsa, *Hoc animal est Genus*, *hic homo est species* ; sed hæc est

vera, *Hæc albedo est accidens* quia definitio Accidentis, scilicet *quod adest, vel abest*, etc. dicitur de hac albedine; ergo Accidens hîc definitum, non est species Universalis.

Ad oppositum est Porphyr. et Aristoteles 1. Topicorum ponens Accidens quartum prædicatum.

2. *Conclusio Accidens sumitur multipliciter.* Ad quæstionem dicendum, quod Accidens est de numero quinque Universalium, ut hîc sumitur. Sed intelligendum, quod hoc nomen *accidens* sumitur multipliciter, uno modo est nomen primæ intentionis, et sic est æquivocum ad duo, ut dicitur 5. Metaph. in fine, cont. ult. quia uno modo dicitur idem quod *contingens in paucioribus*. Alio modo est idem, quod *adveniens enti in actu* post ejus esse completum, et hoc modo loquitur Metaphysicus dividens *Ens* in *substantiam*, et *accidens*, et illud accidens sic sumptum, est æquivocum ad 9. Prædicamenta. Alio modo est nomen secundæ intentionis et sic uno modo significat idem quod *extraneum*; prout sumitur in Elenchis, in fallacia Accidentis. Alio modo significat idem quod secunda intentio, scilicet quodlibet quod causatur a sola consideratione intellectus, et isto modo omnia quinque Universalia sunt accidentia. Alio modo significat idem quod prædicatum non essentiale, et sic distinguitur contra prædicatum essentiale, et est commune duobus ultimis Universalibus, et sic ponitur in definitione Proprii. Alio modo dicitur idem quod prædicatum non essentiale, nec per se, nec convertibile: et sic est quintum Universale. Et patet quod sic sumptum prædicatur de pluribus, et habet modum prædicandi distinctum ab aliis: sic enim præter materiam, et formam, quæ sunt essentia rei; et accidentia egredientia ex illis principiis per se, est reperire aliqua consequentia essentiam, non per se, nec convertibiliter: sic præter prædictos modos prædicandi in *quid*, et in *quale essentiale*, et *accidentale convertibiliter*, est alius modus prædicandi in *quale accidentale non convertibiliter* sumptus a modo essendi in re, et tale prædicatum dicitur *accidens*, ut hîc sumitur, in quod descendit Universale per istum modum prædicandi, sicut in alia Universalia per alios modos prædicandi.

Ad primum argumentum, dico ad minorem, quod hæc intentio, *accidens*, est in subjecto communi, ut in *albo*, vel in aliquo consimili, cui applicatur, sicut species in hoc communi subjecto *homo*, et similiter dictum Aristotelis 5. Metaph. est de illo, cui applicatur hæc intentio *accidens*; quia illud primo inest singulari; quia non consequitur principia Speciei secundum se. 3. *Ad argumenta.*

Contra, si illud cui applicatur hæc intentio, sit in singulari primo; ergo est singulare, ergo et hæc intentio, quæ est in illo, est singularis, et sequitur idem quod prius. Dico, quod cui applicatur hæc intentio, ut *album*, secundum esse materiale est in singulari primo, sed sic non est subjectum intentionis: sed secundum quod consideratur ab intellectu, sic est ei extraneum esse in singulari: unde in argumento est fallacia Accidentis.

Ad secundum, et tertium patet; quia procedunt ut *accidens* est res primæ intentionis, nam sumendo *accidens* sic pro uno novem significatorum, hæc est per se, *Qualitas est accidens*; sumendo autem pro intentione, est tantum vera denominative, sicut hæc, *Homo est Species*, nec inest isto modo *accidens* universaliter qualitati, quia non singularibus, nec cuilibet Speciei; quia aliqua Species qualitatis, est cui applicatur hæc intentio *proprium*, ut *risibile*.

Ad quartum dicitur, quod hæc est

falsa : *Hæc albedo est accidens*, ut hic sumitur *accidens*, sed est vera, ut ly *accidens* est res primæ intentionis. Ad probationem dico, quod Porphyrius per hæc verba, *adest, et abest* : circumloquitur prædicatum accidentale, non per se, vel non convertibile, ut dicetur infra, et illud non competit huic albedini ; quia *hæc albedo* non est prædicatum, sed *album*.

EXPOSITIO

4\. De Primo. Quid *accidens*, et quoties accipitur, patebit infra, in solutione hujus quæstionis, et quæstione sequente : sed conformiter dictis hujus 7. Metaph. quæst. 1. et 12. dist. 4. quæst. 1. *Accidens* accipitur uno modo pro conceptu, quem formaliter significat utpote pro ipsa accidentalitate, et sic est synonymum cum *inhærentia*. Unde *accidere* dicitur quasi evenire. Quære modos significandi ut scis. Alio modo *accidens* accipitur pro substrato, seu denominato hujus concreti *accidens*, formaliter accepti, et tunc potest dividi in reale, et rationis æquivoce: et utrumque membrum subdividi potest multipliciter, ut infra tangit, de quo in Topicis 5. Metaphysicæ, et in logicalibus, et etiam in naturalibus plerumque secundum ejus diversas significationes pertractatur.

Quid *numerus*, et quid *Universale*, patet fere supra. Ordo hujus quæstionis ad præcedentes, et sequentes, satis patet, sicut in simili supra, quæst. 1. de Proprio notavi. Divisio communis est.

5 De Secundo. Arguit primo pro parte negativa quatuor rationibus, quarum prima procedit ex fundamento Commentatoris 3. de Anima, comm. 5. et Boetii 5. de Consolatione, *Receptum* videlicet *est in recipiente per modum recipientis*. Et simile habet in 2. dist. 3. quæst. 6. de unitate numerali, et quidditate communi. Cum igitur accidens commune de quo hic est sermo, sit in singulari : imo primo est in singulari, ut habet Porphyrius in Communitatibus, et Philosophus 6. Metaph. [illegible] non habente commentum, sequitur quod sit singulare et per consequens non universale.

Secunda ratio procedit ex divisione entis 5. Metaph. text. com. 13. in substantiam et accidens, quæ divisio, si est bona, datur per opposita : cum ergo unum membrum utpote substantia, sit primo intentionale, reliquum etiam erit tale, aliter non opponerentur ut supra, quæst. 4. in simili dixit de substantia prima, et secunda, et per consequens non erit universale, quia omne Universale est secundo-intentionale, ut patet sæpe prius.

Tertia ratio procedit ex prædicatione per se accidentis de primo-intentionalibus accidentibus, quod non contingeret, si accidens esset universale, et per consequens secundo-intentionale. Pro majore quoque accipit illud quod supra, q. 9-10-11. pertractavit, de prædicatione scilicet secundæ intentionis ; per se de prima. Minor vero procedit, vel ex regula 2. Topic. scilicet quod *omne denominatum a superiori denominatur ab inferiori* : vel potius ex æquivocatione entis. Æquivocum enim ponit immediate sua significata, ita quod nullum alium intellectum importat : quare cum hæc sit per se et in quid, *Qualitas est ens* 5. 4. 8. et 10. Metaphysicæ, igitur erit per se substantia, vel accidens, cum ens significet immediate illa : non primum, ergo secundum, igitur accidens est primo-intentionale, et ita non universale, ut patet prius. 6.

Quarta ratio procedit ex applicabilitate Universalis, et specierum ejus fundamentis primo-intentionalibus, quia non singularibus, sed communibus fundamentis applicantur. Accidens vero applicatur fundamento singulari, ut hic *albedo est accidens*, quod probat per locum a definitione, et patet littera, sed in quo differat hoc argumentum a primo principali, [illegible], de quo infra statim.

7 Ad oppositum adducit Porphyrium, et Aristotelem 1. Topicorum. Deinde ad quæstionem respondet, tenendo partem affirmativam, specificando tamen de Accidente, Accidens [illegible]

Pro cujus declaratione præter jam prius dicta de multiplici acceptione *accidentis*, distinguit notabiliter de Accidente, primo-intentionaliter videlicet, et secundo-intentionaliter dicto, et illa est divisio æquivoci in æquivocata, et utrumque membrum dicit adhuc esse æquivocum. Pro primo recitat dictum Philosophi 5. Metaph. in fine (ubi communiter libri habent 8. Metaphysicæ in fine, et male) et 6. Metaphysicæ, text. comm. 6. et inde idem habetur : uno modo idem est quod contingens in paucioribus, de quo 2. Physicorum, et alibi sæpe habetur. Casus videlicet, vel fortuna, quæ dicuntur accidentia, quia causæ per accidens.

Alio modo, quod advenit realiter rei in actu, post ejus esse completum, et utrumque dicitur primo-intentionale, quia habent esse, seclusa collatione cujuscumque potentiæ comparantis. Et addit quod accidens, illo secundo modo sumptum, dividit ens ex opposito substantiæ. Quale ens sic communiter sumptum est æquivocum ad decem Genera vel secundum aliam litteram, accidens sic sumptum est æquivocum ad novem Genera. Utraque littera potest bene stare. Ibi enim, ut patet, enumerat Doctor quinque æquivocantia per ordinem. Primum ens, secundum accidens, tertium accidens reale, quartum accidens reale per informationem, quintum accidens intentionale, de quo statim magis.

8. Prosequitur autem aliud membrum principale, scilicet accidens intentionale, quod, inquit, est æquivocum, quia uno modo significat idem quod extraneum, ut in fallacia Accidentis in Elenchis sumitur. Alio modo significat omne quod fit per opus collativum intellectus, seu voluntatis, et sic omnes secundæ intentiones, imo omnia entia rationis dicuntur accidentia, et ita quinque Universalia dicuntur accidentia, etiam quidditative forte.

Alio modo sumitur, ut distinguitur contra prædicatum essentiale, sicut supra, quæst. 2. de Proprio, tactum est : et sic est commune Proprio et Accidenti tantum, tanquam genus propinquum forte, ut supra, cap. de Differentia, quæst. 5. notavi. Ultimo significat idem quod prædicatum nec per se, nec essentiale, nec convertibile, et sic est ad propositum hîc quintum Universale, quod declarat sicut prius de aliis per hoc quod habet conditiones requisitas ad rationem Universalis. Primo, quia prædicatur de pluribus, ut actus *signatus* verificatur in *exercito* in fundamentis, sequitur enim, *Accidens prædicatur de pluribus, ergo Socrates est albus : lapis est albus, lignum est album*, et sic de aliis.

Et quod sit distinctum Universale ostendit, per distinctum modum prædicandi ejus, ultra rationem Universalis, tanquam per differentiam, vel differentias plures, circumloquentes unam ultimam, quod est *in quale accidentale non convertibile*, seu *commune*, de quo magis quæstione sequente erit sermo. Quod declarat notanter, recurrendo ad proprietatem fundamenti, unde oritur intentio Accidentis. Sicut enim intentio Generis a materiali in materia specifica ; et Differentiæ a formali, et Speciei a totali, seu tertia entitate ; et Proprii ab accidentibus egredientibus a principiis intrinsecis, seu forma specifica originaliter habent esse, et occasionaliter, licet effective completive ab intellectu, ita intentio Accidentis ab accidentibus evenientibus, aut ratione materiæ, aut qualitatum activarum, aut ab extrinseco, ut supra dictum est, originaliter habetur, et sic est correspondentia vera requisita hîc, sicut in aliis. Unde sequitur alietas modi prædicandi in intentionibus, ab alietate modi essendi in rebus. In quibus verbis tetigit Doctor paucis ea, quæ copiose sæpe prius notavi. 9.

Universalium intentiones quomodo applicantur fundamentis.

Consequenter respondet ad argumenta principalia. Ad primum negando minorem, loquendo de Accidente, ut hîc sumitur secundo-intentionaliter ; sed sic tantum communi applicatur, ut albo. Ubi notanter dicit *albo*, et non *albedini*, ut infra, quæstione finali magis explicabit. Applicatur enim intentio quælibet horum quinque 10.

fundamento sub illo modo significandi, secundum quem fundamentum est prædicabile in actu *exercito*, juxta naturam, et exigentiam illius Universalis : quare cum albedo non prædicetur de subjecto, sed album, accidens non albedini, sed albo applicatur. Fundamentum tamen accidentis est in singulari, et de illo loquitur Philosophus in 5. Metaphysicæ, et Porphyrius cap. de Genere, imo primo est in singulari ut ibidem, et in Communitatibus habet Porphyrius, et per oppositum est de accidentibus propriis.

Contra hanc solutionem instat, quia quod est in eo quod est in singulari, videtur esse in singulari : sed intentio accidentis est in albo subjective, et album per te est in singulari, ergo et intentio talis,et ita remanet difficultas argumenti principalis.

Respondet notanter, recurrendo ad ea quæ supra, qu. 9-10-11. de triplic acceptione significati termini communis dixit, et qu. 14. de fallacia Accidentis in simili, dicens quod fundamentum est in singulari secundum esse materiale ejus, et sic extraneatur intentioni, et e contra : secundum autem esse cognitum comparatum, inest ei intentio : quare est accidens in argumento, *Album est in singulari, accidens inest albo, ergo in singulari*. Posset etiam dici, quod *album* in majore et minore est duo termini, et ita variatur medium, ut patet.

11. Ad secundum, et tertium respondet unica solutione, quod procedunt de accidente primo-intentionaliter sumpto in ultima acceptione ejus, et ita non dividit accidens ut hic accipitur ens contra substantiam, quoad secundum argumentum, nec prædicatur per se de aliquo novem Generum, sed accidens primo-intentionale pro uno significatorum, quoad tertium argumentum. Concedit tamen quod denominative prædicatur accidens sumptum hic de quolibet novem Generum, licet non universaliter, ut jam dictum est, quia non de omnibus suis inferioribus, utpote non de singularibus, nec de qualibet etiam specie, ut supra, quæst. 3. de Proprio, [illegible] est quia aliqua talis est proprium. Et exemplificat specialiter in qualitatibus. Licet enim qualitas, vel potius *quale*, ut supponit pro albo et nigro, sit accidens, non tamen ut supponit pro risibili, quia risibile est proprium hominis, et non accidens commune, ut patet : hæc ergo est vera, *Qualitas, vel quale est accidens*, non tamen hæc, *Omnis qualitas est accidens*, nec hæc, *Omnis species qualitatis est accidens* : est ergo æquivocatio in illis argumentis.

Ad quartum, negat minorem, sed quia etiam ibi est æquivocatio, posset distingui minor.

Ad probationem per locum a definitione, exposuit notabiliter Porphyrium, ut quæstione sequente, magis explicabitur. Nihil enim est accidens, ut hic loquimur, nisi quod est de pluribus actu *exercito* simul prædicabile : hujusmodi non est hæc albedo, nec hoc album, quare non est accidens secundo-intentionale. Plura hic addat lector, quia festino cum Herculeis structuris fabricis Ferrariensibus. Ex prædictis namque quæstionibus, et declarationibus earum, bonæ indolis habet facilem aditum ad hæc, et sequentia plerumque, quare parce brevitati.

De Tertio, primo circa solutionem quæstionis occurrunt aliqua motiva : videtur enim quod accidens non sit ponendum Universale, quia non habet rationem prædicabilis, cum tantum per accidens prædicetur ejus fundamentum 1. Posteriorum, et alibi sæpe. Prædicari autem per accidens est quasi secundum quid prædicari : non ergo accidens erit prædicabile per se ; nam sicut dependens a contingenti non est necessarium, ut [illegible] dist. 1. [illegible] nec dependens a per accidens erit per se. Sequeretur etiam quod intentio Accidentis posset applicari subjecto respectu accidentis, sicut e contra, quia ibi est prædicatio per accidens, sicut hic, ut patet 1. Posteriorum, ubi ponuntur tres gradus prædicationis per accidens, quorum secundus est prædicatio subjecti de accidente : hæc 12

ergo, *Album est lignum*, est per accidens, igitur lignum est accidens, quod videtur absurdum. Accidens etiam non est natum inesse subjecto, nisi in suis singularibus. Primo ergo singularia primo habent rationem accidendi, seu inhærendi. A proprietate autem inhæsionis accidentalis in fundamentis, movetur intellectus ad fabricandum intentionem, cui ergo principalius inest talis proprietas, ei principalius inest intentio accidentis, quod non posset esse, si esset universalis, quare, etc.

13. Item, non videtur quod accidens quærat pluralitatem subjectorum, nec actu, nec aptitudine, sicut Genus, Differentia, Species, seu Proprium, quia aptitudo, et potentialitas inhæsionis ejus sufficienter terminatur in unico subjecto.

Rursus, circa illam divisionem multiplicem accidentis possent plura tangi. Primo qualiter æquivocum in æquivoca dividitur; et similiter æquivocum in univocum et æquivocum. De illis duobus primis membris accidentis primo-intentionalis non oportet hic pertractare, quia pertinent ad scientias reales. Videatur iste pro primo, in 6. Metaphysicæ, quæst. 2. et in 5. Metaphysicæ, et 7. et infra in Prædicamentis, et alibi sæpe pro secundo. Similiter quod ibi tangitur de æquivocatione entis decem Generibus, seu accidentis novem Generibus, videtur ambiguum in doctrina ejus, ut patet.

14. Quantum ad primum membrum secundi principalis, scilicet accipiendo accidens pro extraneo, non oportet hic immorari, quia super libros Elenchorum, quæst. 43. et sequentibus habet copiose videri. De secundo membro posset dubitari, an scilicet secunda intentio in communi, quæ dicitur Accidens, sit prædicatum essentiale, vel accidentale respectu omnium aliarum, et an Accidens, ut est quintum Universale, possit ei ut *modus* applicari. De tertio membro posset dubitari, qualiter tunc non essent plura, quam quinque Universalia. Similiter, quare potius *in quid* respectu Generis, et speciei sit æquivocum, et *in quale* respectu essentialis, et accidentalis, quam *in quale accidentale* respectu convertibilis, et non convertibilis.

De quarto membro, dubitatur primo, quia accidens respectu hujus, et illius, est prædicatum essentiale, sicut Species, et Genus, igitur Accidens est prædicatum essentiale. Secundo, quia quartus modus perseitatis est accidentis de subjecto, ut patet, ergo Accidens est prædicatum per se. Similiter ratio Generis per se convenit speciei, sed Accidens est Species Universalis, cujus ratio est *prædicari de pluribus*, ergo prædicari de pluribus per se convenit Accidenti. Tertio, videtur quod plura accidentia possent poni convertibilia respectu subjectorum, ut corrumpi forte respectu compositi, et transmutari substantialiter materiæ, et quantitas materiæ, et sic de aliis; an etiam ordinate, an superflue ponat illa tria, *essentiale* scilicet, *per se*, et *convertibile*, posset dubitari. Circa illam declarationem, in fundamentis etiam, possent plura ponderari : videtur enim supponere quod tantum in substantiis reperiuntur Genera, Species, et Differentiæ, et similiter Proprium, et Accidens : similiter, quod a materia Genus, a forma Differentia accipiantur, quæ falsa sunt, quia reperiuntur in omnibus speciebus materialium, et immaterialium, et universaliter decem Generum. 15.

Sustinendo tamen dicta omnia Doctoris, ad ista per ordinem respondetur. Ad primum dico, quod sicut in entibus, et entium connexione, datur ordo, ita in modo prædicandi. Entium autem alia principalia, et essentialiter inclusa, et hoc in omni genere, licet principalissime in genere Substantiæ : quare eodem modo prædicationum erunt aliæ principales, et perseicæ; aliæ minus principales, et per accidens : et concedo quod, respective loquendo, secundæ sint secundum *quid* respectu primarum, sicut accidens respectu substantiæ est tanquam non ens simpliciter, tamen in suo ordine, et genere, sunt tales. Advertendum tamen, quod *propositio dici-* 16.

Propositio dicitur per accidens tripliciter.

tur per accidens tripliciter. Primo quando alterum extremorum est accidens inhærens alii, quod contingit tripliciter, vel quando accidens de subjecto, vel e contra; vel quando accidens de accidente, accidentaliter tamen prædicatur. Secundo modo dicitur propositio per accidens, ut distinguitur contra propositionem primo veram, ut hic, *Isosceles tres habet.* Tertio modo, quando prædicatum est extraneum intellectui subjecti, ut *Animal est homo*, et universaliter quando inferius de superiori dicitur. Isti tamen duo ultimi modi non sunt ad propositum hic, ut patet ex æquivocatione accidentis hic assignata.

17. Est ergo accidens prædicabile per se per accidens, seu accidentale, ut ly *per se* determinat inhærentiam, licet non inhærens, sicut accidens est per se ens, ut supra, quæst. 9-10-11. dictum est, et quæstione sequente magis apparebit. Probatio ibi tacta ostendit quod non est prædicabile per se, ut ly *per se* determinat inhærens, et non aliter. Posset etiam dici quod sicut est major unitas in intentionibus, quam in rebus, ita major perseitas.

Quod consequenter tangitur ibi de applicatione intentionis accidentis subjecto, posset probabiliter illud concedi, ex fundamentis hujus, specialiter in 3. dist. 7. quæst. 1. ubi dicit quod non est de ratione hujus secundæ intentionis *accidens* applicari præcise intentioni primæ, quæ a Metaphysico dicitur accidens, sicut nec de ratione Generis, seu Speciei applicari duntaxat fundamentis de genere Substantiæ, et exemplificat, ut argumentum tangit, de ista, *Album est lignum*, tamen de facto, inquit Doctor, non applicatur intentio accidentis alteri fundamento, quam accidenti Metaphysico. Tunc ad argumentum, nego quod infertur.

18. Ad probationem de gradibus prædicationis per accidens, dico, quod Philosophus accipit ibi *prædicari* extensive, ut se extendit ad directe, et indirecte prædicari: et duo ultimi gradus habent reduci ad primum. Unde 1. Poster. text. com. 35. dicit quod hæc est per accidens, *Album est lignum*, quia significatur quod illud cui accidit album, est lignum, quod exponitur ut patebit infra, quæst. 8. Antepraedicamentorum. Applicatur igitur intentio Accidentis, et cujuslibet Universalis fundamento, quando quod natum est prædicari, prædicatur; hoc est, in prædicatione formali, et non materiali, quæ non est proprie prædicatio, ut supra notavi.

Et quod ultra tangitur de inesse accidentis subjecto, primo dico quod procedit secundum esse materiale accidentis. Intentio vero applicatur ei secundum esse comparatum, seu intelligibile, aut potius cognitum, et in suppositione simplici, sicut de fundamento Speciei et Generis, suo modo, intelligendum est. Nam licet habeant verius esse reale in suis singularibus, non tamen intellectus attribuit eis intentiones pro tali esse, ut patet. A proprietate igitur abstracta movetur intellectus, et subjecto abstracto applicatur intentio. [illegible] applicantur.

Ad aliud dico, sicut dictum est supra, cap. de Genere, proportionaliter loquendo, quod fundamentum accidentis habet plura inferiora, et similiter ipsum accidens, et sicut commune ad commune, ita particulare ad particulare. Non dico particulare singulare ex parte fundamenti, licet bene ex parte intentionis. Verbi causa, album habet plura inferiora, cui applicatur intentio accidentis, etiam hujus accidentis; hoc igitur accidens est prædicabile de pluribus in actu signato, sicut hoc genus, vel hæc species, et habet exerceri in fundamentis, mutata suppositione fundamenti. Licet igitur terminetur sufficienter habitudo cujuslibet accidentis singularis ad unum subjectum secundum esse reale; non est tamen ita de accidente communi, seu abstracto, supponente pro pluribus inferioribus. Fundamentum igitur Accidentis, quia est genus vel species, habet de necessitate, et per se requirit plura, de quibus per se prædicatur, et in quid. Similiter Proprium et Accidens requirunt plura, quia illa eodem licet alio modo prædicandi, quod ap- 19.

plica tam in actu *signato*, quam *exercito*.

20. Potest ergo concedi, quod Accidens non primo, et per se, inquantum Accidens, requirit illa plura, sed secundario, et per accidens : ideo recte dicitur prædicari de pluribus accidentaliter, ut est intentio. Similiter comparando fundamentum accidentis ad subjectum ejus, vel subjecta potius, quia talia sunt plura, vel ejusdem, vel alterius rationis : quare accidens in actu *exercito* prædicatur de pluribus. Est igitur hic pluralitas multiplex. Primo subjectorum primorum, seu remotorum, quibus tamen accidit quod sint ejusdem rationis, inquantum de eis prædicatur accidens, ut album de Socrate, et Platone, seu de homine, et ligno. Differunt enim quæcumque subjecta ad invicem uniformiter, inquantum accidentis ejusdem rationis subjecta, et e contra : quia differentia materialis est numeralis, inquantum talis. Secundo est pluralitas fundamentorum, seu subjectorum propinquorum intentionis accidentis, utpote albi, et nigri, quibus etiam accidit, ut sic, quod conveniant in aliquo communi, ut in colore, vel in quali, quia, ut sic, potius Speciei, quam Accidentis intentio eis attribuitur.

Multiplex pluralitas in accidentibus.

21. Est etiam pluralitas suppositorum cujuslibet talis fundamenti, cum sit commune, respectu quorum potest dupliciter considerari tale commune, vel ut præcise inclusum in eis in se quidditative, et sic ei attribuitur intentio Generis, vel Speciei respectu ipsorum, vel ut inclusum in eis accidentaliter in subjectis inclusis : et sic ei applicatur intentio Accidentis respectu ipsorum, semper salvando alietatem acceptionis significati termini, et varietatem suppositionis, ut nosti. Et præter hæc quarto, pluralitas suppositorum ipsius Accidentis, ut est intentio : nam prædicatur de hoc, et de illo, quæ sunt differentia solum numero, vel forte specie, sicut prius de aliis Universalibus tetigi, respectu quorum etsi sit accidens ut *quid*, et e contra, est tamen species, vel genus ut *modus*, et non accidens, licet forte in ordine ad subjectum, cui applicatur, possit dici accidens ut *modus*, sicut et cætera Universalia. Similiter illa plura sunt singularia ut *modus*, et non accidens, nisi, ut prius dictum est, comparentur.

Posset forte adhuc ibi reperiri pluralitas 22.
suppositorum alterius denominationis, respectu ipsius intentionis, videlicet differentia specie, vel numero, sicut respectu Generis, vel Speciei, suo modo, quod tamen considerabis bene, quia non assero, sed potius oppositum, nisi multum per accidens, ut jam tetigi, et hoc inquantum est accidens.

Quod ibi consequenter additur de illis divisionibus accidentis, alias notavi, et maxime qu. 4. Anteprædicamentorum, quod non est inconveniens æquivocum in æquivoca immediate dividi, non quod ibi stet divisio, sed ut denotetur ordo vocum in significando eadem significata : supra etiam, cap. de Differentia, hoc idem tetigi. Similiter dicatur de divisione æquivoci in univocum, et æquivocum. Est enim talis divisio æquivoci in æquivocata, licet non immediate, aut ex parte utriusque extremi, aut alterius : quod intelligo loquendo de immediatione signi, non significati. Ibi etiam posset fieri vis de illa divisione accidentis, quam ponit 7. Metaph. qu. 1. et 12. dist. 4. qu. 1. in formale, et pro denominato, ut supra notavi, qualiter convenit, vel discordat ab ista, et an inhærentia sit æquivocum accidenti reali, et rationis ; et plura alia, quæ habent videri alibi.

Ad motivum de æquivocatione entis et accidentis dixi supra, quæst. 12. et quæst. 4. Anteprædicamentorum, et alibi sæpe.

Ad aliud de prædicatione secundæ in- 23.
tentionis, potest dici, quod est prædicatum *essentiale* ut *modus*, respectu suorum per se inferiorum, et quod est accidens ut *modus*, respectu subjecti cui accidentaliter attribuitur. Nec inconvenit inferius, ut *quid*, dici de superiori ut *modus*, et ita inferius continere superius, et e contra, diversimode loquendo, ut supra, quæstione 6. copiose notavi, et alibi.

Ad alia de pluralitate Universalium, et de æquivocatione ipsius *in quid*, et ipsius *in quale*, et de univocatione *in quale accidentale*, dictum est supra, quæst. 5. de Differentia, ad plenum, et quæst. 12. aliquantulum, sed pro nunc addo hæc pauca, quod scilicet sicut substantiæ et accidenti non ponitur aliquid proprie logice univocum, ita nec *quali accidentali, et essentiali* : ipsum tamen *quale accidentale* potest poni univocum proprio et Accidenti, propter eorum majorem convenientiam, et in nomine et in conceptu, quod contrahitur consequenter per differentias ulteriores, videlicet *convertibile, et non convertibile*. Nec est simile de *in quid*, quia hic non reperitur ratio partis et totius, sicut ibi. Vel si volueris ponere æquivocationem ejus, dic ut ibi consequenter notavi. Elige quod melius videbitur, et dic consequenter. De numero vero Universalium habes probabilia, quæ ibidem assignavi satis ingeniose.

24. Ad alia quæ tanguntur de quarto membro, dico ad primum, quod non comparatur accidens in proposito ad illam pluralitatem, ut dixi prius, quia respectu talium non accidens, sed species dicitur.

Ad secundum de perseitate quarti modi, quod satis dubium est de illo modo, secundum quod Auctores varie tractant de illis modis 1. Posteriorum. Sed breviter pro nunc dico cum Linconiensi 1. Posteriorum quod tantum sunt duo modi inhærendi per se, scilicet primus et secundus, tertius autem est modus solitarie essendi, et quartus est modus causandi : et sic optime dixit Doctor, quod accidens commune non per se inest, licet per se forte causetur, vel habeat per se causam, de quo non refert modo. In quarto autem modo forte aliud est subjectum propositionis, seu locutionis, et aliud accidentis, ut habet videri, 1. Posteriorum. Dato etiam quod quartus modus esset modus inhærendi, ut aliis videtur, nihil ad propositum, quia loquitur hic de perseitate simpliciter necessario inhærentis, cujusmodi est tantum perseitas primi et secundi modorum,

Quot sint modi inhærendi per se.

ut patet. Quidquid igitur dicant Alpharabius, Albertus, et Thomas, hæc sententia divi Linconiensis placet.

Ad tertium, jam in principio primi dubii tetigi, quod ratio Universalis per se convenit Accidenti, et ita *prædicari de pluribus*, sed non illi stando, quia per hoc non habetur ratio accidentis, sed addendo *in quale accidentale, non convertibile* ; et hoc totum illud convenit ei per se, ut determinat inhærentiam. Sed si ex hoc inferatur, ergo non prædicatur per accidens, vel in quale accidentale ; non sequitur, ut patet, de quo amplius in quæst. sequente pertractabitur.

Accidens [illegible]

Ad aliud, potest negari convertibilitas cujuscumque accidentis, respectu cujuscumque subjecti ; nec exempla illa hoc ostendunt, nisi capiantur in aptitudine, et etiam non erant accidentia, ut hic loquimur, de hoc infra magis. 25.

Quod ultimo tangitur de illis tribus, scilicet *essentiali*, *per se*, *et convertibili*, potest dici quod nihil superfluum ponit Doctor. *Essentiale* enim, extensive loquendo, potest poni esse in plus, quam *per se*, et *per se*, quam *convertibile*. Vel potest sufficienter ad propositum dici, quod ponit *essentiale* propter prædicata primi modi ; *convertibile* autem propter prædicata secundi modi ; et *per se* propter utrumque : sed de hoc parum refert, quomodocumque exponatur judicio boni viri, cum non sit articulus Fidei. Voluit breviter Doctor ostendere, quod præter *Genus, Differentiam, Speciem, et Proprium*, quæ sunt prædicata essentialia quantum ad tria prima ; et per se, quantum ad omnia ; et convertibilia, quantum ad quartum ; est dare quintum prædicatum, quod est *Accidens*.

Ad ultimum de illa definitione, dico quod Doctor loquitur in manifestioribus, et quomodo intelligi, et exponi universaliter debeat, dixi copiose supra, quæstione 13 cap. de Genere sæpius, et in Antepræedicamentis, et aliis plerumque.

Secundo, circa quædam dicta in solutione argumentorum occurrunt aliqua notanda. 26.

Primo, quare dixit Doctor in solutione primi principalis, *accidens inesse albo potius, quam albedini*, cum tamen hæc sit vera, *Albedo est accidens*, accidens autem est in eo, ut in subjecto quod denominat, ut supra, quæst.9 10 11.dictum est.Cætera dicta in illa solutione, tacta sunt jam supra.Secundo, videtur quod male dixit in solutione secundi, et tertii principalium, quod *qualitas sit accidens*, ut hic est sermo de accidente, quia qualitas est abstractum a subjecto, debuit igitur dicere *quale*, sicut prius dixit *album*, et non *albedo*.

Item, quomodo sumendo accidens pro uno novem Prædicamentorum hæc erit per se, *Qualitas est accidens*, cum tunc nihil aliud dicatur, quam quod qualitas est qualitas et tunc est prædicatio ejusdem de se, quæ proprie non videtur prædicatio, quia non *præ alio dici*.

Item, videtur quod inconvenienter dicat, *aliquam speciem qualitatis non esse accidens, sed proprium*, ut exemplificat de *risibili*. Tum, quia tunc proprii esset proprium, cum cujuslibet speciei sit demonstratio; tum, quia tunc distingueretur proprium realiter a suo subjecto, sive ejusdem, sive alterius prædicamenti sit, et maxime quando esset alterius generis, cum Generalissima sint impermixta, et realiter distincta, quantum ad absoluta, ut communiter ponitur. Est etiam illud dictum contra communem scholam Scotistarum, ut patet. Alia plura possent ibi addi, quæ omitto pro nunc.

27. Ad ista breviter respondeo. Ad primum (sicut prius, articulo secundo, exponendo litteram, tetigi) quod intentiones secundæ, et maxime ista quinque Universalia, applicantur subjectis, seu fundamentis, sub illis modis significandi, sub quibus sunt prædicabilia actu *exercito*, secundum exigentiam talis intentionis : et quia accidentia non sunt nata prædicari de subjectis, facta prima abstractione, quæ est a subjecto, ut est albedo, quare recte dixit Doctor album esse accidens, ut hic loquimur de accidente, et non albedinem. Et cum dicis, quod albedo est accidens, nego, nisi capiatur *accidens* primo-intentionaliter, et tunc est prædicatio per se, et non accidentalis.

Ad aliud dico, quod Doctor non dixit expresse qualitatem esse accidens, nisi primo-intentionale. Verba autem sequentia intelligenda sunt mutando abstractum in concretum, quæ cum idem significent, licet tamen vario modo, non curavit mutare verba in ordine ad significatum, quia idem est, subintellexit nihilominus variationem vocis, et modi.

Ad aliud, alias sæpe notavi, et maxime 28.
q. 4. Antepraedicamentorum, illam ambiguitatem. Potest enim dici, quod est prædicatio per se ejusdem de se, uno modo. Vel subtilius, quod licet accidens in proposito, et qualitas eamdem rem dicant, non tamen eumdem conceptum adæquatum, seu eamdem realitatem, aut formalitatem ejusdem rei, sicut *ens*, *substantia*, *corpus vivum*, *animal*, *et homo*, eamdem rem dicunt, non tamen eamdem formalitatem, sive realitatem : quare unum de alio potest prædicari, et esse communius, etiam in eodem genere. Quære hunc 4. Metaphysicæ, et alibi, et pondera bene totum examinando.

Qualitas est accidens, *an propositio per se.*

Ad aliud potest dici, quod loquitur Doctor hic famose, ex communiter concessis a Doctoribus, quantum ad realem materiam. Vel ut prius notavi, quod risibile, præter aptitudinem quam importat, potest vel significare, vel connotare qualitatem secundæ speciei. Primo tamen modo est proprium hominis.

Vel sustinendo quod esset simpliciter, et 29.
præcise qualitas, posset negari quod infertur, quia potentiæ naturales sunt ita propria quod non species, neque subjecta aliorum propriorum. Vel forte status ponendus est in secundo, ut in simili sæpe habet. Vel sustinendo dicta Burlei, quod solum substantiarum sunt propria simpliciter, aliorum vero non nisi secundum *quid*, ut potest elici ex dictis hujus 6. Metaph. quæst. 1. Sola enim substantia est subjectum supportans, seu principalis sustentationis, alia vero tanquam media quædam inter primum et ulti-

ma : sed primi modi dicendi magis placent ; et sunt potius conformes doctrinæ hujus, et fundamentis sæpe prius suppositis, in his quæstionibus, quare lector attendat.

Quod tangitur de distinctione Prædicamentorum facilius solveretur ex dictis hujus, sed vide copiose super 5. Metaphysicæ ipsum, et alios, ut scis.

Accidens est, quod adest, et abest, præter subjecti corruptionem, etc.

QUÆSTIO XXXV

Utrum hæc definitio sit conveniens, Accidens est, quod adest, vel abest, præter subjecti corruptionem.

D. Thomas *de spiritualibus creaturis, art. ult. ad* 7. *et Opusc.* 48. *cap.* 8. Cajet. *cap. de accidenti.* Ægidius 1. *Post. text.* 18. Okam 1. *parte Log. cap.* 25. *et in Log. textual. cap. de accidente.* Sotus, Tolet. Lovan. Compl. Conimbr. *cap. de Accidenti.* Joan. Ang. Erasmus *super hanc quæstionem.* Tart. *cap. de Accidenti quæst.* 1. Albertus Parvus *quæst. unica de Accidenti.* Joan. a Magistris *quæst.* 19. *Prædicabilium*. Antonius Andreas *cap. de accidenti.* Ruvius *ibidem quæst.* 3. Merinero *cap.* 6. *de Accidenti, disp. unica quæst.* 1. Torrejon *cap. de Acc. quæst.* 1. Hurtado *disput.* 6. *Logicæ sectione* 6. Aversa *quæst.* 11. *Log. sect.* 4. Rodriguez *quæst.* 2. *de Accid. art.* 3. *et* 4.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Quod non videtur, Primo generaliter, quia datur per copulationem : similiter, quia non est ibi Genus, et Differentia.

Item, contra primam particulam *adest, et abest*, quia adesse et abesse est rei extra animam, quia adesse est, cujus est esse : sed hic debet intentio definiri : igitur, etc. Similiter hæc intentio *accidens* potest univoce competere rebus diversorum generum : sed ista, *adesse*, et *abesse* non, quia quibus *esse* non est univocum, nec *adesse* : sed *esse* non est univocum diversis Prædicamentis.

Item, intentio, cui inest, necessario inest, quia non inest alicui, nisi ut consideratur ab intellectu, sed sic est immutabilis. Similiter hoc patet inductive : quia si *homo* est Species, necessario est Species, et *animal* necessario est Genus : ergo hæc intentio *accidens*, si inest alicui subjecto, inest ei necessario, et ita non adest, et abest.

Item, contra secundam particulam aliquod accidens commune necessario inest, ut quantitas homini, et nigredo corvo, et albedo cygno : ergo non possunt non inesse subjecto, præter ejus corruptionem. Quod *accidens* ut hic sumitur, dicatur de istis, patet per Porphyrium, qui dividit *accidens* in accidens *separabile*, et accidens *inseparabile*. Similiter ratione ; quia omne prædicatum non essentiale, vel est proprium, vel accidens, ut hic sumitur ; quando dicitur, *Homo est quantus*, *quantum* est prædicatum non essentiale, et non proprium ; ergo accidens.

Item, corruptio non adest præter subjecti corruptionem ; quia opponitur sibi.

Item, accidens abest : ergo non est ; quia non manet separatum a subjecto, et si accidens non est, subjectum non est ; quia sunt correlativa. Probatur, omnis Species ipsius Universalis est relativum : ergo accidens, et non videtur ad aliud dici, nisi ad illud, cujus est accidens, et illud est subjectum ; ergo, etc. Similiter si definitio sit conveniens relativis : ergo in ea ponitur correlativum : nihil videtur hic positum pro correlativo, nisi subjectum : ergo illud est correlativum definiti.

Ad oppositum est Porphyrius et Aristoteles 1. Topicorum, ponens consimilem definitionem, *Accidens est, quod contingit eidem inesse, et non inesse*, quæ essentialiter videtur eadem isti.

Ad quæstionem dicendum, quod definitio, si congrue intelligatur, satis convenienter est assignata. Ubi sciendum

2. *Conclusio.*

est, quod *adest* et *abest*, sive *inesse*, vel *non inesse*, quæ ponit Aristoteles in sua definitione, sunt æquivoca primæ intentionis, et secundæ intentionis. Ut sunt nomina primæ intentionis, dicitur 7. Metaph. context. 2. et inde *Accidentis esse est inesse*, et hoc de accidente reali, de quo loquitur ibi ; sic etiam sumitur *adesse*, et *abesse* 8. Physic. cont. 62. et inde, ubi dicitur, quod *Impossibile est idem simul adesse eidem subjecto, et abesse ab eodem*. Alio modo, *inesse*, vel *adesse* est nomen secundæ intentionis, et significat prædicationem eorum, quæ sunt extra essentiam subjecti, vel alterius generis a subjecto, sicut *prædicari de*, dicit propriam prædicationem essentialem eorum quæ sunt in eodem genere cum subjecto ; sed adhuc *inesse* secundo modo, sumitur
Inesse sumitur dupliciter. dupliciter. Propriе, et sic non inest, nisi accidentibus communibus, vel communiter, et sic inest singularibus accidentibus, et isto modo generali sumitur *esse in*, in divisione quadrimembri, quam ponit Aristoteles in principio Prædicamentorum, et adhuc communius sumendo *inesse*, dicimus communiter in omni propositione, prædicatum inesse subjecto, vel non inesse, sicut generaliter dicimus in omni propositione esse *prædicatum*, et *subjectum*, qualiscumque fuerit prædicatio.

Prima distinctio videtur probabilis, inconveniens enim est Logicum definire et dividere per res primæ intentionis, præsertim quando definitum est secunda intentio : vel dividere, si aliqua membra divisionis sint res secundæ intentionis : sed illius divisionis quadrimembris manifestum est duo membra, scilicet *dici de*, et non *dici de*, esse intentiones secundas. Secunda distinctio *de*, scilicet *inesse*, scilicet proprie, ut accidens commune ; communiter, ut accidens quodlibet ; communissime, ut omne prædicatum de subjecto, patet ex definitione Aristotelis 1. Topicor. et divisione ejus in principio Prædicamentorum, et communi modo loquendi.

Consimiliter tripliciter dicitur *prædi- 3. Prædicari de, tripliciter sumitur.*
cari de; proprie, pro his quæ sunt superiora in eodem genere ; communiter, pro omni eo, quod est commune ; communissime, pro omni eo, quod specificat rem hujus verbi *est*, in propositione. Primo modo, sumitur in principio Prædicamentorum. Secundo modo, in definitione Universalis, in lib. Perihermenias. Tertio modo, in divisione Porphyrii, divisione secunda, quam ponit post definitionem Generis, et in definitione Individui. Sumendo igitur *adesse*, vel *inesse* primo modo, per illud intelligitur genus accidentis, cum una differentia, scilicet prædicatum non essentiale, vel genus intermedium inter Universale, et accidens sic intelligitur in definitione proprii per : *accidit*, residuum, hoc est, *abesse*, etc. ponitur loco differentiæ, et correlativi ipsius definiti. Similiter in definitione Aristotelis *contingit inesse, et non inesse*, id est non necessario inest subjecto.

Sed tunc est dubium, qualiter de ac- 4.
cidentibus inseparabilibus dicitur accidens, et multis aliis, ut *quanto*, et hujusmodi, quæ necessario insunt : non tamen sunt propria. Potest dici, quod illud est verum de illis, sicut de aliis per se loquendo, sicut enim per se substantia præcedit accidens tempore, sic accidens commune quodcumque, cum non habeat per se causam in subjecto, non inest necessario, vel per se, quantum est ex parte subjecti.

Contra sic, proprium abest ; quia substantia præcedit illud accidens, sicut et accidens commune, ut Aristoteles intelligit de accidente 7. Metaph. Si vero

dicas per se, quantum est ex parte accidentis, falsum est. Aliquod enim accidens commune, licet non habeat causam per se in subjecto, tamen habet causam necessariam, ut *quantitas*, et ita sibi repugnat, quantum est ex se, non inesse subjecto, in quo habet talem causam necessariam.

Ideo exponitur illud alio modo sic. *Abest* secundum intellectum, *præter subjecti corruptionem* id est, destructionem essentialis intellectus subjecti. Contra sic, Proprium abest,quia Species, cum sit prior natura proprio, complete potest intelligi sine proprio. Dicitur,quod accidens abest secundum intellectum per positionem sui oppositi, præter subjecti corruptionem : non sic proprium, id est, accidens est prædicatum non essentiale subjecto, sub cujus opposito, potest subjectum intelligi complete, sine repugnantia intellectuum : non sic proprium abest, et hoc brevius exprimitur sic : accidens inest non per se, vel non convertibiliter, intelligendo *inest*, ut prius dictum est : et iste est intellectus definitionis Porphyr. et Aristotelis,et sic intelligendo utraque est conveniens. Contra illud, si hæc definitio sit convenienter data ; ergo inest definito per se : ergo accidens per se adest, et abest. ergo per se adest, et si hoc, ergo non potest abesse. Secunda consequentia patet, quia a copulativa tenet ad alteram partem.

Consimiliter potest argui, quod omne accidens abest per hoc medium, *omne accidens per se adest, et abest*, et sic non adest.

Item, omne accidens necessario inest, quia inesse est de essentia accidentis,sed omne accidens necessario est accidens ; ergo omne accidens necessario inest. Minor patet, quia hæc est necessaria, *Omne accidens est accidens* ; quia prædicatur idem de se : ergo est vera cum modo necessitatis.

Ad primum istorum dicitur, quod non sequitur : *per se adest, et abest ; ergo per se adest* : sed est fallacia a secundum quid, ad simpliciter, sicut non tenet : *Contingens necessario est contingens ; ergo contingens necessario est*. 5.

Contra, a genere posito sub differentia, tenet ad genus simpliciter, ut sequitur : *Animal rationale ; ergo animal*, sed istud totum *abest*, etc. est loco differentiæ, respectu hujus *adest* : ergo consequentia bona.

Potest igitur dici, quod consequentia est aliquo modo bona : sed Antecedens, et Consequens est distinguendum secundum compositionem, et divisionem ; quia *per se* potest determinare inhærentiam, et sic est utraque vera ; vel inhærens, et sic utraque falsa. Et isto modo non ponitur *per se* in definitione accidentis, hoc est dictu, quod illud prædicatum, *adest*, etc. per se inest huic subjecto *accidens*, sed idem prædicatum, scilicet *adest*, determinatum per se non inest subjecto.

Ad secundum dicitur similiter, quod tam minor, quam conclusio est vera ut *necesse* determinat inhærentiam, aliter non.

Ad primum argumentum principale patet, qualiter ibi ponitur Genus, et Differentia,et qualiter per totum copulatum est aliud circumlocutum. 6. Ad argumenta.

Ad secundum patet, qualiter sumatur ibi, *adest*, ut est nomen secundæ intentionis.

Ad aliud principale patet, quod quodlibet accidens, quod non est proprium, adest, et abest secundum intellectum,ita quod subjectum potest intelligi sub ejus opposito.

Ad aliud de corruptione dicitur, quod adest præter corruptionem illius sub-

jecti; quia est in eo, quod manet in transmutatione, ut in subjecto, et illud non corrumpitur.

Contra, si sit in illo, ut in subjecto, tunc est corruptio illius subjecti: igitur non adest præter corruptionem subjecti.

Dicitur quod si adest materia, tunc est formale accidens ejus, sed non oportet quod sit corruptio ejus, quia ejus dicitur corruptio, quod denominatur ab ea, et illud non est ejus subjectum: et universaliter ita est in accidentibus subjectum non denominantibus, sed alia a subjectis. Sicut locus est corporis locantis, ut accidens, sed non est locus corporis locantis, sed est locus corporis locati: passio vero locantis, ut dicitur 4. Physic. context. 28. et inde; sic actio est patientis, ut subjecti, sed non est actio patientis, quia non denominat subjectum suum, sed aliud.

Aliter dicitur ad primum, quod *adest præter subjecti corruptionem*, id est, subjectum potest intelligi sub eo, et ejus opposito sine destructione sui intellectus, vel sine repugnantia intellectuum.

Ad ultimum dicitur, quod si accidens abest sicut hic sumitur, non sequitur ipsum non esse: quia illud sic intelligitur, quod subjectum potest intelligi sub opposito accidentis, unde ex hoc non sequitur quod non sit.

7. Contra, per Aristotelem in libro Prædicamentorum cap. de Relatione, Unum correlativorum non potest definite sciri sine altero, subjectum et accidens sunt correlativa, ut dicitur supra opponendo: igitur subjectum non potest complete intelligi sine accidente: igitur non potest intelligi sub opposito accidentis.

Item, intellectus solum verorum est, sed non est verum subjectum esse sub accidente, et ejus opposito; ergo non est intelligibile. Minor patet; quia veritas est adæquatio rei ad intellectum, sed non est ita in re.

Ad primum istorum dicitur, quod subjectum est relativum per accidens, quia aliud dicitur ad ipsum: et de illis non intelligitur dictum Aristotelis, sed tantum de relativis per se, quia scibile potest cognosci, non cognita scientia, cum sit naturaliter prius ea. Si diceretur præter subjecti corruptionem, id est, ejus cui talis intentio inest, illud non valet: quia illud est res primæ intentionis, et ita inconvenienter in definitione alicujus secundæ intentionis poneretur.

Ad aliud dicitur, quod prima propositio vera est de habitu principiorum, qui dicitur intellectus: qui distinguitur contra scientiam, quæ est proprie habitus conclusionum demonstrationis. Ulterius potest dici, quod intellectus intelligens subjectum esse sub opposito talis accidentis inseparabilis, est falsus; sed non intellectus intelligens subjectum sub opposito talis accidentis, qui est simplex, non componens, vel dividens; quia tantum circa compositionem, et divisionem est veritas, vel falsitas. 8.

Tertio modo dicitur, quod subjectum non vere potest intelligi sub opposito accidentis inseparabilis, tamen vere potest sic intelligi sine regugnantia intellectus; quia si sic intelligatur, non est repugnantia intellectuum.

Ad quoddam argumentum superius factum, scilicet intentio, cui inest necessario inest; dico, quod illud concludit, quod accidens necessario inest, ut *necessario* determinat inhærentiam, non inhærens.

EXPOSITIO

De Primo. Patent termini ex sæpe prius dictis, videlicet quid *accidens*, quid *definitio*, et quoties sumantur. Intellectus vero definitionis in solutione quæstionis pertractabitur. Quæ, et quot sint conditiones bo- 9.

næ definitionis, prius notavi. et 6. Topicorum 2. Posteriorum 7. Metaphysicæ, et libro de Definitione Boetii, et alibi plerumque patet. Ordo quæstionis conveniens, sicut prius de aliis Universalibus præcedendo dictum est. Cum enim singularis, inquantum talis, non sit definitio, prius erat videndum, an Accidens sit Universale, quam investigandum de ipsius definitione. Divisio communis est, nisi quod secunda pars subdividi potest, ut statim patebit in processu.

10. De Secundo. Arguit pluribus rationibus pro parte negativa. Primo mediis Topicis, seu communibus, quæ ideo communia sunt quia possunt non solum ad istam definitionem impugnandam, sed ad plures alias applicari, ut supra patet : quorum primum est, quia datur per copulationem, contra Philosophum 6. Topicorum, cap. 13. Secundum, quia non datur per genus et differentiam, contra Philosophum 6. Topicorum, cap. 4. et cap. 8. Metaph. deinde arguit per media propria. Primo contra primam particulam, scilicet *adest, et abest*, quia competunt ista rebus extra, et non intentioni, quæ hic debet definiri. Et etiam quia talia non sunt univoca, quibus intentio accidentis est univoca, quod est contra rationem partium definitionis, quia sicut nec definitur, ita nec definit æquivocum pro substrato. Quælibet enim pars definitionis est in plus, quam definitum. 2. Posteriorum, et ideo inconvenit definitum prædicari de aliquo univoce, de quo non prædicetur definiens. Declarat autem assumptum, eo quod accidens univoce convenit rebus diversorum Generum, licet non omnium, et omnibus, ut prius dictum est : quæ tamen verba habent exponi, et sustineri sicut supra, de Genere, notavi, et alibi : sed abesse, et adesse, non conveniunt sic rebus diversorum Generum, quia ipsum *esse* est æquivocum, sicut et *ens*, ut sæpe tetigit prius.

11. Deinde arguit contra eamdem particulam ex necessitate [illegible] intentionis ei cui applicatur, quod probat. Primo ex immutabilitate, seu necessitate fundamenti, in illa acceptione, in qua ei applicatur intentio, scilicet in esse objectivo, et cognito. Nam sic dicimus species esse æternas, et de eis esse scientiam, et ipsas esse necessarias, et hujusmodi. Modo quod inest alicui secundum esse ejus immutabile et necessarium, videtur ei necessario inesse, sicut quod inest contingenti, inquantum tale, videtur esse contingens et contingenter inesse. Probat idem inductive, male igitur dicitur quod accidens, ut est intentio, adest et abest. Rursus arguit contra secundam particulam, scilicet *præter subjecti corruptionem*, inducendo in accidentibus communibus inseparabilibus, tamen quæ continentur sub Accidente hic definito. Quod si negaretur, probat primo, teste Porphyrio hic. Secundo ratione, et satis clare. Contra eamdem partem arguit ex ipsamet corruptione, quia sic adesset præter seipsam, quod implicat.

Amplius arguit specialiter contra illam particulam, *abest*; et potest sic formari ratio : Illa particula inconvenienter ponitur in definitione accidentis, et universaliter cujuslibet definiti, quæ destruit naturam, et quidditatem ejus: sed *abest* est hujusmodi respectu accidentis, ergo, etc. Consequentia patet cum majori. Minorem declarat in littera, quia si abest, sequitur quod non est, quia accidentis esse est inesse. 7. Metaph. text. comm. 2. Ex quo ulterius infert destructionem subjecti, quia etiam non est, si accidens non est : quod probat ex naturali simultate relativorum, cap. de *ad aliquid*. Et si quis negaret ipsa esse correlativa, ostendit ex ratione generali omnium Universalium, ut supra de quolibet dixit in locis suis. Accidens vero non videtur aliud correlativum habere nisi subjectum : quare, etc. Patet igitur quod illa particula *abest* non solum destruit ipsum accidens, sed etiam subjectum ejus, quod potest esse omne ens [illegible] limitatum. [illegible] ponuntur, cum talia multa reperiantur in universo. Sicut formavi hoc argumentum, ita [illegible] in aliis, quando non sunt in forma resoluta, quod omitto [illegible], quia 12

jam extra fumum et fimum navigamus.

Ad oppositum adducit Porphyrium, et Aristotelem 1. Topicorum, cap. 4. consimiliter definientem. Ubi tantum est differentia in verbis, ideo dicit Doctor quod est essentialis identitatis, quia eamdem essentialiter essentiam declarat eisdem essentialibus.

13. Consequenter respondet ad quæsitum. Ubi sic procedit, primo conclusionem intentam, affirmativam videlicet, proponit; conditionaliter tamen, scilicet *si bene intelligatur*, et declaratur ipsa definitio, quod bene est assignata. Secundo, pro declaratione ipsius adducit duas, vel tres distinctiones. Tertio applicat ad propositum membra quæ expediunt. Ubi duas, vel tres notabiles expositiones ipsius definitionis proponit et aliorum, et ipsius: et ultimo complete describit, seu definit ipsum Accidens.

Quarto, et ultimo contra dicta objicit dupliciter, et solvit singularissime.

Prima igitur distinctio est horum terminorum, scilicet *adesse*, ut loquitur Porphyrius, vel *inesse*, ut loquitur Philosophus, quod scilicet sumi possunt nunc primo-intentionaliter, nunc secundo-intentionaliter; et dicit quod hoc convenit æquivoce, sicut universaliter in aliis patet. Qualiter autem, et quando, et ubi sumuntur primo modo, declarat de mente Aristotelis, ut ostendat se non voluntarie nec propria imaginatione loqui, et allegat ipsum primo 7. Metaphysicæ, text. comm. 2. et alibi et secundo 8. Physic. text. comm. 62. et inde et potest idem expresse haberi, 4. Metaphysicæ ad longum, de primo principio, et veritate ejus.

Adesse, vel esse in, et dici de, quid importent.

Secundum membrum principale declarat ut supra, quæst. 4. tetigit, scilicet *esse in* distinguitur contra *dici de*, ita quod *per se inesse*, vel *adesse*, seu *esse* in secundo-intentionaliter accepta significatur prædicatum non prædicans essentiam, nec in quid, nec in quale. Per *dici* vero *de* secundo-intentionaliter sumptum denominatur prædicatum essentiale, et hoc accipiendo proprie illos terminos. Unde propter famosam et variam acceptionem istorum terminorum ex usu loquendi Auctorum, ut omnis ambiguitas tollatur, subdividit utrumque, scilicet *inesse*, vel *esse in*, et *dici de*, dicens quod capiuntur tripliciter, proprie videlicet, et communiter, atque communissime. *Inesse* enim proprie convenit accidentibus communibus, ut albo, nigro, sicut dictum est quæstione præeunte, communiter vero convenit accidentibus etiam singularibus, ut in secunda divisione Anteprædicamentali habet Aristoteles, quæ est quadrimembris. Communissime autem accipitur secundum usum loquendi, quo in omni propositione, sive per se, sive per accidens, sive universali, sive singulari, sive in prædicatione directa, sive indirecta fuerit, prædicatum dicitur inesse subjecto; et hoc modo loquendi usus est Doctor supra, quæst. 2. cap. de Specie, in solutione quæstionis ad finem.

Et quia forte aliquis diceret, quod istæ 15.
distinctiones positæ de ipso *inesse* non sunt convenientes, Doctor consequenter probat eas ex fundamentis Aristotelis, et Auctorum, et ratione efficaci tenere, et procedere, imo necessario assignari. Primo primam quæ est in primam et secundum intentiones et hoc fundamento tacto supra, quæst. 4. et cap. de genere est alibi iu definitionibus superius pertractatis: dicit ergo quod definitiones secundarum intentionum, et divisiones a Logico assignatæ, non debent assumere primas, eo quod non opponitur res primæ intentionis rei secundæ, nec est de essentia ejus, nec e contra: quare cum divisio debeat dari per opposita, et definitio per essentialia, patet notabiliter, et demonstrative intentio Doctoris, quantum ad assumptum, cum igitur aliqua membra illius divisionis quadrimembris prædictæ, ut *dici de* et *non dici de*, sint secundæ intentiones, quia sunt actus signati, sicut *prædicari* et *subjici*, ut supra dictum est sæpius: igitur alia membra ejusdem, scilicet *inesse* seu *esse in*, et *non esse in*, erunt secundæ intentiones: et sic patet secundum membrum illius primæ divisio-

nis. Primum vero membrum ejus probavit jam supra ex fundamentis Aristotelis.

16. Deinde probat secundam divisionem, quæ est subdivisio secundi membri principalis primæ divisionis, scilicet ipsius *inesse* secundo-intentionaliter accepti, recitando ad majorem expressionem, iterum illa tria membra ipsius, quorum primum patet ex 1. Topicorum, ubi supra. Secundum ex illa secunda divisione Anteprædicamenti prædicta. Tertium ex communi usu loquendi, et sic patet secunda distinctio auctoritate, et primo auctoritate et ratione. Deinde prosequitur distinctionem oppositi ipsius *inesse* scilicet *dici de* dicens quod similiter accipitur tripliciter, et recte, juxta regulam Topicam, scilicet *quoties dicitur unum oppositorum* etc. primo modo proprie, ut in illa divisione secunda Anteprædicamentali accipitur. Secundo modo communiter, ut in definitione Universalis, 1. Perihermenias accipitur, cum dicitur quod *Universale est quod prædicatur de pluribus*, quod extenditur non solum ad prædicationem superiorem in eodem genere, quia sic non conveniret Proprio et Accidenti, sed etiam ad prædicationem cujuscumque communis, dummodo formaliter prædicetur, ut hic, *homo est albus : homo est risibilis*. Tertio modo communissime, et sic extenditur ad omne prædicatum sive essentiale, sive accidentale, sive commune, sive singulare, sive etiam directe, vel indirecte, prædicetur.

Dici de sumitur tripliciter.

17 Ideo dicit Doctor, quod sic accipitur pro omni eo quod specificat rem hujus verbi *est*, sicut infra, super libros Perihermenias loquitur plerumque. Prædicatum enim expresse positum ultra verbum principale dicitur specificare rem verbi, quia res Verbi absolute ponitur, sicut hæc, *homo est*, specificatur cum dicitur *albus*, vel *niger*, vel *currens* et hujusmodi. Res ipsius verbi *est*, hoc est *ens* nominaliter, seu participaliter sumptum, de quo habet videri, Deo duce, super illis quæstionibus Perihermenias. Et sic accipitur, inquit Doctor, *dici de* cap. de Genere, in declaratione divisiva definitionis, cum dicitur: *Eorum quæ prædicantur quædam prædicantur de pluribus, quædam de uno solo*. Nam prædicari de uno solo est communissime, hoc est extendendo multum capere *prædicari*, cum sit proprie, et etiam communiter prædicari *præ alio dici*, sicut etiam capitur in definitione Individui a Porphyrio, cap. de Specie, et cap. de Genere, ubi dicitur quod de uno solo prædicatur. Licet igitur Doctor primo ponat distinctionem, et membra ejus, et postea fortificet ex dictis Philosophi, et Porphyrii, placet tamen, gratia brevitatis, dicto modo declarare, et admiscere litteram. Sic igitur patent tres distinctiones ad propositum necessariæ, et applicabiles, et hic, et alibi.

Prædicatum specificat rem verbi quomodo.

Deinde ibi, *sumendo igitur adesse*, etc. applicat ad propositum dictas distinctiones et maxime secundam, exponendo diversimode definitionem Accidentis, dicens, quod si sumatur primo modo non debet intelligi de primo modo primæ distinctionis, scilicet, primo-intentionaliter, sed secundæ distinctionis, quæ est de *inesse* secundo-intentionaliter sumpto, tunc inquit, habetur genus Accidentis definiti hic cum una differentia, scilicet remota, vel universali, vel saltem genus intermedium commune ad Proprium et Accidens scilicet prædicatum in quale accidentale, quod scilicet est medium inter Universale, et illa duo, quod etiam ponitur in definitione Proprii, cum dicitur quod *accidit omni et soli*, ut prius quæstione præcedente et quæst. 2. de Proprio dixit, et ibi notavi instantias circa hoc, et supra, quæst. 12. et similiter quæst. 5. de Differentia expresse tetigi. Reliquum, inquit Doctor, scilicet *abesse præter subjecti corruptionem*, tenet locum ultimæ, seu specificæ differentiæ atque correlativi. Cum enim definitum, sicut et cætera Universalia, sit relativum, ideo ponitur suum correlativum, quod est subjectum in definitione ipsius, et similiter declarat partes definitionem datam ab Aristotele in Topicis. Ita quod prima expositio hic habetur de utraque definitione, talis scilicet quod *Accidens est prædicatum* 18

accidentale, non necessario inhærens subjecto.

19. Sed contra hanc expositionem instat notabiliter et eamdem instantiam habet Boetius hic in commento utriusque editionis in Porphyrium. Nam Accidens quod hic definitur, dividitur a Porphyrio in accidens separabile, et accidens inseparabile et videtur esse divisio generis in species, vel saltem univoci in univocata. Similiter *quantum* dicitur accidens. Ubi notanter dicit *quantum* et non *quantitas*, sicut quæstione præcedente, de albo, et albedine dictum est : accidens vero inseparabile, sicut nigredo Æthiopum, et hujusmodi : et similiter quantitas respectu rerum materialium necessario inest, licet non sit proprium, igitur non solum accidenti proprio, seu per se, sed etiam accidenti communi convenit necessario subjecto inesse, quare cum illa definitio sit communis omni accidenti communi, non bene exponitur per hoc, quod est esse prædicatum in quale accidentale, non necessario inhærens.

20. Ad hoc respondet, dicens quod illud est verum de illis, sicut de aliis per se loquendo, hoc est dictu, quod accidentia inseparabilia, et quantitas, non necessario insunt subjecto, sicut nec alia quæ sunt communia separabilia, et hoc vere loquendo, quod declarat in exemplo Philosophi 7. Metaph. text. comm. 4. et inde, quod supra, quæstione finali de Proprio pertractavit, sicut hic loquendo secundum illam viam, ut ibi notavi. Distinguit tamen de ly *per se* cum dicitur quod talia accidentia non necessario per se insunt subjecto, quia illa perseitas potest attendi vel negatio ejus, vel a parte subjecti, vel a parte accidentis. Primo modo, inquit, intelligo in proposito, cum nullum accidens commune habeat per se causam in subjecto, quod non necessario per se inest subjecto, et hoc quantum est ex parte subjecti, primo, quod plus est, addit quod sic potest proprium abesse, quia etiam, ut supra, quæstione ultima de proprio, dictum est, secundum illam viam de *per se* et *per accidens*, exponendo dictum Philosophi 7. Metaphysicæ subjectum est prius tempore proprio per se, licet non per accidens. Secundo vero modo intelligendo ly *per se* dicit quod sic falsum est nullum accidens commune necessario inesse subjecto, eo quod plura talia, ut illa de quibus argutum est, habent causam in subjecto necessariam saltem, licet non per se, ut quantitas materiam; et qualitates sensibiles posteriores, ipsas qualitates primas. Ubi notanter tangit Doctor differentiam inter causam necessariam, et causam per se. Non enim omne necessarium est per se, ut patet, de quo statim magis.

21. Repugnat igitur talibus accidentibus non inesse subjecto, quantum est ex parte ipsorum, licet non repugnet subjecto per se, secus est forte loquendo de *per accidens* necessario, quia sic etiam repugnat subjecto esse sine illis. Vult breviter Doctor in hac solutione quod nullum accidens commune sive separabile, sive inseparabile fuerit, sive habeat causam necessariam in subjecto, sive contingentem, sive sit ab extrinseco, inest necessario subjecto per se loquendo, ut perseitas se tenet a parte subjecti, imo quod sic abest, quia subjectum est prius tempore ipso *per se*. Ut autem perseitas se tenet a parte accidentis, secus est, ad istum videlicet intellectum, quod *per se* competit accidenti cuicumque non necessario inesse subjecto, vel abesse. Et videtur quod similiter dicendum esset de proprio, respectu sui subjecti ; et ita ista expositio non distinguit Accidens a proprio, nec definitionem hujus a definitione illius et hoc loquendo in communi, ut se extendit accidens; et ipsius definitio, ad accidentia inseparabilia.

22. *Accidens abesse potest intelligi dupliciter.* Igitur Doctor adducit aliam expositionem definitionis Proprii, ex qua solvitur dubium propositum (et est expositio Boetii in Commento utriusque editionis, et forte propter hoc dicit Doctor in tertia persona *dicitur*) quæ talis est, quod videlicet *accidens abesse potest intelligi dupliciter*, aut scilicet secundum esse, seu esse reale in re extra :

aut secundum intellectum seu considerationem. Multa enim quæ in re sunt conjuncta et inseparabilia, apud intellectum seorsum considerantur, aut separantur. Unde 2. Physic. text. comment. 18. recte dicit Philosophus quod *abstrahentium non est mendacium*. Et Boetius hic : *fit sæpe ut quæ actu disjungi non valeant, mente et cogitatione separentur*. Abest igitur accidens commune secundum intellectum, et hoc præter subjecti corruptionem, id est, destructionem essentialis intellectus subjecti. Ubi notanter dicit *essentialis intellectus* ad differentiam accidentalis : sicut enim pertinet ad esse subjecti ipsum accidens, ita et ad intellectum : quare sicut advenit post ejus esse completum inesse, ita et ipsius intellectio intellectioni vel potius, ut loquitur Doctor, intellectus intellectui essentiali qui tantum ex essentialibus subjecti habetur. Unde *quod quid est* rei dicitur ejus essentialis intellectionis, seu intellectus expressivum. Nullum autem accidens pertinet ad *quod quid est* subjecti, et si plura ad ipsum venandum conferant 1. de Anima text. comm. 11. Unde Boetius addit in Commento, *sed si animi ratione disjunctæ sunt qualitates a subjectis, non ea perimunt, sed in sua substantia permanent atque perdurant, accidentes esse intelliguntur*.

23. Adhuc non videtur ista expositio satisfacere, nec distinguere Accidens a proprio, quia similiter dicam Proprium abesse secundum intellectum, cum non sit de essentiali intellectu sui subjecti, licet bene e contra per additamentum, sicut etiam de aliis accidentibus forte est verum, ut supra notavi. Unumquodque enim sicut se habet ad esse, ita et ad veram essentialem cognitionem, 2. Metaph. text. comm. 4. Cum igitur Species sit prior Proprio quoad esse erit etiam quoad talem cognitionem, et sic patet quod Proprium non differt ab Accidente, secundum illam expositionem.

Ad hoc respondet Doctor sustinendo istam expositionem, ponens differentiam inter Proprium et Accidens quoad separari secundum intellectum, dicens quod non solum abstractione præcisiva, hoc est, considerando hoc, non considerando illud ; potest intelligi subjectum præter accidens, vel non intelligendo accidens ; sed etiam abstractione divisiva, ut intelligendo corvum, non solum non intelligendo ipsum nigredinem, sed etiam intelligendo ipsum non nigrum, vel album et ita sub opposito sui accidentis potest intelligi subjectum.

Non sic autem potest intelligi subjectum Proprii sub opposito ejus, nam licet ibi possit fieri abstractio præcisiva, non tamen divisiva nec (ut ita dicam) oppositiva, absque repugnantia intellectuum. Unde Boetius ubi prius : *Age igitur, quoniam Æthiopi color niger auferri non potest, animo eum, et cogitatione separemus : erit igitur color albus Æthiopi. Num ideirco species consumptæ sunt ? minime. Ita etiam corvus, si ab eo colorem nigrum imaginatione separemus, permanet tamen avis, nec interiit species.* Ergo quod dictum est adesse, et abesse non re, sed animo intelligendum est. Et addit notanter differentiam inter accidentalia, et substantialia, dicens : *Alioquin et substantialia, quæ omnino separari non possunt, sæpe animo, et cogitatione disjungimus*. Ut si ab homine rationalitatem auferamus, quam licet actu separare non possimus, tamen si animi imaginatione disjungimus, statim perit hominis species, quod idem in accidentibus non fit : sublato enim accidenti cogitatione, species manet. In libello vero de hebdomadibus tangit multa de tali abstractione intellectus, et in substantialibus, et in accidentalibus. 24.

Colligit igitur Doctor completam descriptionem, et expositionem ultimatam definitionis prædictæ Accidentis ex præmissis, dicens, quod est *prædicatum non essentiale in subjecto, sub cujus opposito potest subjectum intelligi complete, sine repugnantia intellectuum*. Et ita patet qualiter definitio Accidentis completa distinguit ipsum ab aliis Universalibus (genere, et specie), et specialiter a Proprio, cum quo magis videtur convenire. Non sic, inquit, Proprium, supple est præ- 25.

dicatum, sub cujus opposito potest subjectum intelligi, et ita abest accidens eo modo quo non potest abesse proprium. Quod brevibus verbis exprimit, dicens, quod accidens inest non per se, vel non convertibiliter : supple secus est de proprio, et hoc inquit, intelligendo *inest*, vel *inesse*, ut prius dictum est, scilicet primo modo secundæ distinctionis supra positæ, hoc est, accipiendo ipsum secundo-intentionaliter, ut convenit accidentibus communibus tantum. Et concludit quod ista est vera expositio, et similiter verus intellectus definitionis Accidentis, tam a Porphyrio, quam a Philosopho assignatæ, et quod sic exponendo ipsam, est convenienter assignata, quod est principale propositum in hac quæstione. Conclusio igitur principalis, quæ prius posita est sub conditione, jam habetur absolute vera.

26. Consequenter ad majorem intelligentiam dictorum, et terminorum positorum in definitione accidentis, objicit dupliciter singularissime. Conclusum enim est quod hæc definitio est bona, scilicet *Accidens est quod adest*, etc. Contra, omnis bona definitio per se competit definito, ex 1. Posteriorum, et 6. Topicorum, et ex sæpe dictis. Prius est enim primi modi dicendi per se, vel quarti secundum alios, prædicatio definitionis de definito. Sed per te hæc definitio est bona ; ergo, etc. sequitur igitur pro-syllogizando enthymematice, definitio accidentis per se inest accidenti, igitur accidens per se adest et abest præter subjecti corruptionem.

27. Ultra iterum pro-syllogizando, sequitur *Accidens per se adest, et abest*, etc. *ergo per se adest :* quam consequentiam probat Doctor per regulam unam Consequentiarum, scilicet : *Quod a tota copulativa ad alteram ejus partem tenet argumentum*, seu *consequentia* ; et potest reduci ad locum a toto integrali ad ejus partem, nisi forte quod est consequentia formalis, et non solum dialectica, de quo habet videri alibi. Et ultra sequitur, *Per se adest, ergo non potest per se abesse*. Hæc consequentia patet per locum ab oppositis. Impossibile enim videtur duo opposita verificari simul de eodem et maxime sic quod includerentur in ejus ratione quidditativa, quia etiam posset faciliter ostendi ipsum esse nihil. Similiter ostendit eodem modo, deducendo usque ad ultimam consequentiam, mutando accidens ipsius in consequens, quod impossibile sit accidens per se adesse, quia si per se abest, ergo non potest per se adesse, ut prius, ex natura oppositorum arguendo. Cui enim convenit per se unum oppositorum, reliquum nec per se, nec per accidens convenit eidem, ut habet iste, quæstione de practica et Praxi, in Prologo, in solutione quæstionis ad finem.

Doctor igitur arguit brevibus enthymematice, ut solet, tu vero declara, ut notavi, et si volueris syllogistice formaliter arguere non solum curtato Syllogismo, ut dixit, facile erit, et ibi videntur esse quatuor consequentiæ principales, quarum tertiam accipit Doctor pro secunda, sed tu posses loco secundæ scribere tertiam, vel dic quod tantum sunt tres principales, quidquid dicat Foxal : et illa quæ videtur prima, est tanquam quoddam præsuppositum, et non hìc illatum, seu argumentative adductum, igitur primum accidens incipit ibi : hæc definitio per se competit definito, postquam jam probasti ipsam esse bene datam, ex quo infert primum consequens dicens, *ergo accidens per se adest*, etc. 28.

Secunda objectio est satis clara, in qua ostendit, contra dicta superius, omne accidens necessario inesse subjecto, unumquodque enim necessario est ipsum, cum prædicatur in primo modo de seipso, quare cum modo necessitatis : omne enim per se primo modo est necessarium, licet non e contra, ergo accidens necessario est accidens, et ultra accidens necessario est accidens, ergo necessario inest. Patet consequentia per locum a definito ad per se definiens : quælibet enim pars definitionis per se prædicatur de definito, et consequentia formali sequitur ad ipsum. Tenet etiam per locum a parte subjectiva ad totum universale, cum

quælibet pars definitionis sit in plus quam definitum 2. Posteriorum.

29. Ad primum istorum respondet uno modo (quæ responsio videtur esse aliorum, ut patet ex modo loquendi) negando illam secundam consequentiam, vel tertiam, secundum aliam supputationem : et rationem assignat, eo quod peccat a secundum quid a simpliciter, et exemplificat de contingenti, comparato ad seipsum cum modo necessitatis, et adesse. Ex primo enim non sequitur secundum, sine fallacia dicta, ut patet, sicut habet in simili 39. dist. Primi, et alibi sæpe, exponendo illud dictum Philosophi 1. Perihermenias, ad finem : *Omne quod est quando est necesse est esse*, sed quia ista responsio non videtur multum consona nec ad propositum est illud exemplum de contingenti, ideo objicit contra eam, probando illam consequentiam negatam, aliter quam prius probavit. *A genere in quid posito sub differentia tenet*, scilicet consequentia, *ad genus simpliciter* sumptum, et est locus a parte in modo ad totum in modo vel ei similis : et exemplificat de definitione hominis, et patet littera : sed ita arguitur hic. Nam istud totum, scilicet *abest præter subjecti corruptionem*, est loco differentiæ respectu hujus quod est *adest*, vel *inest*, ut superius declarando definitionem patet.

30. *Accidens quomodo adest et abest per se.* Ideo aliter respondet ad primam objectionem, quod illa consequentia secunda est bona aliquo modo, hoc est, in aliquo sensu licet non in omni. Accidens autem et consequens est distinguendum secundum copulationem et divisionem, eo quod ly *per se* potest determinare inhærentiam, vel inhærens, ut supra, quæst. 9-10-11. prolixe in simili tactum est. Primo modo, inquit, tam accidens, quam consequens habet veritatem. Secundo modo utrumque est falsum, ut hæc *accidens est per se ens*, est vera, si ly *per se* determinat inhærentiam. Tunc enim est sensus quod hoc prædicatum *ens* inest per se, tanquam superius inferiori huic subjecto *accidens*. Si vero determinat inhærens, est falsa, quia tunc esset sensus, quod accidens esset ens, quod ens est per se ens, ut distinguitur contra ens in alio, et ita esset substantia : similiter in proposito. Accidens per se adest, et abest, verum est, ut *per se* determinat inhærentiam, quia tam tota definitio, quam quælibet per se pars ejus inest per se definito, et sic sequitur, ergo per se adest, etiam ut ly *per se* determinat inhærentiam, ut autem determinat inhærens, utrumque est falsum, quia esset sensus, quod accidens est prædicatum in quale accidentale, quod prædicatum est per se prædicatum, ut distinguitur *per se* contra *per accidens*, quod falsum est, quia tunc non distingueretur a proprio, de quibus quæstione præcedente plura notavi.

31. Sensus igitur divisus est verus, et compositus falsus, ut exponit Foxal : quia sensus divisus est dividendo, seu disjungendo ly *per se* a prædicato in antecedente et consequente, et conjungendo ipsum inhærentiæ : sensus vero compositus e contra. Sed an recte hoc dicatur statim, in tertio articulo habet videri. Doctor enim non declaravit se circa hoc, et sic patet qualiter tertia consequentia non procedit, ut infra magis declarabitur.

Ad secundam objectionem respondet similiter distinguendo de determinatione ly *necessario*, aut scilicet inhærentiam, aut inhærens determinat. Primo modo procedit argumentum quantum ad minorem et conclusionem, et etiam quantum ad majorem, licet hoc tacuerit. Inesse enim, seu adesse, et abesse, et similiter accidens, conveniunt huic subjecto *accidens*, cum modo necessitatis, sicut cum per se, non tamen alia per *necessario* determinata in se, ita quod tam inhærentia, quam inhærens sic per se et necessario determinetur, ut prius dixit solvendo primam objectionem.

32. Ultimo respondet ad argumenta principalia. Ad illa communia, negando ibi non poni genus et differentiam, ut patet ex dictis, et quod illa copulatio ponitur circumlocutive, ut supra quæst. 2. de Proprio, dictum est.

Ad aliud, patet quod æquivocatur de *adesse*, quia hic accipitur secundum inten-

tionaliter, ut patet ex dictis in solutione, et sic reperitur univoce, ubi reperitur et accidens.

Ad aliud, quod est primum contra secundam particulam, (nam tertium principale omisit ad quod in fine quæstionis respondet), dicit juxta illam expositionem secundam supra, quæ sumitur ex Boetio, quod talia omnia adsunt, et secundum intellectum absunt, licet non secundum rem, vel esse reale, secus est de Proprio, ut ibi dictum est.

Ad aliud de corruptione, dicit uno modo quod adest præter corruptionem illius subjecti cujus dicitur esse corruptio : nam subjectum tam generationis, quam corruptionis, est materia prima, ut patet 1. Physicorum, et alibi sæpe, et specialiter 1. de Generatione. Materia autem manet incorruptibilis et ingenerabilis ibidem. Sed replicat contra hoc, quia videtur quod sit corruptio illius subjecti in quo dicitur esse vel cui dicitur inesse : quare ut prius non adest præter subjecti corruptionem, quia si sic, adesset præter seipsum.

33. *Subjectum accidentis duplex.* Ad hoc dicit notanter, quod subjectum accidentis aliud est informationis, et aliud denominationis, quod declarat in pluribus exemplis. Primum est de loco locante et locato. Nam locus dicitur passio, et accidens locantis 4. Physic. text. comm. 41. et alibi, et hoc ut subjecti informationis. Denominationis vero ejus subjectum est locatum, quia locus dicitur locati locus, et locatum denominatur a loco. Aliud exemplum ponit de actione agente, et patiente : nam subjectum denominationis actionis est agens; subjectum vero informationis est patiens. Similiter ad propositum, corruptionis subjectum denominationis est compositum, quia illud dicitur corrumpi, et generari 7. Metaph. text. comm. 27. et 32. et alibi. Informationis vero subjectum est materia : licet igitur corruptio non adsit propter corruptionem compositi, adest tamen propter corruptionem materiæ, et hoc est quod solet dici, quod scilicet materia generatur, et corrumpitur subjective non autem terminative, compositum vero e contra, et sic patet solutio.

Alio modo respondet ad illud argumentum de corruptione, quod scilicet adest subjecto, seu determinationis, seu informationis ; vel omittendo, illam distinctionem, quia videtur ambigua, ut patebit statim ; adest subjecto, absolute loquendo, præter corruptionem ipsius, quoad intellectum essentialem ejus, licet non quoad esse reale, vel Physicum ejus, sicut dictum est prius de accidentibus inseparabilibus. Potest enim intelligi subjectum corruptionis sub ea, et ejus opposito sine destructione sui intellectus, sine repugnantia intellectuum. Utraque responsio satis evadit argumentum. 34.

Ad ultimum principale, negat primam consequentiam, exponendo terminos in proposito, ut prius.

Sed objicit contra hoc dupliciter. Primo ex dependentia definitivæ cognoscibilitatis correlativorum, cujusmodi sunt subjectum et accidens, ut etiam in illo argumento ultimo principali tetigi : et allegat Philosophum in Prædicamentis, et habetur cap. de Relatione, parte secunda, ubi secundum opinionem propriam de relativis procedit : quare non poterit subjectum complete intelligi sine accidente, ergo multo minus sub opposito ejus, ut dicis plerumque in solutione quæstionis, et argumentorum. 35.

Secundo objicit ex fundamento Philosophi 3. Anima, text. com. 51. et 6. Ethicorum, quia scilicet *intellectus est verorum solummodo :* sed non est verum subjectum esse sub accidente, et ejus opposito, et maxime loquendo de accidentibus inseparabilibus, et universaliter etiam de omnibus in sensu composito, igitur non est intelligibile. Minorem declarat ex quadam notificatione veritatis de qua habet videri in Prædicamentis, cap. de Substantia, et in Postprædicamentis, et 1. Perihermenias, et 6. Metaphycæ, quod scilicet *veritas est adæquatio rei ad intellectum* : modo non est ita in re, ut jam dictum est, quod subjectum sit sub opposito talis accidentis, et sub ipso, igitur

intellectus non sine falsitate, et repugnantia intellectuum, hoc intelligat.

36. *Subjectum non est relativum per se respectu accidentis.* Ad primum istorum respondet, quod dictum Aristotelis intelligitur de relativis per se, cujusmodi non est subjectum respectu accidentis, sed est relativum per accidens, quia non dicitur relativum, nisi ratione alterius, quod dicitur ad ipsum. Et exemplificat de scibili, et scientia : potest enim scibile cognosci,non cognita scientia, cum sit prius, et independens, licet non e contra. Deinde excludit falsam expositionem, seu glossam, quæ forte hic adduceretur, scilicet quod in illa particula *præter subjecti corruptionem* intelligeretur ibi per ly *subjecti*, fundamentum, seu subjectum primo-intentionale, cui applicatur hæc intentio *accidens*, dicit Doctor singularissime quod hoc non congrue diceretur, eo quod ut sæpe dictum est, Logicus habet definire et dividere per secundo-intentionalia per se, et primo, et maxime si definitum sit intentio, vel divisum seu aliquod dividentium. Modo in proposito definitur intentio secunda accidentis,sive ipsum accidens, ut est secundæ intentionis : quare omnia definientia erunt secundæ intentiones,et ita ly *subjectum* in illa particula *præter subjecti corruptionem*. Hæc est singularis doctrina multum ponderanda ubique in his Logicalibus et reddit solutionem quæstionis,et cætera dicta quodammodo difficiliora, et maxime illam solutionem objectionis immediate præcedentem de correlativis, de quibus omnibus raptim tangam in tertio articulo. Tanta enim prolixitate usus sum in hac declaratione textus, præter solitum,ob maximam litteræ obscuritatem, et sententiarum copiositatem, et materiæ ubique necessariam elucidationem.

37. *Intellectus est verorum quomodo.* Ad aliam objectionem respondet tripliciter. Prima responsio exponit illud assumptum, scilicet quod *intellectus est verorum*, de intellectu non pro potentia intellectiva, quia sic potest intelligere falsa, et contradictoria et figmenta forte ; sed accipitur pro habitu primorum principiorum, ut loquitur Philosophus 6. Ethicorum, qui Antonomastice dicitur intellectus : et hoc forte propter naturalem adhæsionem intellectus, respectu talium, et maximam propinquitatem in ratione actus secundi, de quo habet ibi videri.

Secunda responsio distinguit de intellectu simplici videlicet, vel composito, seu dividente. Unde refert dicere, *Intellectus intelligit corvum esse album* ; et dicere, *intellectus intelligit corvum album* : prima est falsa et secunda potest esse etsi non vera, non tamen falsa : et hoc ideo, quia circa compositionem et divisionem intellectus est veritas, vel falsitas ut patet 1. Perihermenias. cap. 1. et 3. de Anima. text. comm. 22. hæc responsio potest confirmari per illud commune de abstractione præcisiva, et divisiva, ut tactum est supra, licet non sit omnino simile. Applicari etiam possunt hæc dicta Doctoris in 2. dist. 1. quæst. 3. de intelligibilitate contradictoriorum, et alibi sæpe.

Tertia responsio est,quod licet subjectum non vere possit intelligi sub opposito accidentis, maxime inseparabilis, non tamen est repugnantia intellectuum, si sic intelligatur,ut tactum est supra, ex dictis Boetii. Et hæc responsio potest verificari, aut de actu simplici, aut complexo, ut patet. 38.

Ultimo respondet ad argumentum tertium principale, quod omisit loco suo solvere, recurrendo ad illam distinctionem de determinatione inhærentis, vel inhærentiæ per ly *necessario* illud assumptum : sed an sufficienter evacuet argumentum, et an verum dicat universaliter hæc solutio, et aliter possit argumentum solvi, tangam infra, articulo 3. Pro littera ergo Doctoris aliqualiter declaranda, hæc dicta sint.

De Textu, paucis discurrendo circa dicta in solutione quæstionis, aliqua notanda occurrunt. Primo supposita bonitate illius primæ distinctionis ipsius *ad esse* et *absque*, in primo-intentionalia videlicet, et secundo-intentionalia, et similiter secundæ distinctionis ipsius *ad esse* secundo-intentionaliter intellecti, in illa tria membra, posset fieri ambiguitas, an totius possit accipi 39.

abesse secundo-intentionaliter sumptum.

Item, videtur quod illa propositio scilicet *inconveniens est Logicum definire, seu dividere, per res primæ intentionis*, sit falsa : tum, quia omnis respectus habet definiri per fundamentum : sed intentiones secundæ sunt respectivæ, ut patet ex sæpe dictis, ergo. Modo res primæ intentionis sunt fundamenta secundarum, ergo necessario habent definiri per illa. Et confirmatur, quia Logica est de secundis intentionibus applicatis primis, et sic Logicus habet considerare secundas, ut Logica est de ipsis, et per consequens definire. Tum, ex ratione generali accidentis, nam omne accidens habet definiri per subjectum : sed ex dictis supra quæst. 9-10-11. secundæ intentiones sunt subjective in rebus primæ intentionis, ergo habent definiri per ipsas.

40. Similiter videtur quod alia pars divisionis sit falsa, tum quia repugnat immediate dictis, nam tu dividis *inesse* seu *adesse* in primo-intentionale, et secundo-intentionale, et in proposito Logicus ; ergo, etc. tum quia major oppositio videtur inter primas intentiones, et secundas quam inter has, vel illas seorsum, ergo ratio quam assignasti huic dicto, non valet : tum, quia divisio æquivoci in æquivocata est Logicalis, et conveniens : sed hujusmodi sunt plures, et in primas et secundas intentiones, quare, etc.

Item, quare potius *inesse*, vel *esse in* possit dividi in primo-intentionale, et secundo-intentionale, quam *dici de*, maxime cum *dici* sit vocum, ut videtur quæ sunt res primæ intentionis, et sic non procedit probatio illius primæ divisionis de *inesse*, seu *adesse*, dato quod ipsa in se sit apparens.

Item, videtur quod ille communis modus loquendi de *inesse* omnis prædicati in quacumque propositione, non est conveniens, cum hic *album est lignum*, non prædicatum subjecto, sed subjectum insit prædicato, ut patet.

41. Posset etiam dubitari de illo *inesse* accidentis singularis, cum sit intentio, ad quid habet reduci, an scilicet ad Accidens, ut est quintum Universale, vel ad aliud. Si ad Accidens, erit contra dicta in quæstione præcedente ; si ad aliud, quid est illud ? Similiter etiam de illo *inesse* cujuscumque prædicati quæri posset.

Item, videtur quod illa applicatio, et prima expositio definitionis, cum dicit quod *Accidens non necessario inest subjecto*, sit falsa, arguit consequenter Doctor de accidentibus inseparabilibus, et qualitatibus elementorum, et quantitate in materialibus quia si non necessario, igitur contingenter, ergo possunt non inesse. Ponatur igitur inesse, et ita erit ignis non calidus, et corvus non niger, et homo non quantus, et hujusmodi quæ sunt absurda.

Item, illa expositio sequens de *per se*, et *per accidens*, sicut exemplificatur ex 7. Metaphysicæ potest impugnari, sicut supra quæstione finali de Proprio, tactum est, et maxime cum applicatur idem ad proprium.

Item, videtur quod sicut ex parte subjecti per se non necessario insunt accidentia, ita etiam, ut videtur, et ex parte accidentium, cum per te non habeant causam per se in subjecto : videtur igitur quod tantum per accidens eis repugnat non inesse, licet in aliquibus illud per accidens sit necessarium.

Item, an prima expositio, non addita illa 42. secunda, possit sustentari, et quare dicit *essentialis intellectus subjecti* in illa secunda expositione, potius quam intellectionis.

Item, videtur quod male dicit Boetius, et Doctor ibi, quod *subjectum potest complete intelligi sub opposito accidentis*, tum quia tunc nullum accidens deberet definiri per subjectum, contra ea quæ sæpe dixit Doctor supra, et infra, quæst. de Denominativis ; quod probo sic, quia definitio est certa et determinata, et essentialis rei cognitio : sed si subjectum posset esse sub opposito accidentis, per ipsum definiti, non determinate, nec essentialiter haberetur notitia talis accidentis per ipsum, imo falso, et æquivoce plerumque.

Tum quia similiter dicetur de proprio, contra te : et videtur uniformiter sequi ex dictis Boetii, quia subjectum est prius proprio secundum esse, maxime cum sit causa ejus, nec includit ipsum in suo intellectu essentiali, sicut nec alia accidentia : quare ergo non possit sine repugnantia intellectum intelligi subjectum sub opposito proprii, sicut sub opposito aliorum, maxime inseparabilium.

43. Si dicatur quod non est simile, quia proprium habet causam per se, alia vero non, ut dicit Doctor in littera. Contra sicut forma in materialibus est per se de intrinseca ratione rei materialis, ita et materia, singularis, singularis et universalis, universalis ; ut tenet etiam iste 7. Metaph. et 3. Sententiarum, dist. 22. Quare cum proprium sequatur formam, similiter sicut quantitas materiam, et ejus quantitas habebit causam per se, sicut proprium. Similiter posset argui de qualitatibus elementorum, quæ videntur sequi formam, quæ tamen ponuntur accidentia communia, ut quæstione sequente habet videri. Nulla igitur illarum expositionum videtur sufficiens.

Item, cum hic definiatur accidens secundo-intentionale, inconvenienter dicitur quod habet causam necessariam aliquod tale in subjecto, sive subjectum ponatur secundo-intentionale, ut infra tenet Doctor, sive primo-intentionale. Non primo modo quia unum relativorum non habet causam sui in reliquo, cum sint opposita, et simul natura ; non secundo modo, quia totaliter effective est ab intellectu, ut prius sæpe dictum est.

Item, an possit sustentari illa prima responsio primæ objectionis, ubi dicitur quod est fallacia a secundum quid ad simpliciter in illa secunda consequentia principali.

44. Posset etiam dubitari, quomodo oppositum esset differentia contractiva sui oppositi, id est, *abesse* respectu ipsius *adesse*, sicut innuit Doctor in principio applicationis, in solutione, et in replica contra illam primam responsionem objectionis ?

Item, videtur quod non convenienter assignatus sit sensus compositus, et divisus in illa solutione propria Doctoris, quia propositio in sensu diviso exponenda, habet reduci ad duas categoricas, ex doctrina istius Doctoris, in 1. dist. 39. et alibi plerumque, quod non potest in proposito recte reperiri, nisi ut ly *per se* determinat inhærens : et sic accidens adest et abest, et tale *adest*, et *abest* est per se tale, et similiter in consequente imaginandum est : erit igitur sensus divisus, dum determinat per se inhærens ; et compositus dum inhærentiam, sic hæc propositio est necessaria, *Accidens adest et abest*, etc. cujus oppositum dicit Frater Joannes Foxal hic.

Item, videtur quod non evadatur ex solutione Doctoris difficultas illius ultimæ consequentiæ, scilicet *ergo non per se abest*, quia duo opposita non per se conveniunt eidem, maxime dum *per se* determinant inhærentiam, quia tunc denotaretur esse de essentia ejus vel passiones, si esset perseitas secundi modi. 45.

Item unumquodque est per se *ipsum*, ergo *adest* est per se *adest*, et similiter de *abest*, quare videtur quod illæ propositiones erunt veræ, vel ly *per se* determinat inhærens in utraque : hæc enim est vera, *Homo est per se animal rationale per se* : et hæc similiter, *Homo est per se animal per se* ; quare non eodem modo diceretur in proposito ?

Item, quare in solutione secundæ objectionis dixit quod tam minor quam conclusio est vera, ut ly *necessario*, etc. Et ita non dixit de majori, cum tamen ponatur in majori sicut in illis.

Alia si voluerit addat lector hic, his enim solutis facilior erit transitus ad alia, curro semper cum Ferrariensibus nummis de altiora.

Ad primum igitur dico, quod potest probabiliter sustineri *abesse* tribus modis, scilicet proprie, communiter, et communissime, juxta regulam Topicam, et Doctor sufficienter hoc docuit implicite, exprimendo de *adesse*. Vel aliter potest exponi pars negativa, quia ut Differentia, seu ut 46.

pars Differentiæ, saltem circumlocutive ponitur in proposito ipsum ad esse, ut patet in littera. Licet igitur absolute sumptum forte posset toties accipi, non tamen in proposito, sed restringitur tantum ad primum modum, vel est specificativum illius primi modi potius, et hoc loquendo secundo-intentionaliter de ipso.

Ad aliud potest dici uno modo, quod loquitur Doctor de definitione data per intrinseca essentialia, et de divisione univoci in univocata, non autem de definitione per additamentum data, et de divisione æquivoci in æquivocata. Vel aliter, quantum ad illud de definitione, potest dici probabiliter, quod quia Logicus definit intentiones concretive, et in actu *signato*, sic ponit tam subjectum, quam fundamentum in definitionibus ipsarum, ut supponunt pro fundamentis primo-intentionalibus, et subjectis. Ita in proposito ponitur subjectum, ut est intentio in definitione accidentis, ut utrumque supponit pro rebus proportionaliter in actu *exercito*.

47. Vel tertio, et forte verius, quod in hoc differt definitio Logica a Metaphysica, quod Logica datur præcipue per essentialia, scilicet per genus et differentiam, et correlativum aliquando, quod forte accidit ei inquantum est logica : non ponit igitur Logicus expresse subjectum, vel fundamentum in definitione, nisi tantum connotative, hoc est, ratione modorum significandi, et verificationis prædicationis *signatæ* in *exercitam*. Metaphysicus autem qui definit in actu *exercito*, et cujus est omnes habitudines rerum necessarias exprimere, definit expresse per fundamentum, et subjectum : quod forte non solum de rebus primæ intentionis, sed secundæ Metaphysice consideratis, potest verificari : elige quod volueris, et dic consequenter.

Ultima responsio videtur de mente Doctoris sæpe supra, ubi declaravit quare in definitionibus Generis, et aliorum non ponitur substantia, sed prima responsio satis secura est, et secunda etiam probabilis, ut dixi, ad quorum majorem declarationem quære hunc super 6. Metaphysicæ, quæst. 1. et alios. Forte enim solius Metaphysici est perfecte definire, vel si Logici, quantum ad ratiocinationem Topicam, et aliorum in particulari, ex conceptibus confuse cognitis procedentium. Tu examinabis multa hîc addendo, ut expedit. Quære hunc 2. distinct. 1. quæst. 2. et 3. dist. 2. quæst. 1. et alibi plerumque, ad hæc. Per hæc patet ad omnia illa, quæ adducuntur contra primam partem illius propositionis.

Cum arguitur consequenter, contra secundam partem, patet ad primum ex dictis, quod loquitur de divisione Generis, et Speciei ; vel univoci in univocata, cujusmodi non est ista divisio posita hîc de *inesse*. Vel aliter, quod Doctor hîc est mistus, quia declarativus dictorum in Logica, ideo adducit multa non Logice præcise intelligenda. Vel tertio, quod divisiones æquivocorum præcedunt omnem scientificam considerationem de aliquo, ideo præmittuntur ipsis definitionibus, et per consequens toti scientiæ, et hoc confirmat primam responsionem. Ut igitur logice determinetur hîc de ipso *inesse*, præmittit Doctor significationes illius vocis, non ut præcise Logicus, nisi utens, vel applicans, potius forte ad Grammaticum quam ad Logicum pertinent hujusmodi divisiones. Quære lib. Divisionum, et 1. Elenchorum, et alibi. 48.

Distingui et repugnare differunt.

Quod additur de majore oppositione primæ intentionis ad secundam, etc. dico quod aliud est aliqua minus convenire, seu magis distingui, aut diversificari ; et aliud ipsa magis repugnare, ut 7. distinct. 1. et 1. quæst. 3. Sententiarum, et alibi sæpe habet iste. Licet igitur minus conveniant prima et secunda intentio, quam una prima cum alia, vel secunda cum secunda ; major tamen repugnantia est illarum inter se, quam primæ ad secundam. Exemplum de albedine comparata ad superficiem, et nigredinem. Secunda oppositio maxime requiritur in divisionibus, de quibus est sermo hîc, imo prima non est 49.

proprie oppositio, sed remota disparatio aliquorum.

Quod ultimo arguitur de divisione æquivoci, jam dictum est satis ; licet enim Logicus doceat sic dividere, non tamen est, ut sic, Logica proprie : vel præcedit Logicam, vel de illa non est hic sermo. De his notavi aliqua supra, quæst. 4. Quæratur ibi et alibi.

50. Ad aliud de *dici de* potest dici, quod licet, extensive loquendo, posset accipi primo-intentionaliter et secundo-intentionaliter, vel in actu *exercito*, et *signato*, sicut *inesse*, tamen potius secundo-intentionaliter accipitur, maxime in logicalibus quam *inesse*, vel *adesse* : quia ex vi vocis *esse* et *inesse* prius sunt in re, quam in intentionibus ; *dici* vero sicut *prædicari*, *subjici*, *affirmari*, maxime important ex vi vocis actum signatum, et intentiones secundas, ut supra cap. de Genere, quæst. 1. dictum est, et alibi plerumque. Et cum additur quod *dici* est vocis, dico quod hic accipitur *dici* pro *prædicari*, seu *enunciari*, et pro *dici* mentali, non vocali, nisi accipiatur vox, non in voce, ut infra, super libros Perihermenias, quæst. 1. habet Doctor, et ibi copiose notavi ista. Patet igitur quod non est simile de *adesse*, sive *inesse*, et de *dici de*. Et sic habetur sufficientia probationis Doctoris, quoad primam divisionem, seu distinctionem.

Dici de magis importat secundam intentionem, quam esse in.

51. Ad aliud, de illo communi modo loquendi, etc. dico quod in hac propositione, *Album est lignum*, potest poni duplex inesse scilicet primæ intentionis, seu realis, et secundæ intentionis, seu logicalis : argumentum procedit de primo, non de secundo. Dictum vero Doctoris procedit de secundo, dicens quod secundum accipitur a primo. Concedo occasionaliter, seu originaliter, sicut universaliter modi intelligendi a modis essendi : sed potest intellectus transmutare et ordinem et modum. Sufficit enim ad evitandum mendacium, et repugnantiam, convertibilitas, et reducibilitas illius *inesse* ad formale, ubi est correspondentia ad *inesse* reale, ideo tales prædicationes sunt formales, et denominativæ reductive, ut superius dictum est. Cum quæratur de illo inesse accidentis singularis, et cujuscumque prædicati, dico quod reduci potest ad accidens, ut est commune ad omnem secundam intentionem : quia essentialiter de illo prædicatur, vel saltem vere : non autem ad Accidens, ut est quintum Universale, nec ut *quid*, nec ut *modus*, proprie loquendo, licet posset quoquomodo habere modum talis accidentis, si ea quibus applicatur considerentur, ut unum, secundum proportionem.

52. Ad aliud, quod tangit bonam difficultatem de illis accidentibus, de quibus specialiter dubitatur. Plura possent hic ponderari, et quæstione sequente circa idem habet dubitari : potest tamen pro nunc breviter dici uno modo, quod illa non necessitas inhærendi, ut habet verificari in rebus, debet intelligi secundum intellectum, ut infra exponit se, in secunda expositione. Vel aliter sustinendo ipsam ex parte rei, et in re, posset dici quod *duplex* est *necessitas*, scilicet simpliciter, et secundum quid, vel sub aliis verbis necessitas consequentis, et necessitas consequentiæ, vel necessitas absolute, et quoad bene esse vel necessitas Physica, et necessitas Metaphysica. Omnibus his modis procedit argumentum primo modo, non autem secundo modo. Quære notanter istum, in 2. dist. 1. quæst. 4. et 5. et in 4. dist. 12. et Franciscum de Mayronis in 4. dist. prædicta, et Varronem, et alios ubi nosti.

Accidentia [illegible]

Necessitas duplex.

53. Forte enim, de potentia absoluta Dei, accidens potest migrare de subjecto in subjectum, et idem accidens absolutum posset informare diversa subjecta, et homo posset esse non quantus, et ignis non calidus, et sic de aliis, quia in omnibus talibus est distinctio realis, et ordo essentialis, et absoluta diversa, et causalitas alia prioris, alia posterioris [illegible], contingentia causalitatis simpliciter, quare igitur causato priori non posset non causari posterius ? Imaginantur enim aliqui quod corvus etiam manens realiter corvus posset

Accidens [illegible] posset [illegible].

Corvus an possit non [illegible].

esse albus, ut si ova ejus ungerentur sanguine anseris, et solverentur a gallina in loco frigido, generarentur corvi albi ; si hoc potest natura, quare simpliciter dicitur hoc inseparabile ? Debet igitur intelligi inseparabile, quia non de facili potest per naturam separari, secus est de accidente separabili. Quære Albertum hic, et alibi, sed crede non credenti si vis. Hæc tamen sunt difficilia multum, et maxime de homine non quanto, et igne non calido, ut etiam Doctor tangit 12. et 13. dist. 4.

54. Posset igitur aliter dici, sustinendo illam primam expositionem, quod sicut duplicia sunt principia rei, scilicet individua, vel materialia ; et specifica, seu formalia ; ita aliqua consequuntur rem, vel necessario ei insunt, nunc ratione horum, nunc illorum. Sicut igitur, comparative loquendo, species sunt necessariæ, et individua contingentia, ita et illa quæ conveniunt ratione principiorum individui, dicuntur contingenter, simpliciter, seu comparative loquendo, convenire, respectu illorum quæ conveniunt ratione principiorum speciei, sive formæ specificæ : et ita intelligit Doctor quod proprium necessario inest, accidens autem commune, etiam quod dicitur inseparabile, non necessario inest.

Sed adhuc remanet difficultas, quia si loquamur de speciebus creatis, quoad esse existentiæ, sunt simpliciter contingentes secundum veritatem, quidquid dicant Philosophi. *Universalia*, inquit Aristoteles, *sunt ubique, et semper*, primo Posteriorum, quod tamen aliqui exponunt negative, de quo non curo modo. Si vero fiat sermo de speciebus in esse quidditativo, seu objectivo, similiter individua sunt æterna, et necessaria, quoad illud esse, suo modo, sicut species : et sunt ideata, et principalius. Videatur iste 35. et 36. dist. 1. et 3. dist. 2. Videtur igitur quod illa differentia posita inter ea quæ conveniunt speciebus, et inter ea quæ conveniunt individuis secundum principia proportionabilia, non evadat difficultatem argumenti.

55. Sanius igitur, secundum aliam responsionem, potest teneri illa diversitas, recurrendo ad distinctionem realem in his, et identitatem oppositam in illis : et similiter ad identitatem causalitatis, et diversitatem, ut capitulo de Proprio tetigi copiose. Eadem enim principia sunt proprii, et speciei licet diversimode, et ordine quodam naturæ tantum, et non alia causalitate causantur, et non sunt distincta realiter : secus est de accidente, etiam inseparabili, respectu sui subjecti : quare optime dictum est, quod hoc non necessario, illud vero e contra inest. Sustinendo ergo primam expositionem quoad esse reale, sic potest ad motiva probabiliter dici. Posset etiam logice ponderari argumentum illud, cum dicitur quod illa non necessario insunt, concedo : ergo contingenter ; concedo, absolute loquendo ; ergo possunt non inesse, concedo. Ponatur igitur inesse ; hoc potest negari, ut notanter in simili habet, dist. 39. Primi. Considera ibi plura pro, et contra, et elige quod magis sapit.

Proprii et speciei eadem sunt principia.

Ad aliud de illa expositione de *per se*, et *per accidens*, dic ut supra, cap. de Proprio, quæstione finali exposui.

Ad aliud, potest dici quod ly *per se* ibi 56.
potest determinare inhærentiam, vel inhærens. Primo modo loquitur Doctor, secundo modo procedit argumentum. Vel dic, (sicut in simili habet infra, in Postprædicamentis quæst. 3. et in 1. dist. 2. parte secunda, quæst. 1. solvendo primum principale) quod potest intelligi ibi vel perseitas negationis, vel negatio perseitatis. Primo modo loquitur Doctor, secundo modo procedit argumentum. Exponat lector.

Ad aliud, dixi in præcedentibus qualiter illa prima expositio potest sustentari, sed non sine causa Doctor, et Boetius addiderunt secundam. Ideo secundam magis imitandam censeo.

Ad illud quod quæritur de verbo illo *essentialis intellectus*, etc. posset dici quod indifferenter potuit dici *intellectus*, vel *intellectio* ; vel quod notanter dixit *intellectus* ut denotetur per modum actus primi, seu objecti, et non actus secundi, *quid est* enim

cujuscumque est ejus intellectus essentialis, non actus, quo intelligitur : sed ratio *quo* completiva objectalis. Ratio igitur intelligendi ex parte objecti vocatur *intellectus essentialis*, et verbum aliquando, et notitia declarativa, sive actu, sive habitu, apprehendatur.

57. Ad aliud de definitione Accidentis per subjectum, quod adducitur contra illam secundam expositionem, dixi supra quæst. 3. de Proprio, aliqua ex quibus solvi potest. Licet enim sine repugnantia intellectuum, possit subjectum intelligi sub opposito talis accidentis, non tamen in re ponitur sine ipso. Ideo determinate habetur notitia ipsius per additamentum ex tali subjecto. Vel dic, quod definitiones maxime intelliguntur secundum aptitudinem, et specialiter per additamentum datæ. Vel quod ex hypothesi, ut in pluribus, dantur. Vel quod accidens non potest inesse alteri, quam illi, loquendo de subjecto primo inhæsionis ejus : licet e contra sit, ut jam dictum est, exponendo ly *per se*, aliter ex parte hujus, et illius.

Ad aliud, patet ex dictis quod non est simile de Proprio, et Accidente, etiam inseparabili : sicut enim in primo signo naturæ subjectum non potest inesse ipsum, ita nec in secundo, vel in tertio saltem signo, non potest non esse sub proprio, cum ex eisdem principiis resultet subjectum in primo, et passio in secundo, vel tertio : secus est de accidentibus. Utrum autem in primo signo possit intelligi sub opposito proprii. Potest dici quod non, saltem privativo, vel positivo, nec etiam contradictorio, proprie loquendo : quia tunc, vel saltem pro tunc, est tantum ipsum, vel si restringas contradictoria ad idem instans naturæ, et ad quodcumque : quod tamen dubium est, quia ad transitum inter contradictoria sequitur mutatio, quæ non reperitur proprie in signis naturæ.

Subjectum an intelligi possit sub opposito proprii.

58. Posset adhuc dici secundum aliquos, quod passio inest in primo signo, licet non pro illo : sed in proposito maxime est sermo de opposito positivo, et ordine durationis, quæ quia magis ad Metaphysicum, quam ad Logicum, pertinent, breviter hic pertranseo.

Breviter ergo dico, quod impossibile est subjectum intelligi sub opposito aptitudinis, quæ eadem realiter est ei, licet possit intelligi sub opposito accidentalis actus. Et cum arguitur ulterius contra causam assignatam a Doctore, in hoc posset dici uno modo, quod Doctor non posuit hic materiam pertinere ad quidditatem, quia hic loquitur secundum principia communiter concessa. Vel dato quod sic, sicut hoc non obstante tenet quidditatem esse generabilem, et corruptibilem ratione materiæ, ita et contingenter ei inesse, ea quæ consequuntur ratione materiæ, potest sustinere. Vel aliter, quod non ratione materiæ quidditativæ, sed potius individualis inest quantitas.

Vel forte subtilius, quod non ab intrinseco ratione materiæ, sed ab extrinseco inest quantitas materialium : hoc est, quod nisi esset materia, agens extrinsecum non produceret in talibus quantitatem. Inest autem intrinsece, et ab intrinsecis immediate pullulative proprium, ratione formæ specificæ, quare non est simile. Hoc teneo. De his etiam quæstione sequente habet Doctor, et ibi amplius exponetur. Quod additur de qualitatibus elementorum, quæstione sequente habet Doctor quid ibi tenendum sit, sed ex prædictis etiam patet. Dato enim quod habeant inesse ratione formæ : effective tamen, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco sunt, et realiter distinctæ : et ita non repugnat elementa sub oppositis horum intelligi, ut videtur, de quo infra magis. Patet enim quod aqua sub siccitate, et terra similiter possunt esse, et intelligi : sed de aliis dicendum non ita videtur quoad esse : sed difficultas est de manifesto quod opposita contradictoria, quæ magis ad Physicum spectant, quæstione tamen sequente aliqualiter tangam.

Quantitas quomodo inest ratione materiæ.

Ad aliud, dictum est supra, ut similiter sæpe, quod sermones Logici sunt mystici figurative : aliud enim sonant, et aliud subintelligere dant : concedo enim quod hic 60.

accipiuntur *accidens* et *subjectum* secundo-intentionaliter, et ut supponunt pro fundamentis. Ideo in actu *signato* verum est quod accidens inseparabile habet, vel supponit in subjecto causam necessariam, sicut proprium in suo, causam per se, et exercentur uniformiter proportionabiliter in primis. Exemplum, filius supponit causam ipsius productivam, vel principium productivum in patre, quod non intelligitur de correlativis formaliter, nisi supponentibus pro substratis. Qui vellet tamen altius omnia verificare in intentionibus per se, sicut supra in definitione Generis in simili, forte posset, quod omitto sagaci lectori.

61. Ad aliud, licet possit (recurrendo ad quamdam subtilitatem) forte sustineri illa responsio, realiter tamen non faciliter sustinetur, et efficaciter Doctor arguit contra eam. Habet enim iste super libros Elenchorum, quæst. 51. et in 1. Anglico, distinct. 26. et 1. Reportationum, dist. 3. quæst. 5. quod unumquodque quod secundum quid est aliquid, simpliciter est illud secundum quid : sicut homo mortuus simpliciter, est homo secundum quid ; et similiter quod generatur generatione accidentali simpliciter, est ens secundum quid, et non simpliciter ; licet igitur homo mortuus sit simpliciter homo mortuus; vel secundum quid, non tamen sequitur quod simpliciter sit homo, sed est fallacia a secundum quid ad simpliciter. Similiter in proposito, *Accidens per se est quod adest et abest, ergo per se abest*, est fallacia talis, ut dicit illa responsio, quia ratio hujus quod est *abesse*, absolute loquendo, diminuitur, vel distrahitur per hoc quod est *adest*, nam *abesse entis* inhærentis non est per se, vel simpliciter abesse, sicut nec est per se ens.

62. Similiter etiam de alia consequentia, *per se adest et abest, ergo per se adest*, quia etiam per ly *abest* diminuitur hoc quod est *adest*, quia *adesse* absolute potest convenire et his quæ possunt abesse, et quæ non : et simpliciter adesse est respectu illorum quæ non possunt abesse, et secundum quid aliorum. Hæc tamen responsio procedit ut ly *per se* determinat inhærens, et ideo non ab re Doctor aliter respondet : et sustinendo illam responsionem, posset dici ad replicam consequenter, quod secus est de definitionibus non datis per talia, se invicem distrahentia, seu diminuentia ; et de datis per hujusmodi. Ideo exemplum de animali rationali non procedit. Sed licet aliqualiter sic possit imaginari, videtur tamen difficile sustineri Differentiam, respectu Generis esse determinationem distractivam, et e contra, ut declarat, et quomodo talia essent de ratione tertii. Ideo recurrendum est ad solutionem Doctoris, ex cujus ignorantia, illa responsio procedit inepte.

Ad aliud dico, quod licet in voce videatur oppositio horum, scilicet *adest*, et *abest*, non tamen in re ut patet ex declaratione Doctoris.

Ad aliud, concedo argumentum, quia, judicio meo, melius assignatur sic ille sensus compositus et divisus, quam ut imaginatur Foxal.

Ad aliud, patet ex dictis, quia non sunt 63.
proprie opposita, si bene intelligantur. Vel dic quod ponuntur circumlocutive, nec sunt opposita, nisi intelligantur simul inesse : sed prior responsio satis placet, licet hoc quod dico de circumlocutione, habeat maximam efficaciam in his omnibus definitionibus logicalibus, et realibus, plerumque. Vide notanter Commentatorem 8. Metaph. com. 5. et alibi, et alias.

Ad aliud, tetigi supra in simili, quæst. 9-10-11. copiose ad hæc. Licet enim unumquodque sit per se *ipsum*, ubi tamen est æquivocatio, vel analogai vocis, non recte cum determinatione conveniente famosiori significato ponitur. Exemplum, accidens est per se ens, non tamen est per se ens per se, licet sit per se accidens. Similiter cum *adesse*, et *abesse* sint analoga, licet verum sit quod accidens per se adest, et per se abest, non tamen per se adest per se, vel abest per se : quare responsio Doctoris est optima. Non sequitur igitur, unumquaodque est per se *ipsum* per se ergo est per se unumquodque aliud per se, quod etiam de

ipso prædicatur. Forte etiam ista est falsa. *Accidens est per se accidens per se*, licet sit *ipsum* per se. Per hæc patet ad exempla illa de animali, etc. quod non est simile, quia talia non sunt multiplicia.

Ad ultimam potest dici, quod implicite dixit idem de majori, et hoc si intelligatur per *majorem* prima propositio in argumento, quia est idem simpliciter quod conclusio : sed melius est dicere quod major sit illa, *Inesse est de essentia accidentis*, ubi non ponitur ly *necessario*, ut patet.

64. Secundo principaliter, circa aliqua dicta in solutionibus argumentorum principalium, occurrunt quædam motiva : et primo circa illud argumentum de corruptione, et solutionem ejus ; qualiter procedat, et prima solutio, et secunda similiter : privatio enim et habitus habent fieri circa idem: sed materia non videtur in animatis subjectum vitæ, ergo nec mortis, seu corruptionis.

Item, accidens est in illo ut in subjecto, quod denominat, ut supra, quæst. 9-10-11. habet, ergo illa distinctio de subjecto informationis, et denominationis, non procedit.

Quod tangitur ibi in declaratione de loco, videtur esse falsum, quia locus est formaliter in locante, ut videtur, cum sit respectus ejus ad locans. Similiter quod tangitur de actione, videtur esse contra ipsum in pluribus locis, qui tenet quod actio est in agente subjective.

Item, videtur quod secunda responsio non valet quia *In transmutatione substantiali res amittit nomen et definitionem*, 1. Physicorum, com. 63. Et in lib. de Substantia orbis, cap. 1. Ergo res non potest intelligi sub corruptione sine destructione sui intellectus essentialis, seu definitionis, quod idem est.

65. Item, circa ea quæ tangit in solutione ultimi principalis, et objectionum sequentium, plura possent ponderari, sed brevibus me absolvam. Videtur enim mirum quod dicit in solutione primæ objectionis, quod scilicet accidens et subjectum secundo-intentionaliter accepta sunt relativa per accidens, eo quod non mutuo referuntur : tum quia ex hoc sequeretur quod relativa tertii modi essent per accidens, quod tamen videtur contra Philosophum 5. Metaph. text. comment. 20. ubi relativa per se dividit in tres modos, in quorum tamen tertio non est mutua habitudo : per accidens enim relativa vocat Philosophus ibidem relativa secundum genus, et abstracta relativorum et subjecta quibus accidunt, ut album cui accidit simile. Tum etiam, quia sicut genus et species pro formali sunt simul natura, et per se relativa, quare non similiter accidens et subjectum pro formali ? Licet in fundamentis aliter contingat, sicut etiam *prius* et *posterius*, et sic de aliis intentionibus, sunt simul natura, et per se relativa.

Item, illa expositio quam excludit, videtur probabilis, quia in fundamentis potest verificari hæc definitio sicut aliæ logicales : multi etiam sic exponunt ipsam. Similiter ipsum accidens intentionale (de quo est hic sermo) applicatur subjecto primo-intentionali, ut albo : et potest abesse ab albo præter albi corruptionem, quia modi intelligendi sunt separabiles, ut supra, quæst. 3. de Genere, dictum est. 66.

Item, videtur quod illa secunda responsio secundæ objectionis non procedat, quia non solum in actu complexo intellectus, sed etiam in actu incomplexo, est veritas, vel falsitas, aliter intellectus posset intelligere Chimæram, et alia impossibilia.

Similiter, cum intellectus apprehendit corvum album, videtur apprehendere oppositum in adjecto, et ita repugnantia intellectuum. Similiter etiam apprehendens corvum sub albedine, apprehendit ipsum esse album, igitur distinctio nulla. Similiter intelligens corvum album, intelligit corvum non nigrum, et sic separat unum ab alio, et sic abstractio dicitur mendax. 67.

Item, tertia responsio videtur implicare, quia quod vere non potest intelligi tale, sine repugnantia intellectuum, non potest intelligi tale, cum aliter intelligens rem quam

sit, fallatur, ut habet Augustinus 83. Quæstionum, q. 32.

Item, non videtur sufficienter solutum illud argumentum principale, de necessitate inhæsionis intentionum universaliter, quia falsum admittit, nec ad propositum sufficienter applicat, ut videtur. Alia plura possent hic addi, quæ relinquo altiori ingenio ubique.

68. Ad ista respondetur. Ad primum varie Expositores, et Quæstionistæ hîc imaginantur. Quidam dicunt quod mors et corruptio non sunt accidentia positiva, de quibus loquitur Porphyrius, sed privationes quædam. Alii quod illa particula *præter subjecti corruptionem*, debet addi ad ly *abest*, et non ly *adest*. Alii quod *abest* et *adest* secundo-intentionaliter dicta possunt dici de morte, et corruptione, non tamen primo-intentionaliter, sine subjecti corruptione.

Sed omnibus his postpositis, placet responsio Doctoris et prima, et secunda. Sed secunda est simpliciter melior, et verior. Et cum arguitur de vita, etc. dico quod sicut res naturalis, vel artificialis etiam, potest considerari vel quoad fieri, vel quoad esse, ita et principia ejus sic et sic possunt variari, ut habet Philosophus 1. Physicorum, ubi privationem ponit principium per se transmutationis, licet per accidens sit principium rei naturalis. Similiter in habentibus unicam formam, vel plures, variantur principia mediata, et immediata transmutationis, et esse.

69. *Subjectum vitæ et corruptionis quod.* Dico igitur quod materia, saltem secunda, est subjectum vitæ, ut est actus primus. Sed totum est subjectum denominationis actus secundi ipsius vitæ : nam hominem, et non corpus organicum, dicimus vivere : et sic universaliter generatio et corruptio habent pro subjecto *in quo*, seu susceptivo ipsam materiam, et hoc vult Commentator 7. Metaphysicæ expresse. *Materia*, inquit, *defert formam*. Et non obstat dictum Philosophi 1. de Generatione, ubi habet quod *generatio est transmutatio totius in totum* : quia intelligitur terminative, et nil mirum est quod tales transmutationes, cum sint habitudines quædam, denominent aliud a suo subjecto, quia a terminis *quo*, vel *quibus*, principaliter habent denominationem: et terminos *quod*, vel *quæ*, respiciunt primo, et denominant, cum productiones, et corruptiones talium sint : ubi semper aliquid radicale præsupponitur, et ultimo relinquitur, cujusmodi est materia : sunt etiam transitus quidam, ideo a terminis *ad quos* capiunt denominationem, 5. Physicorum, et hoc, ut dixi, verum est de formalibus. Conjunguntur enim in talibus plures respectus, et intrinsecus, et extrinsecus advenientes. Quæratur iste in 2. dist. 1. quæst. 4. ad finem et in quæst. 5. Metaph. cap. de Relatione.

Cum dicis ultra, quod accidens est in illo, verum est, si sit denominatio intrinseca : secus est de denominatione extrinseca. Vel aliter, quod verum est de denominatione subjectiva, non terminativa. Doctor igitur per subjectum denominationis ipsius corruptionis intelligit terminum ejus. Vel dic expedite et resolute et ad mentem Doctoris, quod generatio in creaturis duo importat, scilicet mutationem, seu transmutationem, et productionem. Primo modo materia est ejus subjectum ; secundo modo totum, vel compositum per se, et primo, est ejus terminus ; et similiter est intelligendum de corruptione. Ubi tamen intelligendum, quod tam generatio, quam corruptio secundo modo accepta, accipitur active, et passive : passive enim accepta est formaliter in composito, et denominat ipsum : et ideo secunda solutio Doctoris est simpliciter melior hîc. Tamen propter illam multiplicitatem, et famositatem loquendi qua istæ transmutationes capiuntur primo modo, illa prima responsio Doctoris apparens est. 70.

Generatio in creaturis duo importat.

Quod additur contra exemplum de loco, dico quod locus tam pro materiali, hoc est, pro superficie ultima corporis locantis, quam pro formali, hoc est, pro *ubi* activo, est in locante, sicut dicit Doctor : terminative autem est in locato, et *ubi* passivum

Locus quo sit subjective et terminative.

est in ipso : et hoc satis declarant dicta Doctoris in prima responsione, quod scilicet corruptio terminative est in toto, et hoc loquendo de corruptione activa : similiter locatio actio in locato terminative, sed locatio passio formaliter subjective, quæ sunt *ubi* activum et passivum.

71. Similiter ad aliud, quod additur de actione, potest dici quod famose loquitur hic. Vel quod verum est de actione acta, quæ recipitur in passo. Videatur iste in 4. distinct. 13. et in Quodlibeto, quæst. 23 et 1. quæst. 1. De exemplis non est multum curandum.

Ad aliud de Commentatore, vide infra, super libros Perihermenias, quæst. 3. et 7. ubi Doctor solvit optime illud. Intellectus enim essentialis præscindit ab existentia actuali, et *hic* et *nunc*. Illa autem auctoritas intelligitur de transmutatione Physica et amissione nominis, et definitionis, in esse existentiæ, et reali, ut patet ibi : hic vero loquitur logice, et metaphysice Doctor, et Boetius etiam, de intellectu essentiali, et definitione, et nomine.

Subjectum et accidens an sint relativa per accidens.

Ad aliud sustinendo singula dicta Doctoris, licet alio modo posset objectio illa solvi, etiam ex dictis prius, dico quod Doctor hic extensive capit relativa per accidens, pro non mutuis, quorum licet unum per se sit relativum, reliquum tamen non per se, sed per accidens. Vel nullo modo est relativum, et sic Deus, et creatura possent dici relativa per accidens, et sic patet ad primam instantiam. Concedo enim, ad illum intellectum, relativa tertii modi esse per accidens, de quo habet videri notanter in quæstionibus hujus, super 5. Metaphysicæ, et alibi sæpe, in doctrina ipsius.

72. Ad aliam instantiam, quæ difficilior est, potest negari similitudo, quia in hac definitione, ut dictum est, capiuntur termini secundo-intentionales, ut supponunt pro fundamentis, et verificantur in eis. Unde alia est habitudo speciei ad genus, alia accidentis ad subjectum, et e contra. Licet enim omnes secundæ intentiones sint respectus, non oportet tamen quod uniformiter sint tales. Verum namque est in secundis intentionibus quod Genus per se subjicitur Species, et per se includitur in Specie, et Species per se includit Genus : nec mirum est igitur quod sit mutua habitudo inter ista, sed nihilominus posset dici, quod Genus est prius Specie ad alium intellectum, sed non sic comparatur accidens ad subjectum : quare vere dicitur, stando in intentionibus, quod accidens est posterius subjecto, et essentialiter dependens, subjectum vero independens et prius essentialiter : ita quod prius et posterius fundantur immediate in accidente, et subjecto, secundo-intentionaliter acceptis. Licet igitur *prius et posterius* quoquomodo sint simul natura, vel per se mutua relativa, non sic oportet de subjecto, et accidente, ut supponunt pro fundamentis, et ut quoquomodo præscindunt ab eis. Sequitur igitur, *Accidens, ergo subjectum* : non tamen e contra, ut patet in aliis relativis tertii modi. Unde genus et species forte pertinent ad primum modum, et similiter *prius et posterius* : accidens autem et subjectum ad tertium. Subtilissime igitur paucis verbis respondet Doctor, ex qua responsione poterit lector plura inferre. Primo quod modi relativorum possunt applicari, suo modo, ad intentiones, sicut ad res.

Sed ibi posset dubitari, an scilicet præcise ad relationes de prædicamento Relationis directe, vel reductive saltem, scilicet intrinsecus advenientes, an universaliter ad omnes respectus possint applicari illi tres modi, de quo habet videri 5. Metaphysicæ. Secundo quod una relatio fundatur in alia in intentionibus immediate. Tertio quod respectiva quæcumque non mutua possunt dici per accidens relativa, quia sicut ab uno extremorum dicuntur relativa et per se talia, ita ab altero non per se, sed per accidens, et similiter non relativa, nisi forte ratione. Quarto quod *prius et posterius* sunt relativa mutua. [illegible] quare sibi inter se mutuo referuntur, non tamen illa, in quibus fundantur, etiam 73.

Respectiva non mutua dici possunt relativa per accidens.

relativa ; ratione tamen unius extremorum vel intellectus comparantis sic dicta. Quinto posset inferri, quod subjectum in definitione Accidentis non ponitur ut per se correlativum, sed præcipue ut terminans habitudinem ejus, et ita potius habens rationem absoluti quam relativi, etsi e sentialiter sit respectus, nec obstat dictum Doctoris supra, in solutione quæstionis, quia nomine correlativi intelligit terminum habitudinis talis qualis.

74. Et si objiciatur contra dicta, quod subjectum, ut hic sumitur, per te est intentio, et per consequens respectus, ergo per se ad aliquod relativum refertur : non ad aliud, quam ad accidens, ergo solutio nulla.

Item, Doctor iste videtur velle 5. Metaphysicæ quod in relativis tertii modi, si uniformiter sumantur, est mutua habitudo, hoc est, si actu, actu ; si potentia, potentia; ut patet de scientia, et scito.

Subjectum in descriptione Accidentis ad quid refertur.

Ad primum potest dici, quod intellectus causat, vel derelinquit intentionem subjecti in lapide cognito, ad album comparato. Et cum dicis quod est per se respectus, vel respectivum : concedo quoad suam entitatem talem qualem. Et cum ultra dicitur, ergo per se refertur ; hoc posset forte negari, quia potius modum absoluti, quam relativi habet. Vel forte posset dici, quod per se refertur inquantum subjectum, vel subjicibile, ad prædicatum, vel prædicabile. Vel forte per se refertur ad subjectum, vel fundamentum, in quo fundatur, ut ad lapidem, sicut universaliter omne accidens ad subjectum : et tunc subjecti erit subjectum, et subjectum erit accidens e contra, et subjectum per se refertur ad accidens, et e contra : ut si fundetur intentio subjecti in superficie respectu albi, et sic de aliis, et similiter accidens ad subjectum, et non e contra, ut in proposito, et communiter, et multa alia, ad quæ attendat lector.

75. Vel aliter, (et est solutio secundæ objectionis,) quod si capiantur subjectum et accidens uniformiter, scilicet si actu, actu ; si potentia, potentia ; per se mutuo referuntur : si vero difformiter, non : et sic loquitur Doctor, et solutio præcedens procedit. Secus est enim dicere absolute subjectum, et dicere subjectatum, vel natum subjici, et subjectum. Posset etiam absolute negari, omnem respectum rationis productum ab intellectu, esse per se mutuo referibilem : quia ex proprietatibus rerum motus intellectus, producit entitates intentionum proportionabiles rebus ; quare aliquæ sunt intentiones mutuo referibiles, aliquæ non. Circa quod stude, et adde plura, quia res multum subtilis est, licet non pro pane lucrando, ut aiunt grossa capita. Ex sæpe tamen dictis poteris cuncta penetrare. Quod additur ulterius, de illa falsa expositione, quam excludit Doctor, dico quod licet definitio verificetur in fundamentis in actu *exercito*, primo tamen vera est in intentionibus in actu *signato*, licet etiam verificetur subjectum in subjecto subjecti, non tamen in subjecto accidentis, et sic intelligit Doctor. Aliter igitur exponentes quam exposuit Doctor, videant Joannem in calce Apocalypsis.

Sed quare definitiones secundarum intentionum verificantur in fundamentis, et non ita contingit in aliis ? nam definitio hominis in nullo, nisi in homine verificatur. Videtur igitur vel quod non est differentia essentialis harum ab illis ; vel quod prædicentur essentialiter, et per se, de eis, quæ tamen supra negata sunt. Dixi ad hæc supra, quæst. 9-10-11. plura. Sed breviter dicatur pro nunc, quod ratio hujus est, quia intentiones sunt modi intelligendi fundamenta : quare nihil mirum est, quod illa quæ uno modo dicuntur de istis, alio modo verificentur in illis : cum non definiantur a Logico ut essentiæ quædam in se abstractæ sunt, sed ut supponunt pro fundamentis, et concernunt ea : secus est de definitione hominis, vel asini. Exemplum de modis significandi Grammaticalibus, et definitionibus eorum, quæ verificantur in fundamentis, ut, *Nomen est pars orationis*, etc. verificatur de lapide, et ligno. 76.

Quod additur de intentione accidentis applicata albo, licet forte illud sit verum, tamen non primo definitur accidens per ipsum, sed per se correlativum, et primum quod est subjectum in communi secundo-intentionaliter sumptum : sicut pater per filium in communi, non hunc, vel illum, et multo minus per Socratem et Platonem definitur.

77. Ad alia quæ adducta sunt contra solutiones secundæ objectionis, de multiplici acceptione veritatis, et qualiter consistit in re, et in intellectu, et de veritate complexa et incomplexa, habet iste mirabili subtilitate scaturizatum 6. Metaph. q. 3. videatur ibi. Sed breviter ad propositum pro nunc dico, quod illa secunda responsio Doctoris est apparens, ex communi modo loquendi, et exponendi Aristotelem. Veritati enim incomplexæ, (quæ est similitudo, vel conformitas actus incomplexi intellectus ; ad oppositum simplex, seu incomplexum,) non opponitur falsitas, sed ignorantia, veritati vero complexæ opponitur et ignorantia, et falsitas, privative videlicet, et contrarie : et hoc optime notavit Doctor, cum dixit quod intellectus dividens accidens inseparabile a subjecto, est falsus, non autem intellectus simplex apprehendens subjectum, etiam sub opposito talis accidentis : sed forte non negaret ibi de facto esse ignorantiam. Similiter veritas, et falsitas nunquam est objective, nisi intellectu componente, vel complexo, licet formaliter et subjective sit veritas in incomplexo.

Veritati incomplexæ ignorantia, complexæ vero falsitas opponitur.

78. Quod additur de cognitione impossibilium, concedo quod intelliguntur, intellectu tamen non assentiente, dummodo non lateant. Cum ulterius arguitur de opposito in adjecto, et posset confirmari 5. Metaph. cap. de Falso, quod scilicet est ratio aliqua in se falsa, quæ tantum simplici intellectione apprehenditur, ut *homo irrationalis* : et ita posset dici hic, cum intelligitur corvus albus, vel corvus non niger. Pro hujus solutione, præter jam dicta de accidentibus separabilibus, et inseparabilibus, advertendum secundum quosdam, quod accidens potest dici inseparabile dupliciter, scilicet vel negative, vel privative. Primo modo ly *in* dicit negationem cujuscumque separabilitatis, sive facilis, sive difficilis. Secundo modo privat tantum facilitatem separabilis. Primo modo dicitur probabiliter quod nullum accidens commune est inseparabile, sed bene secundo modo. Unde licet aliquod accidens non possit separari a subjecto, manentibus principiis complexionantibus, quæ sunt principia illius accidentis in tali subjecto, potest tamen separari, si talia principia transmutantur. Exemplum tactum est supra, de ovis corvorum ; et est exemplum Alberti. Similiter exemplificari potest de Æthiope manente in regionibus frigidis qui efficitur albus, saltem in posteris.

Accidentia communia sunt inseparabilia, quomodo.

Vel, ut aliis videtur, accidens aliquod est simpliciter inseparabile per naturam a subjecto, ut calor ab igne, nec propter hoc dicta Porphyrii impediuntur, quia aliquod accidens illi simile in specie est separabile. Sed nihilominus videtur Porphyrius velle, quod licet accidens non possit separari re, potest tamen intellectu, ut Boetius exponit, et prius copiose dictum est. Sed tertio modo dici potest, quod cum dicitur accidens inseparabile, potest dupliciter intelligi, vel secundum potentiam scilicet, vel secundum aptitudinem. Si primo modo, hoc contingit adhuc dupliciter, vel scilicet secunudm potentiam naturalem, vel supernaturalem. Primo modo plura sunt accidentia inseparabilia, et hoc remanentibus subjectis. Secundo modo nullum est accidens inseparabile loquendo de absolutis realiter distinctis, licet secus sit de respectivis aptitudinalibus, et actualibus intrinsecus advenientibus, positis tamen extremis. Si vero inseparabile capiatur aptitudinaliter, sic probabiliter dici potest, quod nullum est inseparabile, imo omne separabile, etsi non actu separatur. Vide hunc modum exponendi Augustinum in 2. dist. 1. quæst. 1.

Ex his breviter ad argumentum dico quod hic non est proprie oppositum in adjecto, et hic simpliciter loquendo corvus

scilicet albus, vel non niger. Et ad illud quod adducitur ex 5. Metaphysicæ dico, quod loquitur de conceptu includente duo, quorum unum destruit rationem formalem seu intellectum essentialem alterius, ut patet in exemplo illo de homine irrationali, ubi tamen non est falsitas proprie, nisi virtualiter, seu habitualiter forte, sed potius ignorantia, ut dictum est. Modo albedo non destruit intellectum essentialem corvi, sicut nec nigredo construit.

Ad aliud, negatur assumptum, nisi forte in habitu, vel in potentia, seu quoquomodo virtualiter. Possunt enim incomplexa apprehendi non formando complexa ; et præmissæ, non inferendo conclusionem, ut patet 1. Posteriorum. Similiter ad aliud, nego ibi esse separationem divisivam complexionalem, nisi ut prius, sed si esset, posset stare sine repugnantia intellectuum, ut dicit Porphyrius, et ultima responsio Doctoris, quæ optima ad propositum est : de aptitudine enim et potentiali, et facto, non inconvenit corvum intelligi, et esse album : quare, etc. Solutio tamen illa secunda Doctoris procedit de facto communiter, et de potentia naturæ.

81. *Falsum esse, et impossibile esse differunt.*

Ad aliud, nego assumptum : aliud enim est esse falsum, et aliud impossibile, ut patet 1. Cœli. Aliud etiam esse impossibile, et aliud includere incompossibilia, et ita non esse conceptibile sine repugnantia intellectuum. Sunt etiam multi modi falsi possibilis, et incompossibilis, de quibus alias. Vide notanter infra, super 1. Perihermenias, quæst. 9. non longe a fine, et ubi supra notavi, articulo secundo. Vide optime in 2. dist. 6. quæst. 1. solvendo rationes opinionis, et 45. dist. 1. Reportationum.

Ad illam propositionem Augustini, patet : nam licet fallatur, non tamen est repugnantia intellectuum. Sed si volueris propositionem in se bene intelligere, vide hunc in 3. dist. 14. quæst. 1. et in 4. dist. 50. quæst. finali.

Ad ultimum dico, quod Doctor sufficienter solvit argumentum, ut videtur habere efficaciam ad propositum, ut ex dictis patet, solvendo illas objectiones ad finem solutionis quæstionis : licet posset negari illud assumptum, ut supra, qu. 3. de Genere, dictum est : quod scilicet modi intelligendi sunt separabiles, etc. Argumentum etiam procedit de fundamento immediate applicabilis, non de correlativo accidentis, de quo intelligitur definitio, ut prius dictum est : hoc est, de subjecto *in quo*, non *de quo*, proprie loquendo Logice, ut scis. Aliud enim est comparare accidens ad album, et ad subjectum fundatum in lapide. Licet autem necessario insit in ordine ad secundum, non tamen ad primum, ut patet.

De primo etiam dicitur modo accidentis realis, quia in prædicatione *exercita*, de secundo prædicatione *signata*. Licet etiam in primis *exercita* verificetur ex *signata* quodammodo, non tamen in secundis, ut patet. Posset tamen fieri vis de intentionibus, ut scientifice considerantur, quia sic videntur esse necessariæ et impossibiles aliter se habere, et ut sic videntur inesse fundamentis, quia aliter considerari complete non possunt, cum sint essentialiter respectivæ, et sic illud assumptum videretur habere aliqualem apparentiam : sed de hoc supra sufficienter pertractavi. An etiam fundamenta in esse cognito sint immutabilia, vide istum 3. dist. 1. quæst. 4. et 8. dist. ejusdem, quæst. finali, et in materia de Ideis, et 8. Quodlibeti. Dato etiam quod essent, non sequeretur quod fundata in eis essent necessaria, vel necessario insint, nisi forte necessitate consequentiæ dumtaxat, comparatis scilicet extremis, quæ tamen comparatio contingenter fit ab intellecto creato. 82.

Intentiones quomodo necessariæ.

Ibi tamen posset non ab re ponderari, an intentiones sint respectus intrinsecus, an certe extrinsecus advenientes. Dicuntur namque comparationes passivæ in doctrina hujus, et sic videntur esse passiones : sed hoc non obstat, quia etiam productio passio est respectus intrinsecus adveniens, sed supra de his tetigi, et infra adhuc super 83.

Intentiones an sint relationes intrinsecus advenientes.

Prædicamenta habet videri. Pro nunc dico quod ut plurimum sunt respectus intrinsecus advenientes, sed an aliqui sint extrinsecus tales, considera : maxime quando ab extrinseco insunt contingenter causante. *Necessitas* etiam et *contingentia* sunt modi entis realis, licet aliqualiter ad alia transferantur : secus tamen est de necessitate incomplexorum, et complexorum, quia primo modo nihil simpliciter necessarium, nisi Deus : secundo modo plura alia, de quo alias : hæc pro nunc per accidens de accidente per accidens dicta raptim sufficiant.

QUÆSTIO XXXVI

Utrum Proprium et Accidens possint dici de aliquo eodem

D. Thom. 1. *par. quæst.* 97. *art.* 1 *et* 77. *art.* 1. *et* 54. *art.* 3. Cajet. Sotus, *et* Tolet. *cap. de Proprio.* Javellus *tract.* 4. *Prædicab. cap.* 5. Joan. Angl. *et* Brasavol. *super hanc quæst.* Blanc. *disput.* 3. *sect.* 4. Didacus a Jesu *quæst.* 2. Fonseca 5. *Metaph. cap.* 28. Rodriguez *quæst.* 4. *de Proprio, art.* 1. Vide Doctorem *in* 1. *d.* 3. *quæst.* 7. *et d.* 13. *et in* 2. *d.* 1. *q.* 1. *et d.* 2. *quæst.* 1. *et d.* 16. *et* 25. *et in* 3. *d.* 2. *quæst.* 2. *et in* 4. *d.* 13. *quæst.* 1. *et* 9. *Metaph. quæst.* 14. In quibus locis docet Proprium esse idem realiter cum subjecto, et per consequens non posse habere rationem Accidentis, et denominati a secunda intentione accidentis prædicabilis. Et idem expressius *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 5, 6. *et* 7. *et d.* 5. *q.* 2. *et d.* 36. *et* 42. *Et in* 3. *d.* 15. *et* 17. *et in* 4. *d.* 13. *q.* 1. *et d.* 43. *quæst.* 2. *et d.* 49. *quæst.* 10. *et in Quodl. quæst.* 17. In quibus locis vult quod inclinationes rerum sunt eadem realiter cum ipsis rebus. Sed passio est inclinatio et aptitudo quædam.

1. *Argumentum pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, de omnibus propriis qualitatibus elementorum ; quia quælibet istarum consequitur formam elementi : igitur est proprium respectu elementorum : et accidentia sunt in mixtis, ut manifestum est : nec potest dici quod æquivoce sunt in his, et in illis ; quia hæc, et illa sunt comparabilia secundum talem qualitatem, ut patet per Aristotelem 2. Metaph. ubi dicitur, quia *ignis calidissimus, est enim aliis causa hujus caloris.* Similiter ista propositio, quam intendit ibi per illam litteram, non habet veritatem, nisi in univocis.

Item, lux in corpore luminoso, et medio, est univocum, quia utrique est actus lucidi, inquantum lucidum, sed in corpore luminoso est proprium, in medio accidens : igitur, etc. Primum patet, quia sequitur immediate formam corporis luminosi : unde ad diversitatem formæ consequitur diversitas lucis, ut patet in corporibus cælestibus. Minor patet ; quia adest et abest, præter, etc.

Ad oppositum, Proprium, et Accidens sunt duæ intentiones oppositæ : opposita non possunt eidem inesse.

Ad quæstionem dicitur, quod quæ sunt opposita respectu ejusdem, non insunt eidem. Ideo idem non est proprium et accidens, respectu ejusdem, quia sic sunt opposita ; non est tamen inconveniens respectu diversorum ; sicut idem habet rationem generis, et speciei respectu diversorum. *1. Sententia aliorum.*

Contra, si respectu alicujus est proprium, respectu illius non est accidens ; quia tunc illi inesset per se, et non per se, nec est accidens illi. Probatur, quia si sic, ergo primo non *infuit* convertibiliter : ergo non fuit proprium respectu primi. *Rejicitur.*

Ideo dicendum, quod impossibile est istas duas intentiones *proprium*, et *accidens*, eidem rei primæ intentionis applicari respectu ejusdem, vel diversorum, quia quod alicui est proprium, illi non est accidens, nec alicui alii, quia convertitur cum eo, cujus est proprium, et ita alii non inest. *Sententia Doctoris.*

Ad primum argumentum dici potest, quod nulla qualitas activa, sive passiva, est proprium alicui elemento, ut hic dicimus proprium accidens, per se consequens formam speciei, quia alteratio in illis qualitatibus præcedit generatio- *1. Ad argumentum.*

nem, et corruptionem formæ substantialis, ut manifestum est, eo quod agens in elementum suas inducit qualitates, adhuc manente forma substantiali elementi corrumpendi, quia illa manet in tota transmutatione : ergo illa potest manere sub opposito, sive contrario qualitatis, quæ ponitur sibi propria ; sed hoc est contra rationem proprii.

Vel potest dici, quod licet semper inessent hujusmodi accidentia elementis, et necessario, non tamen consequuntur formam Speciei, sed magis materiam ; quia sunt principia actionis, et passionis, quæ non sunt primo Speciei, sed individui, per Aristotelem 1. Metaph. et ideo respectu elementorum possunt dici accidentia inseparabilia : cum quo tamen stat, quod eadem specie sint accidentia inseparabilia respectu elementorum (sicut nigrum respectu corvi, a quo non separatur) et separabilia respectu alterius, a quo separantur.

4. Ad secundum potest dici, quod si lux univoce sit in corpore luminoso, et medio, et sit aliqua qualitas eadem specie, non tamen eumdem modum essendi habet utrobique, concretum autem significat formam, secundum quod est in subjecto, et ideo nullum concretum dictum a luce, univoce inest huic, et illi ; quia nec corpus luminosum dicitur *illuminatum*, sed *lucens*, medium vero non *lucens*, sed *illuminatum*. Nunc autem istæ intentiones *proprium*, et *accidens*, non sunt applicabiles rebus primæ intentionis, nisi ut significatur, ut in concreto, ideo nihil est univocum hic et ibi : cui attribuuntur istæ intentiones *proprium*, et *accidens*.

5. Contra hoc, concretum, et abstractum idem significant ; ergo si abstractum est univocum, et concretum.

Item, *risibilitas* respectu hominis non est genus, nec Species, nec differentia, nec accidens : ergo proprium. Similiter *albedo* respectu hominis, non est genus, nec species, nec differentia, nec proprium ; ergo accidens. Nec est dicere, quod non sunt Universalia, quia prædicantur de pluribus ; ergo istæ intentiones possunt applicari aliquibus primæ intentionis, ut significantur in abstracto, cujus oppositum dictum est.

Ad primum potest dici, quod si concretum sit æquivocum ratione formæ significatæ, et abstractum erit : tamen si concreta dicantur ab eadem forma, per diversam habitudinem formæ ab subjectum : non sequitur illud abstractum esse æquivocum, sicut *sanum* dicitur multipliciter, scilicet effectivum, conservativum, vel significativum sanitatis : ex diversa habitudine ejusdem formæ ad diversa subjecta, et tamen *sanitas* univocum est.

Ad illud quod objicitur, quia idem significant concretum, etc. verum est eamdem formam : tamen abstractum absolute ; concretum, ut inhæret subjecto. 6.

Ad secundum dicitur, quod *risibilitas* respectu hominis non est Universale; quia nec risibilitas respectu ejus prædicatur de pluribus.

Sed si arguatur absolute de ipsa, est Genus, vel Species etc. Dico, quod est Species respectu hujus risibilitatis, et illius ; quia respectu istarum prædicatur de pluribus : sic ex alia parte de albedine, cujus signum est, quod Porphyr. in omnibus modis proprii, et toto capitulo de Accidente tantum exemplificat de concretis. 7.

Et Aristoteles similiter in I. Topicorum, quod patet per rationem, quia significatum in abstracto de nullo dicitur, nisi de quo prædicatur essentialiter, et ejus de quo prædicatur essentialiter non est proprium, nec accidens ; igitur nul-

Deer… hoc in … tiqu… Codd. … bet … unus C… MS. ve… tus … blioth… cianæ, … aliori… videt… additi…

lum abstractum prædicatur de aliquo, ut proprium, vel accidens. Contra rationem positionis, quod est proprium A, nulli accidit, nisi cui accidit A: igitur saltem alicui est accidens; verbi gratia, *habere tres*, accidit illi cui et triangulus; et confirmatur, per Aristotelem 5. Topicorum illo capitulo, *Quoniam autem idem et diversum*: ubi ponit quatuor difficultates: circa primum vult dicere, quod difficile est ponere illud esse proprium, quod inest uni subjecto mediante alio; quia si utriusque illorum subjectorum ponatur proprium, videtur alii inesse, ut reliquo subjecto. Contra responsionem ad primam rationem, probatur ibi dupliciter, qualitates activas non esse proprias respectu elementorum: contra primam partem ex prædictis: Quoties autem dicitur, *præter ea, quæ naturaliter insunt, ut igni calidum*, etc.

Item 2. de Anima cap. *de tactu*, arguit Aristoteles tangentia in aqua, vel aere sunt humida; igitur inter ea est aqua vel aer: quæ contra non valent, si prius inducentur qualitates quam formæ istorum.

Item, aqua manens aqua: non potest amittere humiditatem; quia est qualitas minus essentialis: ergo multo magis nec frigiditatem: et ita de aliis.

Item secunda probatio, videtur ostendere, quod nulla sint principia, quæ dicantur principia agendi, vel patiendi, quod videtur falsum in multis, cujusmodi sunt *risibile*, *disciplinabile*, *et visibile* respectu coloris: de quo dicit Aristoteles 2. *de Anima*, in principio capituli *De visu*: quod per se secundo modo prædicatur *visibile* de coloribus; similiter de *audibili* respectu *soni*, etc.]

EXPOSITIO

De Primo, quid *Proprium*, et quid *Accidens*, et quoties accipiuntur, patet ex supradictis. Hic *possibilitas* attenditur et de congruo, et absolute etiam accipiendo ista duo, ut supra ostenditur, esse distincta Universalia.

Dici hic intelligitur per prædicari, enunciari, seu applicari in actu *exercito*, vel etiam *signato*. Cum dicit *de aliquo eodem*, restringit se, quia clarum est quod aliqua sunt propria, quæ non possunt poni accidentia aliorum, ut risibilitas, et hujusmodi. Sed de aliquibus aliis dubium esset de qualitatibus elementorum, secundum quod tangit in opponendo, ideo dicit in particulari *de aliquo*. Hic etiam accipit *aliquo* non pro subjecto primo-intentionali, et ista duo primo-intentionaliter, quia clarum est quod sic dicuntur de eodem, utpote de homine album et risibile: sed accipit ista secundo-intentionaliter, et subjectum pro proximo fundamento per se, et immediate applicabilis, utpote albo, vel risibili, an scilicet de albo posset dici quod sit accidens, prædicatione denominativa, et proprium eadem prædicatione: et hoc respectu ejusdem, vel respectu diversorum.

Posset etiam intelligi *aliquo eodem*, scilicet subjecto, vel fundamento, in prædicatione *signata*, stando in intentionibus supponentibus pro rebus, ut subjectum est *de quo*, vel correlativum, et medium *in quo*, et tunc ly *eodem* potest intelligi, vel de identitate numerali, vel specifica vel hujusmodi: de quibus in sequentibus magis specificabo in particulari.

Ordo quæstionis patet, quia postquam de his duobus, tanquam distinctis Universalibus, determinavit, consequens erat disputare de compossibilitate, vel incompossibilitate eorum, respectu ejusdem fundamenti.

Divisio communis, sed quod secunda pars subdividitur aliqualiter secundum quod duos modos dicendi ibi ponit.

10. De Secundo, arguit duabus rationibus pro parte affirmativa. Prima sumitur comparando qualitates elementorum ad ipsa, et ad mixta. Primo modo sunt propria, secundo modo accidentia communia. Quod sint propria respectu ipsorum elementorum, ostendit ex dictis prius, quæst. 3. de Proprio, et quæst. 1. de Accidente, in illis divisionibus de Accidente, ubi habetur quod accidens consequens rem ratione formæ specificæ sit proprium : hujusmodi sunt tales qualitates respectu elementorum, ut patet, quia non ratione materiæ eis insunt, cum sint activæ omnes, licet antonomastice duæ dicantur activæ, et aliæ duæ passivæ. Quod autem respectu aliorum sint accidentia, patet ex definitione accidentis. Et quia forte aliquis diceret quod non sunt ejusdem rationis in his, et in illis, sed æquivoce conveniunt eis ; hoc excludit notanter, ex comparatione elementorum, et mixtorum secundum tales qualitates, ut habetur 2. Metaph. text.com. 4. *Ignis*, inquit, *est calidissimus : est autem hic aliis causa caloris.* Quam litteram adducit Philosophus ibi, ut ostendat prima principia esse verissima, quia videlicet sunt causa univoca veritatis aliis. Unumquodque autem est maxime tale, quod est causa univoca aliis, ut sint talia.

1. Vult ergo quod veritas conveniat univoce principiis, et principiatis, licet causetur ab his in illis. Et facit maxime pro intentione hujus contra Thomam, et alios, negantes aliquid esse commune Deo et creaturæ, substantiæ et accidenti, etc. Nisi igitur intenderet Philosophus quod caliditas conveniret univoce igni, seu caliditati ignis, et caliditati mistorum, illa propositio nihil esset ad intentum suum ibi, de causa et causato univocis applicando ad veritatem, ut patet. Similiter superlativus includit comparativum, si igitur ignis calidissimus, ergo calidior : sed comparatio (maxime Physica) habet fieri in univoco, etiam specifico, ut patet 7. Physicorum, text. com. 24. et inde habetur, et alibi sæpe ; ergo, etc.

Secunda ratio procedit ex comparatione lucis ad corpus luminosum, et ad medium : nam respectu primi est proprium, quia sequitur formam ejus. Quod ostendit ex diversitate lucis in corporibus supercœlestibus, utpote sole, et stellis, et hujusmodi, quod contingit ex diversitate formarum ipsorum : non enim materiam eorum, si quam habent, consequitur lux, cum sit de se chaos, ut dicitur : respectu vero secundi est accidens, ut patet ex definitione accidentis. Et similiter, ut prius ostendit quod est ejusdem rationis utrobique, quia habet identitatem nominis, et rationis. Nam utrinque, vel utrobique est actus lucidi, inquantum tale, qualem rationem assignat Philosophus 2. de Anima, text. com. 69. et alibi. 12.

Cum dicitur in littera, *Primum patet*, intellige pro prima parte minoris : et infra, ubi communiter habetur in originalibus, *Minor patet*, debet poni, *secunda pars minoris patet*, etc. Vel formetur argumentum aliter, ponendo illam litteram, *lux in corpore luminoso*, etc. usque ibi, *Sed in corpore luminoso*, etc. tanquam præsuppositum : et formando consequenter majorem, et minorem sic : *lux in corpore luminoso*, etc. *Sed in medio*, etc. et sic *primum* erit major, et littera originalis, ubi dicit, *Minor patet*, bene stabit : elige quod volueris.

Ad oppositum arguit ex oppositione harum intentionum, ut supra ex definitionibus ipsarum patet. Sed eodem medio posset ostendi quod idem non posset esse species et genus, vel species et proprium, quod forte etiam verum esset, ut statim dicam. Sed in argumento oporteret, ut videtur, addere *respectu ejusdem*, et maxime in respectivis, quod forte subintelligit, ut infra dicam : argumenta tamen regulariter ad partes quæstionis sunt Topica, quare hîc non est immorandum : in corpore namque quæstionis ponuntur rationes efficaces pro conclusione assertiva communiter, et specialiter in doctrina hujus. 13.

Deinde respondet ad quæsitum. Ubi duo facit. Primo modum quemdam dicendi 14

aliorum recitat, et impugnat breviter. Secundo opinionem propriam ponit, et paucis declarat. Primus modus dicendi est, sustinendo partem affirmativam quæsiti. Ejus motiva sunt ante oppositum quæstionis, et respondet ad motivum post oppositum, scilicet opposita convenire eidem, vel dici de eodem, potest intelligi respectu ejusdem, vel respectu diversorum. Primo modo est impossibile quia implicat contradictionem. Secundo modo est bene possibile, et maxime in respectivis : imo sic non sunt opposita, sed tantum sunt respectu ejusdem, ut supra sæpe dictum est. *Pater* enim et *filius* non sunt opposita proprie, nisi respectu ejusdem de eodem dicantur : ita in proposito Proprium et Accidens de eodem, respectu diversorum, possunt dici, ut patet in exemplis adductis in argumentis principalibus : non autem de eodem, respectu ejusdem, quia tunc sequeretur contradictio, sicut ex aliis oppositis de eodem dictis. Et exemplificat de Genere et Specie, dictis de eodem, respectu diversorum, utpote superiorum et inferiorum, ut patet per Porphyrium cap. de Specie : quare argumentum post oppositum insufficienter procedit, ut notavi prius. Hæc solutio videtur habere bonam apparentiam ex dictis Philosophi, et hujus, in plerisque locis.

15. Ad inferendum namque contradictionem, quando prædicatum est respectivum, oportet quod opposita dicantur de eodem secundum idem, et ad idem : quæ particula non additur in absolutis. Vide hunc in 4. dist. 10. quæst. 4. et alibi sæpe. Et Philosophum 1. Elenchorum definientem Elenchum. Sed Doctor unica ratione (quæ satis demonstrat) impugnat hanc viam, et hoc ex definitione Proprii, et modo inessendi ipsius, et similiter Accidentis, ostendens quod nec respectu ejusdem, nec diversorum, possint dici de eodem. Accipiatur verbi causa *risibile* in ordine ad hominem, clarum est quod respectu hominis non est accidens, cum sit ejus proprium : hoc etiam tu concedis. Comparetur idem *risibile* ad aliud, utpote ad lapidem, clarum est quod

Proprium et accidens non possunt dici de eodem.

lapidis non est proprium, quia idem non potest esse proprium diversorum specie, primo, nec secundo, nec sit primo communis utrique. Nec potest esse accidens commune lapidis, quia tunc non fuisset proprium hominis, quod probatur ex convertibilitate proprii, cum eo cujus est. Convenit enim omni, et soli, et semper : quod non contingeret, si alteri qualitercumque in identitate rationis conveniret.

Ex convertibilitate igitur proprii cum eo cujus est, satis habetur quod eidem fundamento, nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum, possunt applicari hæc duo, de quibus quæritur. Et sicut gratia exempli formavi argumentum de *risibili*, ita tenet de quocumque alio. Et potest confirmari hæc ratio, et solutio sequens Doctoris, ex illa definitione tertia accidentis, quam ponit Porphyrius cap. de Accidente, per remotionem videlicet omnium aliorum ab accidente. Quod scilicet non est Deus, nec Species, nec Differentia, nec proprium, etc. quod non solum intelligitur de secundis intentionibus, sed etiam verificatur in primis. Quidquid tamen sit de hoc, ratio Doctoris facit fidem. Concludit consequenter Doctor partem negativam quæsiti, cum ratione jam dicta, iterum explicando ipsam. 16

Respondet consequenter ad argumenta principalia. Ad primum dupliciter. Primo, negando assumptum de qualitatibus elementorum, eo quod impossibile est subjectum esse sine proprio, vel sub opposito proprii, vel etiam intelligi sub ejus opposito, ut prius dictum est : modo elementa nullum intelligi sine repugnantia intellectuum possunt sub oppositis qualitatibus primarum, sed realiter sunt sub oppositis earum, ut patet in transmutatione elementorum ad invicem : nam cum generatur ignis ex aqua, prius alteratur aqua ad caliditatem removendo successive ipsius frigiditatem, ultimo momento existente aqua in quam inducitur ab agente naturali caliditas, quæ est opposita suæ qualitati primæ, cujusmodi est frigiditas quam ge- 17

Elementa esse possunt sub oppositis primarum qualitatum.

neretur ignis, cum generatio sit terminus alterationis, secundum Philosophum, et Commentatorem in pluribus locis. Ex hoc igitur manifeste apparet, quod frigiditas non sit proprium ipsius aquæ, et similiter dicendum est de aliis. Vide infra, quæst 4. Anteprædicamentorum copiose ad hæc.

18. Alia responsio procedit similiter negando idem assumptum, ex alia tamen ratione, eo quod videlicet non consequuntur formam elementi, sed potius materiam. Licet igitur habeant causam quodammodo necessariam in subjecto, non tamen causam per se, ut supra dixit : et ita sunt accidentia inseparabilia, non tamen propria. Et quod materiam consequantur declarat, quia videlicet sunt principia actionis, et passionis, quæ primo insunt individuo, et consequenter, vel per accidens speciei, ut communiter allegatur ex primo Metaphysicæ in Procemio. Concludit igitur quod hujusmodi qualitates possunt poni accidentia separabilia respectu elementatorum, et inseparabilia respectu elementorum, ut patet de nigro respectu corvi et lapidis : nec tamen horum, neque illorum sunt propria. Duplici ergo ratione falsum est assumptum.

19. *Lux in corpore luminoso, et in medio non habet eumdem modum essendi.*

Ad secundum principale, admisso quod lux in abstracto sit ejusdem rationis in corpore luminoso, et medio, non tamen habet eumdem modum essendi hinc inde: quare nullum concretum dictum ab ipsa est univocum hinc inde. Quæ concreta licet idem significent quod lux ipsa, tamen connotant varios modos essendi ipsius in subjecto. Nam concretum significat formam non ábsolute ex modo significandi, sed secundum quod est in subjecto, ut supra cap. de Genere, et alibi, tactum est. Et infra in Anteprædicamentis, quæst. 8. habet videri, et statim, in 3. articulo clarius. Quare cum intentiones applicentur concretis, ut supra dictum est sæpius, et maxime hæc quinque Universalia, hæc duo nulli eidem concreto applicantur : et ita argumentum nihil concludit. Declarat per exempla varietatem illorum concretorum, et patet littera.

20. Sed contra hanc solutionem, licet bona, et singularis sit, instat dupliciter, et satis notanter. Primo ex identitate concreti, et abstracti, quoad significatum, maxime in doctrina hujus, ut infra, dicta quæstione de denominativis, ad plenum habetur : mirum igitur est ponere abstractum univocum, et concretum non, sed multiplex, ut arguatur sic : illa non significant præcise idem, quorum unum est univocum, et alterum multiplex, seu multivocum : sed per te *lux* in abstracto est univocum, in concreto vero multivocum, seu æquivocum ; ergo concretum et abstractum non idem penitus significabunt : consequens est contra te, ergo et antecedens. Videtur igitur manifesta contradictio in dictis Doctoris hîc, et alibi.

Secundo arguit contra aliud dictum in solutione, scilicet quod intentiones tantum applicantur fundamentis in concreto, inductive ostendendo oppositum, de risibilitate, et albedine respectu hominis : nam primum est proprium respectu ipsius, et secundum accidens. Et si aliquis diceret quod talia in abstracto accepta non sunt Universalia, excludit Doctor hoc, dicens quod convenit eis ratio Universalis, scilicet *prædicari de pluribus*. Nam risibilitas et albedo sunt termini communes, habentes significata communia, de pluribus univoce dicibilia : arguatur ergo sic, Omne univocum multis se habet ad illa sub ratione alicujus Universalis : sed risibilitas est hujusmodi, et similiter albedo, ergo, etc. Sed non sunt alia Universalia præter hæc quinque, ut prius, quæst. 12. ostensum est, igitur comparando hæc duo ad hominem, habebunt rationem alicujus horum quinque, non alterius quam Proprii quoad primum ; et Accidentis, quoad secundum ; ista autem sunt abstracta, ut patet ; igitur abstractis conveniunt intentiones, quod est contra te. 21.

22. *Æquivocatio concretorum in ratione connotati, an inferat æquivocationem in ratione significati formalis.*

Ad ista respondet Doctor singularissime. Ad primum in forma sic, quod scilicet æquivocatio potest intelligi in concreto, vel multivocatio, seu multiplicitas, dupliciter, secundum quod duo importat, scilicet vel

ratione formalis significati, vel ratione connotati, ex diversitate ipsius modi significati proveniens. Si primo modo est multiplicitas, bene sequitur quod etiam in abstracto sit : similiter et e contra, si univocatio, univocatio, et e contra, ab abstracto ad concretum inferendo. Si vero secundo modo convenit multiplicitas, non sequitur quod in abstracto sit similiter : nec ex univocatione abstracti removetur hujusmodi multiplicitas. Et exemplificat de *sano*, seu *sanativo*, quod multipliciter dicitur, secundum quod habet diversam habitudinem ad diversa connotata, seu ponatur unum concretum, seu plura. Respicit enim *sanum*, et id quod est formaliter tale, ut animal et id quod significat sanitatem, ut urinam, vel hujusmodi ; et id quod est conservativum sanitatis, vel sani, ut diætam vel vas, pro quanto contentivum effectivi sanitatis, et id quod est effectivum sanitatis, ut medicinam.

23. Quare *sanum multiplex*, ut habet Philosophus 4. et 7. Metaphysicæ ; sed ad unum, hoc est, analogum, sanitas vero univocum est. Similiter dicendum est in proposito de luce, et ejus concretis. Hoc idem habet iste in 4. dictinctione 11. quæstione 1. Cum igitur dicis, quod idem significant, verum est, sed non eodem modo, quia abstractum absolute concretum in ordine ad subjectum : et quia talis ordo, seu modus essendi in subjecto est multiplex, ideo concretum multiplex est.

Ad secundum dicit, quod risibilitas in se, et quoad sua inferiora propria, et similiter albedo, sit Universale, utpote species : in ordine tamen ad hominem neutrum est Universale, sed tantum in concreto respectu hominis. Primum est proprium, scilicet risibile, et secundum accidens, scilicet album, ut supra dictum est. Et confirmat hoc ex processu Porphyrii cap. de Proprio, et Accidente, et littera patet.

24. DE TERTIO. Circa dicta in solutione hujus quæstionis occurrunt aliqua dubia. Primo, an illa prima responsio ad quæstionem possit sustineri, et an etiam respectu diversorum oppositi possint convenire eidem : et an Intentio Generis et Speciei ; vel Generis et Proprii ; seu Speciei et Proprii, et similiter de aliis, possint convenire eidem etiam respectu diversorum. Posset etiam ponderari qualem oppositionem habent Proprium et Accidens.

Item, contra conclusionem quæstionis, secundum quod eam tenet Doctor, posset objici sic : Cuicumque accidit subjectum alicujus proprii, accidit ei et illud proprium : sed homini accidit albedo, vel album, ergo disgregativum visus, quod est passio albi : quare ipsi disgregativo visus potest applicari intentio Proprii respectu albi ; et intentio Accidentis respectu hominis, et sic de aliis propriis passionibus accidentium potest argui.

Similiter arguitur in secundis intentionibus : accipio proprium Universalis, vel Generis, vel alterius secundæ intentionis, et patet quod comparando illud ad suum proprium subjectum, ei convenit intentio proprii ut *modus*, sicut et aliis propriis : comparando vero ipsum ad fundamentum primo-intentionale, vel secundo-intentionale, ei applicatur intentio Accidentis, sicut et suo subjecto. Cui enim accidit genus, eidem accidit proprium generis, ut prius, ergo, etc. 25.

Item, videtur major compossibilitas Proprii, et Accidentis eidem fundamento quam Generis et Accidentis : sed Genus et Accidens conveniunt eidem fundamento respectu diversorum, ut colori, sicut supra, cap. de Genere, quæst. 6. concessum est, ergo, etc.

Sed sustinendo Doctorem, qui nihil determinate dixit, ad hoc respondetur. Ad primum dico, quod non videtur probabilis, nec sustentabilis illa responsio, ut indicabit Doctor, nec similitudo de Genere, et Specie procedit, et etiam forte fallit, nisi capiendo Speciem extensive, pro subalterna, vel tantum subjecta quæ non est proprie Species, ut hic ponitur oppositum, seu disparatum prædicabile contra Genus, de quo infra magis dicam. 26.

Ad aliud dico, quod non proprie opposita, ut opposita dicuntur de eodem ordine, nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum, quod patet 1. de contradictoriis, quia non sunt proprie contradictoria, si comparentur ad diversa, in respectivis, dico : in absolutis vero nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum dicuntur de eodem. Similiter contraria non dicuntur de eodem, et secundum idem, et similiter etiam nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum, et hoc ut formaliter talia sunt ; quod dico propter verba Philosophi 5. Physicorum, comparantis extrema ad media inter se comparata, et e contra. Similiter etiam nec privative opposita, inquantum proprie talia : quod addo propter verba Aristotelis 2. de Anima, comparantis imperfecte tale ad privationem talis. Similiter idem patet de relative oppositis, quia non sunt opposita respectu diversorum considerata, ut supra patet sæpius. Nam refert dicere *relativa*, et *relative opposita* : sed famosa locutio verificatur propter identitatem, et diversitatem substrati propinqui : nam eadem quæ sunt relativa, fiunt consequenter opposita, ideo ad diversitatem substratorum absolutorum, dicuntur hæc relative opposita.

Opposita absoluta non dicuntur de eodem.

27. Ad aliud dico probabiliter, quod nullæ duæ harum intentionum proprie, ut disparatæ sunt, attribuuntur eidem fundamento vel subjecto, et hoc secundum idem. De Genere et Specie patet ex dictis, quia Species specialissima, de qua maxime intendit Porphyrius, non convenit illi, cui convenit intentio Generis, ut patet ex rationibus eorum, et supra satis habetur. Similiter de Genere et Differentia et Genere ; et Proprio et Specie ; et Differentia et Specie ; et Proprio et Accidente ; et similiter de Genere et Accidente ; et Specie et Accidente, de quibus magis videtur ex verbis Doctoris, quod conveniunt eidem, quod verum est, loquendo de eodem *quod*, non tamen de eodem *quo* : nam colori applicatur intentio generis, ratione communicabilitatis quidditativæ, et contrahibilitatis talis, ad sua propria inferiora ejusdem generis : sed intentio accidentis applicatur ei ratione inhærentiæ, et concernentiæ naturæ alienæ et alterius generis. Et si dicatur quod Proprium respectu unius est species suorum inferiorum vel aliquando genus : breviter, licet aliqui distinguant de Specie subjecta, et prædicata, dico nihilominus quod non proprie, sed quodammodo similitudinarie dicitur species, vel genus pro quanto, suo modo, dicitur de suis inferioribus, sicut et alia : sed tamen illa non sunt proprie inferiora, nec illud superius, sed aliqua, vel aliquid inferiorum et superiorum. Similiter dico de Differentia et Specie, atque Genere.

Et si adducatur Doctor in 1. Reportatio- 28.
num, distinctione 25. quæstione 2. ubi dicit quod omne vel reducitur ad Genus, vel ad Speciem ; dico quod circumstantia scripturarum illuminat sententiam.

Addit enim Doctor, quoniam, inquit, illud quod est proprium, vel differentia respectu speciei, respectu suorum inferiorum se habet ut Genus, vel ut Species. Nota ly *ut*, quia similitudinarie loquitur, ut dixi. Vere etiam reducuntur ad Speciem Differentia et Proprium, tanquam aliquid ejus, et reducitur accidens ad Genus, vel Speciem : quia essentialior habitudo est ad sua inferiora, quam ad aliena ; et prius est unumquodque in se *quid*, quam alterius *modus*, quare est reductio posterioris ad prius.

Ad aliud potest dici, quod illa oppositio potest poni non solum disparatio communiter dicta, sed oppositarum differentiarum declarativa, ut patet ex definitionibus ipsarum superius pertractatis : esse enim contrarietas (etsi non forte propriissime sumpta, ut patet) sufficit tamen ad inferendum contradictionem.

Ad aliud (quod est directe contra conclu- 29.
sionem principalem ad quæstionem, et tangit bonam difficultatem) potest dici quod aliud est principaliter et immediate accidere subjecto, et ita dici accidens ; et aliud mediate, et concomitanter. Vel sub aliis verbis, absoluta inhærentia, vel per mo-

dum sequelæ. Argumentum procedit secundo modo, et similiter sequens de intentionibus : conclusio vero intelligitur primo modo. Non est autem inconveniens aliquid esse per se tale, et per accidens aliud, licet alias esset oppositum, et hoc si sit per accidens illud : sicut habitus idem potest esse per se speculativus, et per accidens practicus. Quæ non proprie sunt opposita, quia per se, per se, et per accidens, per accidens opponuntur. Sicut de *quid*, et *modo*, in simili, supra dictum est. Hæc solutio est satis apparens, et potest colligi aliqualiter ex dictis Philosophi 5. Topicorum c. 14.

30. Aliter tamen dico quod nec mediate, nec immediate illud quod est proprium uni, est accidens, aut illi, aut alteri : aliud est enim esse accidens, et aliud aliquid accidentis ; sicut aliud esse substantiam, et aliud aliquid substantiæ, sicut in simili dixi jam supra de inferioribus Proprii, et Differentiæ. Disgregativum igitur visus non est accidens ligni, nec proprie pars formaliter accidentis, sed aliquid ipsius. Et similiter dicatur ad aliud de intentionibus. Simile tetigi supra quæst. 6. ad finem. Proprium etiam non dicitur esse alicujus proprium, nisi in se, et in ordine ad sua inferiora, consideratum : et ita potest negari *disgregativum* esse proprium albi, ut ad lignum comparatur, imo sic ei extraneatur, et ita argumentum committit fallaciam Accidentis. Nec obstat quod lignum dicitur disgregativum, quia hoc intelligitur per accidens, et remote, sicut quod liber hominis sit risibilis, id est, illius qui est risibilis : lignum est illud accidentaliter, quod in se per se disgregativum est.

31 Ad ultimum, patet ex dictis quod genus et accidens non conveniunt eidem secundum idem. Similiter nego assumptum pro majori : dato enim quod major sit convenientia proprii et accidentis, non tamen major compossibilitas, seu minor repugnantia, ut prius in simili dictum est. Exemplum de albo et nigro ; et albo et superficie. In primis major convenientia, quia nedum in genere remoto, seu conceptu transcendenti, sed etiam in genere proximo quo conveniunt. In secundis tamen minor repugnantia, et major compossibilitas, licet minor convenientia sit, cum tantum in conceptu transcendenti conveniant. Unde ex ultimis differentiis sumitur, sicut et entitas, ita et compossibilitas, vel incompossibilitas per se, vel per accidens aliquorum. Forte tamen posset concedi uniformis incompossibilitas omnium ut *quid* consideratorum, licet non ut *modus*. Exemplum de albo et nigro ; et albo et dulci. Ita dicatur de Genere et Accidente ; et de Accidente et Proprio : quia duo prima non distinguuntur per differentias immediate oppositas circa idem genus propinquum, sicut duo ultima. Ad hæc tamen addat ingeniosus lector plura, ut expedit.

Ubi major diversitas ibi quandoque minor repugnantia.

Secundo, circa primum principale, et solutionem ejus, aliqua occurrunt. Primo an caliditas sit ejusdem rationis in elemento, et mixto, et an illa probatio ex 2. Metaphysicæ hoc sufficienter ostendit. 32.

Item, videtur quod qualitas elementi, sit proprium ejus, vel sibi intimius, quam proprium, cujus oppositum tenet in utraque solutione ad primum principale : tamen auctoritate Petri Hispani, qui dicit cap. de Oppositione, quod caliditas non accidit igni, sed est ei consubstantialis et pertinet ad ipsius definitionem, sicut punctus ad definitionem lineæ, et unitas ad definitionem numeri : et addit ibi quod modus *essendi in* ipsius caliditatis in igne pertinet ad modum *essendi in* partis definitionis in definito, qui est quartus modus *essendi*, in 4. Physicorum text. comment. 23. Unde addit ibi, quod caliditas non est in igne, ut in subjecto, sed in materia ignis. In igne vero est ut substantiale in eo, cujus est substantiale, tum etiam, quia accidens quod consequitur subjectum ratione formæ ipsius, est ejus proprium, ut supra dixit Doctor de proprio, et cap. de Accidente ; sed qualitas elementi est hujusmodi : nam talia non insunt ratione materiæ, sed tantum qualitas, quia si sic, non essent activæ, sicut nec materia. [illegible]

etiam per se sensibile, et sic de aliis.

33. Item, illud quod dicit in 1. solutione, quod scilicet alteratio præcedit generationem in elementis, videtur falsum; tum quia formæ elementorum generantur successive, secundum Averroem, et multi Scotistæ sequuntur hoc, et 8. Metaph. copiose disputat Doctor idem : tum quia tunc ignis manens ignis posset esse frigidus, sicut aqua calida, et deductio solutionis hoc videtur ostendere : sed istud est impossibile, maxime naturaliter; ut etiam habet iste Doctor in 4. distinct. 12. nam semper aliquem gradum caliditatis sibi determinat, sine quo impossibile videtur ipsum fore, nec sub frigiditate potest esse, ut experientia docet. Hoc enim tanquam risu dignum multi reputant, scilicet ignem fore frigidum.

34. Item, cum dicit in secunda responsione, quod qualitates elementorum consequuntur ipsa, ratione materiæ; vel ipsam materiam, consequuntur, et non formam; non videtur verisimile, ut patet ex dictis. Nam si loquatur de materia Physica, quæ est prima, clarum est quod illam non consequuntur ut cui insunt, quia secundum istum (3. distinct. 1. quæst. 7. et idem tangit 3. distinct. 2. quæst. 4. et 12. distinct 4.) subjectum accidentis, maxime absoluti, est ens actu, scilicet formali, et non solum entitativo. Si vero ibi fiat sermo de materia individuali, ut quibusdam placet, sive illa ponatur materia prima, sive materia signata quantitate, sive hæcceitas, adhuc non videtur verum quod qualitates elementorum consequuntur illam, imo primo videntur convenire naturæ elementi, nec illa hæcceitas est principium activum Physice loquendo, sicut prius de materia Physica dictum est. Similiter illa probatio ex 1. Metaphysicæ non procedit, maxime secundum istum, qui tenet naturam esse principium actionis primo, et non singulariter inquantum tale, licet singularitas sit conditio agentis. Inferius etiam in Postprædicamentis, quæst. 4. dicit quod caliditas consequitur ignem in suo perfectissimo esse : sed tale esse non videtur esse materiæ ignis, qualitercumque sumatur materia.

35. Ad ista breviter respondeo. Ad primum dico cum Doctore, quod est ejusdem rationis hinc inde, quod posset multipliciter probari, quod tamen pro nunc omitto. Differentia namque materialis, inquantum talis, est numeralis, ut prius sæpe dictum est. Videatur iste 2. distinct. 1. parte 2. ubi ostendit genita propagatione, et genita putrefactione, aliquando esse ejusdem rationis. Nam ibi notabiliter ostendit qualiter cognosci possit aliqua esse ejusdem rationis, et per quæ media. Similiter dico quod probatio illa ex 2. Metaphysicæ optime concludit, licet aliqui obstinati non assentiant, quibus protervia est pro doctrina, et obstinatio pro virtute, et superbia pro sanctitate : sat tamen in sui confusionem est in modum simiarum ascendere. Sed de qua univocatione procedit illa probatio patet infra, quæst. 4. Ante prædicamentorum, et alibi, saltem quacumque univocatione potest poni caliditas esse univoca his et illis.

36. *Caliditas an consubstantialis igni.*

Ad aliud, nego qualitatem elementi esse proprium, vel intimius proprio. Ad Petrum Hispanum et alios auctores hujus opinionis, potest uno modo responderi per interemptionem, ut communiter in illo loco negatur. Vel quia potest probabiliter declarari, dicatur quod per *consubstantiale* intelligit non intrinsecum substantiæ elementi, sed quod consequitur naturaliter substantiam ejus, et hoc necessitate naturæ, licet non simpliciter forte, et per partem definitionis intelligit partem quoad nos, et a posteriori, per additamentum definientem, sicut 1. de Anima dixit Philosophus, accidentia conferre ad *quod quid est* extendendo etiam ad accidentia connaturalia in esse perfecto, et naturæ, et realis existentiæ, et inseparabilia, et nedum proprie propria. Et exempla quæ adducuntur currunt de definitione per extrinseca, et sic faciunt pro hac solutione : sed claudicant quoad similitudinem notificationis,

per additamentum nunc per prius, nunc per posterius, fiendæ, ut patet speculanti. Vide notanter ad propositum 8. Metaph. text. comm. 5. et specialiter in commento ibidem per totum, et maxime ad finem commenti, ubi singularissime ista habentur.

37. Et quod additur de esse caliditatis in materia ignis, tanquam in subjecto, quod videtur quodammodo conforme dictis Doctoris hic in secunda solutione ad primum principale, facit bene pro hac declaratione in Petrum Hispanum. Nam si caliditatem posuisset esse proprie substantiale igni, non dixisset ipsam esse in materia ut in subjecto, cum commune sit omni substantiæ in subjecto non esse, ex Prædicamentis cap. de Substantia : illud autem potest exponi sic, videlicet quod materia ignis est indifferens ad formam ignis et aquæ, et non sic ignis, ideo materia ignis est indifferens ad caliditatem et frigiditatem et respectu ejus sunt accidentia etiam separabilia, et complete rationem accidentis habentia, scilicet adesse, et abesse, etc. Non sic caliditas respectu ignis potest poni accidens, licet sit simpliciter accidens ejus inseparabile. Et illud potest intelligi de materia pro opposito corrumpendo accepta, sicut dicimus quod lignum est materia ignis, vel aquæ, vel hujusmodi, quo modo loquitur Commentator, et Aristoteles de materia, in plerisque locis, et iste Doctor in 2. dist. 1. parte 2. solvendo motiva Averrois ; vel de materia inexistente, sive *ex qua*, quæ vocatur elementum et principium 5. Metaph. et 1. Physic. et alibi sæpe. Primum horum satis sapit ad propositum, quia accipiendo materiam secundo modo, non recipit caliditatem, nisi remote multum, nec recte posset dici subjectum ejus, ut argutum est.

38. Ad aliam probationem, oportet dicere qualitates elementorum convenire eis ratione suarum formarum, aut totius compositi et non solum ut causæ formalis, sed potius ut efficientis, saltem æquivalenter. Et cum dicis ergo essent propria, nego. Unde noto (ut supra etiam notavi) quod *accidens convenire ratione formæ* potest intelligi dupliciter, vel scilicet per simplicem emanationem a principiis intrinsecis quidditativis, et non alia efficientia extrinseca, quam subjecti productiva, et tale accidens dici esse respectum fundamentalem, et proprium illi cujus est, et etiam realiter est, vel per realem efficientiam, et etiam a subjecti productione, et hoc vel ab ipsomet subjecto, vel a causa extrinseca ejus formaliter, semper tamen ab ipso subjecto æquivalenter, quia formam qua prædiceret sufficienter in se, et prius natura habet, licet forte ab extrinseco proveniatur, et tale accidens pono realiter distinctum a subjecto, et ut plurimum absolutum. Hujusmodi in proposito dico esse qualitatem elementi.

Posset etiam distingui de forma, vel scilicet in esse reali Physico, et individuali ; vel in esse quidditativo specifico Metaphysicali : et sic potest exponi Doctor, ubi supra dixit proprium consequi formam specificam : et hic dicit qualitates elementorum consequi materiam, hoc est, elementa in esse Physico individuali, quod esse est materiale respectu esse Metaphysici, et quidditativi : vel quod consequuntur formam ut in materia, non tamen formam ut formam, licet ratione formæ insint. Si autem aliquis fingeret quod sint propria in gradu determinato, et hoc vel intensissimo, vel remisso, accidentia autem infra, vel supra illum gradum, faciliter impugnari possunt, quia gradus non variant rationem formæ, et ideo argumentum Doctoris in solutione convincit. Similiter non videntur formæ elementorum posse stare cum aliis gradibus, quia non manet subjectum sine suo proprio : hoc autem falsum est, quia manent in tota latitudine, ut patet. 39 *Elementorum qualitates an ipsis conveniant ratione materiæ.*

Ad aliud, sustinendo dictum Doctoris, nego assumptum.

Ad primam probationem, loquitur Doctor secundum opinionem communem, quæ ponit generationem terminare alterationem. Vel assumendo aliam posset dici quod alte- 41 *Alteratio an præcedat generationem.*

ratio præcedit natura, licet non duratione, sed prima responsio efficacior. Infra etiam in Postprædicamentis q. 4. Doctor ponit eumdem modum dicendi. Forte tamen ista vera sunt de elementis non puris, nec in suis sphæris, sed in his inferioribus, quæ sunt elementa, licet non sensibiliter mixta, et ita potest sustineri ignem frigefieri et aquam calefieri, et sic de aliis. Sustinendo etiam elementa per motum generari, et corrumpi, adhuc præcedere potest alteratio, etiam duratione, generationem, scilicet tota totam, et pars partem ; ita quod prius duratione disponitur, et alteratur pars propinquior agenti, quam introducatur forma in illam, et sic de aliis per ordinem.

41. *Ignis an possit intelligi sub opposito caliditatis.* Ad aliam probationem, dictum est supra, quod ignis sine repugnantia intellectuum potest intelligi sub opposito caliditatis, sed an esse per aliquam potentiam dubium est : de potentia absoluta Dei non video contradictionem, secus de ordinata, et de potentia naturæ, cum Deus res quas condidit sic administret, ut proprios motus agere sinat, ut habet Augustinus 7. Civ. cap. 30.

Ad hæc tamen quæratur Aristoteles 3. Cœli, et in Problematibus suis. Boetius enim in libro de disciplina Scholastica cap. 3. in historia filii inconstantiæ, narrat numerum quæstionum difficilium protractarum in semicirculo Cratonis, et hanc ponit sextam superioris Zodiaci latitudinis ejusdem semicirculi, videlicet cum unum elementorum contrariam, ut aqua accidentalem accipiat qualitatem, ut caliditatem : quare non ignis accidentalem accipiat frigiditatem, et non solvit ipsam, sicut nec alias quæstiones ibi recitatas. Dicunt tamen aliqui, quod est propter maximam activitatem ignis in transmutando alia, et non e contra.

Sed probabiliter posset dici, quod hoc est propter raritatem materiæ ignis, in comparatione ad alia : est enim in millecupla proportione raritatis ad terram, et centucupla ad aquam, quare frigiditas non potest recipi in tam subtili, et rara materia, ut patet. Sed hoc maxime intelligo verum de elementis puris, de ipsis vero non puris forte secus est, licet ibi experientia deficiat, de quibus est Physici considerare. Sufficit enim Doctori hîc ad propositum suum, quod de aliquibus elementis, et suis qualitatibus, sit verum quod sub oppositis possunt intelligi, et esse, licet de aliis sit difficultas : non tamen quia sunt ipsorum propria, ut patet : dato enim quod nunquam corvus possit effici albus, non propter hoc nigredo est ipsius proprium.

Ad aliud patet ex jam dictis, exponendo 42.
Petrum Hispanum. Loquitur enim Doctor hîc in materia Physica famose, et Topice, ut sæpe dixi : vel exponatur ut prius de materia et Physica, et individuali, et de consequi formam Metaphysice, et Physice, et per efficientiam realem, vel simplicem emanationem, seu pullulationem. Accidentia enim communia consequuntur principia individui, et non Speciei, inquantum talia. Et non obstat quod tale accidens conveniat omnibus individuis illius Speciei, quia etiam habet causam necessariam in quolibet, non tamen per se, et ideo non sequitur quod per naturam communis. Si tamen per se secundo conveniret omnibus individuis, consequens esset quod per se primo conveniret alicui communi, ut supra quæst. 8. et alibi sæpe tactum est. Non intelligit enim Doctor per materiam hæcceizantem, sed potius simul totum, quod est materiatum Physice, et Metaphysice.

Exponit etiam, et ad propositum adducit 43.
Philosophum 1. Metaphysicæ, ut famose exponitur, operatio etiam, et transmutatio Physice est naturæ singularis primo, et ita ad propositum hîc optima est illa expositio. Et quod Doctor infra in Postprædicamentis dicit, aliter respondendo dicit, nam ibi tres responsiones adducit, quæ probabiles sunt. Intelligit tamen Doctor ibi per *esse perfectissimum ignis*, esse non fractum nec transmutatum ejus, sub gradu videlicet perfecto caloris : et sic adhuc potest dici habere esse materiale, respectu esse quidditativi, et specifici ejus. Hæc omnia

probabilia non asserendo, sed aliorum ingenia excitando. Utraque igitur solutio primi principalis probabilis, subtilis, atque sustentabilis est.

44. Tertio circa secundum principale, et solutionem ejus, aliqua dubia possunt adduci. Primo videtur illud quod dicitur in argumento, scilicet quod *lux in corpore luminoso, et medio, est actus lucidi, inquantum tale*, repugnare dictis in solutione argumenti, ubi dicitur quod *nullum concretum dictum a luce inest univoce*, etc. quia *lucidum* est concretum conveniens univoce utrique per te.

Item, lux non est in medio, sed tantum lumen, quod secundum veritatem, et istum 13. dist. 2. est species lucis, ergo falsum dictum in illo assumpto, et procedit in solutione. Posset etiam dubitari circa illam diversitatem lucis in supercælestibus, et unde proveniat, et an sint plura luminosa radicaliter, vel tantum unum. Similiter quales sunt illi varii modi essendi lucis in diversis subjectis, et an migret de subjecto in subjectum.

45. Posset etiam dubitari de ipsa luce in se, an scilicet sit substantia, vel accidens, et similiter de lumine. Quare etiam intentiones non applicantur abstractis, sicut concretis, imo oppositum concedit inferius, quia albedinem similiter et risibilitatem esse speciem. Quare etiam potius Species, vel Genus possunt applicari abstractis, quam Proprium, et Accidens. Similiter sequeretur processus in infinitum in speciebus, si risibilitas esset Species : quia cujuslibet speciei est proprium, ergo risibilitatis, et de illo quæratur in infinitum. Repugnat etiam sæpe dictis ex fundamentis doctrinæ hujus. Quare etiam non multipliciter abstractum proportionabiliter concretis in illis exemplis de *sano*, et in proposito de *luce*. Alia plura addat lector, quia desidero prævenire æquinoctium autumnale, priusquam breviore stringatur mora frondifluæ lux brumæ ad longiores in Perihermenias subtilissimas altercationes elucidandas.

Ad primum igitur dico, quod Doctor accipit *lucidum* pro substrato, id est, pro diaphano, ut patet ex Philosopho, ubi allegatur ibi, et non pro formali, et dico quod lucidum proprie convenit corpori luminoso, et non medio, nec Doctor dicit oppositum, extensive tamen loquendo, potest medium dici lucidum, et sic dicta Doctoris non sibi repugnant. 46.

Ad aliud potest dici, quod loquitur Doctor hic famose, forte secundum illam opinionem, quæ ponit lucem fluere per medium vel melius, quod non loquitur assertive, sed conditionaliter, scilicet gratia disputandi admittendo. Ideo dicit, *potest dici quod si lux*, et ubi ly si dubitat. Unde breviter negandum est secundum veritatem, lucem esse ejusdem rationis in medio et in corpore luminoso, et negandum est etiam ipsam, vel concretum actualiter dictum ab ipsa, esse proprium in corpore luminoso. Et cum dicitur quod convenit ei ratione formæ : dicendum per omnia sicut in simili jam dictum est de qualitatibus elementorum. Unde Franciscus de Mayronis 13. dist. 2. dicit quod lux vocatur in fonte, hoc est, in corpore luminoso, et lumen in medio, splendor in medio terminato, et fulgor in corpore splendido, quæ non solum synonyma sunt, sed diversa significantia primo, hoc idem habet iste in 2. dist. 13. ubi vult quod lumen est intentio, vel species lucis in medio, vel in diaphano, hoc est, in corpore transparente, quod est actu tale, quando habet lumen, potentia vero tale, quando non habet lumen, sicut in simili de colore, et corpore terminato, est dicendum.

Lux non est ejusdem rationis in corpore luminoso, et medio.

Est ergo lux in corpore lucido, lumen in diaphano, tanquam species lucis. Color autem est in corpore terminato, quod est extremitas perspicui. Quære 2. de Anima. Dato etiam quod lumen sit species, et quasi propago lucis, est tamen in se, ut patet videtur. Quod contingit etiam in speciebus colorum, ut videtur habet Doctor, et Commentator super librum de sensu et sensato, etc. 47.

Lumen est species lucis.

Unde qualitas de tertia specie Qualitatis, dividitur in qualitatem et in intentionem qualitatis, lumen ergo est intentio lucis, et requiritur tam in oculo, quam in medio,ad videndum illuminata, et colorata.Et multipliciter secundum radium rectum,seu perpendicularem, et fractum, atque reflexum, de quibus habet videri, ubi supra, et originaliter in Perspectiva Allacen, et Fratris Joannis Pecheam Archiepiscopi Cantuariensis excellentissimi Theologi, et Metaphysici, in sua Perspectiva communi, et in titulo de Luminaribus. Vide 14. 15. et 16. conclusiones primæ partis Perspectivæ ipsius ad propositum.

Lumen duplex. Est etiam lumen aliud primarium, et aliud secundarium, privatio luminis primarii est umbra, sed utriusque tenebra : secundarium autem est cum umbra, de quibus omnibus quære copiose ubi supra, quia hìc tantum pro notitia terminorum introduxi hæc pauca. Posset etiam salvari illud dictum Doctoris aliter, sic videlicet, quod lux est in corpore luminoso,et medio, scilicet vel in se, vel in suo repræsentativo : sed hoc non sufficienter salvaret identitatem rationis, et univocationem ejus formaliter utrobique ; dicatur igitur ut prius.

48. Ad aliud, pertinet potius ad Astrologum et Philosophum realem hoc, quam ad Logicum pertractare. Quæratur Philosophus in libris de Cœlo, et alibi, sed breviter pro nunc dico, quod sicut in his inferioribus diversitatem formæ corruptibilis sequitur diversitas qualitatis, aut primæ, aut secundæ, ita in supercœlestibus, quæ non recipiunt peregrinas impressiones, sequitur suo modo suas formas diversitas lucis. Unde aliqua magis, et minus diaphana sunt, et aliqua ex se, aliqua aliunde habent lucem, vel lumen. Aliquibus tamen videtur quod a sole radicaliter omnia accipiunt lumen, de igni vero in sua sphæra an habeat lucem, aliqui varie sentiunt, et de impressionibus meteoricis, an lucidæ, an illuminatæ sint, habet videri in libro Meteororum, et 3. Cœli, et alibi sæpe. Probabile tamen est quod plura alia a sole sunt in se formaliter luminosa, sicut forte omnes stellæ fixæ : de erraticis non est ita certum, licet probabile etiam sit et de illis, præterquam de luna, de quibus modo nolo prolixius pertractare. Quære Doctorem ubi supra, et alios Theologos, et super Genesim, et Philosophos, et Astrologos, atque Perspectivos.

Ad aliud dico, quod illi varii modi sunt, 49. esse per modum fontalis plenitudinis et intimæ emanationis,Metaphorice loquendo, cum dicitur corpus lucidum, vel potius luminosum : et adhuc per modum principii activi communicativum sui, ut potest, et susceptivum capax est, per modum insuper in alio recepti, cum dicitur illuminatum in se, vel in suo repræsentativo ; per modum et fluxus, et fieri ; per modum actionis, et passionis. Unde Grammaticus diversos modos significandi attribuit his vocibus *lucens*, *luminosum*, *illuminatum*, utpote modum actionis, et passionis ; et fieri et fluxus : licet forte non successivi, proprie loquendo.

Sed an multiplicatio lucis fiat successive, et per motum, dubium est : videtur potius Aristoteles 2. de Anima, tenere partem negativam, sed multi affirmativam sustinent, de quo alias videbitur.

Est ergo breviter lux in corpore lumi- 50 noso, qualitas sensibilis, in medio vero species qualitatis, talis est ut lumen. Aliter igitur denominatur hoc et illud, et alio concreto, atque alio, a diversis abstractis originato : et si idem esset abstractum in se, et univocum, concretum esset multiplex. Dato etiam quod eodem nomine posset nominari, ut patet in exemplo de *sano*, et hoc propter varium modum essendi formæ talis in subjectis diversis : et ita esset æquivocatio in concreto, et univocatio in abstracto : sive ergo ponatur lux in se in abstracto esse ejusdem rationis in corpore luminoso, et medio, et formaliter utrique inesse, sive non, saltem quoad propositum Doctoris sufficit, nullum concretum unum univocum dictum a luce convenit utrique

cui concreto attribuerentur istæ duæ intentiones, scilicet *Proprium*, et *Accidens* : sed illa supposita de univocatione lucis et de inhærentia ipsius utrique, et quod sit proprium, vel in se, vel in suo concreto luminoso corpori, falsa sunt, ut patet : quare argumentum nullum est.

51. *Lux non migrat e subjecto in subjectum.* Ad aliud dico, quod non migrat nec lux, nec aliud accidens, de subjecto in subjectum : sed suum effectum, seu similitudinem in medio ordinate, et in qualibet parte ipsius aliam, et aliam gignit, sive instantanee, sive in tempore. Verumtamen, ut recitat Philosophus, Secundo de Anima, aliqui imaginati sunt lumen esse quoddam corpus, defluens a corpore lucido, quod per minutas partes defluit, et movetur localiter ad visum, et tunc repræsentat visui corpus lucidum. Hoc autem satis efficaciter impugnat Philosophus ibi, et Doctor, ubi supra, inductive ostendit quod lumen non est substantia, nec completa, nec incompleta.

52. Ex his igitur patet ad aliud, quod scilicet nec lux, nec lumen, sit corpus, vel substantia, sed sunt accidentia de tertia specie Qualitatis : quod an verum sit, in lumine gloriæ clarius apparebit. Argumenta vero ad oppositum solvuntur ab isto, et ab aliis, ubi supra, in secundo.

Ad aliud, quod Logicam tangit difficultatem, dico regulariter tenendum, quod intentiones secundæ applicantur primis eo modo, quo definitiones in actu *signato* datæ de secundis, possunt in actu *exercito* verificari de illis : modo definitiones Proprii et Accidentis non possunt verificari in fundamentis, in abstracto sumptis in actu *exercito :* verbi causa, Proprium est quod convenit omni, et soli, et semper : non sequitur ergo quod homo primo, et per se, et omnis homo est risibilitas, sed quod est risibilis. Similiter accidens est, adest, etc. ergo homo est albedo, non sequitur, sed bene quod albus accidentaliter. Et cum dicis quod oppositum dicit Doctor infra, ubi concedit albedinem esse speciem, et similiter risibilitatem, dico quod (sicut dictum est cap. de Genere) duplex est abstractio, et similiter duplex concretio, scilicet ad supposita aliena, et propria : et facta abstractione a primis, remanet concretio ad alia, juxta illam propositionem notabilem : *Quando aliquid est per se tale conjunctum cum posteriori, etiam separatum ab illo potest esse tale.*

Album igitur concernit et sua, et aliena supposita, albedo vero non aliena, sed tantum sua : quare non solum albo, sed etiam albedini applicatur congrue intentio Speciei. Sed quando fieret ulterior abstractio, ut dicendo quidditas albedinis, vel albedeitas, seu ratio formalis albedinis, non diceretur amplius species, quia non posset verificari in actu *exercito* definitio speciei, ut patet. Sed hæc intentio *accidens*, et similiter *proprium* applicatur fundamento, ut concernit præcise supposita alia, quare hæc est vera, *Risibile est proprium : Album est accidens*, non sic hæc, *Risibilitas est proprium : Albedo est accidens*, conceditur. Similiter dicendum est de intentione Generis, sicut de intentione Speciei. Quod additur consequenter de risibilitate, dico, quod secundum veritatem non est Species, nisi similitudinaria aliqualiter, sicut prius notavi. Forte loquitur Doctor famose hic de Proprio, ut sæpe notavi, sustinendo quod sit per se in genere, et ita species, sed de his cap. de Proprio satis abunde dixi : quære ibi. 53. *Album plura concernit quam albedo.*

Ad ultimum sustinendo univocationem abstracti, et in proposito, et in exemplo de *sano*, quod rationabiliter non commultiplicatur abstractum concreto, quia non in significato in quo conveniunt, sed in modo significandi : hoc est, in convenientia, quæ convenit concreto, et non abstracto, est illa multiplicitas, sive in identitate vocis significetur, sive in diversitate, et hoc notanter dixit Doctor in littera. Unde quantum ad significatum hoc nomen *sanum* est univocum, sicut hoc nomen *sanitas* ; sed quantum ad modum essendi hujus formæ in diversis, ad quæ habet habitudinem, et quæ concernit in concreto, est multiplicitas vel 54. *Abstractum non commultiplicatur concreto.*

analogiæ, vel æquivocationis. Philosophus enim dicit, quod dicuntur ad unum, et non proprie æquivoce. Unde si plura concreta possunt reperiri, quæ expresse important hujusmodi diversas habitudines, et varios modos essendi formæ in diversis subjectis, tunc erit unicum abstractum, et plura concreta. Ubi vero nomina deficiunt, erit unum concretum in voce, sicut et unum abstractum. Sed multiplicitas in concreto, et unitas in abstracto, ut dictum est, primo modo est in proposito, de concretis multis dictis a luce, ex hypothesi Doctoris : secundo modo in exemplo de *sano*, licet Doctor in 4. distinctione 22. quæstione 1. fingat plura concreta *sanitatis*, et instantia contra Doctorem in illo loco, quam pauci Scotistæ sciunt evadere, ex identitate videlicet concreti, et abstracti, procedens, ut hîc arguitur, solvitur ex isto loco.

55. Unde qui respuunt logicalia Scoti, nunquam erunt universales, et acuti in doctrina ipsius, experto crede, si vis. Doctor tamen 1. Elenchorum quæst. 16, notanter dicit, quod ista multiplicitas reducitur ad univocationem, et hoc propter unitatem significati. Ubi enim unitas conceptus, ibi semper univocatio, simpliciter loquendo, ut 1. quæstione Anteprædicamentali in principio habet iste. *Ubi*, inquit, *dicitur conceptus, ibi est univocatio, secundum quid tamen potest esse multiplicitas*. Sed aliter videtur Doctor sentire in 4. distinctione 12. quæstione 1. pertractando illud exemplum de *sano*, ubi videtur velle quod est simpliciter æquivocum, et non solum analogum. Idem etiam pertractat 9. Metaphysicæ, quæstione 3. et Frater Guillelmus Ocham Quodlibeto 2. quæstione 4. pertractat idem. Breviter igitur, quidquid dicatur de modo illius multiplicitatis, aut scilicet sit analogiæ, aut æquivocationis, aut reducibilis ad univocationem, quæ omnia forte probabiliter possunt dici : diversimode exponendo, ad propositum Doctoris hîc sufficit quod stat unitas et vocis, et significati ipsius abstracti, cum pluralitate concretorum. Et sic *lux* erit nomen abstractum a quo plura concreta sumuntur in casu argumenti, licet sit falsum, ut dictum est prius : et sic si concedatur tibi quod uni illorum applicetur intentio Proprii, non illi, sed alteri, applicatur intentio Accidentis propter varietatem connotati, quia primum connotant ipsum luminosum, secundum vero medium.

Sed adhuc non videtur satisfacere hæc solutio, quia istæ intentiones non vocibus, 56.
sed significatis vocum imponuntur, ut supra sæpenumero dictum est. In hoc enim differunt modi intelligendi a modis significandi, quod hi rebus, in esse tamen cognito ; et illi vocibus attribuuntur: cum ergo per te in proposito sit idem significatum, quantumcumque varietur connotatum, sequitur quod eidem fundamento attribuuntur illæ duæ intentiones, cujus oppositum conatur Doctor sustinere in quæstione. Nec valet dicere quod respectu diversorum, ut prius patet. Hoc argumentum satis tangit, nec potest faciliter evadi, nisi dicatur quod significatum potest dupliciter considerari. Uno modo seorsum a connotato, et sic significatur per abstractum. Alio modo includendo connotatum, saltem in ratione termini habitudinis. Primo modo verum est quod est idem significatum ; secundo modo potest dici aliud, et aliud, sicut idem homo ut albus, est alius a se, etiam realiter, ut Musicus. Sed si hoc non placuerit, dic faciliter, ut prius notavi ad argumentum, negando illa supposita falsa, nec Doctor concedit ipsa, nisi ut videatur quod consequenter sequatur, ipsis admissis, ideo implicite defendit alium modum solvendi argumentum, et maxime ex his quæ dixit in solutione primi principalis. Si tamen volueris solutionem illam prosequi, dic consequenter ad instantias omnes, ut notavi, et ad alia, quæ hîc adduci altioribus acuminibus possunt : facile enim est (ut aiunt) addere inventis.

Hæc pauca, secundum ingenioli mei imbecillitatem, ad communem utilitatem doc- 57. *Epilogus*
trinam Doctoris Subtilis amplecti volentium charitatis zelo, et in Seraphicæ Religionis,

cujus indignum me reputo suppositum, antonomastice, et merito quidem Doctoris declarationem, ut minus provectis tutius iter disponatur, et latrantibus integritas Scoticæ doctrinæ ostendatur, duxi communicare, rudi stylo perusus, et familiari interpretatione, ne rei subtilitate, et obscuritate verborum pertæsi, reddantur hujus ævi laborum desides discipuli. Quam ardua, quam difficilia, quamque utilia sunt, et undique necessaria, sine quibus (ut verum fatear) nemo apicem scholasticæ contemplationis nancisci valebit, documenta tradita in his quæstionibus, res ipsa demonstrat. Quare si plerumque vacillavi prolixus, brevisque videbar; metas quoque Logicæ considerationis egressus, loca altiorum facultatum hujus, vel aliorum allegando, antiquos Doctores (quorum non sum dignus verba recitare) minus rite honorando, atque aliqua ex parte reprehendendo, veniam dabit *benigna charitas*, *quæ omnia suffert*. nihil horum certe absque rationabili causa accidit. Ad pauca tamen aspicientes de facili judicant. Minus quoque sane dicta majorum correctioni semper submitto. Et si quid utilitatis, acuminis, atque singularis solertiæ, piis auribus occurret, ultra litteram Scoti, Summo Doctori, et doctrinæ hujus, cujus a cunabulis (utinam fidelis) alumnus extiti, attribuantur. Ingeniosus vero, et Catholicus lector addat, et omittat, ut expedire videbit, et ultimo reducat in obsequium Christi, qui est Universalis conditor, Generalis redemptor, Divinitate Species, notione Differens, cui Proprium est pietas, et Accidens humanitas, cui et termino *quod* unionis, et per circumincessionem inclusis, omnis sit honor, et gloria, in Ævum ævorum. Amen.

F. JOANNIS
DUNS SCOTI
DOCTORIS SUBTILIS
IN LIBRUM PRÆDICAMENTORUM QUÆSTIONES

QUÆSTIO PRIMA

Utrum liber Prædicamentorum sit de decem Vocibus, decem prima Genera rerum significantibus

Aug. *cap.* 3. *Categor*. Averroes, Avicenna, Alexander, Simplicius, Boetius, Cajet. Conimbr. Complut. Ruvius, et communiter recentiores *hoc loco.* Fonseca 5. *Metaph. cap.* 7. *quæst.* 1. *sect.* 6. *ad* 3. Joann. Aug. Brasavol. et Rodriguez *super hanc quæst.* Aversa. *quæst.* 16. *Log. sect.* 1. Albertus *in principio hujus libri*, Marota *quæst. de objecto lib. Prædicam.*

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic, quia hoc dicit Boetius in Proœmio primæ additionis super Prædicamenta.

Item, hic determinatur de *univoco*, *æquivoco*, et *denominativo*, quæ tantum sunt differentiæ vocis significantis ; quia nulla res, nullus etiam conceptus est æquivocus, quia ubi est idem conceptus, ibi est univocatio.

Item, hæc omnia definiuntur per *dicuntur*.

Item, in prima divisione dicitur, *eorum quæ dicuntur*. Similiter inferius dicitur, *singulum incomplexorum, aut significat substantiam*, etc. Sed dicibile incomplexum significare est proprium vocis significantis; ergo illud est subjectum, et ita maxime decem Voces, decem genera rerum significantes ; quia tantum hic de illis agitur. Item, vel Logica est scientia realis, vel sermocinalis ; non realis, manifestum est ; ergo sermocinalis : igitur quælibet ejus pars est de voce significativa, et ita ista pars ejus, quæ est prima, est de voce significante conceptum simplicem : sicut liber Perihermenias est de voce significante conceptum compositum.

Ad oppositum patet per Boetium dicentem, quod Logica est de secundis intentionibus applicatis primis : ergo de vocibus non est aliqua ejus pars. 2.

Item illud, de quo hic agitur, est per se pars subjecti considerati in libro Perihermenias, et illud est pars ejus, quod consideratur in libro Priorum, quod est Syllogismus ; sed illud omnes suas proprias passiones habet sibi inhærentes (ut manifestum est) nulla voce existente, nec possibile esse : igitur similiter enunciatio habet suas ; ergo utrumque illorum est naturaliter prius voce significativa. Et quod hic consideratur est naturaliter prius utroque istorum, sicut pars integralis toto : ergo quod hic primo consideratur, naturaliter est prius quacumque voce significativa : ergo non est hic subjectum *vox significativa* : ergo, etc.

Item, nulla proprietas vocis significativæ hic ostenditur de ea, nec in aliqua parte Logicæ ; ergo, etc.

Ad ista duo potest dici, quod esse *ex tribus terminis* est passio Syllogismi : ut est in voce, sicut *verum, vel falsum significare*, est passio Enuntiationis, et sic de cæteris passionibus hujusmodi.

Contra, aut Syllogismus in mente, est Syllogismus, et enuntiatio in mente est

enunciatio, aut non. Si sic, ergo habent passionem Syllogismi, et enunciationis, absque hoc, quod proferantur. Si non : ergo habens demonstrationem in mente, non habet demonstrationem, nisi proferat, et ita non est sciens nisi proferat, quod manifeste est falsum.

3. *Sententia Doctoris.* Ad quæstionem dici potest, quod iste liber non est de decem Vocibus, ut de primo subjecto, nec aliqua pars Logicæ est de voce ; quia omnes passiones Syllogismi, et omnes partes ejus, possunt sibi inesse secundum esse quod habent in mente, etiam si non proferantur, ut inductive patet, sed est de aliquo priore, quod respectu vocis significativæ tantum habet rationem significati.

Ad argumenta. Ad auctoritatem Boetii dici potest, quod intellexit passivam per activam, sic, *de decem Vocibus, decem Genera rerum significantibus*, id est, de decem Generibus, per decem Voces significatis, et quomodo illud sit verum, in solutione sequentis quæstionis dicetur.

Ad secundum potest dici, quod *univocum*, et *denominativum*, primo sunt differentiæ prædicati, quod secundum se inest conceptui, non primo voci significanti. De *æquivoco* autem determinat propter oppositionem ejus ad univocum, vel quia æquivocum æquivocatum est proprius conceptus, licet non æquivocum æquivocans, vel quia est conceptus inquantum significatur.

Ad tertium dico, quod ibi ponit *dicuntur*, ut ostendat se non assignare veras definitiones istorum æquivocorum, etc. quæ est per Genus, et Differentiam, sed tantum per rationem exprimentem, quid dicitur per nomen.

Ad aliud dico, quod in secunda divisione dicit Aristoteles, *eorum quæ sunt* ; sicut igitur ex illa non sequitur subjectum hujus libri esse aliquid reale, cui per se convenit esse, sic nec hîc sequitur subjectum esse Vocem, cui per se convenit dici, ideo dicit *dicuntur* , id est, concipiuntur : et *sunt* in secunda divisione sumitur pro eodem, scilicet sunt secundum rationem.

Ad aliud de incomplexo, dico, quod illud convenit conceptui simplici ; voci vero significativæ ex consequenti : si ergo subjectum hîc sit incomplexum, magis stat, quod sit conceptus, quam vox.

Ad aliud de *significat*, dico, quod sicut ad illud non sequitur, subjectum hujus libri esse *litteram*, ut nec vult Boetius ; *littera* tamen inter quatuor, quæ numerantur in principio Perihermenias, est tantum signum, et non signatum. Ita nec sequitur subjectum hîc esse *Vocem*, ex hoc medio *significat* ; quia illud est nimis commune medium, passio enim significat rem tantum : tamen bene stat subjectum hîc esse *conceptum*. 4.

Ad aliud dico, quod Logica non est scientia realis, nec sermocinalis : quia nec sermonem, nec sermonis passiones considerat, nec suum subjectum sub ratione sermonis : imo quod ista divisio sit insufficiens, sic ostenditur: Medium inter rem, et sermonem, vel vocem, est conceptus ; ergo sicut est aliqua scientia per se de rebus, aliqua per se de vocibus significativis, ut Grammatica, Rhetorica, quæ considerant passiones vocis, scilicet in quantum vocis, scilicet *congruum*, et *ornatum* : ita potest aliqua scientia esse per se de conceptu, et hæc est Logica ; unde per se habet dici scientia rationalis, non tantum quia traditur per rationem, sicut quælibet alia scientia, sed cum hoc, quod est de conceptibus formatis ab actu rationis. *Logica scientia rationalis.*

Si ab aliquo dicatur Logicam esse scientiam sermocinalem, ut videtur ex interpretatione nominis, intelligendum est, quod multum convenit cum sermone propter duo. Primo, quia *conceptus* est immediatum significatum per *vocem*, de quo conceptu est Logica. Secundo, quia passiones conceptus insunt voci significativæ, sicut *incomplexum*, et *complexum*, *significare verum, vel falsum*, ut signo per naturam significati.

Ad aliud quod tangitur respondendo ad argumenta in contrarium facta *de tribus terminis*; et *significare verum, vel falsum*,

potest dici, quod *terminus*, vel est idem quod vox significans conceptum simplicem, et tunc non est Syllogismus ex tribus terminis, nisi prolatus. Vel verius, *terminus* significat idem, quod *conceptus simplex*, quia transumitur a Geometria ad Logicam, ad significandum indivisibile in propositionibus, quod potest esse in mente : et tunc omnis Syllogismus prolatus, et non prolatus, est ex tribus terminis. Similiter *significare verum vel falsum*, convenit enunciationi, sed non ut est vox significans conceptum, sed ut conceptus significat rem.

5. *Voces significativæ dupliciter considerantur.* Item hic, in Commento super principium hujus, dicit Boetius, quod voces significativæ uno modo considerantur, ut imponuntur ad significandum. Secundo modo, ut eis significantibus insunt proprietates causatæ ab intellectu. Primo modo considerantur in Logica. Secundo modo in Grammatica. Secundum hoc igitur, primum subjectum Logicæ esset ponendum *vox significativa*, et sic subjectum primum hujus libri est vox significans conceptum simplicem, et maxime decem Voces, decem rerum genera significantes ; quia ad illas omnes aliæ reducuntur. Contra hoc : *cognito uno correlativorum diffinite, necesse est cognoscere alterum*, per Aristotelem in Prædicamentis, cap. de Relatione : ergo si Logicus considerat *vocem* inquantum est significativa rei, oportet eum definite cognoscere *rem*, quod non videtur conveniens.

Item, omnis vox significativa, in genere vocis significantis, est singularis : ergo nullius ad aliam est ordo : ergo non magis aliæ voces significativæ ad istas reducuntur, quam istæ ad alias.

Ad primum istorum potest dici, quod *vox* non est primo signum rei, sed *conceptus*, quem oportet Logicum considerare, non ut primum subjectum, sed propter cognitionem primi subjecti.

Contra *conceptus* est ulterius signum rei, igitur adhuc sequitur, quod oportet rem cognosci.

Istud argumentum non est tantum contra Boetium, sed etiam contra dicentes Logicam esse de conceptibus. Et ideo potest dici, quod non oportet propter unius relativi cognitionem, alterum cognosci, quantum ad omnia, quæ sunt in se, sed tantum quantum ad illa, quæ insunt ei, inquantum refertur ad aliud : hoc autem modo non est inconveniens rem cognosci in Logica inquantum est significatum per conceptum.

Ad secundum dici potest, quod licet in genere vocis, non sit aliquis ordo inter voces significativas : tamen inquantum significant conceptus, inter illas est ordo, sicut omnis propositio in genere propositionum, est singularis, tamen aliqua est singularis, aliqua universalis, ratione conceptus significati, etc.

QUÆSTIO II

Utrum iste liber sit de decem Prædicamentis ut de subjecto

Vide citatos quæstione ante.

Quod non videtur ; quia *Scire, est rem per causam cognoscere*, per Aristotelem 1. Post. Sic ergo omne scibile habet causam, sed ista decem non habent causam, ergo de eis non est scientia. Probatio minoris ; quia causa naturaliter prius est illo, cujus est causa : sed istis nihil naturaliter est prius cum sint prima. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item unius scientiæ est unum subjectum : ista decem non sunt unum subjectum, quia nec unum definibile, cum ergo scientia sit una, non erit de istis decem, ut de subjecto.

Item, de istis est scientia realis, non ergo Logica. Consequentia patet per Aristotelem 3. de Anima, cont. 38 : *Scientiæ secantur, ut res* ; sed Logica est diversa ab omni scientia reali ; ergo subjectum ejus a subjecto cujuslibet scientiæ realis est diversum. Probatio antecedentis, tum quia de istis determinat Metaphysicus, ut patet 5. Metaph. cont. 14 et inde, et 7. Metaphysicæ, cont. 1. et inde ; tum quia ista sunt

res primæ intentionis. Probo, quia impossibile est aliquid secundæ intentionis prædicari per se, de re primæ intentionis : sed ista decem Genera generalissima prædicantur per se de rebus primæ intentionis (est enim hæc vera per se : *Homo est substantia*); ergo ista sunt res primæ intentionis ; ergo omnis scientia de istis est scientia realis.

Ad oppositum est Aristoteles determinans hîc de decem generalissimis. Intitulatur similiter Liber Prædicamentorum.

2. *Prædicamenta dupliciter considerantur.* Ad quæstionem dicitur, quod Prædicamenta dupliciter possunt considerari. Uno modo inquantum sunt entia. Alio modo inquantum considerantur a ratione, sive inquantum aliqua proprietas ab intellectu causata eis attribuitur.

Primo modo de eis considerat Metaphysicus, subjectum enim ejus est *Ens* inquantum *ens*.

Secundo modo hîc de eis consideratur : ostenduntur enim de eis passiones sibi inhærentes, inquantum sunt generalissima, ut de Substantia, *univoce prædicari*, et *non esse in subjecto*, et *videri hoc aliquid significare*.

Similiter de aliis Generibus determinatur secundum talem rationem, quia inquantum talia, in suas dividuntur species, et illæ ulterius in alias, et nihil est super ea, quod descendit in illa per divisionem ; patet enim istis inquantum sunt generalissima, inesse has passiones, scilicet *dividi in Species, et multas habere Species subalternas, et non habere genus supraveniens* ; quare tales proprietates determinantur hîc: si vero de aliquibus aliis, quæ in istis generalissimis insunt, inquantum sunt entia realia, hîc determinatur hoc non est principale ad propositum, sed ad majorem manifestationem istorum quantum ad prædicata intentionalia.

Sed cum ista decem non sint unum subjectum unius scientiæ realis, scilicet Metaphysicæ, nisi inquantum est in istis unum primum: ad quod omnia alia attribuuntur, ut habetur quarto Metaphysicæ, sed inquantum a ratione considerantur, nullum est ad quod attribuantur. Quomodo igitur sunt unum subjectum ? Oportet dicere, quod major est unitas eorum in aliqua proprietate, ab intellectu causata, quam inquantum sunt entia : et ita cum hæc scientia non sit una, unitate analogiæ, oportet assignare aliquod intentionale, quod sit istis commune, et primum subjectum ; quia de solo tali per se considerat Logicus : illud autem a quibusdam ponitur *ens incomplexum dicibile ordinabile in genere*, omnibus concessis prius narratis in positione. *Opinio Alberti.*

3. *Rejicitur.* Contra hoc ultimum, potest argui sic : Ens non convenit univoce omni enti extra animam ; ergo multo magis, non est univocum enti extra animam, et enti a consideratione intellectus causato, quia illa plus differunt ; ergo vel hîc accipitur *ens*, pro ente extra animam, vel pro ente rationis : si primo modo, sequuntur duo inconvenientia, scilicet quod subjectum, quod ponitur, non sit univocum decem Prædicamentis, quæ hîc considerantur : cujus oppositum sustinere intendit. Secundum, quod subjectum hîc sit ens per accidens ; quia compositum ex re primæ intentionis, et re secundæ, quæ non faciunt unum per se. *De ente* autem *per accidens non est scientia*, per Aristotelem 6. Metaph. cap. 4. Si vero pro ente rationis, sequitur quod est nugatio, quia alia addita includunt ens sic sumptum, et ita est nugatio.

Item, aut *dicibile* intelligitur pro significabili per sermonem, et ostensum est in solutione quæstionis præcedentis illud accidere subjecto hujus libri ; aut *dicibile* sumitur pro prædicabili, et tunc addendo, *incomplexum* , fit nugatio, et iterum fit nugatio addendo *ordinabile in genere*. Probatio primi, quia propositio non prædicatur, nec aliquod complexum, inquantum complexum. Probatio secundi, prædicabile includit ordinabile in genere, vel e converso , quia ex hoc quod aliquid est prædicabile, ut hîc Aristoteles loquitur, ordinatur ad aliud secundum *sub*, vel *supra*.

Ad hoc ultimum dicitur, quod Individua in genere sunt ordinabilia, non tamen prædicabilia : et generalissima dicuntur prædicabilia, non tamen in genere ordinabilia, ideo neutrum istorum reliquum includit.

4. Contra, tunc *ens ordinabile*, etc. non convenit generalissimis, de quibus tamen maxime hic agitur ; ergo illud non est subjectum.

Si vero ponitur pro subjecto, tantum *ens incomplexum*, vel tantum *ens dicibile*, vel tantum *ens in genere ordinabile*. Contra, quodlibet istorum est prima rationum factarum contra priorem positionem, et contra primam positionem simul, et contra omnes istas tres ; quia quidquid istorum ponatur subjectum, illud excedit omnia decem Prædicamenta, quod videtur inconveniens.

Si etiam ponatur tantum *prædicabile*, illud idem est quod Universale : ergo idem est subjectum hujus libri, et Porphyrii, quod est inconveniens, et excedit decem Prædicamenta.

Sententia Doctoris. Ideo dici potest, quod hic consideratur de decem Prædicamentis, inquantum aliquid a ratione causatum eis tribuitur, quia aliter non possunt a Logico considerari, et illo modo non habent tantum unitatem analogiæ, sed etiam univocationis : et illud univocum istis, illo modo, est aliquod intentionale, quod est hic primum subjectum et illud potest nominari *prædicamentum* vel *generalissimum* ; quia omnes proprietates, quæ per se de istis determinantur hic, determinantur de eis, inquantum habent rationem generalissimi, vel prædicamenti.

5. Contra, tunc determinaretur hic de Substantia, Quantitate, etc. tantum per accidens quia tantummodo secundum quod aliquid inest eis per accidens, scilicet secundum aliquod intentionale ; quia nullum tale potest eis inesse per se.

Item, nulla passio est hic ostensa de Prædicamento, vel generalissimo, secundum suam rationem ; ergo illud non est subjectum.

Item, subjectum hic non convenit omni conceptui formato a primo actu rationis : sicut subjectum libri Perihermenias convenit omni conceptui formato a secundo actu rationis, quod videtur inconveniens, quia similiter videtur iste liber esse de conceptu simplici incomplexo, sicut ille de complexo.

Item, cum generalissimum vel prædicamentum sub universali contineatur, sequitur hanc scientiam libro Porphyrii subalternari ; quia sicut subjectum ad subjectum, ita scientia ad scientiam, sed illud videtur inconveniens.

Ad primum illorum dico quod non est inconveniens illa tantum per accidens a Logico considerari, quæ Metaphysicus per se considerat.

Ad secundum dico, quod inquantum aliquod intentionale univocum hic determinatur de Substantia et Quantitate, inquantum habent rationem generalissimorum ; intantum illud ostenditur de Prædicamento, sive generalissimo primo, ut *dividi in Species*, *non habere genus superveniens*, *et univoce prædicari*, quod ostenditur de Substantia, et supponitur cognitum de aliis: in hoc enim quod aliquid univoce ostenditur de multis subjectis non primis, in hoc ostenditur primo de subjecto.

Ad tertium potest dici, quod sicut Enunciatio est primum subjectum libri Perihermenias, quæ non dicitur formali prædicatione de omni conceptu formato a secundo actu rationis, sed alia reducuntur ad ipsam ut *oratio imperativa* ; sic omnis conceptus simplex, reducitur ad aliquod Prædicamentorum.

Ad quartum potest dici, quod licet subjectum sit sub subjecto, non tamen hæc scientia sumit sua principia ex illa, et ideo alterum deest, quod requiritur ad subalternationem scientiarum.

Ad primum argumentum principale dico, quod licet istorum in se non sit causa aliqua, tamen respectu suarum passionum habent causam, præcipue respectu passionum intentionalium, quæ insunt eis in *6. Ad argumenta.*

quantum a ratione considerantur. Et cum dicitur, istis nihil est naturaliter prius: verum est in se, tamen ratione inhærentiæ passionis intentionalis, potest naturaliter eis aliquid esse prius.

Ad secundum patet, quod primum subjectum hîc est aliquid univocum istis decem, ut Prædicamentum.

Ad tertium patet; quia quæ Metaphysicus per se considerat, hîc per accidens consideratur; quia hîc per se consideratur aliquid intentionale applicabile eis, quæ Metaphysicus per se considerat.

QUÆSTIO III

Utrum aliquid sit univocum decem Prædicamentis

Joan. Ang. Brasavol. et Rodriguez *super hanc quæst.* Joan. a Mag. *quæst.* 1. *Prædic.* Tartar. *quæst. præamb.* Jacobus Marota *quæst. de sub. Prædicament. concl.*1. Doctor *quæst. præcedenti.* Vide citatos *quæst.* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non, quia si sic, tunc illud esset prius, et communius istis, et ita hæc non essent generalissima et prima Genera, quod est contra Boetium hîc in Comment. et super Porphyr.

Item, si aliquid esset eis univocum, cum sint diversa inter se, essent aliquid idem entia; ergo differentia. Consequentia patet per definitionem differentium 5. Metaph. positam. Consequens est falsum; quia Prædicamenta sunt secundum se diversa, non inter se differentia; quia tunc essent species.

Item, intentio causatur a re: igitur unitas intentionis ab unitate rei; sed nulla res univoce convenit istis: ergo nec aliqua intentio. Prima propositio patet. Quod enim est intellectu, et non a re, est figmentum: cujusmodi non est aliqua intentio.

Item, nullum univocum est denominativum, sed Prædicamentum intentionale, tantum denominative dicitur de istis decem quæ sunt res primæ intentionis: ergo nullum Prædicamentum intentionale est istis univocum. Probatio majoris, tum quia univocum distinguitur hîc contra denominativum, sicut contra æquivocum, tum quia inferius dicit Aristoteles cap. de substantia, juxta principium, quod *quædam prædicantur secundum nomen, et non secundum illius nominis rationem,* puta concreta, sive denominativa, exemplificando de albo.

Ad oppositum, aliquod intentionale dicitur de istis decem secundum idem nomen, et secundum eamdem rationem; ergo univoce. Consequentia patet per definitionem univocorum. Probatio Antecedentis, quia substantia est genus, Quantitas est genus. 2.

Item, Substantia prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, et Quantitas similiter; quare genus de istis secundum nomen, et definitionem prædicatur. Ita potest argui de multis intentionibus inhærentibus illis, et sub eis contentis, ut *Species* homini, et albedini.

Item, sola diversitas in materia accidentali, non diversificat illud cujus est, *Specie*; quia differentia specifica est differentia formalis; sed intentio applicata rei unius generis, et alterius, tantum habet differentiam penes materiam per accidens: ergo non differt Specie ex hoc, quod inest istis; ergo nec tollitur propter illud univocatio, quia quod non tollit unitatem secundum Speciem, non tollit univocationem. Prima propositio patet; quia circulus aureus, et circulus æreus, non differunt Specie. Et ratione patet; quia talis differentia, cum eo cui additur, non facit nisi ens per accidens, quod non est natum esse species generis. Minor patet; quia nulla intentio inest rei primæ intentionis per se, ut ostensum est prius, sed sola diversitas hîc, et ibi, est penes res primæ intentionis: ergo tantum penes materiam accidentalem.

Ad quæstionem dicendum, quod aliquid intentionale univocum, potest applicari rebus omnium generum; quia diversitas in rebus primæ intentionis inter se, non im- 3. *Conclusio.*

pedit ipsas ab intellectu posse concipi, per eumdem modum concipiendi : intentiones autem omnes eis attribuuntur, inquantum ab intellectu concipiuntur, et ideo intentiones eadem *Specie* possunt diversis rebus attribui.

Ad argumenta. Ad primum argumentum dici potest, quod sunt prima, et communissima rerum Genera, non intentionum.

Ad secundum similiter dico, quod non sunt differentia, quia non sunt aliquid idem entia, id est, aliqua res. Vel aliter ad utrumque, quod licet sint communissima, et prima, potest tamen aliquid idem inesse omnibus illis denominative, quod non debet dici prius, vel communius illis, nisi essentialiter de eis diceretur.

Sic ad secundum, quod non sunt essentialiter aliquid idem, ideo non sequitur ipsa esse differentia : hoc quodammodo apparet, ubi minus videtur, scilicet in accidentibus realibus ; quia *album*, unum significans, dicitur de superficie, et de homine, quæ sunt duorum generum, sed non est omnino simile ; accidens enim reale, tantum habet aliquid unum pro proximo subjecto, ita quod nulli alii idest, nisi per naturam ejus : unde aliud tantum est ejus subjectum per accidens, mediante primo subjecto, sed accidens intentionale, potest æque primo inesse rebus omnium generum, et nulli per aliud.

4. Ad tertium dico, quod res non est tota causa intentionis, sed tantum occasio, inquantum scilicet movet intellectum, ut actu consideret, et intellectus est principalis causa : ideo minor unitas sufficit in re, quam sit unitas intentionis ; quia sufficit intellectum ab aliquo extrinseco moveri, ad causandum multa per considerationem, quibus non correspondent aliqua in re simpliciter : sicut in extrinseco albedo secundum quid est per se stans, motus secundum quid habet modum habitus, utrique attribuit intellectus modum, scilicet habitus, et per se stantis simpliciter, sicut homini, et utrumque est simpliciter nomen ; sed tamen utrumque est aliquid correspondens illi modo, sed non ita vere, ut est causata intentio ab intellectu, modo ab illo extrinseco. Similiter intellectus considerans rem, per illam unam speciem, potest millies reflectere se supra suam operationem, considerando, et quælibet consideratio est aliquid, nihil habens extrinsecum sibi correspondens, nisi tantum primum objectum pro occasione, quantum illud movet primo intellectum ad considerandum ; sed de hoc dictum est in librum Porphyrii.

Ad quartum dico, quod aliud est dicere, aliquid univoce prædicari de multis, et univocum prædicatum de multis ; denominativum enim primo modo est univocum, secundo vero modo non, ut ostendit ratio. Unde concedenda est conclusio, scilicet quod nullum prædicatum de rebus primæ intentionis, sed aliquod intentionale univocum in se prædicatur de istis, licet non univoce ; sed de hoc magis postea dicetur. 5. *Aliud est prædicari univoce, aliud esse prædicatum univocum.*

QUÆSTIO IV

Utrum Ens sit decem Prædicamentis univocum

D. Thom. 5. *Metaph. lect.* 8. et 10. *Metaph. lect.* [illegible] et 1. *parte quæst.* 13. *art.* 5. *et de Potentia quæst.* 7. *art.* 7. *et de Veritate quæst.* 2. *art.* 11. *et* 1. *contra Gentes cap.* [illegible] *de Analogia, cap.* 4. 5. *et* 6. [illegible] *Summa* 1. [illegible] *lib.* 4. *quæst.* [illegible]

1. *[illegible]* Videtur quod sic, per media Logicalia. Et hoc sic, *In univocis non est contradictio*, per Aristotelem in Elench. sed hic est contradictio : *Socrates est ens, Socrates non est ens* ; ergo ens est univocum.

Item, nullum æquivocum est determinabile per aliquod additum ad aliquod æquivocatorum, quia quodlibet illorum actu importat; sed ens, per aliquid additum est determinabile ad unum Prædicamentum, ut cum dicitur, *ens absolutum*, vel *ens per se*, ens contrahitur ad substantiam : ergo non est æquivocum.

Item, sequitur, *homo est substantia*; *ergo homo est ens*; quia antecedens non potest esse verum, sine consequente, sed in æquivocis non est consequentia ; ergo, etc.

Item, si ens est æquivocum : ergo aliquo modo hæc est vera, *Substantia est non ens*, et sequitur, *ergo substantia non est aliquid*; quia *aliquid*, non est communius ente, et sequitur, *ergo substantia est nihil* : ergo hoc consequens aliquo modo est verum, quod videtur inconveniens ; quia tunc non peccaret ratio Parmenidis in I. Physic. context. 26. et 27. in hoc quod accipit istam, *non ens est nihil*, quod videtur esse contra Aristotelem.

Item, *prædicari in quid*, est ratio una conveniens enti, ut dicitur de omnibus istis ; ergo illud, quod dicitur de istis, est univocum, quia ratio sub qua aliquid dicitur, non est magis una eo quod dicitur.

Item, *possibile* est univocum, tum quia habet contradictionem, tum quia est consequens ad *necesse*, quorum utrumque patet secundo Perihermenias ; sed *possibile* non videtur communius ente, sed minus commune, cum *ens* dividatur per *actum*, et *potentiam* : ergo multo magis ens est univocum.

Item, omnis divisio incipit ab uno : sed *ens* dividitur in hæc decem, 5. Metaph. cont. 14. ergo est aliquid unum in istis.

Item, omnis multitudo debet reduci ad unitatem, per Auctorem de causis ; sed substantia et accidens sunt multa, quia diversa, ut patet per Aristotelem 10. Metaph. contex. 12. dicentem, quod *omne ens sufficienter dividitur in idem, vel diversum* : ergo ista multitudo reducitur ad aliquod unum, sed illud nihil videtur, nisi *ens* ; ergo, etc.

Item, secundum Aristotelem 7. Physic. *Omnis comparatio est secundum aliquod univocum* ; sed secundum ens est comparatio : ergo, etc. Probatio minoris, tum quia dicimus, quod accidens est minus ens, et posterius ens substantia, tum quia dicitur 2. Metaph. cont. 24. et inde, *unumquodque sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem*, et ibidem cont. 4. probantur principia sempiternorum esse verissima, sive maxime vera ; ex quo sequitur, quod sint maxime entia : ergo secundum ens est comparatio.

Item, unius scientiæ unum est subjectum univocum ; sed *ens* inquantum *ens*, est Metaphysicæ subjectum, sicut determinat Aristoteles 4. illius : ergo est univocum. Probatio majoris, tum quia de subjecto fiunt demonstrationes. In demonstrationibus autem oportet esse aliquid commune univocum, per Aristotelem 1. Poster. context. 26. et parum inferius. In demonstrationibus non accidit æquivocatio, tum quia de subjecto oportet præcognoscere ante demonstrationem *quid est* : æquivocum non habet *quid est*; quia nec definitionem.

Item, in 2. Metaph. cont. 4. arguitur principia sempiternorum esse verissima, quia sunt causa effectus univoci, et veritatis in aliis ; tunc sic, veritas univoce inest causis omnibus, et causatis ; ergo entitas per Aristotelem ibidem ; nam *unumquodque sicut se habet ad esse, sic ad veritatem* ; sed omnia, vel sunt causæ, vel causata ; ergo omnibus est ens univocum. Item 4. Metaph. context. 8. et 9. ponitur istud esse primum principium, scilicet, *Non contingit idem simul esse, et non esse*, et certissimum omnium principiorum ; sed si ens esset æquivocum, etiam hoc principium esset dubium, propter multiplicitatem terminorum : ergo aliquid aliud certius eo, cujus termini non essent multiplices ; hoc est inconveniens ; ergo *ens* non est æquivocum.

Item, unius potentiæ cognitivæ est unum objectum primum in genere; sed *ens*, inquantum *ens*, est objectum primum intel-

lectus per Avicennam, igitur est univocum. Major patet inductione, et ratione; quia potentia cognitiva nata est perfici per se, per formam sui per se objecti; sed unius potentiæ, non sunt per se diversæ formæ genere per sé perfectivæ: ergo eidem potentiæ cognitivæ, non correspondent diversa genera pro objecto.

Item, Avic. 2. Metaph. dicit, quod *ens*, nec dicit substantiam, nec accidens, sed qui dicit æquivocum, dicit alterum significatorum; quia æquivocum nullum intellectum constituit, nisi alterius significatorum: igitur *ens* non est æquivocum.

Item *ens* imponitur ab una ratione, ut ab actu essendi: ergo significat unum.

2. Ad oppositum est Porphyrius cap. de Specie, dicens, *si quis omnia entia vocet, æquivoce nuncupabit.*

Item Aristoteles in principio Prædicam. *Singulum incomplexorum, aut significat substantiam, aut quantitatem*, etc. sed si *ens* significaret aliquod commune istis, nullum istorum significaret; quia quod significat superius, non significat inferius sub propria ratione: ergo non esset ens incomplexum, quod est inconveniens; ergo etc.

Item, si *ens* sit univocum istis, tunc esset genus istorum, et ita hæc non erunt decem Genera prima, sed esset unum generalissimum primum. Probatio primæ consequentiæ, Omne univocum dictum de multis, dicitur de illis, sub ratione alicujus universalis, aliter illa quinque universalia non sufficienter dividerent *prædicari de multis* sed *ens*, si esset univocum, non posset dici sub ratione Speciei specialissimæ; quia hæc non sunt singularia; nec sub ratione Differentiæ; quia nullum eorum distinguit. Differentia autem est, qua differunt a se singula; nec Proprii, nec Accidentis; quia ens prædicatur in *quid*, per Arist. 4. Metaph. Idem 3. Metaph. 8 et 10. ubi supra, hæc duo non: igitur si sit univocum, erit genus respectu illorum, et ex hoc consequente, non tantum sequitur inconveniens suppositum, scilicet quod illa non sunt Genera prima, sed et est contra Arist. 3. Metaph. cont. 10. quia *ens* est de intellectu cujuslibet, et Genus non est de intellectu Differentiæ; ergo, etc. Similiter si hæc decem haberent aliquod univocum prædicatum in *quid* de eis, per illud non distinguerentur, ut manifestum est; igitur per aliquid superadditum unumquodque differt ab alio: quidquid sit illud, sequitur hæc esse differentia, et non secundum se diversa; quia sunt aliquid idem entia, quod est contra Aristotelem 4. Metaph. cap 5. 8, et 10. Metaph. idem habetur cap. 1. et inde.

Sequitur etiam hæc Species esse; quia omne compositum secundum rationem, ex aliquo communi dicto de se in *quid*, et ex aliquo formali superaddito, est proprie definibile per illa: definitio autem proprie solius Speciei est, per Aristotelem 6. Topic. cap. 1. et inde.

Item, si sit commune istis, cum hæc differant, et non per *ens*, quæro de addito in hoc, et istud aut est ens, aut non ens; si ens, igitur ens est de ejus intellectu: ergo addendo illud enti, erit nugatio: et ens, et illud sunt de intellectu cujuslibet Prædicamenti; ergo in intellectu simplici cujuslibet Prædicamenti est nugatio; ergo in intellectu cujuslibet est nugatio; quia in intellectu cujuslibet includitur aliquod Prædicamentorum, etiam in omni definitione erit nugatio, semper resolvendo, usque ad Genus generalissimum ponendo rationes pro nominibus, quod Arist. habet pro inconvenienti 7. Metaph. context. 43.

Hæc probatio est generalis, ad probandum omnem determinationem facientem unum per se, cum determinabili, esse extra intellectum determinabilis, et e converso de determinatione non faciente unum essentialiter, est hoc magis manifestum. Si illud additum in quolibet Prædicamento supra *ens*, sit non ens: sequuntur duo inconvenientia. Primum est, quod quodlibet Prædicamentum sit non ens formaliter, et ita omnia inferiora erunt per se non entia; quia de omni inferiori prædicatur aliquod istorum

Aliud est, quod in intellectu cujuslibet Prædicamenti sit repugnantia, et ita de intellectu cujuslibet, ut prius deductum est.

4. Item, Aristoteles 8. Metaph. context. ult. dicit, quod sicut substantiæ separatæ sunt statim id quod sunt, id est, non per formam aliquam advenientem materiæ ; sic *ens* est statim aliquod prædicamentorum; ergo non per differentiam additam : igitur non est commune.

Item, si *ens* sit univocum istis, hîc erit nugatio, *Substantia quanta, homo albus*, et universaliter addendo accidens subjecto ; quia aliquid idem includitur per se in intellectu utriusque : ergo faciendo resolutionem, ponendo rationes pro nominibus, aliquid idem bis diceretur, et ita erit nugatio.

Similiter in omni definitione erit nugatio propter idem, quia in utriusque definientis intellectu includitur idem.

Prima conclusio Doctoris Propter hoc dicendum est, quod *ens* non est univocum decem Prædicamentis. Sed quomodo se habeat ad hæc, dubium est, utrum prædicatur æquivoce, vel analogice.

Analogia triplex. Ponitur autem analogia in voce tripliciter, vel quia significat unam rationem primo, quæ existendo diversimode convenit duobus, vel pluribus, quæ dicuntur analogata : sicut hoc nomen *causa*, et hoc nomen *principium*, et multa alia nomina, quæ distinguuntur in 5. Metaph. significant unam rationem primo, tamen illa est in diversis secundum ordinem.

Alio modo ponitur analogia in vocibus ; quia unum significatur per prius, per vocem, et reliquum per posterius, cujus causa ponitur ; quia significare sequitur intelligere ; quod igitur per prius intelligitur alio, si significetur per eamdem vocem, per quam et illud aliud, per prius significabitur.

Tertio modo ; quia vox uni imponitur proprie, et propter aliquam similitudinem ad illud, cui primo imponitur, transfertur vox ad significandum aliud, sicut est in secundo modo æquivocationis, ubi etiam est quodammodo ordo in significando; quia nunquam vox transfertur ad significandum aliquid, nisi supponatur ipsam impositam esse ad significandum aliquid proprie ; et hoc secundum significat solum propter aliquam similitudinem ejus, ad illud cui primo imponitur.

Voces analogicæ primo modo videntur esse apud Logicum simpliciter univocæ ; quia Genus, secundum Logicum, est simpliciter univocum, licet ratio, quam primo significat, diversis Speciebus secundum ordinem conveniat. *In omni enim genere est unum primum, quod est mensura omnium posteriorum*, per Arist 10. Metaph. cont. 2. et inde. Forte tamen non est omnino simile de vocibus sic analogicis, et de Genere respectu Specierum, quia licet generis species, inter se habeant ordinem secundum perfectius, et imperfectius in essendo, tamen in participando rationem Generis, non habent ordinem ; quia æque primo omnes participant naturam Generis. Nam æque immediate prædicatur Genus de primis speciebus condividentibus ipsum, et tunc nulla est differentia in primitate, inter istas prædicationes, *Albedo est color*, *Nigredo est color*, licet comparando albedinem, et nigredinem inter se, albedo sit perfectior. Sed in vocibus quæ ponuntur analogice primo modo, est ordo inter participantia, in participando illud : sicut non est æque primo *finis*, *causa*, et *materia*, nec forte æque primo *contrarietas, et contradictio, oppositio*. 5.

Secundus modus analogiæ supradictus, videtur impossibilis ; quia contingit ignorare simpliciter prius, quando nomen imponitur posteriori ; quia posterius simpliciter potest esse nobis prius, et ita prius intelligi, et prius significari.

Si ergo secundo, vox ista imponatur priori simpliciter, manifestum est, quod non significabitur per posterius; illud cui primo imponitur ; quia illud semel significavit primo, igitur semper. Vox enim postquam imposita est, non mutatur in

significando illud, cui imponitur : igitur ordo rerum non concludit ordinem in significatione vocum.

Ratio posita ad hoc, non videtur valere ; quia significare non sequitur intelligere, necessaria consequentia, sicut effectus necessario causam requirit : quia aliquod potest intelligi prius alio, tempore, et natura nec tamen tunc significari : non enim necesse est, ut intelligens vocem imponat ei quod intelligit ; sed adhuc est ad placitum ut imponat, vel non : sed ista propositio, *significare sequitur intelligere*, intelligenda est, ut illud sine quo non, quia non potest aliquid significari, nisi prius intelligatur, sed nec sequitur necessario, nec quoad consimilem ordinem in intelligendo, et significando.

6. Sed quomodo debeat vox poni analogica apud Logicum, tertius modus videtur probabilissimus ; quia aliter non videtur differentia inter primum modum æquivocationis, et secundum. Nam si, vel utrobique vox significaret plura æque primo, vel si in secundo modo significaret tantum illud, cui convenit proprie, tunc ille modus non videtur esse æquivocationis : quia illa vox esset simpliciter univoca ; quia tantum unum significans.

Sed qualitercumque sit de modo ponendi analogiam, nullus istorum modorum videtur convenire enti, respectu decem Prædicamentorum. Quod non primus, probant omnes rationes ad oppositum. Similiter non videtur ista habere ordinem in participando *ens* ; quia de quolibet prædicatur in *quid*, et per se primo modo, et immediate. Secundus modus non est possibilis apud Logicum. Tertius modus non est ad propositum ; quia hoc nomen *ens*, non videtur transferri a Substantia ad Accidens, propter aliquam similitudinem Accidentis ad Substantiam, cum de utroque prædicetur in *quid*, per Arist. 4. Metaph. et ita de neutro improprie. Similiter accidentia prius sunt in sensu, quam substantia : igitur et in intellectu ; igitur possibile est ens imponi nomen significans ipsa, non per habitudinem ad Substantiam, et etiam Accidens significaretur per hoc nomen *ens*, ut attributum substantiæ : igitur significaretur sub propria ratione; quia ratio attributi est propria ratio accidentis : igitur simpliciter est ens æquivocum Substantiæ, et Accidenti ; quia utrumque significat sub propria ratione.

Propter hoc dicendum quod hoc nomen, *ens*, simpliciter est æquivocum primo modo æquivocationis, ad hæc decem Genera prima, præcipue propter hoc ultimum ; quia certum est substantiam significari sub propria ratione, et accidens alio modo ; quia si sub ratione propria significetur accidens per hoc nomen *ens*, hoc esset sibi proprium sub ratione, qua attribuitur substantiæ, vel sub aliqua alia consimili, illa est propria ratio accidentis : adhuc sequitur utrumque significare sub propria ratione. 7. *Secunda conclusio.*

Intelligendum tamen est, quod vox quæ apud Logicum simpliciter æquivoca est, quia scilicet æque primo importat multa ; apud autem Metaph. vel Naturalem, qui non considerant vocem in significando, sed ea quæ significantur secundum id, quod sunt, est analoga, propter illud quod ea quæ significat, licet inquantum significantur, non habeant ordinem, tamen inquantum existunt, habent ordinem inter se. Ideo *ens* a Metaph. in 4. Metaph. text. com. 2. et 7. text. com. 14. et 15. ponitur analogum ad Substantiam et Accidens ; quia scilicet hæc quæ significantur, in essendo habent ordinem. Sed apud Logicum est simpliciter æquivocum ; quia inquantum significantur per vocem, æque primo significantur. *Æquivocum apud Logicum potest esse analogum apud Metaphysicum, vel Naturalem.*

Ad primum argumentum principale dico, quod etsi ibi non sit contradictio, ut si fiat distinctio, sed supponendo ens æque in affirmativa, et negativa, pro eodem : et hoc modo est contradictio in æquivocis ; quia tunc sumuntur ut univoca, quia tantum pro uno significato. 8. *Ad argumenta.*

Ad secundum dico, quod tantum est de ratione æquivoci, non contrahitur ens per aliquid additum, nisi æquivocum possit contrahi, tamen per aliquid additum potest

fieri ; vel esse contractio, quoad utentes, ut referant intellectum ad idem; sicut nomina propria contrahuntur per cognomina superaddita, quoad usum loquentium, non quoad significationem vocis in se.

Ad tertium nego omnem consequentiam ab ente, ad aliquid, et econverso, nisi prius facta distinctione, et sumpto ente pro illo significato, et tunc non est proprie consequentia, *Substantia, igitur ens*, sed illatio ejusdem ex se.

Ad probationem consequentiæ dico, quod Antecedens, quod est simplex, potest esse verum, sine consequente multiplici, nisi consequens sumatur in uno sensu ; quia ipsum, ut multiplex, nec est verum, nec falsum, sed distinguendum.

Ad quartum dico, quod hæc est multiplex, *Substantia est nihil*, sicut hæc, *Substantia est non ens*, et est vera in aliquo sensu ; quia Substantia est nulla Qualitas, vel non Qualitas, quia *aliquid*, cujus negationem importat *nihil*, non videtur esse communius quam *ens*, cum exponatur *aliquid*, id est, aliqua res, et *res* non est communius ente.

9. Ad quintum patet; quia prædicari in *quid* de Substantia, et de Quantitate, inest enti sumpto æquivoce : nec sequitur, prædicatum ita esse idem, sicut modus prædicandi, ut sæpe dictum est ; quia ad unitatem speciei modi prædicandi, sufficit unitas proportionis in his, quibus inest talis modus.

Ad sextum dico, quod *possibile* æquivoce est nomen primæ intentionis, sive impositionis, et secundæ. Primo modo, significat potentiam, vel ordinem ad actum, et dividit ens, et est æquivocum, sicut actus in diversis generibus.

Secundo modo, significat modum compositionis, et isto modo non est æquivocum, et non est minus commune ente, quod dividitur in decem Prædicamenta, et est univocum, sicut cætera intentionalia. Hoc modo procedunt probationes de consequentia, et contradictione, hæc distinctio pluries potest haberi 5. Metaph. cap. de Potentia.

Ad septimum dico, quod divisio incipit sic ab uno, quali modo unius est divisio : divisio autem entis in decem Genera, est divisio unius non generis, sed vocis in significationes, et ideo incipit sic ab uno, scilicet, una voce.

Ad octavum dico, quod non omnis mul- 10.
titudo reducitur ad unum, quod nihil sit illius multitudinis : sicut multitudo primæ causæ et causatorum, non reducitur ad aliquod unum, extra illam multitudinem ; quia sic sequeretur aliquid esse prius primo : sed tota illa multitudo reducitur ad unum, quod est aliquid illius multitudinis, cui alia attribuuntur, ut ad primam causam. Ita in proposito, multitudo Substantiæ, et Accidentis, reducitur ad unitatem substantiæ, non autem alicujus, quod sit extra hanc multitudinem.

Ad aliud de 7. Phys. dico, quod Aristoteles intelligit ibi de comparatione, quæ est secundum aliquam naturam participatam ab utroque extremo, secundum magis et minus ; quia magis, et minus non faciunt æquivocationem : sed talis comparatio non est secundum ens, sed comparatio quæ est secundum ordinem aliquorum adinvicem. Est enim Accidens minus ens Substantia, scilicet in essendo habet ordinem ad Substantiam, et hæc comparatio non requirit univocationem.

Ad aliud argumentum de subjecto Metaphysicæ dico, quod ad unitatem scientiæ sufficit unitas analogiæ in subjecto, ut determinatur 4. Metaph. scilicet, quod omnia quibus convenit subjectum scientiæ, habeant per se, attributionem ad unum primum in essendo, et cognoscendo.

Cum ostenditur subjectum esse necessa- 11.
rio univocum, dico, quod omnes illæ auctoritates, et probationes, procedunt de subjecto demonstrationis. Quando autem subjectum scientiæ est analogum, de illo secundum se non fiunt demonstrationes, sed de primo, ad quod omnia alia attribuuntur quia ad determinandum de multis analogatis sufficit determinare de primo, ad quod omnia alia attribuuntur, ut dicitur

in principio 7. Metaph. Nec est inconveniens de subjecto scientiæ secundum se nullam passionem ostendi, quando est analogum, si tamen passiones ostendantur de primo, ad quod alia attribuuntur.

Ad aliud dico, quod Arist. innuit in ratione *verum esse* univocum, in principiis sempiternorum, et ipsis sempiternis : et concedo etiam, quod *verum* quod consequitur entitatem rei in se, sit univocum omnibus substantiis : et *ens* esse univocum illis ; sed ex hoc non sequitur, *ens* esse univocum decem Generibus : quia omnes substantiæ sunt in uno Genere.

12. Ad illud autem, quod accipitur in argumento, quod omnia sunt causæ, vel causata, et illis, *ens* est univocum : ergo omnibus. Dico, quod *causa* et *causatum*, *universale et particulare* et multæ hujusmodi differentiæ non tantum consequuntur *ens* secundum rationem ejus communem, sed in particulari et in eodem Genere, vel in eadem Specie ; sicut in generatione univoca, causa, et causatum sunt ejusdem speciei. Unde ad formam argumenti dico, quod dicitur de causa, et causato, est univocum, verum est, quando sunt ejusdem generis, non autem de omni causa et causato, quia non est de Substantia, et Accidente.

Ad aliud dico, quod *Principia cognoscimus inquantum terminos cognoscimus*, ut dicitur 1. Poster. et ideo illud principium potest esse notissimum, cujus veritas est notissima cognitis terminis : unde certitudini principii non repugnat multiplicitas terminorum : nec est aliquid certius habens terminos non multiplices : quia aliud non est ita manifestum, cognitis terminis.

Ad aliud concedi potest major, quia primum objectum intellectus potest unico actu intelligendi intelligi, quod non contingit de æquivoco, quia in æquivoco nullus conceptus est idem, sed sola vox. Ad minorem dico quod primum objectum intellectus est substantia : quia ut dicit Arist. in principio 7 Metaph. text. com. 4. *substantia est primum omnium entium cognitione*, quasi non intelligitur de prioritate temporis, sed naturæ, scilicet quod cognitio ejus est perfectissima.

Ad auctoritatem Avicennæ potest concedi vero sic, quod accipit *ens* pro uno significato, quod est primum, scilicet substantia. Vel dicitur forte, quod duplex est ratio, a qua hoc nomen *substantia*, imponitur, scilicet, essendi, et substandi : *ens* autem, imponitur ab actu essendi : sed actus essendi videtur ratio simplicior, quam actus substandi, et ideo *ens* primo occurrit intellectui quoad rationem a qua est nominis impositio : quia simplicissima : sed quando essentiam significatam *substantiæ* intelligitur, quando *ens* primo intelligitur. Hoc patet in aliis nominibus synonymis : quia illa, essentiam eamdem significant, tamen imponuntur a diversa ratione, sicut *lapis* et *petra*, et quando intelligitur essentia significata per unum, intelligitur essentia significata per aliud : quia eadem est : sed non oportet ea cointelligi quantum ad rationes, a quibus est impositio nominum. 13

Ad aliud dico, quod dicens *ens*, non dicit substantiam, nec accidens : sic illud est verum, si tantum intelligitur, quantum ad rationes a quibus nomina imponuntur, non autem quoad essentias significatas.

Ad aliud dico quod illa ratio, a qua imponitur *ens*, non est una, sed æquivoca in diversis, sicut et ens.

Contra, ratio entis non est eadem rationi substantiæ per prius dicta, neque rationi a qua imponitur nomen accidentis : sed simplicior utraque. Igitur cum in utraque includatur, utraque habet illam cum illo addito ; ergo illud est commune utrique.

Dici potest quod ratio essendi, est simplicior ratione substandi : et æquivoce sumpta est simplicior ratione accidendi, et ita æquivoce sumpta convenit uni, et alteri : et ita potest esse æquivocum illis, licet neutri sit omnino idem sed simplicius utroque : quia non est univoce sumptum simplicius utroque.

Contra responsionem datam ad argumentum subsequentium, scilicet de objecto

14. [illegible]

intellectus, arguitur sic : Nihil cognoscitur ab aliqua virtute, nisi quod participat rationem primi objecti illius virtutis ; si igitur Substantia sit primum objectum intellectus, cum accidens non sit substantia, non per se intelligeretur, quod est manifeste falsum ; quia Accidens est per se sensibile, igitur intelligibile. Major patet ; quia nihil per se videtur, nisi coloratum, vel lux : nihil per se auditur, nisi sonus ; et sic de cæteris.

Solutio. Potest dici, quod non oportet omne per se cognoscibile ab aliqua virtute, suscipere prædicationem primi objecti illius virtutis in recto : sed sufficit quod habeat per se habitudinem, inquantum cognoscitur, ad primum objectum illius virtutis. Sensibilia enim communia, per Aristotelem 2. de Anima, text. com. 63. et inde, sunt per se sensibilia ab omnibus, vel pluribus sensibus, nec tamen proprium objectum alicujus sensus prædicatur de eis in recto, quia *numerus, et figura* non est color, vel sonus. Sed ideo per se sentiuntur, quia habent per se habitudinem, et attributionem, inquantum cognoscuntur, ad propria sensibilia : quia faciunt diversitatem in modo sentiendi, et immutandi sensus a sensibili proprio ; sic accidentia inquantum cognoscuntur ab intellectu, habent per se attributionem ad substantiam, licet non sint substantiæ, ideo stat quod per se intelligantur.

Æquivoca dicuntur quorum solum nomen commune est, secundum vero illud nomen ratio Substantiæ diversa, ut animal, homo, et quod pingitur in prædicamentis. Cap. 1.

QUÆSTIO V

Utrum definitio æquivocorum sit bona

Conimbr. Complut. Hurtado, Ruvius, Toletus, Soto et omnes recentiores in Antepraedicamenta.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, primo ex parte definiti ; quia est concretum, et illud non habet definitionem, quia nec genus, per Aristotelem in 3. Topic. cap. igitur, etc.

Item plurale nihil aliud est, quam singulare geminatum, per Priscianum : igitur *æquivoca* non est aliud, quam *æquivocum* et *æquivocum* ; sed totum copulatum non est unum definibile; ; ergo nec illud in plurali numero. Patet, quia totum copulatum non est unum ; quia copulatio vult poni inter diversa, sic potest argui generaliter, nullam definitionem, datam de aliquo in plurali, esse convenientem.

Item hîc non ponuntur genus et differentia ; ergo non est definitio. Consequentia patet per Arist. a. Topic. cap. 4. et Boetium lib. Divisionum.

Item contra particulas singulas arguitur. Primo sic, si æquivoca dicuntur, igitur sunt voces ; quia vocis est dici per se ; sed voces sunt nomina : ergo non sunt, quorum sunt nomina ; ergo prima particula, et secunda, scilicet *quorum*, etc. repugnant.

Item, si solum nomen est commune ; ergo nihil aliud hoc sequitur ex intellectu exclusionis ; ergo superfluit postea addere *et ratio substantiæ est diversa.*

Item, æquivoca non definiuntur ; ergo non habent rationem substantiæ, id est definitionem essentialem : igitur nec est eorum substantiæ ratio eadem nec diversa, quia nulla ; et hoc secundum illud nomen, secundum quod sunt æquivoca, cujus tamen oppositum ponitur in definitione.

Item contra exemplum, si *animal* æquivoce conveniat homini picto et homini vero ; pari ratione nomen quodlibet erit æquivocum veræ naturæ, et ejus similitudini, et ita omnis propositio distinguenda et nulla vera simpliciter. Similiter hîc videtur esse fallacia secundum quid, ad simpliciter, *Homo pictus, ergo homo*, et non æquivocationis.

Item, *homo*, ut de eo dicitur intentio speciei, et ut dicitur de supposito, solum habet nomen commune, et non est æquivocum ; igitur, etc. Probatio primæ propositionis, ponendo definitionem pro nomine, aliter est falsa ; quia *animal rationale* non est species, sed definitio ; Species autem et definitio sunt oppositæ intentiones ; ergo,

etc. Probatio secundæ propositionis, si esset æquivocum, tunc hic, *homo est Species, Socrates est homo ; ergo*, etc. non esset fallacia figuræ dictionis, nec Accidentis, quorum utrumque est falsum. Consequentia patet, quia ubi est actualis multiplicitas, ibi ratione illius ejusdem non est phantastica multiplicitas, si enim idem vere significaret multa, et tantum apparenter, quod est dicere incompossibilia. Similiter in fallacia Accidentis, terminus variatus est unus secundum significationem ; quia loci extra dictionem non peccant contra contradictionem : et aliter non esset accidens locus aptissimus ad decipiendum, inter locos Sophisticos extra dictionem ; ergo non sunt in eodem paralogismo, ratione ejusdem, æquivocatio et figura dictionis, nec æquivocatio et fallacia Accidentis, etc. Sed in prædicto paralogismo ratione medii est figura dictionis, et fallacia Accidentis : igitur non est æquivocatio.

Ad oppositum est Aristoteles.

[Concl]usio. Ad quæstionem dicendum, quod ista notificatio satis convenienter datur de Æquivocis æquivocatis. Ubi intelligendum est, quod æquivocatio dicta active, dicit habitudinem unius in ratione signi ad multa in ratione significatorum, et passive e converso, et ita æquivocum includit duplicem relationem et active sumptum, et passive : scilicet habitudinem ad æquivocans, quæ relatio est suppositionis ; et habitudinem ad aliud æquivocatum, quæ relatio est æquiparantiæ ; non enim dicitur *cæleste sidus* æquivocatum ad *canis*, nisi per respectum ad animal latrabile, quæ duo sunt æquivocata. Hæc duplex relatio patet resolvendo nomen *æquivocum* ; id est, æque vocans ratione primæ partis, dicitur ad aliud quod est æque cum eo ; ratione secundæ dicitur ad *vocans* : propter ergo relationem æquiparantiæ, datur notificatio in plurali, cætera hujusmodi relativa definiuntur in 5. Metaph. text. non habentes eam, *similia, dissimilia, contraria*, etc.

[Æ]quivoca- [d]upli- [h]abet [re]lati-

Propter relationem aliam, ponitur correlativum definiti, in habitudine, qua dicitur ad ipsum ; *quorum* ut significatorum *solum nomen commune est* ut signum, et per sequens, scilicet *ratio substantiæ est diversa*, ponitur differentia æquivocatorum. Et non sumitur ibi *ratio* pro definitione, et genere et differentia ; quia prima genera, quæ non habent rationem talem, sunt æquivoca in hoc nomine *ens* ; sed *ratio substantiæ*, id est, essentialis intellectus est diversus, et quia æquivocata in uno nomine, possunt in alio univocari, et ibi habere rationem eamdem ; ideo adjungitur *secundum illud nomen*, id est, essentialis intellectus æquivocatorum est diversus inquantum de eis dicitur æquivocans, licet in alio univocante sit essentialis intellectus eorum idem.

Si autem dicatur, quod *dicuntur* ponitur pro *concipiuntur*, idest, sunt conceptus, et quod conceptus sit de essentia æquivocatorum ; potest dici, quod est vera definitio, et per illam primam particulam *dicuntur*, ponitur genus ; per reliquas, correlativum definiti, et differentia.

Ad primum argumentum dico, quod concretum habet Genus, et Differentiam, respectu quorum est quid, licet respectu substantiæ, sit denominativum, et concretum ; quia in omni genere est reperire *quid*, per Aristotelem, et sic per illa sui generis potest definiri. 3. Ad argumenta.

Vel potest dici, quod est notificatio ; et conceptus qui intelligitur per *dicuntur*, non est de essentia æquivocati, sed subjectum ejus.

Ad secundum dici potest, quod omnia relativa æquiparantiæ, convenienter definiuntur in plurali, ut patet in 5. Metaph. ubi multa hujusmodi relativa definiuntur, et omnia in plurali ; quia sic eorum intellectus est magis finitus, inquantum denominat utrumque extremorum. Quod autem dicit Priscianus de plurali, intelligendum est, quod [illegible] non quod [illegible].

Ad tertium [illegible] quod non sit vera definitio.

Vel potest dici, quod in definitione accidentis concreti, primo debet poni subjec-

tum, ut hîc, *nomen est vox*, sic est in proposito.

4. Ad quartum dico, quod definitio datur de æquivocatis, et non sequitur, *illa dicuntur, igitur sunt voces*, conceptus enim dicitur per vocem, unde si duo, per diversas voces, exprimant eumdem conceptum, dicemus quod idem dicunt. Vel exponatur *dicuntur*, idest, concipiuntur.

Ad quintum potest dici, quod ex hoc, *solum, nomen commune est*, non sequitur : igitur ratio substantiæ est diversa ; quia, etsi sequitur, non esse rationem substantiæ communem, non tamen diversam rationem substantiæ.

Vel aliter, licet sequeretur, potest dici, quod *solum* refertur ad æquivocans : ad quod definitum refertur, secundum relationem suppositionis, et sequens, scilicet *ratio substantiæ est diversa*, refertur ad æquivocata in se, et ita non pertinet ad idem.

Aliter dicendum magis ad propositum, quod æquivocata habent rationem diversam, secundum nomen æquivocans, idest, inquantum æquivocantur in illo : sed æquivocantia, non habent aliam rationem.

Ad sextum dicitur, quod hæc intentio *æquivoca*, ut sumitur pro æquivocatis, univoca est : et ita definiri potest, licet illa quibus inest hæc intentio, non sunt univoca, nec definibilia, sicut hæc intentio *generalissimum*, est definibilis, et definitur a Porphyrio, licet substantia, vel aliud cui inest hæc intentio, non definiatur.

5. Ad septimum potest dici, quod non intelligit, hoc nomen *animal*, esse æquivocum, ad hominem verum, et pictum, sed si esset, manifestum esset ibi, quod solum nomen esset commune, et nulla ratio, sicut communiter de exemplis non multum curat, nisi quod sint vera, ut sunt ad propositum, hoc est, quod ars sua, sit vera in eis.

6. Ad ultimum potest dici, quod terminus non est æquivocus ad diversas acceptiones, quia non significat, nec consignificat illas, neque est simpliciter univocus, ut sumitur sub illis ; quia nulla est ratio hominis una, secundum quam vere prædicatur de eo Species, et secundum quam ipse prædicatur de Socrate.

Contra hoc, omne prædicatum est univocum, vel æquivocum, vel denominativum ; sed *homo*, non prædicatur de intentione, et supposito univoce, nec æquivoce per se : igitur denominative, quod falsum est ; quia prædicatur in quid de supposito.

Ad hoc dici potest, quod quodcumque prædicatum de aliquo uno, est respectu ejus univocum, vel æquivocum, vel denominativum; sed non quodcumque prædicatum de multis, est respectu multorum, aliquo istorum trium modorum se habens. Sed respectu unius, uno modo, et respectu alterius alio modo, ut *coloratum* prædicatur de corpore, et albo, non uno modo, sed de albo univoce, et *in quid*, et de corpore denominative : sic quodlibet nomen prædicatur de supposito univoce, de intentione vero, nullo dictorum modorum, quia est prædicatio per accidens, vel saltem reducitur ad prædicationem denominativam.

Univoca vero dicuntur, quorum nomen commune est : et secundum illud nomen eadem substantiæ ratio, etc. Cap. 1.

QUÆSTIO VI

Utrum Definitio Univocorum sit bona.

Vide citatos *quæst.* 4.

Videtur quod non, et potest argui per tria prima argumenta, facta ad præcedentem quæstionem, et consimiliter solvuntur, sicut ibi sunt soluta. *Ar ta p te va.*

Item, *album* prædicatur de homine, et de equo, secundum eamdem rationem, aliter enim esset æquivocum, et tamen non est univocum prædicatum, respectu istorum, quia est denominativum. Similiter arguitur de omni prædicato denominativo, et maxime de intentionibus , quia hoc prædicatum, *genus*, dicitur secundum eam-

dem rationem de Substantia, et Quantitate, et tamen non est univocum, quia est denominativum : et univocum, et denominativum sunt oppositi modi prædicandi, sicut univocum, et æquivocum.

Item, omnia æquivoca habent idem nomen, scilicet hoc nomen, *æquivoca*, et eamdem rationem substantiæ, idest, essentialem, secundum illud nomen, scilicet rationem æquivocorum : igitur si dicta definitio esset conveniens, omnia æquivoca essent univoca, quod falsum est ; quia oppositum prædicatur de opposito.

Item, quorum substantia, id est, ratio essentialis, est eadem, ipsa sunt eadem essentialiter : sed univoca univocata, habent eamdem rationem substantiæ univocantis, ergo omnia univoca, essent eadem essentialiter, quod falsum est, quia sic homo, et asinus, essent idem essentialiter.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. Conclusio. Dicendum, quod est notificatio conveniens, et potest convenienter intelligi de univocatis sic, *Univoca sunt, quorum* non ut significatorum, *est nomen* univocantis *commune*, quia illud nomen, non significat aliquod univocatorum, sed quorum, ut contentorum sub univocante, est nomen univocantis commune, *et ratio substantiæ* univocatorum *eadem secundum illud nomen* univocans ; et tunc nullum nomen univocum univocans est denominativum respectu ejusdem, quia denominativi ratio, non est ratio substantialis denominatorum.

Similiter potest intelligi de univocantibus, primo sic : *Univocantia sunt, quorum nomen*, ut partis totius, *commune est* univocatis, *et ratio substantiæ* univocantis *eadem* univocatis *secundum illud nomen*. Non autem potuit definitio æquivocorum intelligi de æquivocantibus ; quia illorum non est nomen, cum nihil sit æquivocans, nisi sola vox. Similiter non habent aliquam definitionem ; ergo nec diversam, nec eamdem, sed neutrum illorum impedit hanc definitionem intelligi de univocantibus, quia et istorum est nomen, et etiam ratio ; quia non solum nomen univocat, et ista habent eamdem rationem substantiæ. Aristoteles tamen magis videtur intelligere de univocatis, dicit enim, *ut animal, homo et bos : communi enim nomine utrumque animal nuncupantur*, quod manifeste est dici de univocatis, et subdit de ratione eadem, *si quis assignet utriusque rationem, quid utrumque sit in eo, quod sunt animalia, eamdem assignabit utriusque rationem*, quod similiter manifeste refertur ad univocata.

Ad primum argumentum dicitur, quod nullum denominativum habet rationem substantiæ, respectu illius, respectu cujus est denominativum, licet in suo genere possit habere rationem substantiæ, et ideo nullum denominativum prædicatur secundum eamdem rationem. 3. Ad argumenta.

Contra hoc, denominativum non recipit magis, et minus, nisi respectu subjecti, respectu cujus est denominativum ; sed Aristoteles in 3. Top. context. 9. ad concludendum accidens de aliquo secundum magis, et minus, docet considerare definitionem accidentis, quod magis suscipiat propositi, idest, accidentis rationem, ut *album*, quod est coloratum, magis disgregativum visus : ergo denominativum respectu illius, respectu cujus est denominativum, habet rationem substantiæ. Probatio primæ propositionis. Porphyrius cap. de Differentia, dicit, *Esse autem uniuscujusque unum, et idem est, neque suscipiens intensionem, neque remissionem*, hoc est, essentia cujuslibet, consistit in indivisibili, illam enim propositionem adducit ; ad probandum, differentiam non suscipere magis, et minus, respectu cujus est per se differentia ; ergo denominativum, in suo genere, inquantum est quid in se, ex suo genere, et sua differentia, non recipit magis, et minus : igitur tantum in comparatione ad subjectum, quod denominat.

4. Potest dici aliter ad primum argumentum, quod *homo*, et *equus*, non sunt univocata sub albo, nec quæcumque alia, sub aliquo prædicato denominativo ; quia univoca sunt, quorum est nomen commune, et

ratio substantiæ univocantis eadem, quæ ratio est etiam eis substantiæ ratio, licet non propria : ratio autem *albi*, vel cujusque denominativi, non est ratio substantiæ denominativorum. Sed quia ratio sic est denominativo, quod prædicatur secundum idem nomen, et eamdem rationem substantiæ denominantis. Ideo dicendum, quod definitio de univocantibus sic debet intelligi, *et ratio substantiæ eadem*, quæ ratio est essentialis univocatis ; quod non est verum de denominativo. Nam secundum Aristotelem inferius, cap. de Substantia, *album prædicatur de corpore*, *rationem vero albi prædicari de illo, impossibile est*, quod est intelligendum ita, quod illa ratio, sit ratio corporis.

5. Ad secundum argumentum, potest dici dupliciter. Uno modo, concedendo conclusionem, quod omnia æquivoca sunt univoca, quia æquivoca ut *quid*, sunt univoca ut *modus*, nec prædicatur oppositum de opposito, nisi forte ut in respectivis. Vel aliter dicitur, quod non sequitur,æquivoca habent hoc nomen commune, *æquivocum*, et rationem substantialem hujus eamdem : igitur habent idem nomen, et eamdem rationem ; sed est fallacia, a secundum quid, ad simpliciter ; quia habere hanc rationem eamdem, est simpliciter habere diversam rationem, et secundum quid eamdem : sicut convenire in differentia, est convenire secundum quid, et differre simpliciter.

Ad tertium dico, quod quorum est ratio substantiæ propria, et completa eadem,ipsa sunt eadem, sed univocatorum non est ratio eadem propria, licet ratio univocantis sit eadem eis, quia illa nulli univocato est propria.

Ut animal, homo, atque bos. Communi enim nomine utraque animalia nuncupantur, et est substantiæ ratio eadem, etc. Cap.eod.

QUÆSTIO VII

Utrum Genus sit Univocum Speciebus.

Vide citatos *quæst.* 8. *Universalium, et q.* 4. *hujus.*

Quod non videtur : quia per Aristotelem 7. Physicorum, cont. 24. secundum univocum, potest fieri comparatio : sed secundum Genus non fit comparatio, secundum ipsum ibidem, text. com. 31. ergo, etc. 1 *Argu- ta pr- te ne- va..*

Item, si Genus esset univocum, tanta esset unitas Generis, quanta Speciei ; consequens est falsum, per Aristotelem 5. Metaph. de Uno, text. com. 12. qui dicit,quod *unum specie infert unum genine, et non e converso :* igitur antecedens falsum. Probatio consequentiæ, Species non est unum in existendo, sed tot quot supposita : quia non existit nisi in suppositis, sed tantum est unum secundum definitionem, et unum objectum intellectus : sed utramque unitatem habet Genus, dato, quod sit univocum; igitur, etc.

Item, quod est univocum in multis, non est secundum se diversum in illis : sed Genus est secundum se diversum in diversis Speciebus, et non secundum accidens, per Aristotelem 5. Metaph. cap. 10. *Diversa autem specie secundum se sunt genera*. igitur, etc. Major patet ; quia tunc secundum idem esset Genus unum,et multum in Speciebus.

Item Genus prædicatum de quacumque Specie, prædicat illud totum, quod illa Species : igitur sicut nulla Species est univoca diversis Speciebus, ita nec Genus. Et confirmatur per Aristotelem 7. Metaph. text. com. 43. *Genus nihil est præter Species, aut si est, est ut materia* ; igitur non prædicat aliud ab illis.

Ad oppositum est Aristoteles.

Item, aliter non poneretur Genus in defi-

nitione alicujus Speciei, sicut nec æquivocum, ponitur in definitione æquivocorum, cum dicat Aristoteles 6. Top. cap. 4. et 7. Metaph. cont. 13. *in omni definitione ponendum est Genus.*

Item, in æquivocis non est prius, nec posterius, quia sola vox est communis : sed Genus prius est Speciebus : igitur, etc.

Conclusio Ad quæstionem dicendum, quod Genus est prædicatum univocum Speciebus : quia prædicatur secundum idem nomen, et secundum eamdem rationem de ipsis, quæ ratio sive definitio, est ratio substantiæ illis Speciebus, licet non propria : quia Genus prædicatur de illis in *quid*, per Porphyrium. *Dubium.* Sed cum omni univoco correspondeat in re aliqua unitas, aliter substantiæ, et accidenti, esset aliquid univocum, dubium est, quid sit illud unum in re, a quo sumitur univocatio Generis, et *Solutio.* potest dici, quod omnia unius Generis aliquam inter se convenientiam habent in substantia, quam non habent cum aliis aliorum Generum, quod cognoscitur ex identitate operationis, vel passionis in singularibus : illud est in Speciebus imperfectum et potentiale, quia diversæ Species, habent diversas formas perfectivas : aliquid igitur materiale in omnibus Speciebus, sive sit materia, sive forma incompleta existens in omnibus hujus Generis, et non alterius, quod est principium alicujus operationis communis, vel passionis in eis, est illud unum in re, quod cum intellectus considerat, non ut in hoc considerat ipsum secundum se essentialiter esse in differentibus specie, et ei attribuit intentionem generis, et quanto Genus communius, tanto ejus in re minor est unitas, et ita nomen *Generis*, de suo primo intellectu importat aliquid, quod est materiale in Speciebus : tamen per modum totius, ut dictum est prius.

3. *Ad argumenta.* Ad primum dico, quod non secundum omne univocum fit comparatio, sed secundum speciem atomam tantum, idest, specialissimam, ut ibi dicitur. Vel aliter, quod univocum apud Logicum, dicitur omne illud, quod per unam rationem devenit apud intellectum, secundum quam dicitur de multis : apud Naturalem vero non est omne tale, sed tantum quod est unum secundum ultimam formam completivam, unde dicitur 7. Physicorum. *In Genere multæ latent æquivocationes*, quod tamen Logicus non concedit. Unde et dicitur secundum omne univocum fieri comparationem, intelligendum est tantum de univoco secundum Naturalem, quod est tantum Species specialissima : non de omni univoco, quoad Logicum, quomodo Genus est univocum.

Ad secundum dico, quod major est unitas in re, a qua sumitur univocatio Speciei, quam a qua Generis ; quia ibi est unitas formæ completivæ, hic tantum alicujus materialis, et incompleti. Unde ad formam dico, quod duabus Speciei unitatibus ibi enumeratis, est Genus unum, sed tertia omittitur, in qua Species excedit Genus.

Ad tertium dico, quod ibi est æquivocatio ; quia *secundum se*, potest sumi effective, sive solitarie, ut sumitur per se in tertio modo, sive excludendo aliam causam ; et omnibus his modis major est vera, et minor falsa. Alio modo sumitur, *secundum se*, prout 5. Metaph. ut scilicet opponitur *secundum accidens*, quod aggregat in se diversas essentias, ut *homo albus* : et tunc *ens* secundum se, est quodlibet habens unam essentiam: isto modo est major falsa, et minor vera, et sic intelligit Aristoteles 5. Metaph. quia Genus est divisum per differentias, quæ Differentiæ, non accidunt sibi, quia Differentiæ non faciunt unum secundum accidens cum Genere, sed unum essentialiter. *Secundum se quot modis sumitur.*

Ad quartum patet, dicendo quod prima propositio, scilicet *Genus prædicat totum*, sic intelligenda est, scilicet materiale, per modum totius, quod secundum se est univocum : et tamen in Speciebus formaliter diversificatur : et ita major est unitas Generis in se, quam Specierum, inquantum differunt per differentiam, quia nulla differentia est in intellectu generis, sed e converso est de Speciebus.

Denominativa vero dicuntur quæcumque ab aliquo solo differentia casu, secundum nomen habent appellationem : ut a Grammatica Grammaticus, et a fortitudine fortis. Cap. eod.

QUÆSTIO VIII

Utrum Denominativum idem significet quod abstractum

D. Thom. *in* 1. *d.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 2. *et* 8. Metaph. *lect.* 1. Simplicius et Ammonius *in Anteprædicamentis.* Cajet. *cap. de Genere.* Albertus *tract.* 1. *cap.* 4. Masius *ibidem sect.* 1. *quæst.* 3. Didacus a Jesu *disp.* 6. *q.* 1. Joan. Angl. et Bras. *super hanc quæstionem.* Marota *in expositione Prædicam. text.* 3. Doctor *in* 2. *disp.* 12. *q.* 1. *n.* 18.

1. Quæritur circa definitionem Denominativorum, *utrum differant solo casu* scilicet sola cadentia ad subjectum a principalibus a quibus habent denominationem, *an etiam differant in significato*, et hoc est quærere, *utrum denominativum idem significet, quod abstractum*, scilicet formam tantum, vel aliud ut subjectum. Et quod significet subjectum, videtur ; quia significare est intellectum constituere, per Aristotelem 1. Periherm. cap. de Verbo, ubi dicit, *et significant aliquid, constituit enim intellectum qui dicit*, sed nomen concretum prolatum, constituit intellectum subjecti ; ergo illud significat. Probatio minoris, constituit intellectum accidentis, et illud impossibile est intelligere sine subjecto : tum quia impossibile est, ipsum esse sine subjecto, et *Unumquodque sicut se habet ad esse, sic ad veritatem*, idest, ad cognitionem veram 2. Metaph. context. 4. tum quia *Substantia est primum omnium cognitione*, per Aristotelem 7. Metaph. context. 4. ergo nihil significatur sine illa. Per hoc etiam probatur, quod subjectum primo significatur ; quia illud primo intelligitur prolata voce ; quia accidens non potest sine illo intelligi, et illud est prius cognitione accidente, per Aristotelem 7. Metaph. context. 4.

Item terminus idem supponit, quod significat : sed terminus accidentalis concretus supponit subjectum : ergo. Major patet, quia terminus supponens, ex hoc, quod supponit, non habet novum significatum. Probatio minoris per Aristotelem 1. Posterior, text 35. hæc est per accidens, *album est lignum*, quia significat, quod illud cui accidit *album*, est lignum, igitur illud cui accidit *album*, ut subjectum, ibi supponitur per *album*.

Item, idem significat nomen, et definitio 4. Metaph. context 28. *Ratio, quam significat nomen, est definitio* ; sed definitio concreti, habet in se subjectum, et accidens ; igitur nomen hoc significat. Minor patet per Aristotelem in 7. Metaph. context 4. et inde, dicendum, quod *Accidens definitur per substantiam.*

Item, dictio exclusiva excludit quodlibet, quod est extra per se significatum termini, sed talis dictio exclusiva, addita termino concreto, non excludit subjectum ; igitur, etc. Probatio minoris ; si dico, *Tantum album currit,* non excludit corpus currere ; quia includitur in eo. Probatio, sequitur, *Tantum album currit, igitur album currit,* et ultra *; igitur corpus currit,* igitur a primo ad ultimum, *ergo corpus currit* : et ita corpus non excluditur.

Item, hoc videtur per auctoritatem Commentatoris super 1. Physicorum context. 25. ubi dicit, quod *Nomen concretum significat formam, et subjectum,* et 12. Metaph. context. 34. dicit Commentator, quod significat ambo.

Item, Aristoteles in 7. Metaph. context. 26. dicit, quod in dictis secundum accidens, non est idem *quod quid est,* cum illo *cujus est,* propter duplex significare, ut *musicum,* et *album* : igitur hujusmodi significant duo.

Ad oppositum est Aristoteles hîc, dicens, 2.
quod *Denominativa differunt solo casu a principalibus,* ergo non significato ; sed abstracta non significant subjectum, quia tunc non essent in aliquo genere ; ergo nec denominativa.

Item, inferius cap. de Substantia, dicit, quod *album,* solam qualitatem significat.

Item, Commentator 5. Metaph. cont. 4. dicit Aristotelem velle, quod tantum significet formam. Et ratio hujus est; quia aliter esset nugatio addendo accidens cum subjecto, quod videtur inconveniens. Consequentia patet; quia ponendo rationem concreti loco nominis, idem subjectum bis diceretur.

Item, si concretum significet subjectum; igitur hæc, *Album est lignum*, esset secundum se; quia subjectum quoad suum significatum, natum esset per se supponere, et prædicatum esset de esse subjecti; consequens tamen est falsum per Aristotelem 1. Post. cont. 35.

Item, si *album* significet subjectum, et accidens, sicut *homo albus*, igitur esset secundum accidens, quod videtur esse contra Aristotelem 5. Metaph. context. 14. quia dividit ibi *ens* secundum se in decem Genera.

Item, si concretum significaret subjectum, tunc non definiretur per additamentum. Consequentia patet, quia tunc quidquid poneretur in ejus definitione, esset de ratione essentiali ejus: consequens est contra Aristotelem 7. Metaph. cont. 13. et circiter.

Item, impossibile est in rebus diversorum Generum generalissimorum, esse aliquam rationem substantiæ communem: igitur nomen significans talia duo, non potest esse univocum: sed subjectum, et accidens, sunt diversorum Generum; ergo si concretum utrumque significaret esse simpliciter æquivocum, quod non videtur conveniens; quia tunc nulla propositio simpliciter esset vera, in qua ponitur concretum: nulla etiam in eis esset contradictio; nulla consequentia: passio etiam non posset demonstrari de suo subjecto, cum sit concretum: et *in demonstratione non est aliquid æquivocum*, per Aristotelem 1. Posterior. Hæc omnia videntur inconvenientia, et contra Aristotelem, et quartum specialiter 1. Post. text. 26.

3. *Conclusio.* Ad quæstionem dicendum, quod si contingat subjectum, et accidens univoce actu intelligere, et compositio ex eis unum nomen imponere, sicut toti historiæ Trojanæ hoc nomen *Ilias*. Illud nomen non significat utrumque sub propria ratione, nec est concretum concernens illud a suo significato: nullum autem nomen potest utrumque significare sub propria ratione, nisi sit æquivocum. Inconveniens autem est concedere omne nomen concretum esse æquivocum, quia periret finis sermonis; quia vix posset aliquis determinatum conceptum exprimere. Ideo dicendum, quod nomen concretum non significat proprie subjectum, sed tantum formam.

[illegible] Diceretur forte, quod non esset æquivocum, quia non significat utrumque sub propria ratione, sed formam inquantum informantem, et subjectum inquantum informabile.

Refutatur. Contra, quod non significat aliquid sub propria ratione, non significat illud: sicut ille, qui non intelligit aliquid sub propria ratione ejus, non intelligit illud: ergo esset dicere simpliciter non significare subjectum.

Item, propria ratio subjecti est ratio informabilis: igitur nomen significans illud sub ratione informabilis, significat illud sub propria ratione, et ita duo opposita dicerentur in illo sermone.

Nota. Verumtamen propter argumenta, intelligendum, quod licet accidens non sit sine subjecto, est tamen in se quædam essentia, distincta ab essentia subjecti, licet non adeo perfecta, quia per Aristotelem 1. Top. cap. 7. *In omni genere est reperire quid.* Similiter nisi esset essentia distincta in se, non esset per se in alio genere a subjecto, quod manifeste falsum est: *[illegible]* quamlibet autem essentiam contingit sub ratione propria intelligere, et etiam significare, et tali modo intelligendi correspondet modus significandi abstractus. Alio modo contingit intelligere istam essentiam, inquantum informat subjectum, et huic modo intelligendi correspondet modus significandi concretus: sicut igitur eadem essentia intelligitur sub utroque modo intelligendi: sic

idem significatur per nomen concretum, et abstractum, sed sub diverso modo significandi : sed propter istum modum significandi forte dicitur subjectum cointelligi, non tanquam intraneum illi intellectui per se, sed tanquam ad quod dependet intellectus accidentis, sub tali modo intelligendi.

4. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum principale dico quod sicut aliquid constituit intellectum alicujus, sic illud significat : nomen autem concretum non principaliter constituit intellectum subjecti, sed tantum ex hoc, quod illud, cujus primo intellectum constituit, sub tali modo intelligendi, ad subjectum dependet, et ita significat ipsum : hoc est, ex tali modo significandi dat intelligere, quod non est significare, ut nunc loquimur de significatione, quæ est repræsentatio alicujus ex impositione.

Ad probationem minoris, cum dicitur, Impossibile est accidens intelligi sine subjecto ; dico impossibile esse intelligi accidens esse sine subjecto, ita quod ly *sine subjecto* dicat modum intellecti. Alio modo potest accipi, ut dicat modum actus intelligendi, sub hoc sensu, impossibile est intelligere accidens sine subjecto, idest, sine hoc quod subjectum intelligatur, et tunc concedendo illud, potest responderi secundum prædicta, nisi subjectum intelligatur, non ut per se intra intellectum accidentis, sed ut illud, ad quod dependet intellectum, et sic significatur.

Alio modo potest dici, quod accidens non potest intelligi sine subjecto, idest, complete cognosci, quia ex eisdem est aliquid, et cognoscitur : tamen potest cognosci, et intelligi, quod dicitur per nomen, non cognito subjecto, sicut Species non cognoscitur quid est simpliciter, non cognito Genere : tamen cognoscitur quid dicitur per nomen, sine cognitione Generis, ut exemplificat Themistius supra lib. Poster. quod *si dicatur puero, adduc equum, non adducit bovem, sed equum*, et ita cognoscit, quid dicitur per nomen, sed quid est per Genus, et Differentiam, non cognoscit. Et idem habetur per Aristotelem in princ. 1. Physic. cont. 5. quod definitum prius cognoscitur definientibus, sic in proposito, potest accidens cognosci ea cognitione, quid dicitur per nomen, non cognito subjecto, et ista cognitio confusa sufficit, ut significetur. Hoc modo dicendo, posset salvari, quod nomen abstractum significat subjectum, etiam eo modo, quo concretum, de quo est dubium. Videtur tamen propter probationes minoris supra positas, quod nomen abstractum det intelligere subjectum, sed non similiter, quia concretum in recto, abstractum in obliquo, sicut subjectum diversimode ponitur in definitione unius, et alterius, et tunc non est modus significandi concretus principium intelligendi subjectum, sicut supra dictum est ; sed ipsum quod significatur, propter dependentiam ejus ad subjectum.

Si objiciatur contra hoc ; quia abstrac- 5.
tum significat formam sub propria ratione : igitur non inquantum dependet ad subjectum ; ergo non dat intelligere subjectum. Dici potest, quod propria ratio formæ accidentalis est esse subjecti ; et ita stant simul, quod significetur sub propria ratione, et sub modo, ut est subjecti. Hoc videtur probabilius, quam dicere quod modus significandi concretus sit principium intelligendi subjectum, quia aliter in definitione accidentis abstracti non oportet ponere subjectum, quod est contra Aristotelem 7. Metaph. contex. 4. ubi dicit, quod *substantia est primum omnium definitione*, quia in definitione omnium ponitur, et non e converso.

Et cum objicitur, quod subjectum primo significatur quia illud primo intelligitur per vocem. Dici potest, quod aliquid primo intelligi per vocem est dupliciter : aut sine quo non, aut primo ex intentione imponentis. Primo modo potest subjectum primo intelligi : quasi sine quo non intelligitur accidens. Secundo modo non intelligitur subjectum primo, sicut primo intelligitur per hanc vocem, *homo*, animal, tanquam sine quo non intelligitur homo, sed non *Aliquid primo intelligi per vocem, dupliciter intelligitur.*

primo, quoad intentionem imponentis, vel proferentis. Aliter potest dici ut supra, quod non oportet subjectum intelligi ad intellectum accidentis, quod scilicet dicitur per nomen, licet oporteat, quoad completam cognitionem accidentis.

6 Ad secundum principale, concedo quod terminus illud supponit, quod significat : sed non semper pro eo supponit quod significat, sed tantum supponit significatum pro significato, quando est suppositio simplex, sicut in suppositione personali, commune supponit pro suppositis, et non suppositum ; quia non significat suppositum. Ad minorem dico, quod terminus concretus supponit pro subjecto, sed non subjectum.

Ad probationem dico, quod hæc est per accidens, *Album est lignum*, non quia *album* supponat subjectum ; quia illud est natum supponere, et tunc si illud supponeret, esset prædicatio per se, quia supponeret quod natum est supponere, sed est per accidens ; quia significatum albi, quod est accidens, non est natum supponere per se, et respectu talis prædicati, sed supponit pro eo cui accidit.

7. Contra hoc videtur, quod cum dicitur, *album est lignum*, in hoc significatur, quod cui accidit album, est lignum, quod non esset verum, nisi illud, cui accidit album, esset illud quod supponitur, et non tantum pro quo : non enim potest vere dici hanc, *Homo currit*, significare Socratem currere, licet homo supponat pro Socrate.

Ad hoc dicitur, quod hæc propositio, *Album est lignum*, significat lignum inesse albo, non tamen pro se, sed pro eo cui accidit, et ita debet intelligi auctoritas Aristotelis. Significat enim quod cui accidit album, est lignum, non tamen quod supponit, sed pro quo ; sicut communiter dicitur, quando subjectum non est natum pro alio supponere respectu prædicati, quam pro hoc, dicimus, quod prædicatum significatur huic inesse, ut hæc *homo currit*, quod *currere*, significatur inesse supposito, licet hoc non habeatur ex prima significatione sermonis : sic cum *album* respectu talis prædicati, *lignum*, non sit natum supponere nisi pro subjecto, dicitur prædicatum significari ei inesse.

Ad tertium dicitur, quod est duplex definitio, una simpliciter, quæ est habentis *quod quid est* simpliciter, ut substantiæ : et ista definitio tantum habet Genus, et Differentiam quæ sunt intra per se intellectum Speciei, et de illa est major vera, et probatio ejus de 4. Metaph. Alia est definitio per additamentum, ubi scilicet aliquid additur præter essentialia definiti, et talis est accidentium. Quia enim accidentia non cognoscuntur complete, sine subjecto, et definitio datur causa completæ cognitionis habendæ, ideo non definiuntur sine subjecto, sed quia talis definitio aggregat in se aliquid, non de essentia definiti, ideo plus significat, quam nomen definiti ; et de tali non est major vera, nec ejus probatio.

Definitio duplex.

Definitio per additamentum quid.

Ad quartum dico, quod major est falsa, quando quod excluditur, comparatur ad reale prædicatum ; tunc enim non excluditur nisi diversum ab eo, respectu prædicati ; quia syncategoremata disponunt subjectum in comparatione ad prædicatum ; respectu autem prædicati realis, non est subjectum diversum ab accidente concreto, ideo non excluditur. Unde dicitur communiter, quod exclusio non semper excludit aliud secundum *essentiam*, sed secundum esse, quod maxime est verum, respectu realis prædicati.

Ad auctoritates Commentatoris intelligendum est quod *significare*, extensive sumitur pro dare intelligere, quia aliter esset contrarius sibi 4. Metaphysicæ.

Ad auctoritatem Aristotelis, intelligitur de *homine albo*, et hujusmodi, de quibus proposuit dubitationem in principio capituli. Illa enim sunt entia secundum accidens, secundum ipsum, in 5. Metaph.

Contra positionem sic arguitur, si *album* idem significet, quod *albedo*, sed sub modo concernentis, vel denominantis, ergo de quo dicitur *album*, ut de homine, de eo

dicetur interpretatio ejus, scilicet *albedo*, et concernens, quod non videtur verum. Hîc potest dici, quod illa non est interpretatio albi, quia *album* tantum significat formam sub uno modo significandi sed hoc totum, *albedo ut concernens*, significat formam sub duobus modis oppositis ; quia *albedo* significat formam sub uno modo, et *ut concernens* dicit alium oppositum modum.

Si autem quæratur, quæ est interpretatio hujus nominis, *album*, non est possibile dari, nisi per aliquod nomen : posset forma tamen significari sub uno modo significandi, quod non est possibile, forte addito hoc modo, *ut concernens*, etc.

Quando alterum de altero prædicatur, ut de subjecto : quæcumque de eo quod prædicatur, dicuntur : omnia hæc, et de subjecto dicuntur, etc. Cap. 3

QUÆSTIO IX

Utrum hæc regula sit vera, Quando alterum de altero prædicatur, etc.

Conimb. Compl. Merinero. Ruvius, Fuente, Rodriguez, et communiter recentiores, *cap. de regulis Prædicamentorum.*

1. *Argumenta principalia.* Quod sit falsa videtur ; quia *animal* est prædicatum de homine, et *album* de animali ; ergo *album* de homine : secundum istam ergo rationem teneret hæc consequentia, *animal est album ; ergo homo est albus* ; et tamen videtur esse fallacia Consequentis : similiter antecedens potest esse verum, sine consequente.

Item per hanc regulam sequeretur, *Substantia est generalissimum, igitur animal est generalissimum.*

Item, si quid prædicatur de prædicato, prædicatur de subjecto : sed prædicatum prædicatur de prædicato, quia prædicatum est prædicatum ; igitur prædicatum prædicatur de subjecto ; igitur subjectum est prædicatum.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Prima opinio et ejus expositio.* Ad quæstionem dicendum, quod regula est vera, quando illa tria sumuntur in eodem genere essentialiter ordinata, quidquid prædicatur essentialiter, sicut hîc sumitur *prædicari*, de prædicato essentialiter, prædicatur de subjecto : cum hoc etiam intelligenda est regula, quando prædicatum intermedium non variatur in comparatione ad prædicatum de ipso, et ad subjectum, de quo prædicatur.

Per primam conditionem solvuntur duo prima argumenta, quia *album*, et *generalissimum*, non prædicantur de animali, et substantia essentialiter. Similiter secundum fallit penes variationem prædicati intermedii, quia sic arguendo ut ibi, est fallacia Accidentis.

Argumentorum solutio. Ad tertium dicitur, quod regula debet intelligi de *prædicari signato* in intentionibus, in fundamentis vero de *prædicari exercito*. Arguitur autem in intentionibus cum *esse*, per quod exercetur prædicatio, ideo non tenet consequentia.

3. *Impugnatur ista expositio.* Contra hoc, secundum omnes conditiones istas, hæc consequentia, *animal est substantia : igitur homo est substantia*, esset bona, quia hîc sumuntur tria essentialiter ordinata in eodem genere, nec variatur prædicatum intermedium, et arguitur in primis intentionibus de prædicari exercito ; sed ista consequentia non valet : igitur omnes prædictæ conditiones non salvant veritatem regulæ. Probatio minoris, quia sequitur, *asinus est substantia ; ergo animal est substantia*, et non sequitur *igitur homo est substantia* ; quia illa, *Homo est substantia*, est antecedens non convertibile isti, *Animal est substantia* : igitur e converso arguendo, est fallacia Consequentis, a positione consequentis, et a propositione habente plures causas veritatis ad unam illarum.

Item nulla consequentia tenet, nisi in virtute Syllogismi ; sed si hæc reducatur in Syllogismum, cum *homo*, et *substantia*, faciant conclusionem, erunt extrema, et *animal* medium. Facto igitur antecedente

priori pro majore, erit Syllogismus in prima figura, habens majorem particularem, quæ non valet in quibuscumque terminis, quia forma arguendi in omnibus est eadem : igitur nec consequentia prius valuit.

Item forma arguendi eadem est in essentialibus prædicatis, et non essentialibus, quia consequentia tenet ex significatione propositionum, sicut et Syllogismus : per hanc autem, *Animal est substantia*, non significatur major identitas extremorum, quam per hanc, *Animal est album* ; igitur ex significatione sermonis, non plus significatur prædicatum unum esse idem homini, quam aliud.

4. Si dicatur, quod *esse* est unio extremorum, et ideo talem unionem dicit, qualis deberetur extremis, et ita major identitas significatur hic, *animal est substantia*, quam hic, *animal est album*.

Hoc non videtur esse verum, quia tunc omnis propositio de inesse simpliciter, significaret se esse talem, et omnis propositio de inesse, ut nunc, significaret se esse de inesse, ut nunc. Et ita exponendo, esset nugatio, ut hic, *homo, ut nunc, est albus*, et hic esset repugnantia intellectuum, *homo simpliciter est albus, vel necessario*, quod non videtur probabile. Similiter hic esset nugatio, *homo necessario est animal*, vel *semper est animal*, et hic esset repugnantia intellectuum, *homo, ut nunc, est animal*, et si hoc, igitur oppositum unum diminueret alterum, et ita in hac consequentia, *homo, ut nunc, est animal* ; *igitur homo est animal*, esset fallacia secundum quid, ad simpliciter ; hic similiter, *animal necessario est album, igitur animal est album* et ita ad illam de necessario, non sequeretur illa de inesse, in omnibus terminis. Quod consequentia non valeat, *animal necessario est album, igitur animal est album*, patet per Aristotelem 2 Periher. cap. 2. quia quando est oppositio in adjecto, non tenet a conjunctis ad divisa : similiter et tale, quod consequens non ponit intellectum oppositum Antecedenti.

Propter tres rationes principales potest dici, quod non sequitur formaliter, *animal est substantia, igitur homo est substantia* ; sicut nec sequitur, *substantia est alba : igitur animal* ; quia ex significatione sermonis, utrobique antecedens eodem modo se habet ad Consequens.

Sed ad quæstionem nunc est dicendum, quod regula est vera : quia per se datur de secundis intentionibus : sicut Logicus debet loqui, et eomodo prædicari proprie, quod est pro alio dici, tunc tantum, et non plus significatur per regulam, quod est prius priore est prius posteriore, vel quod est superius superiore est superius inferiore : cujus veritas nulli dubia est, et ita convenienter ponitur ut regula ; quia ejus veritas omnibus est nota. 5. *Opinio Doctoris.*

Si autem dicatur, quod Aristoteles exemplificat de rebus primæ intentionis, quomodo igitur arguendum est in illis, secundum hanc regulam? Dico, quod Aristoteles sic exemplificat, ut *homo*, de quodam homine prædicatur : *animal* vero de homine : ergo et de quodam homine, ubi significatur, *animal* essentialiter prædicari de homine. Si autem debeat exerceri ista prædicatio, cum hoc verbo *est*, oportet ad arguendum secundum regulam, modificare compositionem per aliquid, quod notet prædicatum prædicari de subjecto, sicut hic sumitur *prædicari*, et tunc sic est arguendum : *homo per se primo modo est animal, quidam homo per se primo modo est homo, vel essentialiter : igitur quidam homo per se est animal*. Si autem absolute arguatur, *Animal est substantia, igitur homo*, nihil exprimitur in antecedente quod notet ibi virtutem hujus regulæ ; quia per esse absolute, non significatur prædicatum prædicari, idest, esse subjecto prius, vel superius ipso.

Si autem dicatur, quod Aristoteles sumit absolute compositionem, dicendo sic, *Quidam autem homo et homo est, et animal est*, dico, quod intelligit per se, quia sic expressit prius in secundis intentionibus, dicendo, *animal prædicatur de homine* ; unde sequens est intelligendum secundum præcedens.

Ad argumenta. Ad duo argumenta contra responsionem, patet.

Ad tertium dico, quod respectu subjecti prædicatum est prædicatum, tantum prædicatione *signata*; sed prædicatum, respectu prædicati, est prædicatum, prædicatione *exercita* tantum: regula autem est intelligenda ûtraque prædicatione uniformiter sumpta.

Si arguatur, hæc tenet, *Animal prædicatur de homine*, ubi est prædicatio signata, et *quidam homo per se est homo*, ubi est prædicatio exercita; *ergo quidam homo per se est animal.*

Dico, quod hæc, *Animal prædicatur de homine*, est per accidens : non tamen animal prædicatur secundum accidens, et est vera pro prædicatione *exercita*, ita utrobique est veritas, sumendo uniformiter prædicationem *exercitam*.

Diversorum generum, et non subalternatim positorum diversæ sunt species et differenrentia, ut animalis et scientiæ, etc. Cap. 4.

QUÆSTIO X

Utrum hæc regula sit vera, Diversorum generum, etc.

Aristot. *hîc, et* 7. *Metaph.* 43. *et* 1. *Topic. cap.* 13. Averroes et Ammonius *hîc*, Ruvius *in cap.* 3. *de regulis quæst.* 1. Conimb. *explanat. ejusdem cap.* Valera *lib.* I. *dist.* 5. *artic.* 1. *quæst.* I. Rodrigues *in Antepræd. Scoti quæst.* 10 *art.* I. Cursus Carmelitanus *dub.* 2. *in cap. de Regulis, et* communiter expositores.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur : *corpus* est in genere Substantiæ, per Porphyrium, et in genere Quantitas per Aristotelem cap. de Quantitate.

Item *figura* est in genere Quantitatis, quia Geometer, qui per se tantum considerat quantitates, per se considerat figuram, et *figura* est in genere Qualitatis, per Aristotelem cap. de Qualitate.

Item *scientia* per se est in genere Qualitatis; quia est in prima specie; et est per se relativum, per ipsum, cap. de Relatione, et 5. Metaphysic. similiter text. com. 20.

Item, *duplum*, et *dimidium* sunt Quantitates per se, et Relativa. Similiter proprium est Qualitati *simile* vel *dissimile* dici; et secundum Quantitatem *æquale*, et *inæquale* : ergo hæc sunt in illis Generibus, et sunt per se relativa, per Aristotelem cap. de Qualitate, et cap. de Relatione.

Consimiliter arguitur de multis aliis relativis.

Item, motus videtur esse in genere Quantitatis, et in genere Actionis, vel Passionis. Primum probatur per Aristotelem 5. Metaph. text. c. 18. cap de Quanto, *Tempus est quantitas per motum;* igitur motus magis, et tempus est per se species quantitatis, quia est quinta species quantitatis continuæ, per Aristotelem, igitur magis motus est species quantitatis. Probatio secundi; quia omne vere prædicatum in abstracto de aliquo, est idem essentialiter illi: hæc est vera, *Passio est motus*, et *Actio est motus*; igitur, etc. Probatio minoris, hæc per se est vera, *Patiens movetur*; ergo passio est motus.

Item per Aristotelem 5. Physic. text. com. 4. et inde. Motus accipit speciem a termino ad quem : igitur similiter et genus; sed per se terminus motus est in tribus Generibus, per Aristotelem ibidem text. com. 9. et inde, scilicet Quantitate, Qualitate, et Ubi : igitur motus est per se in illis tribus Generibus.

Si dicatur, quod motus æquivoce est in illis tribus generibus. Contra, motus dicitur de alteratione, et augmentatione, et loci mutatione, secundum idem nomen, et eamdem rationem essentialem, scilicet *actus entis in potentia inquantum in potentia*; quæ est ratio ejus per Aristotelem 3. Physicorum cont. 6. igitur univoce.

Ad oppositum est Aristoteles.

Item, quæ differunt in priore, differunt 2.
in posteriore; igitur quæ differunt genere, differunt in quolibet posteriore : et nihil idem est in Generibus diversis generalissimis.

Ad quæstionem dicitur, quod *idem* dicitur multipliciter, ut dicitur 1. Top. com. 5. genere, specie, et numero : et *idem numero* tripliciter, accidente, proprio, et definitione : et in 5. Metaph. text. non habente com. dicitur, quod *idem secundum se* dicitur tot modis, quot modis *unum secundum se*, scil. numero, specie, genere, et proportione ; et *idem proportione*, et *idem numero*, quo ad duos modos, scilicet *idem accidente*, et *proprio*, potest esse in diversis Generibus, quia *animal*, et *color*, sunt idem proportione, quia hujusmodi identitas, est in similiter se habere : sicut enim color se habet ad albedinem, ita animal se habet ad hominem. Similiter *Socrates* et *albus*, idem sunt accidente ; *Socrates*, et *disciplina perceptibile*, vel *risibile*, sunt idem proprio : et sic eadem manifestum est, quod sunt in diversis generibus. *Idem specie*, vel *genere* nullo modo est in diversis Generibus generalissimis ; vel quibuscumque non subalternis, ut Species, vel Differentia, nisi forte *idem genere superiore*, in diversis Generibus inferioribus. Quod autem *idem specie*, vel *genere inferiore* non sit in diversis Generibus superioribus non subalternis, ut Species, vel Differentia, videtur manifestum ; quia ad essentiam Speciei pertinet Genus ; ergo si *idem specie* ; vel *genere inferiore*, esset in diversis Generibus superioribus, illa ambo Genera essent de ejus essentia; igitur illud non esset idem essentialiter, quia duo Genera non subalterna diversam essentiam prædicant.

Unum multipliciter dicitur.

Similiter Differentia, cum Genere, facit unum essentialiter, sed cum diversis Generibus non subalternis, nihil idem facit essentialiter ; igitur, etc.

3\. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dicit Albertus, quod *corpus*, ut dicit naturam aptam ad recipiendum tres dimensiones, est in genere Substantiæ ; ut nominat ipsas tres dimensiones, est in genere Quantitatis. Primum patet, quia natura incorporea dicitur substantia, cui repugnat recipere dimensiones.

Ad secundum dico, quod hoc nomen *figura*, est uno modo significans superficiem terminatam lineis, et sic est in genere Quantitatis. Alio modo significat ipsam clausionem linearum, sive terminationem, et sic est in quarta specie Qualitatis ; unde qualitates quartæ speciei, dicuntur qualitates circa Quantitatem.

Ad aliud dicitur, quod relationes sunt per se in genere Relationis : relativa vero possunt esse res aliorum generum, quia illa sunt relativa, in quibus fundatur relatio, et illa sunt res aliorum generum. Per hoc dicitur ad omnia illa, quod licet sint relativa : tamen non sunt in genere Relationis, sed in aliis Generibus.

Contra, concretum, et abstractum, significant idem essentialiter : igitur sunt in eodem genere ; ergo si relationes sunt per se in genere Relationis, et relativa erunt. Consequentia patet ; quia eadem est essentia ejusdem generis, cum *ens* secundum se dividatur in decem genera. Item si relativa non essent in genere Relationis, nihil determinatum in cap. de Ad aliquid in Prædicamentis, conveniret alicui in illo genere, et ita ad determinandum de illo genere, essent omnia impertinentia, quæ determinantur ibi, quod videtur inconveniens. Prima consequentia patet, nec enim prima definitio Ad aliquid, nec secunda, quam Aristoteles approbat, nec aliqua proprietas quam ponit, conveniret relationibus, sed tantum relativis, quæ per hypothesim non sunt in genere Relationis.

Hic potest dici, quod per se relativa sunt in genere Relationis, sicut concreta aliorum sunt in aliis Generibus, de quo dicetur post ; et sic nihil idem essentialiter est per se relativum, et species alterius generis ; scientia ergo æquivocum est ad significandum habitum mentis, et ad significandum imaginem sensibilem, quæ duo essentialiter sunt diversa, primo modo est species Qualitatis, secundo modo, est per se relativum.

Ad aliud dicitur, quod *duplum*, et *dimidium*, sunt per se in genere Relationis, tam

Quantitatis : nec hoc dicit Aristoteles, licet illud cui inest duplum per se, ut duo, sit per se quantitas ; quia non oportet accidens esse in eodem genere, vel specie, cum suo subjecto. Similiter de *æquali*, et *inæquali*, *simili*, et *dissimili* dicendum, quod sunt relativa per se, sed in genere Quantitatis, vel Qualitatis sunt, non ut species, sed ut propria, ut patet per Aristotelem in ultima proprietate Quantitatis, et Qualitatis. Possibile autem est de multis, esse in uno genere, ut species ; in alio, ut propria ; quia *risibile* est in genere Substantiæ, ut proprium ; in Qualitate, ut species.

5. Ad Aristotelis auctoritatem dico, quod dicit, cap. de Qualitate, *Si contingit idem esse relativum, et quale, nihil prohibet hoc sic idem annumerari in diversis Generibus, quod non est idem essentialiter.*

Ad aliud de motu dicetur postea.

Contra positionem per Aristotelem 5. Metaph. context. 12. *Unum numero, infert unum specie* : accidens, et subjectum, sunt unum numero, per responsionem, et sunt in diversis generibus, igitur idem specie potest esse in diversis generibus.

Item, arguitur per Syllogismum expositorium in tertia figura, scilicet, iste asinus est non Qualitas, iste asinus est non homo : ergo non homo est non qualitas, sumendo in præmissis utrumque extremum, ut est terminus infinitus : et sic concludendo. Sed *si oppositum de opposito, et propositum de proposito*, per Aristotelem 2. Top. cap. 12. ergo homo est qualitas in abstracto, de nullo prædicatur, nisi quod est ejusdem generis ; igitur homo est in genere Qualitatis, et est substantia ; igitur, etc. Hæc ratio potest fieri communiter ad ostendendum omnem affirmativam esse veram.

Ad primum istorum potest dici, quod Aristoteles context. 7. prius distinguit modos *unius* per accidens, et postea *unum per se* distinxit in illos modos, scilicet *numero*, et *specie*, etc. et cum subdit context. 8. et inde, *unum numero infertur unum specie*, intelligit tantum de *uno* numero, ut prius illud posuit, scilicet, ut est modus *unius per se*. Subjectum autem, et accidens, si sint unum numero, hoc est per accidens, et non per se, et ita de illis non intelligit istam consequentiam tenere.

6. Ad aliud dicitur, quod regula, *Si oppositum*, etc. tenet de contrariis in seipsis, de contradictoriis e contrario, ut dicitur secundo Top. Unde non est arguendum eodem ordine affirmative, et negative, sine fallacia Consequentis : sed est arguendum ex opposito prædicati, ad oppositum subjecti. Arguitur autem sic, *Non homo est non qualitas* ; *ergo homo est qualitas*, quæ consequentia non valet.

Contra, arguo e contrario sic, Non homo est non qualitas ; ergo qualitas est homo, et si hæc est vera, igitur et hæc, *Homo est qualitas*, per conversionem. Similiter transponendo præmissas : igitur non qualitas est non homo, et ulterius ; igitur homo est qualitas, e contrario igitur, etc.

Ideo dicitur aliter, quod *homo* et *homo*, non opponuntur, ut sunt termini infiniti, et finiti ; sed ut *non homo* est terminus negativus, et isto modo conclusio non sequitur in Syllogismo expositorio.

7. Contra, ut est terminus infinitus, de quolibet dicitur *homo*, vel *non homo*, et de nullo eodem ambo ; ergo sibi ut sic, contradicunt.

Item, negatio infinitans, et negans terminum, non differunt quoad significatum, quia utrobique negatur significatum termini finiti.

Aliter dicitur, quod in paralogismo expositorio, est fallacia Accidentis, quia medium variatur, quia primo sumitur, *iste asinus*, quantum ad differentiam completivam, per quam est in specie, qua distinguitur ab homine. In alia *iste asinus est non qualitas*, sumitur secundum formam substantiæ, in qua convenit cum homine, et distinguitur ab omni quod est alterius generis.

Contra, consimiliter potest alibi argui, ubi non potest defectus assignari talis, ergo nec est hic per se. Consequens patet per Aristotelem 2. Elenchorum, cap. 2.

Omnium orationum, quæ sunt propter ***idem, eadem solutio est.*** Antecedens patet ; quia si arguatur sic, Albedo est non homo. Albedo est non asinus ; igitur non asinus est non homo ; igitur homo est asinus. Aliter potest dici concessa conclusione Syllogismi expositorii, quod non sequitur ulterius, igitur homo est qualitas ; nec etiam, igitur qualitas homo. Quod autem dicitur in 2. Top. c. 2. in contradictoriis tenet e converso : manifeste dicitur de consequentia, non de prædicatione.

Item, ista regula. *Si oppositum de opposito*, etc. tantum intelligenda est in contrariis : vel si in contradictoriis, intelligatur de prædicatione e contrario, hoc totum verum est, si in Antecedente est prædicatio per se, vel ad minus universaliter, si sint termini communes ; hoc dico, pro conversione universalis affirmativæ per contrapositionem : nunc autem quæcumque conclusio sit illata per Syllogismum expositorium, neque concluditur esse vera per se, neque universaliter, et ideo nullo modo sequitur oppositum prædicari de opposito, neque in seipso, neque in contrario, etc.

Eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur : singulum aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ***ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm*** *esse, aut habere, aut facere, aut pati.* etc. Cap. eod.

QUÆSTIO XI

Utrum sint tantum decem generalissima

D. August. *lib.* 10. *Categ.* D. Thomas 5. *Met. lect.* 7. *et* 3 *Phys. lect.* 5. Avicenna 7. *Met.* Doctor in 4. *distinct.* 12. Plotinus *enn.* 6. *lib.* 1. *Enneade* 6. *cap* 20. Scaliger *exercit.* 65. Ocam *quodlib.* 5. *q.* 22. Mayron *hic*, *parte* 3. Fonseca. *Met.* c. 9. Conimb. *in cap.* 4. *Prædic. quæst.* 2. *art.* 3. Hurtado *disp.* 16. *Met. sect.* 2. Rubius *q.* 4. *in cap.* 4. *de prædic.* Rodriguez *q. unic. in Prædic.* Sect. 3. Cursus Carmelit. *disp.* 11. *quæst.* 1. Meurisse, *Met. disp. unic. q.* 1. Arriaga *quæst.* 1. *Log. sect.* 2.

1. Quod non videtur : Ens dividitur in substantiam et accidens, in absolutum et respectivum, in ens per se, et in ens in alio ; sed tantum est unum generalissimum ens absolutum, vel ens per se, vel substantia ; igitur tantum est unum prædicamentum, quod est accidens, igitur, etc.

Sequitur consequentia, quia ens per se, est univocum omnibus, de quibus dicitur, et ita potest esse unum genus ; ens per accidens, vel in alio non est univocum aliis quibus convenit.

Contra, *si unum oppositorum dicitur multipliciter, et reliquum* per Aristotelem 1. Top. cap. 12. et verificatur illud in omni genere oppositorum ; si igitur ens in subjecto sit æquivocum ad novem, non ens in subjecto erit æquivocum ad 9. et ita erunt 18. generalissima.

Item, dato quod accidens sit æquivocum novem Generibus, sequitur quod non plus conveniant accidentia inter se, quam unum eorum cum substantia ; quia utrobique est tantum convenientia in aliqua voce æquivoca : igitur non erit convenientior divisio entis in substantiam, et accidens, quam in ens quando, et in ens non quando : quia utrobique unum dividens est unum generalissimum, et reliquum dividens, æquivocum ad alia novem Genera.

Sequitur etiam, quod non sit sufficiens divisio entis in substantiam, et accidens ; quia *accidens* cum sit æquivocum, sumitur pro aliquo significato, et ita fiet divisio, tantum in duo generalissima.

Item ad principale, *Quod per superabundantiam dicitur uni soli convenit*, per Priscianum, hujusmodi est generalissimum ; igitur tantum unum est generalissimum.

Item, 3. Topic. text. 15. *omnis divisio, et multitudo, reducitur ad unum, quod est prius illa multitudine* ; igitur si sunt multa generalissima, aliquod est unum prius illis ; sed generalissimis nihil est prius ; ergo nec sunt multa.

Item, albedo est unum aliquid essentialiter, quia per prædicamenta nihil aliud significat, quam albedinem ; igitur est in aliquo genere per se, et non in genere Quantitatis, quia qualitas vere prædicatur de

omni quod est per se in genere Qualitatis : Qualitas non vere prædicatur de *albo*; igitur *album* per se est in alio genere generalissimo.

Ita convenit arguere de concreto cujuscumque generis accidentis ; igitur sunt 18. genera accidentium.

Item, *quale* prædicatur de albo, quæro sub ratione cujus Universalis, non Proprii, quia non convertitur ; non Accidentis, quia non adest, et abest, etc. non Differentiæ ; quia non distinguit album ab aliis, non Speciei specialissimæ, quia prædicatur de differentibus specie ; igitur sub ratione Generis, et non habet supraveniens genus ; igitur *quale* est generalissimum, et non idem quod Qualitas ; quia nec habet easdem Species, quia nec prædicatur de eisdem ; igitur est aliud generalissimum. Quod etiam *quale* sit genus, patet per Aristotelem 4. Topicorum cap 6. docentem considerare Genus in abstractis, per hoc, quod concretum est in concreto, vel non est.

Similiter, sicut albedo ad album, ita color ad coloratum : ergo permutando, sicut color ad albedinem, ita coloratum ad album ; sed color, vel qualitas, est genus albedinis ; ergo *quale* est genus albi. Quod etiam *quale* sit aliud genus a Qualitate, patet, quia intentiones attribuuntur rei non absolute, sed ut consideratur ab intellectu; sed album sub alio modo concipitur ab intellectu, quam albedo, licet sit eadem essentia ; igitur potest esse aliud, habens intentionem aliam ab albedine.

Item, intentiones sunt per se intelligibiles, quia definibiles, et eis in manifestum est esse aliquid superius, et inferius ; igitur aliquid supremum : illud non habet superveniens genus aliquod istorum, quia ens secundum se dividitur in hæc x. in 5. Metaph. cont. 4. est igitur ens in anima : igitur est unum generalissimum intentionum præter hæc omnia.

2. Item, contingit intelligere non ens, quia et significare, per Aristotelem 2. Posteriorum cont. 7. et in eis est ratio superioris, et inferioris; ergo aliquid supremum, illud non continetur in aliquo istorum decem ; quia nullum istorum de illo prædicatur : ergo est distinctum generalissimum non entium, et ita plura Genera, quam decem.

Item, figmenta concipiuntur ab intellectu, et in eis est superius, et inferius ; ergo supremum ; ergo aliquod generalissimum.

Item de omnibus istis, scilicet intentionibus non entibus figmentis, sic potest argui : Intellectus componens facit compositiones de eis, quarum veritatem, vel falsitatem judicat, ut patet : igitur et intellectus simplex ea concipit : igitur sub aliqua ratione concipiendi, non singularis ; igitur universalis, igitur generis, vel speciei, etc. Igitur est in eis generalissimum. Consequentia autem supposita in omnibus his rationibus, scilicet quod si est superius in eis, et supremum ; patet per Aristotelem 4. Metaph. cont. 17. et 18. *Verius est, quod est primo vero propinquius* ; et 5. ejusdem cont. 16. *Prius est, quod est principio propinquius*, et ratione ; quia aliter non esset status ascendendo, sed processus in infinitum.

Item arguitur similiter de privationibus.

Diceretur ad hoc, quod concreta, intentiones, non entia, figmenta, privationes, et quævis hujusmodi sunt in genere, per reductionem ad abstracta, et primæ intentionis entia, quorum sunt figmenta, et privationes, quia cum communiora intelligantur prius, minus communibus, oportet generalissima esse primo intelligibilia : hæc autem non sunt intelligibilia, nisi per attributionem ad illa, ad quæ dicta sunt habere habitudinem, ideo non possunt poni generalissima, sed ponuntur in Genere per reductionem. Similiter ponitur de potentia, quod est in Genere per reductionem ad actum, cujus dicitur potentia. *Solutio ... prædicta*

Contra hoc, in omnibus istis, est per se prædicatio superioris de inferiori : ergo sub ratione alicujus Universalis ; quia prædicari proprie, est proprium Universalis,

non alterius quam Generis. Arguatur de singulis, sicut supra argutum est de concretis : igitur si non sit procedere in infinitum in eis, erit aliquod genus non habens superveniens genus, igitur generalissimum ; quia sic definitur generalissimum a Porphyrio ; illud nulli istorum decem est idem ; quia non habet easdem Species ; quia nec de eisdem prædicatur per se primo modo ; igitur est aliud generalissimum ab istis decem. Etiam per rationem nullius istorum decem prædicatur de suis in *quid* ; ergo per nullam istorum decem habet rationem generis, sed cum æque primo dicatur quodlibet de suis Speciebus, sicut aliquod istorum decem de suis, sequitur, quod erunt æque primo Genera, et non per reductionem ad aliquod istorum decem.

Similiter, quod inter quælibet prænumerata sit Genus, et Species, ostenditur per duo argumenta præfata de concreto. Etiam per hoc, quod de quolibet istorum contingit quærere *quid*, et respondere per aliquod univocum, quod est in plus illo, cujus quæritur *quid* ; omne prædicatum univocum in *quid*, quod est in plus subjecto est genus, per Aristotelem 4. Top. cap. 15. Quod etiam in responsione dicitur, quod oportet generalissimum esse primo intelligibile, manifeste falsum est : nisi intelligatur respectu illorum, quorum est generalissimum. Quantitas enim non est primum intelligibile simpliciter, sed in suo genere : ita ponitur intentio primum intelligibile respectu intentionum specialium ; et non ens, respectu non entium particularium, et privatio, respectu privationum particularium ; quia si contradictio non entis, vel oppositum privationis, prius occurrat intellectui, particulari ente, et particulari habitu, sequitur quod non ens, et privatio præintelligantur suis particularibus ; quia ens primo ducit in cognitionem non entis ; et habitus, primo in cognitionem privationis, non primo hujus non entis, et hujus privationis. Sic etiam potest argui de potentia respectu actus. De concretis, et intentionibus, non est dubium, quia sunt per se intelligibilia.

3. Posset responderi specialiter de non ente, privatione, et potentia, quod licet sit prædicatio in *quid* in eis, et superioris, non tamen ratio Generis, et Speciei ; quia nullum prædicatur de pluribus differentibus specie, vel numero ; quia non entium, vel privationum, vel potentiarum secundum suam rationem nulla est distinctio, sed tantum in habitudine ad eorum opposita.

Contra, tunc aliquid prædicatur proprie de aliquo : imo in *quid*, et sub ratione nullius Universalis, quod non videtur, cum *prædicari de pluribus*, sit convertibile cum Universali. Item hæc est vera, *Cæcitas non est surditas*, præcise ratione significatorum ; ergo privationes distinguuntur, licet earum distinctio sit ab alio, hoc non prohibet eas esse species : sic enim species quæ sunt in genere Substantiæ, differunt per formam, quæ formæ non sunt ipsæ species.

Item, *commune multis*, nunquam ex se distinguitur in illis, igitur privatio non distinguitur in cæcitate et surditate, nisi per aliqua addita, quæ cum privatione constituunt ista in sua ratione ; ergo in illis additis abundant hæc a genere : hæc igitur addita, sunt differentiæ, licet non ita completæ in essentia, sicut differentiæ Substantiæ ; ergo istæ sunt duæ species differentes.

Ad omnia objecta, de istis quinque, *concretis*, *intentionibus secundis*, *privationibus*, *non entibus*, *et potentiis*, posset responderi, quod licet hæc possint intelligi sub aliqua ratione intelligendi, et prædicari inter se, sub ratione alicujus Universalis, et statum esse ad aliquod universalissimum, quod quantumcumque attribuatur ei ista intentio, est diversum ab illis decem, tamen sunt tantum decem generalissima rerum, quia non quodlibet intelligibile, sed ens secundum se dividitur in hæc. 5. Metaph. text. com. 14. et ita nullum istorum est ens secundum se, distinctum ab illis decem. Solutio ad argumenta.

Contra, tunc videtur quod Logicus considerat per se intentiones, et numerum Objectio.

generalissimorum, tantum sub hac ratione, scilicet qua eis hæc intentio, *generalissimum*, possit applicari, deberet dicere plura esse generalissima, quam decem, quia plura istis sunt intelligibilia, quibus in quantum intelliguntur, potest intentio attribui : licet Metaphysicus considerans *ens* inquantum *ens*, diceret ea tantum esse decem, cujus oppositum videtur Aristoteles dicere hic in littera, dicens singulum significare substantiam, vel qualitatem, etc. non tamen singulum ens significare substantiam, etc.

Ad oppositum est Aristoteles.

4. *Conclusio.* Ad quæstionem dicendum, quod tantum sunt decem generalissima rerum, quorum distinctio non sumitur penes aliquid logicum tantum, sed penes ipsas essentias. Ipsa enim intentio, *generalissimum*, est tantum variata numero in istis, unde quoad id, quod est difficultatis, quæstio est magis Metaphysica, quam Logica, ideo sufficienter hic scitur, *quia ita est*; quamvis forte Metaphysicus debeat, vel possit scire *propter quid*.

Ad argumenta. Ad primum argumentum dico ut supra.

Ad primum contra hoc dico, quod *ens per se*, et *non ens per se*, vel *ens in subjecto*, et *non ens in subjecto*, sunt contradictoria, et ideo cum negatio non neget solam vocem, sed significatum, et non potest univoco actu quodlibet significatum negare, erit æquivocum, sicut affirmatio : sed *non ens in subjecto* non est idem, quod substantia, nam *non ens*, est non ens in subjecto ; neque *non ens per se* est accidens, quia *non ens*, est non ens per se ; sed *ens non per se*, idem est quod accidens : et *ens non in alio*, idem quod substantia ; et primum non contradicit enti per se, nec secundum enti in subjecto.

5. Ad aliud potest dici, quod accidentia conveniunt in aliquo intentionali : ut est esse attributum substantiæ, vel posterius substantia, in quo non convenit accidens cum substantia. Vel potest concedi, si esset unum nomen æquivoce significans substantiam, et alia generalissima, ut A, æque conveniens divisio esset entis in *A*, et *quando*, sicut in substantiam, et accidens ; quia utrobique æquivoci in æquivocum, et univocum.

Ad tertium contra illud dico, quod æquivocum, actu importat omnia sua significata, et ideo actu ponit accidens omnia novem Genera, cum dividitur ens in substantiam, et accidens. Cum dicitur æquivocum non accipitur simul, nisi pro uno significato, verum est ab eodem intelligente : sed non minus ipsum secundum se omnia sua significata simul ponit, et eo modo sumitur, non autem ut intelligitur ab uno.

Ad secundum principale dicitur, quod superlativum tantum uni convenit, in uno genere, et ita tantum unum est generalissimum in uno genere ; sed non simpliciter tantum unum. Vel aliter, quod superlativum dupliciter dicitur, et exponitur. Uno modo positive, per excessum omnium aliorum : alio modo privative, per non excedi ab aliquo alio. Primo modo nullum est generalissimum simpliciter, sed tantum in aliquo genere, id est, generalius omnibus aliis in suo genere. Secundo modo, quodlibet illorum est generalissimum, quia nullum eo generalius, et illa propositio, *quod per superabundantiam dicitur*, etc. vera est, ut superlativum exponitur positive : non ut exponitur privative, quia multa possunt esse prima, ita quod quodlibet illorum nihil est prius. *Super vum d citer tur.*

Ad tertium dictum est prius. Vel potest dici, quod multitudo Prædicamentorum reducitur ad unum, quod est prima causa, quæ prior est eis, non prædicatione, sed entitate, et causalitate : et ita potest aliquid esse prius eis. 6.

Ad aliud de concretis dico, quod essentia significata per *album*, est in genere Qualitatis ; sed illa sub hoc modo intelligendi, vel significandi non est per se qualitas, vel in genere Qualitatis, sed per reductionem, quia scilicet est idem essentialiter *albedini*, quod est per se in illo genere. Est autem in aliquo generalissimo per se, scilicet in *quali*, sed non in alio. *Quale* enim a *quali-*

tate tantum differt in modo significandi, quæ differentia, licet prohibeat prædicationem unius de altero, non tamen sufficit ad distinguendum genera ; vel ad faciendum aliquid esse in diversis generibus.

7. Ad aliud concedo, *quale*, esse generalissimum, propter probationes illas, sed non aliud quam *Qualitas*. Cum dicitur, habet alias Species, dico, quod falsum est. Cum dicitur, prædicatur per se de aliis : dico, quod falsum est, quia species per se unius, et alterius, differunt tantum in modo significandi.

Contra, *quale* est generalissimum, et *qualitas* est generalissimum, et hæc non sunt idem generalissimum ; igitur aliud. Consequentia patet, quia circa ens, idem, et diversum, includunt contradictionem, per Aristotelem 10. Metaph. context. 12. Secunda pars Antecedentis patet : quia si essent idem generalissimum, tunc unum prædicaretur de altero : sic, *qualitas est qualis*, et unum de speciebus alterius.

8. Dici potest, quod sunt idem generalissimum. Cum ostenditur quod non ; quia unum non prædicatur de altero, dici potest, quod aliquid est idem alii, et non prædicatur de illo, propter diversum modum significandi, quæ diversitas, licet prohibeat prædicationem unius de altero, non tamen sufficit ad distinguendum generalissimum, vel species diversas. Similiter propter istum modum significandi, non prædicatur unum de speciebus alterius; nec tamen de aliis speciebus prædicatur hoc, et illud. Secundum hoc neganda est hæc, *Albedo est Species qualis*, quia et hæc, *Albedo est qualis*, et concedendum est, quod album non est albedo, sed non est concedendum, quod sunt species alterius generis, nec aliæ species ; quia plus requireretur ad concedendum talem diversitatem, quam ad impediendum mutuam prædicationem de se invicem.

Cum probatur superius ea esse diversa Genera, quia non prædicantur de eisdem, potest negari, quia eædem sunt Species utriusque ; sed hoc non est illud.

Ad aliam probationem, cum dicitur: Intentiones attribuuntur essentiæ ut intelligitur : dico, quod secundum modum intelligendi abstracti, vel concreti, non variatur secundum Genus, vel Speciem, licet hoc, non sit illud, etc.

Substantia autem est, quæ propriè principaliter et maximè dicitur, quæ neque de subjecto dicitur, neque in subjecto est, ut aliquis homo, vel aliquis equus, etc, Cap. de Substantia.

QUÆSTIO XII

Utrum, aliquis homo, *sit prima Substantia.*

Doctor *quæst.* 2. *de Specie et quæst.* 13. *in Prædicam.* Caiet. 1. *parte quæst.* 30. Sanchez *lib.* 3 *de specie.* Conimbr. *in explicat. cap.* 5 *de substant. et quæst.* 2. *in idem cap. art.* 3. Rubius *cap. de specie quæst.* 7. Hurt. *disput.* 5. *Log. sect.* 9. Rodriguez *hic in explicat. text.* Didac. *et seq. art.* 1. Avor. *quæst.* 16. *sect.* 2.

Quod sic videtur, auctoritate Aristotelis, qui sic exemplificat de prima Substantia, *ut aliquis homo, aliquis equus*, et inferius, ubi intendit quodlibet aliud a primis, dici de primis, vel esse in eis, arguit sic, *Animal prædicatur de homine, igitur de aliquo homine* per *aliquem hominem*, intelligens primam substantiam. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, non est secunda substantia, et inter illam, et primam non est medium ; igitur est prima substantia. Probatio primæ propositionis, si esset secunda substantia, non esset nisi Species ; sed hoc est falsum, quia hæc est vera, *Nullus homo est Species*. Igitur sua contradictoria falsa.

Item, si *aliquis homo*, non esset prima substantia posset prædicari de multis, et ita hæc videretur esse vera, *Omnis homo, est aliquis homo*, quia non posset esse communis ad alia, quam ad supposita hominis ; sed illa non est vera. Probatio, tum quia prædicatum universalis affirmativæ, confunditur tantum confusè, et ita per accidens, ad confusionem alterius, ut subjecti ; igitur potest confundi per se ; sed cum dico, *Aliquis homo*, non potest confundi per se.

sic dicendo, *Omnis aliquis homo*, tum quia omne prædicatum universalis affirmativæ, potest esse subjectum particularis convertentis illam universalem, tale non est hoc, quod est *aliquis homo*. Si dicatur, hanc, *Omnis homo, est aliquis homo*, convertendam esse in hanc, *Aliquis homo est homo*.

2. Contra istæ, differunt, *Omnis homo est homo*, et *Omnis homo est aliquis homo*; ergo earum conversæ differunt.

Ad oppositum, *aliquis homo* prædicatur de pluribus ; ergo non est prima substantia. Antecedens patet, quia iste homo est aliquis homo, et iste homo est aliquis homo.

Item sequitur, *iste homo currit* : *ergo aliquis homo currit* et non e converso : ergo aliquis homo est prius, et ita communius : ergo non est prima substantia.

Item, hæc est vera, *Omnis homo, est aliquis homo*, tum quia sua contradictoria est impossibilis, *Aliquis homo non est aliquis homo* ; tum quia quælibet singularis est vera ; igitur *aliquis homo*, prædicatur de omni homine : igitur non est prima substantia.

Prima opinio. Dicitur ad quæstionem, quod *aliquis homo* est prima substantia, nec dicitur de multis, nisi æquivoce.

Ad secundum dicitur, quod consequentia non valet, nisi distincto consequente.

Ad tertium dicitur, quod illa universalis est falsa, et sua contradictoria vera, sumendo, *aliquis homo*, in prædicato, pro prima substantia, ut scilicet *homo* affirmatur de homine, quia aliquis homo non est aliquis homo : ut Socrates non est Plato, inductio non valet, sed est figura dictionis, procedendo a pluribus determinatis, ad unum, et ita commutatur *quale quid* in *hoc aliquid*.

3. *Refutatur.* Contra istud ex hoc sequitur, quod ad universalem non sequitur particularis nisi præfata distinctione, et quod ad singularem non sequitur particularis, nisi præfata distinctione, etiam quod particularis propositio, non habet contradictoriam, nisi præfata distinctione, et tunc universalis non sibi contradicet, sed particulari affirmativæ, in hoc sensu, singularis negativa sufficienter contradiceret ; quia in eis est affirmatio, et negatio ejusdem de eodem, et quod particularis propositio non sit simpliciter syllogizabilis, et absolute, vel non nisi sicut singularis : et quod nullus Syllogismus absolute valeat ; quia nullus conversus absolute valet, quia in omni Syllogismo, vel in suo conversivo, est aliqua propositio particularis, quæ absolute non est syllogizabilis, et quod particularis, et indefinita non convertuntur ; quia una ut indefinita habet singulares, pro causis veritatis, quas habet particularis, pro sensibus multiplicatis, et quod æquivocatio non sit in dictione ; quia nec *homo* multiplex in se est, nec *aliquis* : quia *aliquis*, nec in se est multiplex, ut manifestum est, nec ut alii additur. Probatio, quia additio alicujus non confert sibi novum significatum.

Quia ista videntur magis inconvenientia contra Aristotelem in tota Logica, et contra communem naturam Syllogismi, et contradictionis, quam exponere unam auctoritatem Aristotelis. Videtur ergo potius dicendum, quod *aliquis homo*, non est prima substantia, id est, non significat tantum unum suppositum hominis, sicut *iste homo* propter inconvenientia prædicta. 4. *Conc… Docto…*

Sed propter auctoritatem Aristotelis, intelligendum, quod *homo* de se indifferens est ad multas acceptiones, scilicet pro voce, pro intentione, pro suppositis. Signa ergo, ut *omnis*, *aliquis*, sibi addita indifferentiam ad intentiones, et ad vocem tollunt, et determinant ipsum ad acceptionem tantum pro suppositis ; sed adhuc in illa acceptione est indifferens ad quodcumque suppositum : igitur Aristoteles volens primam substantiam exprimere, ut distinguitur contra secundam, videlicet, ut ei inest intentio secundæ substantiæ, et tamen quodammodo in generali : dixit, ut *aliquis homo*, id est, quodlibet quod est iste homo. *P… mod… por… Ari… lem.*

Alio modo potest dici, quod per *aliquis homo* ponitur prima substantia determinata, 2 *M…*

indeterminate tamen, et per hunc hominem, determinata, et determinate, et tunc exemplificavit Aristoteles de prima substantia determinata, licet indeterminate, ut de hac, vel illa.

Modus. Sed forte *aliquis homo*, non significat primam substantiam determinatam, neque determinate, nec indeterminate, licet pro illa supponat, quando est subjectum particularis propositionis. Quod non significet, patet per veritatem hujus, *Omnis homo est aliquis homo*, prima enim substantia determinata, sive determinate, sive indeterminate sumpta, non prædicatur vere de omni homine : ita et *homo*, quando est subjectum indefinitæ, supponit primam substantiam determinatam indeterminate : non tamen illam significat, ideo posterior modus dicendi videtur convenientior.

5. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum patet ; quia Aristoteles nominat primam substantiam quodammodo in communi, per commune sumptum pro acceptione pro suppositis.

Ad aliud dico, quod *aliquis homo* est ens per accidens, compositum ex re primæ intentionis, et secundæ : et nec est prima substantia, nec secunda, sed medium accidentale inter illa ; et tale medium invenitur inter Speciem specialissimam, et Individuum : ut *homo albus*, licet non medium essentiale.

Contra, *aliquis homo*, prædicatur de pluribus differentibus numero in *quid*, secundum prædicta ; igitur est Species.

Item, ens per accidens est compositum ex rebus diversorum Generum, hujusmodi non est *aliquis homo*, quia modus intelligendi hominem non est res alicujus generis.

Ad primum potest dici, quod *aliquis homo*, de nullo prædicatur in *quid*, quia ens per accidens non habet *quid*.

Contra hoc, tunc pari ratione prædicatio hæc non est in quid, *Aliquis homo est animal*. Item 1. lib. Elench. cap. 1. dicit Aristoteles : *Eadem est definitio propositionis et unius solius propositionis, et rei et unius solius rei*; ista tamen una sola res est compositum ex re primæ intentionis, et secundæ ; igitur tale compositum potest habere definitionem in *quid*.

Item, *aliquis* dicit tantummodo modum intelligendi hominem pro suppositis, et tantum in illa acceptione *homo* dicit *quid* suppositorum : igitur *aliquis* non prohibet hominem prædicari in *quid* de illis, imo magis confert ad hoc.

Pro responsione istorum oportet intelligere, quod omne syncategorematicum in prædicato, est pars prædicati, cujus probatio est per impossibile : aliter ex veris sequeretur falsum, sic, *Nullus homo est omnis homo : iste homo est homo* : si signum in majori non esset pars prædicati, posset inferri in conclusione, *Ergo iste homo non est homo*, quia ad habendam identitatem majoris extremitatis, non oporteret ipsum sumi in majori, et conclusione, cum eodem signo, si illud non esset pars prædicati, sicut manifestum est in secundo modo secundæ figuræ : quia major extremitas non sumitur cum eodem signo in conclusione, et majore, et ita ex veris sequeretur falsum. Item, ostenditur ostensive magis propter quid, quia syncategorematicum nunquam habet respectum ad præcedens, aliter negatio subsequens compositionem, posset propositionem facere negativam, sicut et negatio præcedens ; igitur syncategorematicum additum prædicato, non determinat ipsum in comparatione ad subjectum, et ita non inquantum extremum, quia inquantum est extremum, respicit aliud extremum, sed omne syncategorematicum determinat extremum inquantum est extremum : igitur nullum additum termino in prædicato, est syncategorematicum, sed pars extremi, quia inquantum est extremum respicit aliud extremum. Tamen absolutum intellectum, terminum cui additur determinat, et ita est syncategorematicum respectu partis prædicati, sed non respectu prædicati, quia ipsum est alia pars prædicati : sed syncategorematicum additum subjecto non est pars subjecti, quia determinat illud, cui additur in comparatione ad prædicatum. 6. *Syncategorema in prædicato est pars prædicati.*

His visis, patet ad rationes, quia sic di- 7.

cendo, *Aliquis homo est animal*, est *aliquis*, tantum syncategorematicum, et *homo* tantum subjectum : et ideo potest propositio esse per se, sed non est ita, ubi *aliquis homo* prædicatur.

Ad aliud dico, quod *unus*, et *solus* possunt esse categorematica, vel syncategorematica. Primo modo intelligit Aristoteles in 1. Elenchorum ; quia *eadem est definitio rei, et unius solius rei*, id est, rei in se indivisæ, et ab aliis divisæ, quia illud est res per suam essentiam, non autem intelligit, ut *unus*, et *solus*, sunt syncategorematica.

Ad tertium, concedo quod *aliquis*, dicit modum intelligendi hominem pro suppositis, tamen sub tali modo intelligendi, non potest *homo* prædicari, nisi ille modus sit pars prædicati, propter rationem supradictam, et illud totum non prædicatur in *quid*. Quod si posset *homo* prædicari sub tali modo, tantum manente modo, posset prædicari in *quid* : et quia nihil dicitur Species, nisi inquantum aptum natum est prædicari, *homo* sub isto modo, non potest esse Species.

8. Ad aliud superius, quod fuit contra responsionem.

Ad secundum, cum dicitur, ens per accidens est compositum ex rebus diversorum generum, illud potest negari ; quia quidquid non est essentialiter idem cum aliquo, sive sit res alterius generis, sive non, compositum cum illo aliquo facit ens per accidens.

Ad tertium principale, concedo hanc esse veram, *Omnis homo, est aliquis homo*, cum ostenditur primo quod non ; quia prædicatum non est confundibile per se, nego, nam in contradictoria prædictæ universalis, erit idem prædicatum, quod et in ista, et confusum, confuse, et distributive, nec aliter oportet confundibile per accidens, esse per se confundibile. Vel aliter potest concedi, quod inquantum prædicatur *aliquis homo*, intelligitur specificare rem hujus verbi *est*, ita quod prædicatum est hoc totum *ens aliquis homo*: et illud potest confundi per signum universale affirmativum immediate additum. Per hoc dico ad aliam probationem ; quia illa universalis convertitur in hanc, *Aliquod ens, aliquis homo, est homo.*

Substantia est, quæ proprie principaliter, etc.

Nota, quod divisio Substantiæ in primam, et secundam, non est divisio generalissimi in Species, sed subjecti in accidentia ; quia substantia secundum quod intelligitur (secundum quam considerationem pertinet ad Logicum) dividitur in intentiones sibi accidentes. ***Nota.***

Alia vero omnia aut de subjectis dicuntur principalibus substantiis ; aut in subjectis eis sunt. Hoc autem manifestum est ex his, quæ per singula proponentur ; *ut animal de homine prædicatur* ; *ergo et de aliquo homine prædicatur. Nam si de nullo aliquorum hominum, nec omnino de homine prædicaretur. Rursus color in corpore est : ergo in aliquo corpore. Nam si non in aliquo singulorum, nec omnino in corpore*, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO XIII

An hæ consequentiæ Aristotelis teneant formaliter, Animal prædicatur de homine, ergo de aliquo homine, etc.

Albert. Mag. *trat.* 2 *cap.* 4. Cursus Conimbr. *explan. cap.* 5. *de substantia.* Tartar. *in hoc cap. dub.*1. *artic.* 2. Rodriguez *in explicatione text.*

1. *Argumenta pro parte negativa*

Quod non videtur ; quia nec alibi tenent. *Species prædicatur de homine : ergo de aliquo homine*, ubi est eadem forma arguendi.

Item videtur esse fallacia Consequentis a superiori non distributo, ad inferius, et ita positio consequentis, quæ consequentia non valet.

Item, terminus de se est indifferens ad omnem suppositionem : igitur si arguatur ab ipso sumpto absolute, ad ipsum sub una suppositione tantum, arguitur ab indiffe-

rentia, ad determinatum, et ita fit fallacia Consequentis, sic est in proposito.

Item, eadem ratione, qua illa consequentia tenet, videtur ista tenere, *Animal prædicatur de omni homine ; igitur aliquod animal*, sed non valet ista ; igitur nec illa. Probatio majoris, utrobique fit similis descensus, nisi quod hic in subjecto, ibi in prædicato, quæ diversitas non impedit, cum omnis universalis possit converti, sumptis terminis uniformiter. Probatio minoris ; quia Antecedens est verum, et Consequens falsum.

Item, pari ratione sequeretur, *animal est omnis homo : ergo aliquod animal*, quod non est verum, quia Antecedens verum, et Consequens falsum ; quia sua contradictoria vera. Quod Antecedens sit verum, patet; quia *animal est homo, inquantum homo; igitur omnis homo*. Antecedens istius patet; quia *Animal per naturam hominum est homo : igitur inquantum homo*. Consequentia patet per Aristotelem text. 35. 1. Priorum cap. de Reduplicatione.

Item, destructis primis, animal prædicatur de homine, et non de aliquo, homine, quia nullus est ; igitur consequentia non valet. Et hoc etiam sequitur, aliam conclusionem Aristotelis esse falsam, scilicet *destructis primis*, etc, quia eis non existentibus, possunt secundæ substantiæ prædicari de se invicem per se : igitur et manere ; quia secundam substantiam esse, est esse prædicatum essentiale in genere Substantiæ.

Ad oppositum est Aristoteles, et probat utramque consequentiam inferendo ex opposito Consequentis oppositum Antecedentis.

2. Conclusio. Dicendum, quod hæc consequentia est bona, *animal prædicatur de homine : ergo de aliquo*, sumendo *prædicari* ut hic sumit Aristoteles, scilicet superioris de inferiori in genere ; decurrit enim super hanc regulam, *Quando alterum de altero prædicatur*, etc. quæ valet hanc, *Quod est prius priore in genere, est prius posteriore*. Intelligendum etiam, quod hæc consequentia tenet descendendo ad istum hominem, ubi est prima substantia determinata, et determinate ; quia sequitur, *si animal est primo homo ; igitur isto*, sed Aristoteles inferendo, infert de prima substantia determinata, indeterminate tamen, sicut ponitur per hoc, quod aliquis homo, quia sic sumitur oppositum Consequentis.

Sed de alia consequentia, *Color est in corpore : igitur in aliquo*, est magis dubium, quia non tenet per regulam supradictam. Dicitur, quod tenet de accidentibus communibus per locum a majori ; quia illa prius insunt primis substantiis, quam secundis, licet e converso contingat de proprio. Contra hoc, tunc non probat universaliter omnia alia a primis dici de primis, aut esse in eis, quia non sunt accidentia propria.

3. Conclusio. Potest dici, quod secunda consequentia tenet de omni accidente reali ; quia nullum tale inest communi, nisi mediante supposito aliquo ; igitur si communi inest, inest supposito, indeterminate tamen, et secundum hoc intelligendum, quod secunda consequentia non tenet, descendendo ad primam substantiam determinatam, et determinate ; sed est fallacia Consequentis, nec sic descendit Aristoteles, quia nec sic sumitur oppositum Consequentis, sed descendit ad determinatam, indeterminate tamen.

Adhuc hæc probatio non videtur sufficiens, quia proprium inest communi, et non inquantum inest supposito, quia inquantum proprium, inest primo communi, et secundum hoc commune, est extraneum suppositis ; quia sumendo commune pro medio, ut de eo dicitur proprium primo, et in minore, ut est in supposito, est fallacia Accidentis, ut *Homo primo est risibilis, iste est homo ; ergo iste est primo risibilis* ; igitur non omne accidens reale inest communi inquantum est in supposito.

Ideo dicitur, quod utraque consequentia tenet universaliter, sumendo commune, ut habet suppositionem personalem, et tunc secunda consequentia tenet per hanc regulam, *Quod inest alicui superiori determinato*-

re pro multis, nisi aliqui illorum indeterminate sumpto insit. Sed tamen prima consequentia videtur tenere absolute, sine tali specificatione suppositionis, quia significatum superioris, prius est inferiori ; igitur quidquid est prius illo significato, est prius supposito, et secundum hoc tenet prima consequentia. Potest dici, quod in suppositione simplici sumitur significatum pro significato, et non quidquid est prius significato superioris illo modo, est prius inferiore, quia superioris significatum illo modo, non est prius inferiore sed est ei extraneum, ut patet conjundendo præmissas, ubi in majori stat terminus simpliciter, et in minori dicitur de suppositis.

4. Ex istis consequentiis probatis ex oppositis infert Aristoteles *Alia igitur omnia aut de subjectis principalibus substantiis dicuntur, aut sunt in eis.* Quæ conclusio ita intelligenda est, sicut sequitur ex antecedente probato, et hoc est sic, Omnia alia quæ dicuntur de secundis substantiis, vel sunt in eis, ut habent acceptionem personalem, dicuntur de primis, vel sunt eis.

Ex hac secunda conclusione infert Aristoteles tertiam, *Destructis igitur primis, impossibile est aliquod aliorum remanere.* Quæ sic exponitur, quoad illud esse, quod alia habent in primis, quamvis possint remanere, quoad aliud esse, ut quidditativum, vel esse intelligible.

Contra hanc expositionem, Secunda substantia, inquantum hìc fit sermo de ea, opponitur primæ, quia dividunt substantiam per oppositum, et per accidens, inest utrique illorum : nullum autem oppositum habet esse in suo opposito ; igitur nullum esse habet secunda substantia in prima ; secundum igitur istam expositionem absolute dicetur destructis primis, nullum aliorum destrui. Hoc confirmatur per hoc, quod Aristoteles loquens de secunda substantia, et accidentibus, dicit *omnia alia a primis,* sed hæc inquantum habent esse in prima, non sunt alia ; igitur non loquitur de illis inquantum habent esse in prima substantia.

Ideo potest dicit aliter, quod hæc tertia conclusio logice sumpta, scilicet de ipsis intentionibus, est manifesta, sic : Secunda substantia dicitur relative ad primam, sicut dictum ad illud de quo dicitur : igitur si prima non est, secunda non est ; quia *Relativa sunt simul natura,* per Aristotelem inferius cap. de Relatione. Item accidens relative dicitur ad subjectum, loquendo de intentionibus, et intentio subjecti, vel fundatur in prima substantia, vel secunda ; si in prima ergo destructa prima, non est subjectum illius accidentis ; si non est subjectum, igitur nec accidens, per hanc regulam, *Relativa sunt simul natura* : Si intentio subjecti fundetur in secunda substantia, arguatur sic, Destructa prima substantia, secunda non est, per locum a Relativis, et si secunda non est, subjectivum talis accidentis non est : et si hoc, igitur tale accidens non est, per locum a Relativis.

Dicitur, quod intentio subjecti respectu 5.
accidentis, potest fundari in alio accidente, quod nec est secunda substantia, nec prima. Contra, illud accidens habet subjectum, aut accidens, aut substantiam : si substantiam, arguatur ut prius : si accidens illud habet subjectum, vel procedetur in infinitum in accidentibus, quorum quodlibet sit subjectum alterius, quod habet Aristoteles pro inconvenienti 4. Metaph. context. 12. et inde ; aut stabit ab substantiam secundam, vel primam, et de omnibus arguatur a primo ad ultimum.

Notandum autem, quod hæc propositio, *Destructis primis,* etc. non ponit primas posse destrui, quia Ablativus absolutus, per Priscianum 2. Constructionum, exponitur per *si, quia,* vel *dum.* Potest igitur iste esse sensus, si destruantur primæ substantiæ, destruuntur aliæ, vel quia, vel dum, et quælibet exponens est vera, quia positio alicujus in comparatione ad aliud, non requirit ipsum poni absolute : sed est fallacia a secundum quid, ad simpliciter. Prædicta etiam conclusio, scilicet *Destructis primis,* etc. potest intelligi de ipsis, quæ subsunt intentionibus, quia secunda sub-

stantia, non habet aliud esse, quam aliqua prima substantia. Similiter esse accidentis est a subjecto. Si a prima substantia, illa non existente, accidens non est; si a secunda, illa non est, si prima non sit; igitur si prima Substantia non sit, nulla substantia est, neque ullum accidens.

6. Hæc etiam tertia conclusio forte generalius vera est, quam prima, vel secunda, licet non inquantum ex eis infertur.

Ad argumenta. Ad primum argumentum dico, quod Species non prædicatur de homine, ut hic sumitur *prædicari*; quia non est superius eo genere. Contra, hæc est vera, *Homo est Species*, igitur species vere prædicatur de homine.

Item, si Species est in homine, arguetur quod secunda consequentia non valet; quia non sequitur: *igitur est in aliquo homine*.

Ad primum dico, quod verbum *est*, potest notare qualemcumque unionem extremorum, et non oportet, quod semper notet prædicatum esse superius subjecto: sed ad exercendum illud, quod signatur, hic oportet addere ad compositionem hujus verbi *est*, aliquam determinationem, ut *essentialiter*, vel aliquid hujusmodi. Secunda ratio, contra responsionem, probat illud quod est in homine, non secundum acceptionem personalem, sed simplicem, non esse in aliquo homine, quod bene est concedendum. Potest etiam dici ad rationem principalem, quod Species si dicatur de homine, non tamen ut homo habet acceptionem personalem: et neutra consequentia valet, nisi sic sumendo commune.

Ad secundum argumentum principale, ut est contra utramque consequentiam, potest dici generaliter, quod non est fallacia Consequentis; quia non arguitur ad primam substantiam determinatam, et determinate, sed indeterminate, et illo modo est æque commune cum termino communi, sumpto personaliter. Sed inquantum est contra primam consequentiam, potest dici specialiter, quod cum hujusmodi *prius*, vel *superius*, etc. dicant respectum ad posterius, et inferius, licet arguere a superiore terminante talem respectum, ad inferius; quia quidquid est prius sumitur, est prius isto, cujus causa est; quia superius, inquantum terminans talem respectum, habet virtutem universaliter sumpti. Quod enim prius est superiore, dicitur de eo universaliter, et a superiori distributo, licet descendere ad inferius.

Ad tertium dico, quod terminus, in una propositione non habet nisi unam suppositionem; quia una propositio, est signum unius intellectus compositi; et diversæ suppositiones termini, sunt diversæ rationes intelligendi terminum, respectu tertii, et omnes diversæ suppositiones, in suo genere sunt oppositæ: cum igitur impossibile sit idem, in eodem intellectu composito, respectu tertii, intelligi sub diversis, vel oppositis rationibus intelligendi, impossibile est idem, in una propositione habere diversas suppositiones: indifferens est igitur terminus ad diversas suppositiones, licet non in una propositione. Loquimur autem de consequentia, ut Antecedens est propositio una, et sic non est major indifferentia in Antecedente, quam in Consequente. 7

Ad quartum argumentum, ut est contra primam consequentiam, potest dici, quod non est similis ratio descendendi; quia descendendo sub subjecto, arguitur per hanc regulam, *Quod prædicatur de superiori, prædicatur de inferiori*, quæ necessaria est, ut hic sumitur *prædicari*. Descendendo autem sub prædicato, arguitur per hanc regulam, *De quo prædicatur superius, et inferius*, quæ facit fallaciam Consequentis.

Notandum, quod licet hæc possit concedi vera, *Omnis homo est aliquod animal*; non tamen inquantum *aliquod animal* est prima substantia. Prima enim substantia terminata, sive determinate sive indeterminate sumpta, non dicitur de omni homine. *Nota.*

Sed tunc videtur illa ratio plus valere contra secundam consequentiam, quia arguendo sic, In omni corpore est color; igitur in omni corpore est aliquis color, ut *aliquis color* concernit primam substan- 8

tiam, est Antecedens verum, et Consequens est falsum : et tamen illa consequentia videtur tenere, per eamdem regulam, per quam et consequentia Aristotelis.

Dico, quod non, per eamdem regulam ; quia secunda consequentia Aristotelis tenet per hanc regulam, *Quod inest alicui stanti disjunctive pro multis, inest alicui illorum indeterminate* ; sed terminus stans confuse tantum, non stat pro multis disjunctive. Ex hoc sequitur, consequentiam tantum tenere a communi habente suppositionem personalem, et non quamcumque, sed determinatam ; et illam dico, quando terminus stat pro aliquo determinato, indeterminate tamen, sicut subjectum indefinitæ, vel particularis.

Contra hoc, si non sequitur, *Animal prædicatur de omni homine* ; *ergo aliquod animal* : *ergo animal quod prædicatur de omni homine non est aliquod animal.* Et si hoc non dicitur de prima substantia, nec est in illa, ut manifestum est : igitur *aliquod* nec dicitur de prima substantia, nec est in ea, quod est contra Aristotelem. Sequitur igitur inconveniens contra Aristotelem, nisi descensus teneat sub termino stante confuse tantum. Eodem modo potest argui de ista, *In omni corpore est color* : *ergo aliquis color.*

Ad hoc dico, quod in prima consequentia est fallacia Consequentis ; quia ad hoc sequi illud, infertur hoc esse illud, et non e converso, multa enim de se invicem vere dicuntur, per hoc verbum, *est*, quorum nullum infert aliud. Arguendo igitur eodem ordine negative, est fallacia Consequentis, a destructione Antecedentis.

Ulterius, cum dicitur, *si non est aliquod animal, non dicitur de prima substantia*, ista consequentia non valet ; quia aliquid inquantum est secunda substantia, dicitur de prima, ut hîc sumitur *dici de*, et secundum hoc est extraneum *alicui animali*, unde in ista consequentia innuitur fallacia Accidentis.

Ulterius, cum dicitur, *si animal, ut dicitur de omni homine, non dicitur de aliqua prima substantia, nec est in ea, igitur aliquid nec dicitur de prima substantia, nec est in ea* : ibi est fallacia figuræ dictionis, commutando *quale* in *quid*, debet enim sic inferri, *igitur aliquid sub aliquo modo accipiendi, nec de primis dicitur, nec est in primis*, et hoc est concedendum, tanquam necessarium, quia omnis homo nec dicitur *de*, nec est *in*.

Cum dicitur in quarto argumento principali, quod non est diversitas hìc, et ibi, nisi quia hîc fit descensus ex parte subjecti, ibi ex parte prædicati. Dico, quod illum descensum concomitatur diversitas suppositionum, quæ prohibet consequentiam, quia non tenet, nisi termino uno modo supponente.

Cum dicitur, quod universalis convertitur, sine figura dictionis, verum est, quod variatio suppositionum circa unum terminum, non est respectu reliqui termini supponentis eodem modo, et nisi esset, non esset figura dictionis.

Ad aliud dico, quod non similiter sequeretur utrobique, quia propositio ista, *Animal est omnis homo*, a nullo ponitur vera, ut *animal* habet suppositionem determinatam, et aliter non tenet illa consequentia. Vel aliter, quia *omnis homo*, non prædicatur, ut hîc sumitur *prædicari*, licet propositio ponatur vera : non enim est vera primo modo per se.

10. Ad ultimum dico, quod loquendo de intentionibus destructis primis, nullæ sunt secundæ substantiæ, quia uno relativo destructo, destruitur et reliquum : nec est etiam aliquod prædicatum in genere substantiæ, nec isto modo sunt primæ substantiæ magis corruptibiles quam secundæ. Similiter est de rebus, quæ subsunt, inquantum eis attribuuntur tales intentiones. Sed si loquamur de esse rerum, forte potest concedi hominem esse animal, licet non hunc, vel illum ; sed hoc non secundum quod *homo* habet suppositionem personalem determinatam : illam enim non habet, nisi cum sint ejus aliqua suppposita. Sed quia cujuslibet communis, sive existentis,

sive non existenti, est suppositum accipere per additionem Pronominis demonstrativi, sic; sicut ipsum est commune: propterea melius dicendum, quod sive aliquis homo sit, sive non sit, semper sequitur, *animal prædicatur de homine: igitur de aliquo*, et quod propter idem, Consequens est verum, propter quod et Antecedens, scilicet propter inseparabilem unionem extremorum, licet neutrum existat.

Contra conclusionem tertiam arguitur sic. Destructo posteriori, non oportet prius destrui: sed secunda substantia est prior prima; quia sequitur ad primam, et e converso, et tale est prius, per Aristotelem cap. de Priori in postprædicamentis, et 5. Metaph. text. 16. ergo destructa prima substantia, non oportet secundam destrui. Dici potest quod loquendo de intentionibus, sunt simul natura; quia correlativa, loquendo de rebus, licet *homo* forte sit prius isto homine, non tamen aliquo homine; quia secunda substantia, non habet aliud esse, quam esse alicujus primæ substantiæ.

Commune est autem omni substantiæ in subjecto non esse. Principalis namque substantia non de subjecto dicitur: neque in subjecto est, etc. Non est autem proprium substantiæ hoc. Namque differentia eorum est quæ in subjecto non sunt: bipes enim, et gressibile de subjecto quidem homine dicitur, in subjecto autem nullo est. Cap. eod.

QUÆSTIO XIV

Utrum differentia de genere substantiæ sit substantia.

Petrus Hisp. *tract.* 3. *Log.* et Versorius *ibidem*. Fonseca *lib.* 2 *Instit. cap.* 8. Carerus Complut. *in explan. cap.* 5. *de Substantia*. Rubius *in explicatione textus Præd. in hac quæstione*.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, per litteram hic, quia non inest soli substantiæ, sed differentiæ, prima proprietas; sed si differentia esset substantia, posset et Genus, et tamen soli substantiæ.

Item, non est prima substantia, quia dicitur de subjecto: nec secunda, quia nec Species, nec Genus in genere Substantiæ, hæc autem sunt secundæ substantiæ, per Aristotelem, cap. de Substantia.

Item, habet contrarium, quia habet aliquid a se maxime distans in eodem genere, et talis distantia per Aristotelem 10. Metaph. text. 13. est contrarietas: substantiæ autem nihil est contrarium, per Aristotelem inferius.

Item, per Aristotelem 5. Metaph. text. com. 19. Primus modus qualitatis, est differentia substantiæ, qualitas autem non est Substantia. Si dicatur, quod Aristoteles intelligit, quod habet modum prædicandi in *quale*, hoc non videtur verum, quia Metaphysicus a Logico differt in hoc, quod Metaphysicus considerat *ens* inquantum *ens*, Logicus inquantum consideratur a ratione; quod ergo habet solum modum prædicandi in *quale*, quamvis a Logico posset aliquo modo dici qualitas, non tamen a Metaphysico, nisi sit essentialiter qualitas.

Ad oppositum, non substantia non est prior substantia, quia substantia est primum ens: Differentia est naturaliter prior Specie, quæ est substantia. Item, non substantia interempta, non interimitur substantia, sed differentia interempta, interimitur species, quæ est substantia; ergo. 2 *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item. Differentia est pars definitionis speciei, igitur indicat aliquid essentiæ ejus, nihil autem pertinet ad essentiam substantiæ, nisi substantia.

Item, si esset accidens, faceret unum ens per accidens cum genere: et cum addita generi faciat speciem; igitur omnis species in genere substantiæ esset ens per accidens, et ita nulla est Species.

Ad quæstionem potest dici, quod differentia in genere substantiæ est substantia, quia est idem per se ei, quod est per se substantia, non tamen est Species, sed Individuum in genere Substantiæ, nec per se substantia; verum est tamen talis prædi- *Conclusio.*

catio, *Rationale est substantia*, quam ista, *Quantum est substantia*, quamvis utraque necessaria, et utraque per accidens. Prima enim est per accidens, non ideo, quia aliquid est substantia, cui accidit rationale; sed cui per se inest rationale, sed secunda est per accidens, quia aliquid est substantia, cui accidit quantum.

3. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dico, quod intelligit, non quod hoc sit proprium substantiæ, id est, ei quod directe est in genere Substantiæ, ut Species, vel Genus, sed etiam Differentiæ, quæ non est sic substantia. Secundum, idem ostendit.

Ad tertium dico, quod contrarietas uno modo dicitur communiter pro maxima distantia, et hoc modo privative opposita, dicuntur contraria, ut in 1. Physicorum contex. 24. dicuntur principia, scilicet forma, et privatio, contraria : hoc modo contrarietas est in omni genere, inter differentias generis, de qua dicitur 10. Metaph. contex. 13. et 24. quod omnis differentia secundum speciem, contrarietas est. Alio modo sumitur, ut est maxima distantia formarum mutuo circa idem se expellentium, et sic sumitur hic, et 8. Phys. et ubi est ista contrarietas, ibi est motus proprie dictus.

Ad quartum dico, quod Aristoteles, ut pluribus in 5. Metaph. cont. 63. 5. Physic. context. 7. 9. et 48. dividit voces in significationes, et in modos diversos accipiendi, quod ad minus facit de Qualitate, non enim eam dividit, ut est generalissimum, in species, ponens differentiam esse primam speciem ejus. Sed dividit hanc vocem *qualitas*, in significata, et unum significatum ejus est *differentia substantiæ* ; quia sicut forma æquivocatur ad substantialem, quæ tribuit esse simpliciter, ita actus ad actum primum, et actum secundum : et ita *qualitas* ad qualitatem essentialem, et accidentalem æquivocatur, et differentia substantiæ est qualitas essentialis, nullo modo modo Qualitas, ut est generalissimum.

Non vos vero conturbent substantiarum partes, quæ ita sunt in toto quasi in subjecto sint : ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri, etc. Cap. eod.

QUÆSTIO XV

An partes substantiæ sunt substantiæ

Vide Auctores citatos *quæstione sequenti.*

Quod non videtur ; quia Substantia, ut est generalissimum, est per se ens : nulla pars substantiæ, est per se ens, dum est pars substantiæ ; quia tunc esset hoc aliquid, et una substantia esset ex multis hoc aliquid, quod non videtur verum. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, si quæcumque pars substantiæ, sit substantia, sit A illa substantia, et arguitur sic, si A sit substantia, descendendo divisive a generalissimo, oportet concedere, quod vel sit illa substantia, cujus est pars, vel species distincta contra illam : vel quod contineatur in aliqua specie distincta ab illa ; quia *omne quod est in genere, est in aliqua specie ejus,* per Arist. 2. Topic. cap. 10. non est illa, cujus est pars, quia illa de ea non prædicatur ; non aliqua alia species, nec in alia specie, quia tunc differret a suo toto specifice, et ita per differentiam essentialem, et etiam ab omni alia parte ; sed hoc non est possibile, tunc quia omnis pars haberet formam specificam ; quia omnis differentia sumitur a tali forma, et ita nulla pars esset pars totius, nec constitueret ejus essentiam, nec unum essentialiter cum alia parte ; tum quia omnis pars per propriam formam esset ens in actu, et *ex duobus in actu non fit vere unum,* per Arist. 7. Metaph. cont. 49. et ita nullum totum esset vere unum.

Item, quælibet pars substantiæ est substantia, et nulla pars hominis est homo : sequitur, igitur nullus homo est substantia. Conclusio est falsa : et non minor, igitur major. Forma arguendi patet per Arist. 4. Physic. cont. 93. quia tali forma arguendi

utitur contra ponentes tempus esse circulationem, sic, Quælibet pars temporis est tempus, et non quælibet pars circulationis est circulatio ; ergo tempus non est circulatio : unde si forma arguendi ibi valet, et hic. Item de materia dicitur 7. Metaphys. cont. 8. quod non est quid, nec quale, etc. igitur non substantia.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Item, forma non est substantia ; quia est in subjecto, et quia adest et abest præter subjecti corruptionem, ut in transmutatione substantiali patet. Ad oppositum potest argui per tres rationes factas ad oppositum præcedentis quæstionis.

Item, divisum prædicatur de dividentibus ipsum ; sed 2. de Anima cont. 2. *Substantia dividitur in formam, et materiam, et compositum*, igitur quodlibet istorum est substantia.

Item 7. Metaphys. cont. 7. dicit Arist. quod forma est magis ens, quam materia, et ideo est magis ens, quam compositum : in qua consequentia innuitur materiam esse magis ens, quam compositum : tunc arguo sic, Substantia est maxime ens ; si igitur illud, quod minime est ens, ut compositum, est substantia, ut patet, multo magis materia, et forma, quæ sunt magis entia composito, erunt substantiæ.

Item, hic littera videtur Arist. innuere, quod partes substantiæ sint substantiæ, aliter non oporteret prohibere illud quasi inconveniens, ne sequeretur ex dicta proprietate.

3 *Conclusio.* Ad quæstionem potest dici, quod duplices sunt partes, scilicet essentiales, ut materia, et forma, quæ scilicet essentiam substantiæ constituunt : aliæ partes quantitativæ, quæ non sunt substantiæ, inquantum substantia est, sed inquantum est quanta, et extensa : sed tam de his, quam de illis potest dici, quod non sunt substantiæ per se, id est, quod generalissimum Substantiæ non prædicatur de eis per se, nec vere in abstracto, propter primam rationem et secundam prius positas ad illam partem quæstionis. Verumtamen substantia est æquivocum, ut dicitur ens per se, et isto modo est generalissimum, et ut dicitur de principiis entis per se, et isto modo partes substantiæ possunt dici substantia. Similiter in genere Substantiæ, ut est generalissimum, sunt non ut species, sed per reductionem ut per se principia specierum : et de illis quæ sunt in genere per reductionem non oportet Genus in abstracto vere prædicari.

4 *Ad argumenta præcedentis quæstionis pro parte affirmativa, quæ sunt contra hanc conclusionem.* Ad argumenta præcedentis quæstionis, ut hic, valent. Ad primum, non substantia non est prior substantia, dico, quod si intelligatur *non substantia*, id est, illud, de quo non prædicatur per se generalissimum in genere substantiæ, falsa est propositio, sed vera sic, *non substantia*, id est, nullo modo substantia, neque ut substantia est generalissimum, neque dicitur de principiis substantiæ.

Ad probationem, cum dicitur, substantia est primum ens, dico, quod hoc est verum comparando generalissimum substantiæ ad alia genera, id est, entium per se in genere, est substantia primum ens, non tamen est verum de substantia principiata simpliciter ; quia principia talis substantiæ sunt priora illa, ut dicitur 7. Metaph. cont. 7. quod forma et materia sunt magis entia composito ; forte tamen potest concedi absolute, quod *substantia* est primum perfectione, licet non via generationis.

Ad secundum, non substantia interempta, non interimitur substantia : illa quod si major intelligitur, *non substantia*, id est, eo interempto, quod non sit substantia per se in genere substantiæ, non interimitur substantia : falsa est ; quia principiis substantiæ, quæ non sunt sic substantiæ interemptis, substantia interimitur : vera tamen potest esse sic, quod nullo modo est substantia, nec generalissimum, nec ut dicitur de principiis substantiæ.

Ad tertium per idem, nihil pertinet ad essentiam substantiæ, nisi substantia, si intelligitur, nisi quod per se est in genere substantiæ, falsa est : alio modo vera, et illo modo pars substantiæ est substantia.

Ad 1. pro parte affirmativa hujus quæstionis. Ad aliud de 2. de Anima, dico, quod illa divisio substantiæ, non est divisio Generis in species, quia tunc materia haberet differentiam distinguentem ipsam a forma, et esset ens actu de se, distinctum a forma, quod non est verum, sed est illa divisio æquivoci in æquivocata, secundum Logicum, vel analogi in analogata, secundum Naturalem : et sic prædicationem substantiæ de dividentibus concedo ; sed hoc non est, ut *substantia* est generalissimum.

Ad aliud dico, quod forma, et materia sunt magis entia composito, entitate principii, et ita sunt substantiæ, non tamen ut substantiæ species.

Ad auctoritatem Arist. dico, quod Arist. non dicit, nec innuit ex littera hîc, partes substantiæ esse substantias, sed dicit, quod propter primam proprietatem substantiæ, non oportet eas concedere non esse substantias, quia nec partes substantiæ sunt in subjecto, id est, in aliquo actu completo existentes, ut formæ, licet sint in toto, quia alius est modus essendi in toto, et alius in subjecto.

5. *Ad duo ultima argumenta pro parte negativa.* Tunc ad duo argumenta ad aliam partem quæstionis, quæ probant formam non esse substantiam per hoc, quod est in subjecto : dicendum est, quod materia appropriate est tantum illud, quod est in potentia ad suscipiendam formam, non habens ex se actum aliquem completum, cui forma tribuit esse simpliciter, ut est in substantiis, subjectum dicitur, quod licet sit in potentia ad formam, tamen est in actu completo, et ideo forma adveniens tribuit ei tantum esse secundum *quid* ; forma igitur substantiæ, licet sit in materia, non tamen est in subjecto. Per idem patet ad aliud, quia non adest præter subjecti, etc. quia nullum est ejus subjectum.

6. *Nota.* De quinta proprietate substantiæ sciendum, quod generalissimum substantiæ non dicitur de aliquo magis, et de aliquo minus, neque aliqua substantia, secundum suam essentiam suscipit magis, et minus : tamen quoad actum substandi, qui est una proprietas ejus, scilicet substantiæ, dicitur una magis substantia alia, ut Species magis substantia genere, quia pluribus substat : sicut dicitur Genus esse universalius Specie ; quia de pluribus prædicatur, licet universale æqualiter prædicetur de Genere, et de Specie, ut de speciebus ejus. Multa est circa hanc proprietatem difficultas : quæ Physico relinquatur.

De sexta proprietate substantiæ,quæ est, *Nota.* cum sit una, et eadem numero, est susceptiva contrariorum, secundum sui mutationem, hæc est propria substantiæ, et convertitur cum substantia, quia nulla substantia ex ratione substantiæ, prohibetur suscipere contraria, licet aliqua ex sua propria forma determinetur ad unum contrarium. Similiter intelligendum est, substantia suscipit contraria, non sibi, sed alia quæ sunt inter se contraria, alioquin hæc proprietas repugnaret quartæ proprietati.

Quantitatis autem aliud quidem est continum,aliud discretum, etc.Cap.de Quantitate.

QUÆSTIO XVI

An Quantitas sit genus

Vide citandos *quæstione sequenti.*

Quod non videtur ; quia nullum Genus 1. *Argumenta pro parte negativa.*
prædicatur denominative de Specie, sed hæc est vera, *Linea est quanta*, et sic de aliis, quæ ponuntur de genere Quantitatis ; igitur nullum istorum est ejus species, igitur nullam speciem habet, igitur non est genus. Probatio majoris, nullum prædicatum univocum est denominativum, sed omne Genus, respectu Speciei, est prædicatum univocum, per Aristot. prius ; ergo, etc. Probatio hujus majoris, quis ratio prædicati univoci, est ratio subjecti : quod manifeste est verum de Genere respectu Speciei : sed nullius denominativi ratio est ratio subjecti, ut dicitur in cap.

de Substantia, quia *album* prædicatur de corpore ; rationem vero albi impossibile est prædicari.

2. Item, Quantitas non habet species, quia de continua, et discreta non prædicatur æqualiter, et genus æqualiter prædicatur de speciebus. Probatio assumpti, quia quantitas continua est naturaliter prior sua divisione : quia inquantum continuum est divisibile, est naturaliter prius sua divisione : igitur et continuum est prius numero, quia numerus est posterior divisione continui, cum causatur ex illa, per Arist.3. Physic. cont. 68. Ad oppositum est Aristoteles.

QUÆSTIO XVII

Utrum Quantitas sit genus unum

Arist. 5. *Metaph. text.* 18. Albertus Magn. *tract.* 8. *cap.* 1. D. Thom. *opuscul.* 52. *et* 1. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. *et* 1. *p. q.* 10. *art.* 2. Doct. 4. *d.* 10. *q.* 1. *art.* 2. *et* 5. *Metaph. q.* 9. Anton. Andreas *quæst.* 10. Niphus *disp.* 9. Gandav. *quæst.* 9. Venetus 12. *Metaph.* Durand. 1. *dist.* 34. *q.* 1. Ferrar. 4. *contra Gentes cap.* 87. Cajet. *hic text.* 1. Capr. 2. *d.* 3. *q.* 1. Sonein. 5. *Metaph. q.* 21. Javell. *q.* 20. Ockam *in Log. cap. de Quantitate.* Flandria 5. *Metaph. quæst.* 14. *art.* 5. Conimb. *in cap. de Quant. q.* 1. *et Com. Int.* 16. *q.* 2. Rodrig. *art.* 1. *in hanc q. Doct.* Ruvius *hic q.* 5. Aversa *quæst.* 18. *sect.* 5. Meriner. *hic q.* 1.

1. *Argumentum pro parte negativa.* Quod non videtur : quia per Arist. 1. Posteriorum, et 10. Metaphys. cont. 82. et inde. *In omni genere uno est unum primum et minimum, quod est metrum, et mensura aliorum* ; sed in Quantitate non est unum primum et minimum, sed duo, scilicet unitas, et punctus ; igitur Quantitas est duo genera. Item, cujuscumque generis, omnes species sunt oppositæ, quia vel primas differentias includunt, vel differentias oppositas dividentes aliud genus intermedium, si sub aliquo eodem genere intermedio contineantur, et includens unum oppositum, non prædicatur de alio includente alterum, eo modo, quo differentiæ divisivæ generis debent esse oppositæ: igitur nulla species unius generis, de quacumque specie illius generis prædicatur : sed aliqua species Quantitatis prædicatur de alia denominative, ut *linea est numerata* ; igitur, etc.

Item, passio, et subjectum non sunt in eodem genere, ut species tum quia passio prædicatur denominative de subjecto ; ergo et genus passionis : seu genus subjecti non prædicatur denominative de subjecto ; ergo non est idem genus subjecti, et passionis. Prima consequentia patet ab inferiori ad superius : tum quia tunc passio de subjecto non prædicaretur, ut patet ex præcedenti argumento, quod ostendit, nullam speciem cujuscumque generis posse prædicari de alia, sed longitudo est passio lineæ, quæ est in genere Quantitatis, et longitudo est in genere Quantitatis ; ergo genus Quantitatis non est unum.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicendum, quod quantitas est genus ; quia prædicatur de pluribus differentibus specie in *quid*, ut de Quantitate *continua et discreta* ; quia quæsito *quid* de utroque eorum, convenienter respondetur, *Quantitas*, et est generalissimum: quia non habet genus superveniens, nihil enim de eo prædicatur in *quid*, nisi ens, quod non est genus ; quia nec univocum, et est unum genus ; quia secundum unam rationem dicitur de omnibus suis speciebus. 3 *Conclusio ad utramque [illegible].*

Sed quæ sit illa una ratio, duplex est modus ponendi, uno modo ponitur ratio mensuræ. Tum, quia probat hic Aristoteles orationem esse speciem Quantitatis, per hoc, quod est mensura. Tum, quia secundum diversitatem hujus rationis, variantur species Quantitatis, quia mensura continua quædam est intrinseca mensurata, quædam extrinseca. Intrinseca mensurat secundum unam dimensionem tantum, et sic est *linea*, vel duas, et sic est *superficies*, vel tres, et sic est *corpus*. Extrinseca duplex, propria, et sic *locus*, vel communis et sic *tempus*, et dicitur *locus* mensura propria, quia unus tantum est unius mensurati, tempus communis, quia est idem multorum mensuratorum, nam idem [illegible] *Dubium.* [illegible]

pria mensura. Manifestum est etiam *numerum*, et *orationem* esse mensuras.

3. Contra istud, ratio Generis æqualiter invenitur in omnibus Speciebus, non sic ratio mensuræ in *continuo*, et *discreto*; quia *uni* maxime proprie proprium est esse mensuram, et cum illud per se sit principium numeri, ab illo primo derivatur ratio mensuræ ad numerum, et de numero ad continuum, ut manifeste habetur 10. Metaph. cap. 2. cont. 2. et 3. et inde. Si dicatur, quod *discretum* est prius *continuo* in se, non comparando ad suum genus, hoc concedit propositum; quia neutrum participat rationem generis per alterum, sed *continuum* non habet rationem mensurandi, nisi a *discreto*, ut docetur ubi supra: ergo ratio mensuræ non est ratio Quantitatis, ut est genus.

Responsio Doctoris. Ideo dicitur aliter, quod licet per se mensura conveniat quantitati, non tamen est illa ratio essentialis quantitatis, secundum quam ei attribuitur ratio generis; sed ratio divisibilitatis, et hoc de illa divisione, quæ est in partes ejusdem rationis, quod ostenditur tripliciter. Primo in 5. Metaph. context. 18. ubi definitur *quantum*, secundum quod potest habere definitionem, saltem exprimentem, quid dicitur per nomem, ibi sic notificatur, *Quantum est, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorum singulum natum est esse hoc aliquid*, id est, in partes ejusdem rationis; igitur Quantitatis est per se divisibilis in hujusmodi partes: nam ubi est prædicatio per se primo modo, tenet a concretis ad abstracta. Secundo ostenditur; quia quantitas *continua*, et *discreta* non definiuntur hîc per mensuram, sed per hoc, *quorum partes copulantur*, etc. igitur de eorum essentia est esse partibile. Tertio, quia per rationem divisibilitatis sumuntur species Quantitatis in 5. Metaph. context. 18. quia divisibile in non continua est *numerus*, vel *oratio*; in continua secundum divisionem unam, *linea*; secundum duas, *superficies*; secundum tres, *corpus*; et secundum alias differentias divisibilitatis possunt sumi *tempus*, et *locus*.

Contra hunc secundum modum, Quantitas *continua* est in potentia divisa; *discreta* actu, quæ sunt actu, et potentia aliquid, non sunt æqualiter illud; ergo *divisibilitas* non æqualiter convenit *continuo*, et *discreto*. Assumptum patet, quia partes numeri actu sunt divisæ ab invicem, continui non. Item cujus est potentia per se, ejus est actus; si igitur quantitas *continua* sit per se divisibilis, potest esse per se divisa: igitur continua potest esse per se non continua, quod non videtur dandum. Item, Aristoteles probat *orationem* quantitatem esse, quia est mensura; igitur illa est ratio essentialis quantitatis. 4.

Ad primum potest dici, quod quantitas *discreta* est una, et indivisa, id est, dum manet in sua specie, undecumque sit ejus unitas, quamvis materialia, quæ subsunt illi formæ, sunt divisa, v. g. *quinarius* in sua specie manens, est formaliter indivisus, quia divisio ejus perimit formam quinarii, quia divisione facta in ternarium, et binarium, non amplius manet quinarius, licet materialia, ut unitates, sint sic divisa: unde negandum est quod sumitur de discreto.

Ad secundum dici potest, quod actus hujusmodi potentiæ, *continuum est divisibile*, non est iste, *continuum est divisum*; sed iste, *continuum dividitur*, id est, est in fieri divisionis, et illud potest per se inesse continuo.

Ad tertium, quod non negatur illud, quod per se est mensura, esse quantitatem, sed quod illa ratio non est essentialiter Quantitatis, ut est genus, quia non æqualiter inest speciebus ejus.

5. *Ad argumenta quæst. præcedentis.* Ad primum argumentum primæ quæstionis potest dici, quod de linea absolute non dicitur quantitas denominative, nec de aliqua sui specie absolute sumpta, sed in abstracto, et *in quid*: sed denominative dicitur de linea in materia, et aliis speciebus, et sic sumitur species ejus ut concreta. Et non est mirum concretum Generis prædicari de concreto Speciei, unde quantumcumque usus loquendi sit di-

cere, *linea est quanta*, sive *divisibilis*, et ita de aliis speciebus, hoc simpliciter est falsum de eis, ut sunt species, quia tunc essent subjecta quantitatis, vel divisibilitatis: talis enim modus prædicandi convenit omnibus accidentibus respectu subjectorum. Aliter dicitur, quod major est vera in omni alio genere a quantitate, et non de illa specialiter; quia quantitas non tantum aliis, est principium mensuræ, vel divisionis, sed etiam sibi, et ideo se denominat, et suas species, quod non est verum de aliis.

Ad secundum dico quod in omni genere potest aliqua species esse prior alia in essendo, comparando illas inter se, sed nulla est prior alia in participando rationem generis: sicut continua quantitas, naturaliter est prior discreta, ut ostendit ratio, licet non in suscipiendo prædicationem quantitatis, quia neutri speciei inest divisibilitas per alteram.

6. Ad primum argumentum secundæ quæstionis dicitur, quod punctus, et unitas non sunt duo simpliciter prima, quia punctus ad unitatem reducitur, ut ad prius se, est enim punctus unitas habens positionem, ut dicitur 1. Post, text. 42. et ita tantum unitas est primum.

1. prime ... est præ... alis.

Contra, sicut principium ad principium, sic principiatum ad principiatum; igitur si unitas sit materiale, vel formale in puncto, quorum alterum oportet, si punctus sit unitas positionem habens; et discretum erit similiter, vel formale, vel materiale in continuo, non materiale, manifestum est, quia continuum non componitur ex discretis; igitur formale quod negat Aristoteles 7. Metaph. cont. 38. et circiter, reprehendens Platonem, qui ita posuit. Ideo dicendum, quod sicut magnitudo non est multitudo, neque materialiter, neque formaliter: sic punctus non est unitas, neque materialiter, neque formaliter: quia punctus est indivisibilitas magnitudinis, unitas multitudinis. Nec est hæc definitio Aristotelis, *Punctus est unitas*, etc. sed si alicubi dicatur de puncto, hoc est secundum Platonem, qui posuit numeros esse formalia in continuo, et ita unitatem in puncto. Sed nec secundum Aristotelem, nec secundum Platonem habetur 1. Poster. illa definitio, sed sic: *Unitas est substantia sine positione; punctus autem substantia posita*, quod manifeste falsum est, secundum Aristotelem cont. 42. sed verum secundum Platonem ponentem quantitates esse differentias rerum.

Aliter ad argumentum potest dici, quod major, scilicet in omni genere, non est vera de omni genere generalissimo, quia vix in aliquo genere generalissimo, posset aliquod unum primum assignari mensura omnium aliorum, vel in nullo: sed intelligitur illa propositio de genere naturali, et dicitur illud genus naturale, cui respondet unitas susceptivi, hoc est, quod tantum dicitur de formis habentibus idem susceptivum primo, et de hujusmodi exemplificat Aristoteles, ubi illam propositionem dicit, *non tale genus est quantitas*. Aliter potest dici, quod licet sint duo prima, et minima in genere Quantitatis: tamen tantum est ibi unum primum et minimum, quod est mensura aliorum: *punctus* enim non est mensura continui, quia tunc aliquoties sumptus redderet continuum, et esset *continuum* compositum ex indivisibilibus; sed *unum* essentialiter est mensura numeri: *unum* autem applicatum alicui parti continui, est mensura continui, ut dicitur 10. Metaph. ubi supra, et inde, unde tantum *unum* est mensura in hoc genere. 7.

Ad secundum argumentum concedo, quod nulla species generis prædicatur de alia in abstracto, secundum quod includit differentiam oppositam, tamen possibile est hoc in concreto, scilicet quod species quæ subjicitur, sumitur ut est in materia, et non ut est species opposita.

Ad tertium dico, quod *longitudo, latitudo, magnitudo, multitudo*, non sunt æquivoca, ut notant quantitatem, et æquivocantur in quantitate. Primo modo sunt species quantitatis, secundo modo prædicantur. Primo modo sunt idem, quod *linea, superficies*. 8

etc, nec habent opposita *breve*, vel *strictum*, quia linea quantumcumque brevis, est longitudo illo modo. Secundo modo non sunt in genere Quantitatis secundum se, sed primo modo, id est ut passiones, quod manifestum est de *multitudine* ; cui ut est species, opponitur *unitas, et paucitas,* ut est passio : et eidem univoco non sunt duo opposita, per Aristotelem 1. Topic. cap. 13.

Adhuc potest argui, quod quantitas non sit unum genus ; quia unius generis est tantum una divisio prima per duas differentias ; quia tantum duæ primæ species : sed quantitas dividitur æque primo duplici divisione, scilicet per *continuum et discretum*, et per *constare* ex partibus habentibus positionem, et non habentibus, etc. Probatio majoris per Aristotelem 1. Topic. cap.13. *Si propositi sunt diversæ differentiæ, ut coloris in voce, et in corpore, ipsum est æquivocum,* et per Boet. lib. Divisionum, omnis divisio generis fit per duas differentias. Probatio minoris, neutra divisio est subdivisio alterius ; quia tunc ambo membra alterius divisionis, continerentur sub aliquo membro reliquæ divisionis, quod non est verum, ut patet inducendo.

Ad istud potest dici, quod non est duplex divisio prima generis per differentias formales constituentes species ; potest tamen una esse per differentias formales, alia per materiales ; quæ divisiones non sunt sub invicem ; sicut *corpus* in genere Substantiæ, præter divisionem ejus formalem in *animatum*, et in *inanimatum*, potest dividi in *corruptibile* : et in *incorruptibile*, et utroque modo differentiæ se habent ut excedentia, et excessa ; et ita in proposito, prima divisio est formalis, et secunda materialis, penes partes quantitatis. Ad probationem majoris, Boetius, et Aristoteles intelligunt de divisione formali per differentias constitutivas specierum.

Est autem discreta quantitas, ut numerus et oratio. Cap. eodem.

QUÆSTIO XVIII

An oratio sit *quantitas*

Vide Auctores citandos *quæst. sequenti.*

Videtur quod non, quia non oratio in scripto, illa enim est substantia ; non in mente, quia illa est in non quanto, et neutra mensuratur per se ; et Aristoteles exponit se de neutra harum intelligere ; non oratio in voce ; quia illa est per se sensibilis, quia vox; igitur est in tertia specie qualitatis. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Ad oppositum est Aristoteles.

QUÆSTIO XIX

Utrum Oratio sit *quantitas discreta*

Albert. Magn. 5. *Metaph.* D. Thom. *opusc.* 42. *et* 4. *d.* 3. *q. unic. art.* 3. Aureolus *apud Capreol. dist.* 24. *q.* 1. *concl.* 5. Paulus Scriptor 1. *dist.* 24. *q. unica.* Okam. *ibid. q.* 2. Greg. Arim. *q.* 2. *art.* 2. Marsilius *dist.* 27. *art* 1. Lovaniens. *in expos. capitis de Quantitate.* Javellus. *in Epitome, in lib.* 5. *Met. cap.* 8. Soncinas 5. *Met. q.* 4. Sotus *q.* 2. *in* 6. *de Quantitate.* Tolet. *in idem cap.* Ruvius *ibid. q.*9. Conimbric. *ibid. q.* 2. *art.* 1. Complut. *ibid. quæst. ult. de Quantitate.* Avers. *q.* 18. *sect.* 8. Rodrig. *hic art.* 3.

Quod non videtur ; quia *breve,* et *longum* sunt differentiæ quantitatis continuæ, *oratio* mensuratur secundum has, per Aristotelem in littera : mensuratur enim syllaba brevis, et longa ; igitur, etc. Dicitur, quod syllaba est brevis, et longa, non oratio. Contra, tunc continuum est per se pars discreti. Item, sumatur major sic, omne per se mensurans, secundum has differentias, *breve, et longum,* est continuum ; oratio est hujusmodi, licet non sit longa, igitur. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, si esset quantitas discreta, non videretur differre specie a numero; quia in nulla differentia specifica. Dicitur, quod quan-

titas discreta, ut in materia permanente, est numerus; quia numerus causatur ex divisione continui: ut autem in successiva, est oratio, quia orationis nulla pars permanet.

Contra hoc concedit propositum; quia differentia secundum speciem, est differentia formalis; hæc si sic tantum differant, in nullo formali differunt; igitur non specie. Item, falsum dicitur; quia successio, et permanentia sunt differentiæ posteriores motu, et quiete; igitur et ente naturali, inquantum naturale; sed quantitas quantum ad totum genus est naturaliter prius ente naturali, inquantum naturale; igitur successio, et permanentia sunt multo posteriora toto genere Quantitatis; igitur non sunt differentiæ specierum in hoc genere. Item, numerus applicatur materiæ successivæ sicut permanenti: igitur non omnis numerus est Quantitas in materia permanente. Antecedens patet exemplo, ut dicimus *duo tempora, duo dies*: et ratione; quia continuum aliquod est successivum; igitur ex ejus divisione causatur numerus. Item, tunc non differret oratio a tempore: quod est numerus motus, et ita quantitas discreta in materia successiva.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio ad quæstionem præcedentem.* Dicendum primo ad primum quæsitum, quod *oratio* est quantitas propter auctoritatem Aristotelis; quia syllaba mensuratur prout brevis, vel longa: igitur hujus est mensura alia per se, illud est oratio, quæ fit cum voce prolata: illa autem dico habere discretionem appropriatam orationi per ejus differentiam specificam, quæ differentia nec scripta est, nec prolata, nec in mente, nec actus proferentis; quia ille mensuratur tempore, nec partes discretæ, sed discretio non est communis numero et orationi, sed orationi appropriata.

Responsio ad quæstionem præsentem. Ad secundum quæsitum dicendum, quod est quantitas discreta, quia partes ejus ad nullum communem terminum copulantur. Quælibet enim syllaba est ab alia divisa, nec actus proferentis, nec significatum eas continuat, quia terminus per se continuans partes quantitatis non est essentialiter extra illas; sed hæc duo sunt essentialiter extra partes orationis. Similiter hæc oratio potest esse ubi significatum non est, ut conjungendo terminos non significativos, et ibi nullum est significatum.

Ad argumenta. Ad primum argumentum potest dici, quod *longum*, et *breve* æquivoce conveniunt continuo, et discreto, huic scilicet continuo proprie, illi transumptive; omne igitur mensurans per se secundum hoc proprie sumptum, est continuum: hujusmodi non est oratio, æquivoca enim est longitudo syllabæ, et mensurati a linea.

3. Ad secundum dico, quod *oratio* essentialiter differt a numero, et a quacumque specie quantitatis, non tantum differentia materiali, sed formali, et specifica: illa tamen non est nota, imo vix alicujus Speciei specialissimæ est nobis differentia nota; quia si esset, non posset esse verum, quod dicitur 2. Post. context. 17. quod *Quælibet pars definitionis debet esse in plus, omnes autem in æquo*. Hoc autem non contingeret, si ultima differentia esset nota: illa enim cum sumatur a propria forma speciei, nullo modo est in plus specie; igitur illud dictum est verum, quia differentiæ ultimæ fere omnium definiendorum ignotæ sunt.

Continua vero ut linea, superficies, et corpus. Amplius autem præter hæc tempus et locus. Cap. eodem.

QUÆSTIO XX

An Aristoteles sufficienter enumeret species Quantitatis

[illegible]

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, per Aristotelem 5. Metaph. cont. 18. Tempus est quantum per accidens, sed de nulla specie prædicatur

genus per accidens; igitur tempus non est species.

Item, per ipsum ibidem, tempus est quantum per motum; igitur motus magis quantus, unde Aristoteles 1. Poster. text. 5. *Propter quod unumquodque tale, et illud magis*; igitur sunt plures species, quam hic enumerentur.

Item, tempus est numerus per Aristotelem 4. Phys. cont. 101. igitur non est alia species.

Item, locus non enumeratur 5. Metaph. cont. 18. inter species Quantitatis; igitur vel est insufficiens ibi, vel locus non est quantitas. Similiter Commentator ibi assignat causam, quare Aristoteles omittit ibi locum, dicens, quod locus non est quantitas secundum opinionem Aristotelis, sed tantum famose.

Item, locus non videtur alia species a superficie; quia illud primo ponitur in definitione loci in abstracto, et quando accidens in abstracto definitur, quod primo ponitur in definitione ejus, est de ejus essentia.

Ad oppositum est Aristoteles, etc.

QUÆSTIO XXI

An locus sit quantitas

Vide Auctores *quæst. præcedenti.*

1. *Argumenta pro parte negativa*

Quod non videtur; quia omne quod ponitur in definitione accidentis, est subjectum ejus, vel de ejus essentia; *ultimum corporis continentis*, ponitur in definitione loci, et non est de ejus essentia: quia tunc esset eadem species cum superficie: igitur *ultimum*, est subjectum loci: sed impossibile est passionem, et subjectum esse species ejusdem generis: igitur locus non est species Quantitatis, et ratio confirmatur per Commen. 5. Met. cont. 18 qui dicit, locum esse passionem in ultimo, ut immobilitatem.

Item, ad quantum, inquantum quantum, nihil movetur naturaliter: sed ad locum proprium quodlibet movetur naturaliter, per Arist. 4. Phys. cont. 30. igitur. Probatio majoris, nihil movetur ad aliud, nisi propter convenientiam in natura, sed quantum, inquantum quantum, cum nullo convenit in natura: sed ex natura, quæ est principium motus, et quietis; quia naturaliter prius illis inest substantiæ.

Item quantum, inquantum quantum, non salvat aliquid naturaliter; quia nec convenit cum aliquo in natura: sed locus inquantum locus, salvat locatum, per Aristotelem 4. Phys.

Item, locus per se dicitur ad locatum; igitur est in genere Relationis.

Ad oppositum est Aristoteles.

Argumenta pro parte affirmativa.

Item locus est per se mensura: igitur quantitas. Antecedens patet, consequentia etiam per Aristotelem, qui sic arguit de oratione. Item, proprium proprie non invenitur extra illud cujus est. Sed proprie proprium est Quantitati, ut secundum eam aliquid æquale, vel inæquale dicatur; hoc autem convenit loco; igitur est quantitas. Item, locus est per se divisibilis, igitur est quantitas.

Rursus locus continuorum est. Cap. eodem.

QUÆSTIO XXII

An locus sit quantitas continua

Vide Auctores citatos *quæst.* 20.

1. *Argumen. pro negativa.*

Quod non videtur, figatur virga aliqua continua in terra, cujus una pars sit in terra, alia pars in aere, tunc arguo, Locus est ultimum corporis continentis, sed ultimum aëris, et ultimum terræ, quæ locant hoc locatum, non sunt continua, sed tantum contigua: igitur locus hujus virgæ non est continuus. Ad oppositum est Aristoteles.

Locum enim quemdam particulæ corporis obtinent, quæ ad quemdam communem terminum copulantur. Ergo loci particulæ quæ obtinent singulas corporis partes, ad eumdem terminum copulantur, ad quem corporis particulæ. Cap. eodem.

QUÆSTIO XXIII

An particulæ corporis et loci copulentur ad eumdem terminum

Conimb. *in explanat. textus hujus capitis.* Mayron. *hic passu* 22. Rodrig. *in explanat. textus Doctoris in hac quæstione.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur; quia particulæ corporis copulantur ad superficiem: particulæ loci non, quia locus est superficies, et particulæ superficiei non copulantur ad superficiem.

Item, locus est divisus a locato, per Aristotelem 4. Phys. tex. 41. igitur non est idem terminus continuans partes utriusque. Consequentia patet: quia terminus ab eo cujus est non est divisus: igitur non est idem duorum divisorum. Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Responsio ad quæst. 21.* Ad secundum quæsitum dicendum, quod locus non est species Quantitatis, propter primam rationem ibi, et propter dictum Commentatoris supradictum in quæstione præcedenti.

3. *Responsio ad quæst. 22.* Similiter pro prima ratione ad tertiam quæstionem dico, quod locus non est necessario continuus; sed nihil differt ad unitatem ejus, superficies esse contiguatas, si idem locetur a diversis corporibus contiguis: vel superficiem unius continuam, quando locatum locatur in uno locante.

4. *Responsio ad quæstionem præsentem.* Similiter ad quartam, quod nullo modo possunt partes loci copulari ad eumdem terminum numero, ad quem partes corporis; quia locus divisus est a locato. Locus enim est unde, et ad quem locatum movetur, et non movetur cum locato, nec ad eumdem terminum specie: quia ille terminus corporis est superficies, quæ non est terminus loci, nisi locus esset corpus, imo ad nullum terminum eumdem oportet eas copulari, cum non oporteat esse continuas.

Ex hoc sequitur solutio primæ quæstionis, quia non sufficienter enumerat species Quantitatis, saltem quoad hanc speciem *locus*. 5. *Responsio ad quæst. 21.*

Ad auctoritates Aristotelis in oppositum ad omnes quæstiones, dicendum, quod non loquitur hic de loco secundum propriam opinionem; sed secundum opinionem ponentium locum esse spatium æquale locato; et secundum illam, essent hæc omnia vera de loco. Sed illa opinio improbatur ab Aristotele 4. Phys. Ita frequenter quando loquitur de aliquo, ubi non est proprius locus determinandi veritatem, de illo utitur communi sententia aliorum, usque alibi, ubi locus est de illo veritatem determinare, dummodo ars possit dari, secundum sententias aliorum, sicut et secundum veritatem propriam, ita est pene de omnibus exemplis in Logica: quia si ita sit vel non, non curat: sed quod ars sit vera in istis, si hæc sint talia: sicut hic sufficienter manifestatur, Quantitatem esse genus; quia habet sub se multas Species intermedias, et specialissimas: sive *locus* sit aliqua istarum, sive non.

Ad primum argumentum primæ quæstionis, potest dici, quod aliquid esse quantum per accidens, sive per aliud, est dupliciter, effective, vel formaliter. Formaliter non est tempus quantum per aliud, id est, nihil aliud est, per quod recipiat prædicationem quantitatis: sed prædicatur de eo per se primo modo. Effective, quodammodo potest tempus dici quantum per aliud, quia effective suam essentiam, et per consequens quantitatem, quæ est sua essentia, habet ab alio, ut a motu: non tamen sequitur aliquid quod tempus sit quantitas. 6. *Ad argumentum 1. 21. Aliquid esse quantum dupliciter accidit.*

Ad secundum dico, quod propositio Aristotelis tantum est vera, ubi aliquod univocum dicitur de causa et effectu; quod [illegible] est [illegible] magis, et minus; et quando causa est per se, et [illegible]; primo potest dici hoc et secundi similiter.

Primum probatur, quia tempus est quantitas, motus non est quantitas ; quia ratio ejus tota potest intelligi convenire indivisibili, nec univocantur in quanto ; quia illud dicitur de motu per se secundo modo: nullo modo de tempore, ut tempus est species Quantitatis.

Ad tertium dico, quod *numerus* aliquando tramsumitur, ut generaliter sumatur pro mensura : forte propter hoc quod ratio mensuræ in quantitatibus, primo convenit numero, et ita ponitur in definitione temporis, non autem ut est Quantitas discreta : est æquivocatio penes secundum modum. Alia concedenda sunt de loco, præter ultimum ad quod dicendum, quod hæc est prædicatio tantum materialis, *locus est ultimum* ; et formaliter, propositio est falsa, sed formaliter locus est immutabilitas in ultimo, secundum Comment. Forte tamen in definitione loci primo ponitur *ultimum* ; quia illud est notius immobilitate loci.

8. *Ad argumenta q. 21.* Ad argumenta in oppositum secundæ quæstionis, dicendum.

Ad primum dici potest, quod *locus* non est mensura per se, sed per naturam sui materialis, quod est *superficies*, et secundum eamdem dimensionem mensurat, secundum quam et superficies. Et si arguatur contra hoc, quia aliam rationem mensuræ habet a superficie, est enim mensura extrinseca, superficies intrinseca. Dici potest, quod *intrinsecum*, et *extrinsecum*, per se non variant rationem mensuræ, ideo nec locus per se habet aliam rationem mensuræ, a superficie; ideo enim est extrinseca, quia est ultimum corporis continentis materialiter, et non ultimum contenti, quod tamen mensuratur a loco.

Ad secundum dico, quod secundum locum formaliter, non dicitur aliquid per se æquale alii, sed forte materialiter, secundum superficiem continentis, imo magis locus dicitur æqualis locato, secundum Aristotelem 4. Phys. text. 41. et non illud secundum quod alia dicuntur æqualia.

Ad tertium dico, quod locus per accidens est divisibilis, per naturam materialis sui, sicut cæteræ formæ per se fundatæ in quantitate, sunt per accidens divisibiles per naturam quantitatis, et locus forte plus cæteris, eo quod est propria passio superficiei, etc.

Amplius quantitati nihil est contrarium, etc.
Cap. eodem.

QUÆSTIO XXIV

An quantitati sit aliquid contrarium

Antonius Andreas cum Doct. *hic.* Tartaret. *de Quantitate dub.* 3. Fonseca *l.* 2. *Instit. cap.* 11. Conimbr. *in exposit. textus capitis de Quantitate.* Versorius Parisien. *in Comment. tract.* 3. *Logicæ Petri Hisp.* Rodrigues *hic art. unico, et in exposit. text. Doctoris.* Merinerus *q.* 3. *disp.* 1. *de Quantitate.* Aversa *quæst.* 18. *Log. sect.* 9.

Quod sic videtur, primo per rationes generales. Aliqua quantitas magis distat ab alia, aliqua minus; igitur aliqua maxime distat ab alia. Sed contrarietas est maxima distantia in eodem genere, per Aristotelem 10. Metaph. text. 13. et 14. igitur aliqua quantitas alii contrariatur. Prima consequentia ostendetur, prius auctoritatibus, deinde ratione supra. Item, in hoc genere, et in omni alio, est differentia secundum speciem, et illa est contrarietas per Aristotelem 10. Metaph. ubi supra ; igitur, etc. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, hoc arguitur per rationes proprias; quia per Aristotelem, 5. Phys. text. 9. et 52. Omnis motus est a contrario in contrarium, vel a medio in medium : sed in genere Quantitatis est motus proprie dictus, per ipsum ibidem ; igitur ibi sunt contraria, vel media inter contraria : et si media; igitur et contraria.

Item, *suscipere magis, et minus*, et *recipere contraria*, sunt proprietates convertibiles, respectu cujuscumque generis ; sed Quantitas suscipit magis, et minus ; igitur etiam contraria. Major patet inductive. Probatio minoris, *magnum*, et *parvum* sunt per se passiones quantitatis, et ejus solius, sed *magis*, et *minus* non fiunt, nisi ubi est magnum, et parvum, et non alibi ; igitur in solo genere Quantitatis. Similiter omne

totum est majus sua parte; sed quantitas aliqua est per se pars alterius quantitatis : igitur in quantitate est per se magis, et minus. Similiter insunt per se *æquale*, et *inæquale* : sed inæquale est magis, vel minus; igitur, etc.

Item, *magnum*, et *parvum* universaliter sunt quantitates contrariæ. Similiter *sursum*, et *deorsum*; igitur, etc. Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem est dicendum, quod *contrarietas* sumitur æquivoce, scilicet proprie, et transumptive. Transumptive dicitur absolute maxima distantia in genere, et extenditur ad oppositionem privativam, sicut in 1. Physicorum context. 24. dicitur, principia esse contraria pro forma, et privatione. Oppositio enim hoc modo est contrarietas in omni Genere; quia omnis divisio Generis, est per differentias oppositas hoc modo contrarias, sed *contrarietas* proprie sumpta, est maxima distantia formarum, quæ natæ sunt fieri, et mutuo se expellere circa idem susceptivum; hoc modo negatur a Substantia, et Quantitate, et est hoc intelligendum in definitis, id est, in speciebus Quantitatis, ut dicit Aristoteles, non forte in passionibus. Similiter intelligendum est de Quantitate secundum se, non secundum esse naturale, quia forte illo modo habet contraria, ut dicetur respondendo ad argumenta.

3. *Ad argumenta.* Ad primum dicitur, quod in Quantitate nulla est maxima distantia, sed sicut divisio continui procedit in infinitum, ita etiam infinitas in continuis, et numeris causatis ex divisione eorum.

Contra hoc est, quod dicit Porphyrius cap. de Specie, quod Species specialissimæ sunt finitæ secundum naturam, licet non quoad nos. Hoc etiam videtur per rationem; quia quælibet species est pars essentialis universi, et in illis partibus non videtur possibilis infinitas; quia hæc repugnat ordini, qui est bonum universi. Potest igitur dici, quod quamvis essent infinitæ species in potentia Quantitatis, licet nulla infinitarum alii contrarietur, quia non maxime distat, tamen species intermedia his communis, potest maxime distare ab alia specie intermedia communi illis : ut *continuum* maxime distaret secundum formam continuitatis *a discreto*, licet continua essent infinita, et discreta similiter. Potest igitur dici, quod duæ primæ rationes verum concludunt, de contrarietate primo modo dicta transumptive; quia tantum de ista est utraque auctoritas Aristotelis intelligenda.

Ad secundum dico, quod ad quantitatem secundum se non est motus, sed ut subest naturali : et illo modo habet contrarietatem, ut imperfecta quantitas, perfectam, ad quas, et de quibus sunt *augmentatio*, et *diminutio*, istæ differentiæ non sunt Quantitatis secundum se, sed quantitatis naturalis. Imperfecta enim dicitur, quæ non est debita speciei secundum suam formam naturalem, perfecta per oppositum. Nam, ut dicitur in 2. de Anima, cont. 41. *Omnium natura constantium est determinata ratio magnitudinis, et augmenti*, non enim aliqua Quantitas imperfecta absolute est in genere Quantitatis : sed imperfecta tali enti naturali, et secundum hoc movetur aliquid ab imperfecta quantitate, ad perfectam, vel e converso. 4.

Contra, motus est ad rem alicujus generis, non autem ad ens per accidens, per Arist. 3. Phys. text. com. 5. et sunt species motus, quot et entis, ubi dicit Commentator acquisiti per motum; sed quantitas sub esse naturali, non est species generis, sed ens per accidens, quia compositum ex duobus, quorum unum alteri accidit : licet tamen ad Quantitatem [illegible] non est motus; sed ad illud, quod per se est in genere Quantitatis est motus; igitur illi est aliquid contrarium. 5.

Potest dici hic, quod ad quantitatem est motus, ita quod acquisitum per motum, ut terminus, est per se in genere Quantitatis, sed non acquiritur ut quantitas, sed sub tali modo essendi : et sub tali modo essendi habet contrarium. Tunc oportet dicere, quod non oportet illi formæ, quæ est per se terminus motus, esse aliquid proprie 6.

contrarium, sed tantum ei, ut acquiritur per motum. Tunc ad formam dico, quod quantitas sub esse naturali, si intelligatur unum compositum ex his, est ens per accidens, sed ipsa quantitas non, licet sumatur sub tali modo essendi, quando motus non intelligitur esse pars entis compositi ex duobus, et ita ad quantitatem est motus.

7. Ad tertium et quartum argumentum, dico, quod aliud est suscipere *majus*, et *minus*, et aliud est suscipere *magis*, et *minus*; quia majus, et minus, dicuntur secundum quantitatem; sed magis, et minus dicunt intensionem, et remissionem in forma, cui adduntur. Concedendum est tunc, quod quantitas suscipit majus, et minus, sed non magis.

8. Ad quintum, de *magno*, et *parvo* respondet Aristoteles, quod non sunt quantitates, quia dicuntur in sola habitudine ad aliud, aliter nunquam diceretur mons parvus, et milium magnum. Similiter respondet, quod si sint quantitates, non sunt contraria, tum quia ei quod dicitur in sola habitudine ad aliud, nihil est contrarium, hujusmodi sunt magnum, et parvum; tum quia tunc contraria dicerentur de eodem, quia aliquod idem est magnum ad hoc, et parvum ad illud : igitur est magnum, et parvum.

9. Contra primam responsionem, ab Aristotele in 5. Metaph. context. 18. ponitur magnitudo per se species quantitatis et concretum non est in alio genere ab abstracto. Item, ibidem in quinto dicuntur magnum, et parvum esse quantitates per se.

Contra secundam responsionem probantem magnum, et parvum non esse contraria, prima probatio non videtur valere; quia Relationi aliquid est contrarium, ut dicit Aristoteles inferius, cap. de Relatione, ut *virtus vitio*; et *scientiæ ignorantia*. Secunda probatio non videtur valere, quia omnia opposita inferunt contradictoria : igitur ad illa, ad quæ non sequuntur contradictoria, non sequuntur alia opposita. Sed ad præmissas, in quibus est respectus ad diversa, non sequuntur contradictoria, sed est ignorantia Elenchi : ut est duplum ad hoc, et non duplum ad illud ; ergo duplum, et non duplum ; igitur nec aliqua opposita sequuntur ad tales præmissas.

Ad primum istorum potest dici, quod *magnitudo* sumitur æquivoce : ut est species quantitatis, et ut est passio. Secundo modo dicitur *magnum*, denominative a magnitudine, et sic Aristoteles negat magnitudinem esse quantitatem. 10.

Ad aliud dico, quod sunt quantitates per se secundo modo, id est, passiones quantitatis, non primo per se, ut species.

Ad aliud dico, quod nihil dicitur contrarium ejus, cujus est relativum; quia *contraria*, et *relative opposita*, in multis distinguuntur : magnum autem dicitur relative ad parvum; igitur non est ejus contrarium; ita intelligit Aristoteles. Tamen contrarium uni potest esse relativum alteri : ut *scientia* est relativum ad scibile; et ei non est contrarium, sed ignorantiæ, ita in aliis.

Ad aliud dico, quod relativa possunt prædicari de eodem, et de se invicem, sed non relative opposita, et ita possunt relativa absolute inferri ex se sumptis respectu diversorum; igitur *magnum*, et *parvum* possunt inferri absolute ex se sumptis respectu diversorum, et ex hypothesi sunt contraria; igitur contraria de eodem. Concedo etiam, quod non possunt inferri opposita relative ex se sumptis respectu diversorum; sed magnum, et parvum posse : et ex hypothesi illa sunt contraria; ergo contraria de eodem.

Ad sextum dico, de *sursum*, et de *deorsum*, quod vel sumitur simpliciter *sursum*, pro circumferentia cœli, et *deorsum*, pro centro terræ : vel sumitur generaliter, ut quodlibet dicitur sursum, respectu inferioris. Primo modo non sunt contraria, quia non nata fieri circa idem : nec maxime distant in natura, licet forte maxime distent secundum locum. Secundo modo sunt ad aliquid : et est utraque responsio de eis, quæ de magno, et parvo.

Potest tamen dici, quod sive sint contra-

ria, sive non, nihil ad propositum ; quia si sunt species, vel differentiæ *loci*, non sunt in genere Quantitatis, quia nec *locus*, ut prædictum est.

Ad aliquid vero talia dicuntur : quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud. Cap. de Ad Aliquid.

QUÆSTIO XXV

An genus Relationis sit genus unum

D. Aug. *lib. Categ. c.* 11. Porph. *cap. de Specie.* Albertus Mag. *hic cap.* 2. Boetius, et Simplicius *hic* Doctor *in* 1. *dist.* 30. *quæst.* 2. Ant. Andreas cum Doctore *hic* Suar. *disput.* 47. *Metaph. sect.* 17. Hurtado *disp.* 15. *Metaph. sect* 11. Sanch. *hic q.* 39. Fonseca 5. *Metaph. cap.* 15. *q* 6. Masius *hic sect.* 1. *quæst.* 5. Conimbr. *in cap.* 6. *de Relat. q.* 2. *art.* 2. Rodrigues *hic art.* 2. *in hanc quæst. Doct.* Ruvius *in cap. de Ad Aliquid, q.* 1. Merinerus *in c.* 7. *Categ. q.* 3 Aversa *q* 19. *Log. sect.* 6.

1\. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, enti, et non enti, non est genus unum commune univocum ; sed aliquæ sunt relationes entes, et aliquæ non entes ; ergo, etc. Probatio secundæ partis minoris, inter ens, et non ens, est contradictio, quæ est relatio media, quæ videtur non ens : tum, quia inter contradictoria nihil est medium, et talis relatio est medium inter contradictoria ; igitur non est aliquid ; tum quia illa oppositio potest esse in non ente, ut in subjecto : sed accidens quod est in non ente, ut in subjecto, non potest esse ens. Dicitur ad hanc secundam probationem, quod hæc oppositio tantum est in ente, ut in subjecto, secundum quod videtur haberi ex Commentatore 6. Metaph. cap. ult.

Contra, relativum æquiparantiæ æqualiter denominat utrumque extremum, in comparatione ad aliud, quod manifestum est in proposito ; quia æque est verum dicere, *non ens opponitur enti*, sicut *ens opponitur non enti* ; ergo talis relatio æqualiter potest esse in utroque extremo, ut in subjecto.

Ad principale, enti rationis, et enti naturæ, nihil est univocum, sed quædam relationes sunt entia naturæ, ut *paternitas*, et *filiatio*, quæ essent intellectu non existente ; quædam vero sunt entia rationis. Probatur, tum quia relatio non habet verius esse, quam subjectum, super quod fundatur, et multæ relationes fundantur super res rationis, ut relatio Generis ad Speciem, etc. hujusmodi igitur relationes sunt tantum entia rationis. Tum, quia omnis relatio requirit duo extrema ; igitur cujus relationis extrema non sunt duo, nisi secundum rationem, est tantum ens rationis, talis relatio est identitas, secundum quod dicitur 5. Met. text. non habente com. in littera, cap. de Eodem, ubi dicitur quod intellectus in illa relatione utitur uno ut duobus.

Item, ad principale, *Ad aliquid sunt*, secundum Aristotelem hic in littera, quorum esse est ad aliud se habere, istud inest omnibus, quæ sunt ad aliquid per se primo modo : igitur per naturam alicujus univoci eis, illud non est nisi generalissimum Relationis : igitur generalissimum Relationis, hoc ipsum quod est, ad aliud se habet : non ad aliquid prius, nec posterius, quia relativa sunt simul natura ; non ad æquale, quia sic essent duo generalissima. Quod etiam generalissimum se habet ad aliud, patet ex ipso nomine ; dicitur enim ab Aristotele, hic et 5. Met. cont. 20. et alibi sæpe, *ad aliquid*, et non potest concipi *ad aliquid* non esse ad aliud, nisi contradictorium dicatur de contradictorio. 2

Item ad principale, cujuslibet unius generis, sunt tantum duæ species primæ, sed generalissimi Relationis, non sunt tantum duæ primæ species, igitur generalissimum Relationis non est unum. Probatio minoris, quia si sint A. et B relativa, aut igitur refertur A sibi, et B sibi, et tunc ambo sunt relativa æquiparantiæ : igitur et omnia inferiora, et ita relativa suppositionis, et superpositionis erunt in alio Genere generalissimo : aut A refertur ad B, et e converso, et sic hoc ; igitur species eorum referuntur ad invicem, quia per Aristote-

lem in 4. Topicorum, cap. 1. et 9. cap. 20. et inde. *Si genus ad genus, et species ad speciem*, et similiter in secundo, *si ad propositum sequitur propositum, ad relative oppositum antecedentis, sequitur relative oppositum consequentis* : et non est intelligendum, nisi de consequentia superioris ad inferius : si autem A, et B referantur sibi mutuo ; igitur omnia relativa sunt relativa suppositionis, et superpositionis ; igitur relativa æquiparantiæ erunt in alio Genere generalissimo. Aut tertio, quod A refertur ad aliud, et non ad B, ut ad C, et B refertur ad aliud, et non ad A, ut ad D, et tunc sequitur quod C, et D non sunt priores, nec posteriores, quam A, et B; quia utrumque est æque primum cum suo correlativo ; quia sunt simul natura ; igitur erunt quatuor primæ species unius generis. Aut quarto A refertur sibi, et B alii, vel B sibi, et A alii, et utroque modo erunt tres primæ species hujus generis ; quia illud aliud ad quod refertur A, vel B, est æque primum cum suo correlativo ; nullo igitur istorum quatuor dato, erit hoc genus unum.

Ad oppositum est Aristoteles.

3. *Conclusio.* Dicendum, quod generalissimum in genere Relationis est unum ; quia secundum unam rationem dicitur de omnibus suis inferioribus, quæ ratio est habitudo unius ad aliud, et quia omnes relationes habent eumdem modum denominandi substantiam, videlicet in comparatione ad aliud : ut accidentia, quia eodem modo denominant substantiam, sunt unius generis.

4. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum. Ad minorem dico, quod nulla relatio est non ens, cum probatur oppositum de contradictione. Ad primam probationem cum dicitur, quod inter contradictoria non est medium, intelligendum est de his, quæ subsunt intentioni contradictionis, ut de complexis : sicut de quolibet subjecto verum est prædicatum affirmari, vel negari, et non est medium : de incomplexis etiam sic alterum illorum dicitur de quolibet, et non est medium ; sed alia propositio, scilicet quod talis relatio est media inter contradictoria, intelligenda est ratione intentionum : et tunc cum concluditur conclusio, fit fallacia Accidentis; quia medium sumitur extranee in præmissis, hoc scilicet, quod est *medium esse inter contradictoria.* Istud patet in exemplo : *ens*, et *non ens*, non referuntur per se ad invicem, et inter ista absolute nihil est medium, sed ista inquantum contradictoria, referuntur, et sic inter illa est contradictio media, sicut inter similia est similitudo media, et inter quæcumque relativa est relatio media.

Ad aliam probationem concedo, quod illa relatio potest esse in non ente, ut in subjecto, sicut et in ente : non ens tamen, in quantum est subjectum illius relationis, est ens rationis, et ita talis relatio potest esse ens rationis.

Ad secundum principale, nego majorem, et concedo, quod relatio dicitur ens rationis, vel quia utrumque extremum, vel alterum est solummodo ens rationis; vel quia extrema ejus non sunt duo, nisi secundum rationis considerationem, ut est in identitate. Potest tamen major utriusque rationis sic probari : Non omni enti est aliquid univocum, nec etiam omni enti naturæ est aliquid univocum ; igitur multo magis, nec aliquid erit univocum enti, et non enti, sive enti naturæ, et enti rationis ; quia si illis quæ magis videntur convenire, nihil est univocum, nec illis quæ minus.

Et ad hanc probationem, secundum quod est pro secunda ratione, dicendum, quod consequentia non valet, nec est ibi locus a majori ; quia non omnia entia naturæ plus conveniunt in aliquo univoco, quam ens naturæ, et ens rationis, nisi forte in pluribus dictis de eis æquivoce.

Sed quia de oppositione, quæ est inter ens, et non ens, est absolute verum dicere, quod est ens, et non ens, quia aliter esset medium inter ens, et non ens, et quia est in non ente simpliciter, ut in subjecto, ideo non videtur ponenda in genere Relationis, cum *ens* secundum se, dividatur in decem Genera generalissima ; quia etiam licet ali- 5. *Nota.*

quid sit univocum enti naturæ, et enti rationis, hoc est enti, quod est in ratione, ut scientiæ, et virtuti est aliquid univocum : tamen enti, quod est ex sola consideratione rationis, et enti naturæ, nihil videtur univocum ; quia tunc haberent oppositionem, quia omnia univoce contenta sub aliquo eodem, ut species, differunt differentiis contrariis, et ita non possunt talia entia rationis applicari cuilibet enti naturæ, quod est falsum, ideo videtur dicendum ad duas primas rationes aliter.

6. *Alia solutio ad probationes primi principalis.* Ad primam concedo, quod contradictio inter *ens*, et *non ens*, est non ens simpliciter, sed non est species in genere Relationis.

Ad secundam similiter concedo majorem, dicendo ad minorem, quod nulla relatio rationis, est species in genere Relationis, nec identitas, nec relationes fundatæ super intentiones secundas : neque aliæ consimiles.

Objectiones. Contra ista, *Ad aliquid sunt, quorum hoc ipsum esse est ad aliud se habere*, hæc est vera notificatio relativorum, secundum Aristotelem hic in littera ista inest contradictorio, quia hoc ipsum quod est, est contradictorium contradictorio : et eidem ; quia idem hoc ipsum quod est, est eidem idem, et sic de relativis intentionalibus, et consimilibus, ut genus hoc ipsum quod est, est speciei genus, quod de omnibus ostenditur per hoc, quia in definitionibus eorum ponenda sunt sua correlativa, ut manifeste dicit Porphyrius de Genere et Specie, cap. de Specie. Quod non oporteret, nisi dependerent ad invicem essentialiter; omnia igitur prædicta sunt vere relativa : igitur et formæ, secundum quas dicuntur talia, sunt vere relationes : quod negatum est. Item, ista in nullo alio genere videntur esse, nisi in genere Relationis, et inconveniens videtur concedere illa esse in nullo genere.

Item, si contradictio inter ens, et non ens, non sit in genere Relationis, quæro de alia contradictione, quæ est inter alia extrema, utrum illa sit in genere Relationis : si sic, contradictio non inest omnibus univoce, quod est inconveniens, cum contradictioni universaliter sumptæ, assignetur eadem definitio, in I. Posteriorum, text. 5. scilicet, *Contradictio est oppositio, cujus non est medium secundum se*; si autem contradictio inter alia extrema, non est in genere Relationis, ita et nulla contradictio, et contrarietas est in genere Relationis, ut manifestum est, quia est per se habitudo vere duorum entium ; igitur oppositio non erit univocum contradictioni, et contrarietati : quod videtur contra Boetium in illo cap. inferius, *Qualiter autem solet opponi*, qui dividit oppositionem in has quatuor species oppositionis sicut genus in species ; imo sequitur majus inconveniens, quia oppositio inconvenienter ponitur in definitione contradictionis in primo Posteriorum, quia oppositio sumpta secundum illam significationem, secundum quam convenit contradictioni, aut est idem contradictioni, aut superius ea : si idem, frustra additur illud in definitione, *cujus non est medium secundum se* ; si superius, sequitur aliud inconveniens ; quia oppositio secundum illum modum accipiendi per se determinata ad contradictionem, non habet sub se alia inferiora a contradictione, nisi alias species oppositionis, sed aliæ sunt entes, et contradictio non ens : et tunc aliquid erit univocum enti, et non enti : quod absurdum est.

Ad primum istorum, potest dici, quod vera notificatio Relativorum, quam ponit Aristoteles, nulli illorum convenit ; quia nullius eorum esse est ad aliud se habere, *aliud* enim est differentia entis, et dicitur tantum in comparatione ad ens, non enim dicitur aliquid aliud a non ente ; nunc prædicta, vel eorum correlativa sunt non entia, simpliciter loquendo, et ideo nullius illorum esse est ad aliud se habere, nisi forte secundum rationem, sicut ista, et sua correlativa sunt entia. Et si arguatur, contradictorii esse est ad aliud secundum rationem, scilicet ad contradictorium se habere, igitur ad aliud se habere est fallacia secundum quid, et simpliciter. Quod dicitur, quod in definitionibus eorum ponuntur sua correlativa ; dico, quod nullum re- 7. *Solutiones*

torum habet veram definitionem exprimentem quid est res, licet habeat rationem exprimentem quid dicitur per nomen, vel illud quod intellectus concipit de istis, quæ ratio licet sit definitio eorum simpliciter, non tamen est definitio simpliciter.

Ad secundum dico, quod non est inconveniens, concedere illa non esse in aliquo Genere generalissimo, ut Species: si tamen debeant poni in genere per reductionem, maxime ponenda sunt in genere Relationis; quia plus Speciebus ejus assimilantur, sicut forte omnia intentionalia sunt in genere per reductionem, et hoc in illo, cujus speciebus maxime assimilantur in modo prædicandi.

8. Ad tertium concedo, quod oppositio non sit univoca contradictioni, et contrarietati. Cum assumitur a Boetio, quod divisio oppositionis in ista quatuor est divisio generis in species, hoc potest intelligi *generis*, id est, generalis, quia divisum secundum aliquem modum prædicatur de dividente, et ideo per hoc distinguitur hæc divisio a divisione totius in partes. Vel sic, quod illud sic intelligatur, pro aliquibus dividentibus, non pro omnibus, quia contrarietas, et oppositio relativa sunt species oppositionis, sumptæ secundum unam significationem, secundum quam est genus intermedium in genere Relationis, licet contradictio non sit species ejus, ut sic sumitur. Per hoc ad illud de libro Posteriorum, dico, quod definitio contradictionis est bene assignata, et quod oppositio secundum illam significationem, secundum quam convenit contradictioni, non est omnino idem illi, sed superius : et habet aliud inferius, videlicet *privativam oppositionem* ; quia tam illa, quam contradictio, vel est non entis, ut subjecti, vel ut termini, quorum utrumque oporteret esse ens, ad hoc, quod relatio esse ens. Ex his sequitur, quod oppositio in uno sensu sumpta, dicitur de contrarietate, et relativa oppositione univoce, et in alio sensu dicitur univoce de contradictione, et privativa oppositione.

Ad tertium dicitur, quod generalissimum Relationis non est *ad aliquid*, nec aliquid quod est in illo genere per se; sed ipsum generalissimum est habitudo unius ad aliud, et ita omnia, quæ sunt in genere Relationis.

Ad illam probationem in contrarium, dicitur, quod illa definitio non datur de relatione, sed de relativis. Similiter, hoc nomen *ad aliquid*, est concretive dictum a relatione, et non relatio, nisi sic intelligatur, *ad aliquid*, id est, habitudo ad aliquid. Per hoc similiter ad quartam rationem principalem, quod primæ species relationis non referuntur ad invicem sibi, nec alii; sed sunt principia referendi, sicut et omnia alia, quæ sunt in genere Relationis.

Contra istas duas responsiones, ex his sequitur, quod neutra definitio, quam ponit Aristoteles, esset eorum, quæ sunt in genere Relationis, nec etiam aliqua proprietas, quam ipse assignat, et ita omnis determinatio Aristotelis esset impertinens ad genus relationis. Consequentia prima patet, inducendo in singulis proprietatibus; quas ponit Aristoteles, quarum nulla convenit relationibus ; sed relativis. 9. *Objectiones.*

Item, oppositum non est principium sui oppositi ; igitur forma absoluta non est principium secundum quod aliquid dicitur comparatum ad aliud : sed relatio est hujusmodi forma ; igitur non est absoluta in se, igitur est ad aliud. Item, concesso eo, quod dicitur, non vitatur difficultas argumentorum principalium ; quia si generalissimum in abstracto sit Relatio, aliquid secundum eam dicitur relative ad aliud. Probatio hujus, tum quia secundum Qualitatem, secundum quod est generalissimum dicitur *quale*, secundum Aristot. cap. de Qualitate, quia sic notificat qualitatem ; igitur secundum Relationem, ut est generalissimum, dicuntur aliqua relativa ; tum quia secundum relationes inferiores in genere Relationis, dicuntur aliqua relativa : omne autem inhærens per se primo cuilibet Speciei univoce, inhæret per naturam generis, et ita generi primo ; igitur secundum generalissimum dicitur aliquid rela-

tive. Ex hoc arguo : aut relativum dictum secundum formam generalissimi, dicitur ad aliquid, secundum aliam formam, aut eamdem : si eamdem, igitur relativum æquiparantiæ : igitur et relatio illa est relatio æquiparantiæ : igitur et omnes inferiores relationes. Si dicatur ad aliud secundum aliam formam : igitur et illi alii correspondet alia forma, secundum quam dicitur relative ad istud, illa est æque prima cum Relatione, quæ est generalissimum, quia relativum illud, est æque primum cum illo; igitur duæ relationes generalissimæ æque primæ.

10. Similiter manet difficultas quartæ rationis; quia si primæ species sint relationes, quæro an sint relationes æquiparantiæ, et ita omnes relationes inferiores erunt tales relationes. Aut A est principium referendi aliquid dictum secundum ipsum, ad aliquid denominatum A, B, et ita erunt A, et B, relationes suppositionis, et superpositionis : aut A est principium referendi denominatum ab eo, ad aliquid denominatum ab alia forma, ut A, C, et B est principium referendi ad aliquid, secundum eamdem formam, et tunc erunt tres primæ species; aut A est principium referendi ad aliquid dictum ab alia forma, et B similiter, et tunc erunt quatuor primæ species, et universaliter cum omni relationi correspondeat correlativum, et e converso, nulla diversitas erit in numero relationum, et relativorum.

Solutiones Ad primum istorum dici potest, et concedi consequens primum, quod illa definitio non est generalissimi Relationis, nec alicujus specierum, sed ejus quod denominative dicitur ab ea. Similiter de proprietatibus, nec tamen sequitur ulterius, quod determinatio Arist. nullo modo sit conveniens generalissimo Relationis, quia relatio inter omnia entia, est debilissimum ens, cum sit sola habitudo duorum, et ita minime est cognoscibilis in se, cognoscibilior autem est secundum quod informat ea, quorum est habitudo : et ad determinandum de relatione, conveniens fuit determinare de relativis, præcipue cum ex eorum cognitione, sive definitione, sive quoad proprietates eorum, possit haberi cognitio relationis : quia si relativi esse est ad aliud se habere, proportionaliter relatio est forma, secundum quam hoc sic se habet ad aliud. Consimiliter quoad proprietates si relativa dicantur ad convertentiam, relatio est forma, secundum quam aliqua dicuntur ad convertentiam, et sic de cæteris proprietatibus.

Ad aliam rationem dico, quod comparatio, et absolutio, non sunt opposita, nisi circa idem, et ideo absolutio circa formam, et comparatio circa subjectum informatum forma, non sunt opposita. Aliter potest dici, quod relatio non est forma comparata, nec absoluta, quia enim est forma, secundum quam aliquid dicitur comparatum alteri ; ideo nec est nata dici absoluta, nec comparata ; sicut nec absolutio sibi opposita est absoluta, nec comparata. Si dicatur absolutum, et comparatum esse contraria immediata circa ens ; verum est circa ens quod est natum ea recipere, sicut *sanum*, et *ægrum* sunt contraria immediata circa corpus animalis : sed non circa sanitatem, vel ægritudinem, nec enim sanitas, neque ægritudo est ægra, vel sana.

Ad alias rationes dicitur, quod neque 11
secundum generalissimum relationis aliquid refertur : neque secundum ejus primas species, sed solummodo secundum ejus species inferiores. Ad secundum prius positam contra hoc, conceditur, quod secundum omnes relationes inferiores, aliquid refertur. Igitur secundum genus, etc. conceditur secundum ipsum genus, ut est in inferioribus, non in se. Contra illud secundum Arist. in 4. Topic. cap. 4. si Species sit ad aliquid, et Genus erit ad aliquid : igitur si species sit principium referendi ad aliquid, et genus erit principium referendi ad aliquid. Item secundum quæ aliqua includuntur, quod generalissimum sit relatio, sive habitudo ad aliud, et quod informando subjectum, non faciat subjec-

tum se habens ad aliud. Item probatio secunda non solvitur, quia secundum Species omnes specialissimas aliquid refertur : igitur secundum aliquod univocum illa sunt genera infima intermedia ; sed secundum omnia illa aliquid refertur : igitur per aliquod univocum eis, quod genus univocum est superius eis, et ita semper ascendendo ad generalissimum, tandem oportet concedere, quod secundum generalissimum aliquid refertur, nec solummodo secundum quod habet esse in inferioribus, quia sic nec est aliud a suis inferioribus, et per consequens non univocum illis.

12. Ad secundam istarum rationum diceretur, quod generalissimum non informat substantiam, nisi in suis inferioribus, quia non informat substantiam, nisi inquantum est ens, non est autem ens, nisi in suis inferioribus. Contra hoc, saltem potest concipi ab intellectu, relationem informare substantiam, non concipiendo aliquam inferiorem relationem informare substantiam ; quia potest prius concipi ab intellectu, non concipiendo posterius, et ita conceduntur opposita, scilicet ipsum informare substantiam, et tamen non esse relativum relatum per ipsum, quod est impossibile.

13. *Ad 3. principale.* Ad tertiam igitur rationem principalem dicendum, quod generalissimum in genere Relationis, est principium referendi ad aliud, sed non ad aliud relativum, secundum aliam formam genere. Consimiliter, relativum dictum a generalissimo denominative dicitur relative, sed non ad aliquid relatum secundum aliam formam genere.

Contra hoc, si relatio sit principium referendi ad aliquid relatum secundum eamdem formam, igitur est relatio æquiparantiæ, et relativum denominatum ab ea relativum æquiparantiæ, et ita omnes relationes, et relativa inferiora, erunt æquiparantiæ, quod est inconveniens.

Ad istud dicendum, quod relativum æquiparantiæ est æquivocum, quia proprie sumptum, est aliquid relatum ad aliud, secundum eamdem formam specie, a qua imponitur unum nomen, quod de utroque extremo relationis talis dicitur, cujusmodi sunt *simile*, et *æquale*, et hujusmodi. Transumptive dicitur relativum æquiparantiæ omne illud, quod eodem nomine denominat utrumque extremum, licet illud nomen non imponatur ab una forma specie, et hoc secundo modo, concedo Relationem, quæ est generalissimum, esse relationem æquiparantiæ, et relativum æquiparantiæ ; dicitur enim relativum relativi relativum, sed relatio primo modo sumpta est species hujusmodi generis.

Contra, quocumque modo generalissimum sit relatio æquiparantiæ, sequitur relationes omnes inferiores esse illo modo tales, quod videtur inconveniens, cum paternitas, filiatio, et hujusmodi relationes superpositionis, et suppositionis, nullo modo sint relationes æquiparantiæ; quia non denominant utrumque extremum aliquo eodem nomine. Ad hoc dici potest, quod omnis relatio inferior est æquiparantiæ, id est, principium referendi ad aliquid dictum secundum eamdem formam genere, ubi etiam utrumque extremum, eodem nomine generis nominatur, licet non quælibet sit principium referendi ad aliquid secundum eamdem formam specie: nec ubi utrumque nominatur nomine speciei. Dicitur enim pater secundum formam sui generis relativum relativi, etsi non dicatur secundum propriam formam patris, quia secundum propriam formam patris dicitur pater.

Ad quartam rationem principalem concedo, quod tam A, quam B est principium referendi ad aliquid dictum secundum eamdem formam : puta, sit A, hoc quod est relatio æquiparantiæ ; B, hoc quod est relatio superpositionis, et suppositionis ; et relativum denominatum a B, quod est relativum superpositionis, et suppositionis, dicitur ad relativum suppositionis et superpositionis : sed non sequitur ex hoc, ipsum esse relativum æquiparantiæ, nisi 14.

sumendo secundo modo, sicut dictum est prius.

Et si forte quæratur divisio hujus generis, quod est B, quomodo ejus primæ species se habent; potest concedi, quod referantur mutuo inter se, ut si unum sit relativum secundum potentiam activam, et reliquum secundum potentiam passivam: et ulterius potest concedi, quod species eorum referantur inter se, ut pater, et calefactivum, quæ sunt species primi generis ad filium, et calefactibile, quæ sunt species secundi, et proportionabiliter est dicendum de relationibus correspondentibus.

15. *Epilogus quæstionis.* Ex his patent tot, qualiter relationes relationis se habeant ad genus Relationis: et juxta hoc, quomodo entia rationis sunt in genere, et quomodo illud sit intelligendum, inter contradictoria non esse medium, et quomodo oppositio se habet ad illa quatuor, in quæ dividitur inferius in hoc libro; et quomodo secundum Relationem, ut est generalissimum, aliquid refertur; et ad quæ referatur, quod ab eodem denominative dicitur; et quomodo æquivoce dicuntur aliqua relativa æquiparantiæ; et qualiter determinatio Arist. sit conveniens, quæ est de relativis, cum solæ relationes sint in hoc genere, ut species; et quomodo hujus Generis sunt tantum duæ primæ Species, etc. quæ patent inspicienti.

Si ergo sufficienter eorum quæ sunt ad aliquid, definitio assignata est, aut nimis difficile, aut impossibile est solvere: quoniam nulla substantia eorum quæ sunt ad aliquid dicitur. Si autem non sufficienter, sed sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum est esse ad aliquid, quodammodo se habere fortasse aliquid contra ista diceretur, etc. Cap. eod.

QUÆSTIO XXVI

An secunda notificatio relativorum, quam ponit Aristoteles, sit convenienter data

Albertus Magn. *hic cap.* 2. Rubius *q.* 4. *in cap. de Ad aliquid.* Conimb. *in explan. hujus cap. et deinde q.* 1. *art.* 3. Rodriguez *in hanc quæst. Doctoris art.* 9. Carmus Carmel. *q.* 1. *de relat.* Averus [illegible] *de Ad aliquid, disp.* 1. *q.* 4. *et* [illegible] *Logici hic.*

1. [illegible] Quod non videtur; quia illa nulli in genere relationis convenit; igitur non convenit generalissimo relationis. Probatio antecedentis; quia si esset relationis esse ad aliud se habere, hoc esset per aliam relationem illius; igitur alterius esse esset ad aliud se habere pari ratione, et sic in infinitum, quarum semper posterior esset relatio prioris, quod est inconveniens.

Item, illa definitio aut est formæ relationis in se, quod per argumentum præcedens est improbatum; aut subjecti in se, quod est falsum etiam, quia ejus esse non est ad aliud se habere, quia ipsum secundum se est res alterius generis, et absolutum, aut subjecti informati tali forma, et tunc est entis per accidens, quod est inconveniens, quia ejus non est definitio, secundum Aristotelem 6. Metaph. text. 4. et inde; nullius igitur est notificatio illa, quod est inconveniens.

Item, generalissimum est prædicabile de qualibet sui specie, sed hoc non potest esse, nisi secundum quod significatur in singulari: illa autem notificatio datur de aliquo, secundum quod significatur in plurali: igitur non de ipso generalissimo.

Item hæc notificatio non videtur convenire omnibus quæ sunt in genere Relationis, multa enim dicuntur ad aliud, quorum esse essentiale non est ad aliud se habere essentialiter. Ad oppositum est Aristoteles.

2. [illegible] Dicitur ad quæstionem, quod quædam sunt relativa, quædam secundum esse, et alia secundum dici. Prima notificatio Aristotelis datur de relativis secundum dici, scilicet, *Ad aliquid dicuntur quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud.* Secunda notificatio, quam magis approbat, scilicet, *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse est ad aliud se habere,* datur de relativis secundum esse.

Contra hanc distinctionem, sunt diversa

datur per opposita,aut non; si non,non valet; si sic, igitur relativa secundum *dici*, non sunt relativa, secundum *esse*, igitur non sunt relativa,igitur relativa male dividuntur in illa. Similiter si sint opposita, sequitur quod relativa secundum *esse* non sunt relativa secundum *dici*, quod est falsum. Si dicatur, quod membra debent intelligi cum præcisione, sequitur,quod relativa secundum *dici*,sunt tantum secundum *dici*, et ita illa non verius essent relativa, quam nigrum dictum album est album. Item, alterum membrum divisionis convertitur cum diviso, idem enim est homo absolute, et homo secundum esse.

Item, illa notificatio, quæ ponitur relativorum secundum *dici*, nulla est; tum quia illa competit substantiis, quæ nullo modo sunt ad aliquid, secundum Aristotelem, qui hoc habet pro inconvenienti; tum quia illa secundum illam, *disciplina* dicitur relative ad *disciplinatum*, quia ejus: et pari ratione *albedo* ad *album*, et pari ratione omnia accidentia ad subjectum, quia eorum dicuntur; ex illa igitur notificatione nullum eorum potest concludi esse in genere Relationis.

3. *1. Conclusio.* Dicendum igitur, quod relativa nullo modo dividuntur in relativa secundum *esse*, et relativa secundum *dici*; quia sumendo membra præcise, relativum secundum *dici* non est magis relativum, quam homo mortuus est homo. Forte tamen entia sic dividuntur, quod quædam sunt relativa secundum *esse*, ut illa quæ denominative dicuntur a relationibus, quædam sunt relativa secundum *dici*; ut quæ sunt in aliis Generibus, et secundum aliquam habitudinem dicuntur ad alia; illa tamen, simpliciter loquendo, non sunt relativa. Sed vere relativorum quædam dicuntur secundum suam propriam formam ad aliud, ut quæ sunt primo, et proprie relativa; alia sunt vere relativa, et non dicuntur secundum propriam formam ad alia: ut sunt relativa secundum genus. Illa enim sunt per se relativa, sed non primo: et dicuntur ad alia secundum formam sui generis: ut si *scientia* sit per se relativum, impossibile est illud quod est ejus species, secundum illam significationem, non esse relativum, quia tunc genus, et species non essent in eodem genere: sed non est primo relativum, quia non secundum illud, quod superaddit suo generi: et ideo dicitur ad correlativum generis, secundum ipsum genus.

Entia alia relativa secundum dici, alia secundum esse.

Relativa quædam dicuntur ad aliud secundum propriam formam, quædam secundum formam sui generis

2. Conclusio. Dicendum igitur, quod secunda notificatio Aristotelis est conveniens de relativis; quia indicat rationem eorum, inquantum sunt relativa: ut patebit respondendo ad rationes.

4. *Ad 1. primum* Ad primum igitur dicendum est, concedendo, quod illa notificatio non datur de relatione, sed de relativis dictis denominative ab ea; quare autem illa definiat, et non relationes, et eorum proprietates ponat, dictum est in præcedenti quæstione.

Ad 2. Ad aliam dico, quod illa notificatio non est relationis absolute, ut significatur in abstracto: neque subjecti absolute, neque totius aggregati, sed formæ, ut informat subjectum, eo modo quo significatur per nomen concretum dictum a generalissimo relationis: ita quod ly *ut*, non dicat partem ejus, quod significatur, sed modum.

Ad 3. Ad tertiam, dictum est prius, quare relativa æquiparantiæ definiantur in plurali convenientius, quam in singulari; cum hujusmodi sit illud, quod hîc definitur, sicut patet ex præcedenti quæstione.

Ad 4. Ad quartam dicendum, quod illa ratio convenit omnibus essentialiter, quæ sunt in genere Relationis, ut denominative dicta a relationibus: si autem sint quæ dicantur ad aliud, et non habent hanc rationem, non sunt relativa, nisi secundum quid.

De prima proprietate, et secunda, quæ 5.
sunt *recipere contraria*, et *suscipere magis, et minus*, notandum, quod illæ non insunt per se relationibus neque forte relativis, sed tantummodo ratione eorum, in quibus per se fundatur relatio, unde quæ fundatur in formis suscipientibus magis, et minus, vel contrarietatem, recipiunt hæc;

sicut similitudo secundum albedinem recipit magis, et minus, et contrarium, quia et albedo, in qua fundatur : similitudo autem quæ est secundum aliqua, quæ sunt in quarta Specie Qualitatis, non suscipit contrarium, nec magis, et minus ; quia nec illa suscipiunt, in quibus illa similitudo fundatur : et hoc, loquendo de prima proprietate, de contrarietate proprie dicta. Tum quia si illæ duæ per se inessent relationibus, posset esse motus in genere Relationis, quia posset esse acquisitio partis post partem, alicujus formæ in genere relationis, et talis acquisitio est motus, secundum Commentarios super tertio Physicorum, text. com. 10. sed Consequens est inconveniens, scilicet motum esse per se in genere Relationis, quia est contra Aristotelem in 5. Physicorum : tum quia si in forma relationis esset suscipere magis, et minus, relativum dictum secundum magis, per se referretur ad duo, scilicet ad aliquid dictum secundum minus, secundum eandem formam, et præter hoc, ad illud ad quod tale relativum absolute dicitur. Verbi gratia, similius diceretur per se, ad *minus simile*, et præter hoc, ad illud, ad quod suum positivum refertur, scilicet *simile* ; sed consequens videtur inconveniens, quia contra Aristotelem 5. Metaph. tex. com. 22. qui habet pro inconvenienti, quod idem bis referatur, id est, ad duo.

Suscipere contrarium et magis, et minus, accidit relativis. Propter hoc videtur dicendum, quod illæ proprietates per accidens insunt relativis, nec obstat auctoritas Aristotelis in contrarium, quia nihil videtur secundum propriam opinionem determinare de relativis ante illam partem, ubi incipit improbare primam notificationem relativorum, sed ad minus nullum relativum dicitur proprie contrarium ei, cujus est relativum, licet accidat aliquid idem uni esse relativum, et alii contrarium, ut *scientia* contrariatur *ignorantiæ*, et ad illam non refertur, sed ad *scibile*.

Videntur autem ad aliquid simul esse natura, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO XXVIII

Utrum Relativa sint simul natura

Boetius, Simplicius, Porphyrius, Ammonius in Commentariis hujus cap. Albert. Andreas eum Text. *hic.* **Versorius** ***tract.*** **3.** ***in Log. Petri Hisp. de*** *Relat. propr.* Conimb. in Commentar. *textus hujus cap. de Ad aliquid.* Rubrigenus *hic art.* 3 *in hanc quæst.* Mercenne *disp.* 1. *de Relat. quæst.* 5. Averro *quæst.* 19 *sect.* [illegible]

Quod non videtur : quia secundum Porphyr. cap. de Specie, Genus refertur ad Speciem, et e converso ; sed hæc non sunt simul natura ; quia illud est prius natura, a quo non convertitur subsistendi consequentia : hujusmodi est genus ; quia a specie ad genus tenet consequentia, et non e converso : igitur, etc. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Consimiliter potest argui fere in omnibus intentionibus relativis ad invicem, ut de prima substantia, et secunda de universali, et particulari.

Item secundum Porphyrium cap. de Differentia, *Socrates senex differt a se puero* ; sed differentia est quædam relatio, igitur Socrates senex, et Socrates puer, referuntur ad invicem ; sed hæc non sunt simul natura. Ita potest argui de omnibus quæ non sunt eadem, sed ordinata ad invicem, quoad istas relationes, *differentia*, et *diversitas*.

Item, *scibile*, et *scientia* referuntur ad invicem, et non sunt simul natura, quia destructo scibili, destruitur scientia, et non e converso. Similiter de *sensu*, et *sensibili*, ut arguit Aristoteles hic in littera ; quia destructo sensibili, destruitur corpus animalis, licet sit corpus, ut genus in genere Substantiæ, vel ut in genere Qualitatis ; quia destructo corpore animalis, destruitur sensus ; quia sensus est in corpore, ut in subjecto, etsi sit in anima, ut in principio, vel causa : igitur a primo ad ultimum, destructo sensibili, destruitur

sensus, sed non e converso, quia sensus destruitur, destructo animali, sed destructo animali, non oportet sensibile destrui : possunt enim illa manere adhuc, ex quibus est animal, quia sunt naturaliter priora animali. Isto modo contingit arguere de omnibus relativis secundum tertium modum, qui ponitur in 5. Metaph. context. 20. scilicet quæ referuntur, ut *mensura*, et *mensurabile*, et e converso.

Item, pater dicitur relative ad filium, et pater potest manere destructo filio; igitur non sunt simul natura. Probatio minoris, tum quia destructo isto filio, potest alius filius manere, ad quem potest pater dici, tum quia destructo filio, possibile est nullam mutationem fieri circa idem subjectum paternitatis. Sed impossibile videtur, formam talem prius existentem in subjecto postea non esse in subjecto, nisi subjectum mutetur : ergo impossibile est paternitatem prius existentem in isto, postea non esse in isto, propter istam solam destructionem filii; igitur destructo filio, manebit iste pater, sicut prius. Tum quia pater dicitur eo, quod genuit : impossibile autem est eum, qui genuit, non genuisse; quia omnis propositio vera de præterito est necessaria : igitur impossibile est eum, qui aliquando est pater, postea non esse patrem, necessario igitur pater manet etiam destructo filio.

Item prius, inquantum prius, refertur ad posterius, inquantum posterius, et causa inquantum causa refertur ad causatum; sed prius inquantum prius, non est simul natura cum posteriori, neque causa, cum causato : igitur neque omnia relativa sunt simul natura.

Item, relativa secundum genus, sunt per se relativa; quia in eorum per se intellectu sunt eorum genera, secundum quæ referuntur, et non habent alia correlativa, quam correlativa generis; sed correlativum generis est simul natura cum genere, quod est prius naturaliter specie : igitur, et illud correlativum est prius naturaliter specie, igitur, etc.

Ad oppositum est Aristoteles.

Item, omnia relativa dicuntur ad convertentiam, per ipsum in tertia proprietate, id est, secundum mutuam dependentiam; igitur neutrum est prius altero; quia qua ratione hoc esset prius illo, eadem ratione, et e converso, illud prius isto, cum mutuo dependeat, et ita idem, respectu ejusdem, esset prius, et posterius, quod est inconveniens. 3. *Argumenta pro parte affirmativa*

Ad quæstionem dicendum, quod illa relativa, quæ mutuo per se referuntur, ita quod unius esse sit ad aliud se habere, et e converso, sunt simul natura, propter rationem Aristotelis, quia posito uno ponitur reliquum, et e converso ; et destructo uno destruitur reliquum, et e converso. Si tamen sint relativa per accidens, vel non per se relativa mutuo, non oportet quod sint simul natura. Per accidens relativa sunt, quæ non secundum suas formas dicuntur ad invicem, et non mutuo dependent, quorum unum secundum suam propriam formam dependent ad aliud, et reliquum e converso, secundum suam formam non dependent ad ipsum, cujusmodi sunt quæ referuntur, ut mensura et mensurabile, ad invicem. Scientia enim per se dicitur ad scibile, sed scibile non ad scientiam, nisi quia scientia ad ipsum, secundum Aristotelem 5. Metaph. cap. de Ad aliquid, text. com. 20. 4. *Conclusio Doctoris. Relativa quæ simul natura.* *Relativa per accidens qua*

Ad rationes, ad primam dicendum, quod intentiones Generis, et Speciei, referuntur ad invicem, et sunt simul natura : sed quod subest intentioni generis, non inquantum ei attribuitur illa intentio, sed inquantum existit, prius est eo, cui attribuitur intentio speciei : et inter illa, quæ subsunt, est consequentia non mutua, sed inter intentiones est consequentia mutua; de illis enim sequitur, *si genus est, Species est*, et e converso. Subjecta autem harum intentionum sunt relativa per accidens : hujusmodi relativa non oportet simul esse natura. *Ad 1. prin*

Ad secundam. Socrates puer, et Socrates senex, sunt relativa per accidens ; quia in *Ad 2.*

relativis æquiparantiæ, utrumque per se extremum est aliquid nominatum eodem nomine : unde hæc per se extrema sunt, *differens* et *differens*, et illa sunt simul natura. Cum enim Socrates est puer, est differens a Socrate sene ; et Socrates est senex, est differens a Socrate puero ; quia utrumque est simul differens ab alio, licet non utrumque sit simul.

Ad 3. Ad tertiam, illa ratio verum concludit de relativis, quæ non dependent ad se mutuo.

Ad 4. Ad quartam dico, quod licet sola substantia patris possit manere destructo filio: tamen pater non potest manere. Cum probatur oppositum, ad primam probationem dico, quod pater non refertur ad hunc filium, nisi per accidens : ad filium autem per se ; et ideo destructo hoc filio, dummodo maneat alius filius, potest et pater manere ; quia non oportet relativum esse simul natura cum suo correlativo per accidens.

Ad aliam probationem dico, quod possibile est formam realem inesse subjecto, vel non inesse sine mutatione subjecti in se, quia quod inest subjecto tantum in comparatione ad aliud, potest illi non inesse, tantum altero transmutato.

Ad tertiam probationem, si concedatur aliquando patrem non posse non esse patrem, concedendum est aliquando filium non posse non esse filium ; quia sicut de eo, qui genuit, semper est verum dicere, quod genuit : ita de eo quod genitus est, semper verum est dicere, quod genitus est, licet non semper existat et per consequens semper manet filius, sicut et pater.

Sed si dicatur, patre existente, et nullo existente qui est filius, verum est dicere, quod pater est, et filius non est ; quia *esse* quando prædicat secundum adjacens, prædicat esse existere, secundum Boetium. Igitur non sunt simul natura. Dici potest, quod relativa sunt simul natura secundum illud esse, quod est eis proprium inquantum sunt relativa ; sed illud non est esse existere, quia hoc accidit eis inquantum referuntur, et ideo unum relativum potest sic esse, non existente alio : unde hæc consequentia non tenet, Pater est, hoc est existit : *igitur filius est*, scilicet existit : licet teneat sumendo *esse*, ut est proprium patris, inquantum refertur, et consimile esse filii, et ita intelligenda est consequentia Aristotelis, qua probat relativa simul esse natura.

Ad 5. Ad quintam dico, quod istæ intentiones, *prius*, et *posterius*, et *causa*, et *effectus*, referuntur ad invicem, et sunt simul natura, sed non res quæ subsistunt.

Contra hoc, quod est simul cum posteriore, inquantum posterius, est posterius ; si igitur prius, inquantum prius, refertur ad posterius, inquantum posterius, et ita esset simul cum posteriori, prius, inquantum prius, esset posterius ; sed hoc est inconveniens, loquendo de intentionibus, quia prædicatur oppositum de opposito. Ad hoc potest dici, quod major propositio est vera sumendo *simul* eodem modo, quo sumuntur *prius*, et *posterius* ; sic non est in proposito, quia *prius*, et *posterius*, sumuntur pro ipsis intentionibus, et *simul* sumitur pro simultate naturæ. Vel aliter, quod *prius*, et *posterius* sumuntur secundum rem, *simul* autem, secundum rationem. Sed tunc videtur sequi, quod relatio prioris et posterioris sit tantum secundum rationem, si extrema sint tantum secundum rationem.

Ad sextam dicendum, quod illa ratio concludit verum de correlativis generum, ad quæ dicuntur aliqua alia relativa secundum genus, inter illa enim non est dependentia mutua per se. Ad 6.

Ex his ergo manifestum est, quod si quis aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid, definite sciet, et illud ad quod dicitur definite sciturus est : quoniam eorum quæ sunt ad aliquid, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO XXVIII

Utrum in definitione unius relativi necessarium sit ponere suum correlativum.

Aristoteles 5. Top. cap. 2. Averroes in expos. hujus loci. Albertus cap. 9. Porphyr. cap. de Spe-

cic. Doctor 1. *d.* 30. *quæst.* 2. Anton. Andreas, Tartar. *de Relat. difficult.* 1. Conimbr. *in exposit. textus hic, et postea quæst.* 3. Cursus Carmel. *quæst. ultima de Relat.* Rodriguez *hîc art.* 5. Merinerus *de Relat. cap.* 7. Aversa *de Relatione quæst. ultima.*

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia omne ponendum in definitione, est prius, et notius, et genus, vel differentia, respectu definiti : sed respectu relativi definiti, nullo istorum modorum se habet suum correlativum ; ergo, etc. Minor patet, quoad duo prima membra, per argumentum ad oppositum, ad præcedentem quæstionem.

Item, omnis definitio indicat essentiam definiti : sed unum relativum non est de essentia alterius ; quia relativi esse est ad aliud se habere; *aliud* autem dicit diversitatem essentialem : igitur, etc.

Item, in definitione unius oppositi, non debet poni alterum : relativa sunt opposita ; ergo, etc. Probatio majoris : tum quia ad omnia opposita sequuntur contradictoria, et in definitione unius contradictorii, non debet poni alterum : ergo nec in aliis oppositis. Consequentia patet, quia ad cujus definitionem non pertinet consequens, nec antecedens ; tum quia quælibet pars definitionis potest prædicari de eo de quo et definitum prædicatur, per Aristotelem in consideratione tertia secundi libri Topicor. cont 2. et 3. ergo si in definitione unius oppositi, poneretur alterum, duo opposita prædicarentur de eodem, quod est inconveniens. Minor patet in illo cap. *Quoties autem solet opponi,* in Postprædicam. ubi Aristoteles enumerat unam speciem oppositionis, relativam oppositionem : et exemplificat, ut *duplum, dimidium,* dans intelligi, quod hoc sequitur in omnibus relativis. Si dicatur, majorem esse veram tantum in aliis oppositis a relativis : contra, contraria et contradictoria sunt relative opposita : quia contrarium dicitur contrario contrarium ; igitur si unum contrarium non definiatur per alterum, non omne relativum definietur per suum correlativum.

Item, *omnis differentia secundum speciem est contrarietas,* secundum Aristotelem in 10. Metaph. text. com. 13. et 24. sed relative opposita differunt specie ; igitur sunt contraria : si una sit vera de contrariis, et de relative oppositis erit vera.

Item, idem significat nomen, et definitio per Aristotelem in 4. Metaph. text. 28. sed nomen relativi, non significat suum correlativum ; quia tunc esset nugatio exprimendo unum cum alio, igitur nec in definitione debet poni reliquum.

Item, aliqua est bona definitio relativi, ubi non ponitur suum correlativum, ut hæc, *Species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero,* etc. ubi non ponit genus, ad quod dicitur species relative : igitur non semper oportet relativum definiri per suum correlativum.

Item, omnes rationes factæ ad præcedentem quæstionem, quæ probant unum relativum posse esse sine altero, probant unum non esse definiendum per alterum : nihil enim definitur per illud, sine quo potest esse.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum Porphyrius in c. de Specie dicit, quod genus dicitur ad speciem, et e converso : *ideo necesse est in utrorumque rationibus utrisque uti.*

Item Aristoteles hîc dicit, quod impossibile est unum relativum definite cognosci, nisi cognoscatur alterum ; sed quodlibet incomplexum definite cognoscitur, cum cognoscatur per suam definitionem ; igitur impossibile est unum relativum cognosci per suam definitionem, nisi cognito altero : igitur unum necessario est ponendum in definitione alterius.

3. *Conclusio.* Hoc potest concedi, quia esse essentiale relativi, est ad aliud se habere : definitio autem indicat esse essentiale definiti ; igitur definitio relativi debet indicare suum esse se habere ad aliud, quod non potest, nisi in ea ponatur correlativum ipsius definiti ; igitur, etc. Istud autem verum est, non tantum de relativis mutuo dependentibus, sed de quibuscumque, quæ essentialiter dependent ad alia, quod illa alia ponenda sunt in eorum definitione, sed non mutuo se definiunt, nisi quæ mutuo ad in-

vicem per se dependent, quod non est verum de relativis per accidens, neque de relativis tertio modo relatis, ut mensura, et mensurabile, neque de relativis secundum genus.

4. Ad princ. Ad primam rationem, major est vera de definitione, quæ datur tantummodo per essentialia, cujusmodi est definitio substantiæ, vel ad minus absoluti, non respectivi. Quia enim respectiva essentialiter mutuo dependent, ideo mutuo se definiunt, licet neutrum sit prius altero.

Ad 2. Ad secundam, major est vera tantum de definitione, quæ datur sine additamento, cujusmodi non est definitio relativi, neque alicujus accidentis ; tamen in definitionibus aliquorum accidentium, tantum additur subjectum, præter essentiam definiti ; in definitionibus relativorum est subjectum et correlativum ; et hoc quia relativum ad plura dependet, quam aliud accidens, quod dicitur absolute.

Ad tertiam, potest negari major, de relativis, et contrariis transumptive dictis, et privative oppositis ; quia in his omnibus possibile est unum oppositum definiri per alterum.

Ad primam probationem majoris, forma argumenti non valet. Patet in aliis, ad substantiam sequitur, non qualitas, et ad definitionem hominis non pertinet non qualitas : ergo non substantia : non valet, neque illa regula sumpta, scilicet, *Ad cujus definitionem non pertinet consequens, nec antecedens*, vera est, nisi de consequentia superioris, et inferioris in eodem genere, qualis consequentia non est inter contradictorie opposita et relativa : quia negatio ex parte contradictoriorum, non est superius in genere ad alterum relativum, sicut *non pater*, non est superius ad filium.

Pars definitionis eo modo quo est in definitione, prædicatur de definito. Ad aliam probationem potest dici, quod omnis pars definitionis, eo modo quo ponitur in definitione, potest prædicari de definito, et ita unum relative oppositum non ponitur in definitione sui correlativi in recto, secundum quod ei opponitur, sed in obliquo, ut *hujus*, vel *huic* : et sic de eo prædicatur, licet enim pater non sit filius, est tamen filii. Potest etiam negari minor, quia non omnia relativa sunt relative opposita, sed tantummodo, si ambo opposito modo sumuntur respectu ejusdem.

Ad quartam, major est vera de definitione substantiæ, quæ datur tantum per essentialia. Contra saltem si relativum definiatur per correlativum, oportet correlativum saltem esse de intellectu relativi ; quia nihil definitur per aliquod, sine quo potest complete intelligi ; sed consequens est falsum, quia pari ratione, daretur suum correlativum intelligi, quando exprimeretur cum eo, et tunc esset nugatio, quia idem bis diceretur. Dicitur, quod relativum quando exprimitur cum suo correlativo, non amplius intelligitur per ipsum, licet detur intelligi, quando non exprimitur, quod videtur Aristoteles innuere, ubi dicit, quod in relativis non est dandum idem significari, id est, dari intelligi, per ipsa relativa relata separata, et per ipsa unita cum suis correlativis, et per hoc docet vitare nugationem in aliis. 5

Contra, quæro de nomine imposito uni relativo, si dat intelligi aliud correlativum, aut hoc est ex impositione, aut a natura ; sive sic, sive sic, sequitur quod non sit variatio circa ipsum sumptum et absolute junctum alii correlativo, quoad alterum istorum nec etiam erit variatio ad ipsum effectum, quin æqualiter semper detur correlativum intelligi.

Item, correlativum non datur intelligi per hanc vocem sui correlativi, nisi per hoc, quod relativum significatur per eam ; sed circa hanc causam, non est variatio, quia hoc relativum uniformiter significatur sive exprimatur aliud cum eo, sive non ; ergo nec erit variatio, quoad hoc, quod aliud relativum detur intelligi.

Ad primum istorum dicitur, quod vox imposita ad significandum unum relativum nullo modo est signum alterius, neque a natura, neque ad placitum ; sed quia relativum, quod per ipsam significatur, non potest intelligi sine suo correlativo, ideo 6

oportet intellecto isto correlativo, per hanc vocem, correlativum ejusdem intelligi, quod sit, quando aliud correlativum, per aliam vocem exprimitur, et etiam quando non exprimitur, sed non quia hæc vox aliquo modo sit signum illius : unde concedo ex parte vocis significantis, nullam accidere variationem expresso correlativo, vel non ; neque ex parte ejus, quod significatur per vocem, quoniam semper ad ejus intellectum oportet correlativum intelligi : sed sola variatio est ex hoc, quod correlativum expressum, vel non expressum per propriam vocem, datur intelligi per hoc relativum, et illa diversitas est valde accidentalis relativis.

7. Ad secundum patet, quia per hanc vocem impositam relativo, nullo modo datur intelligi correlativum, sed per ipsum, cui hæc vox imponitur, intelligitur aliud correlativum, quandoque expressum per ipsam vocem, quandoque non expressum.

Contra hoc, quidquid est signum signi, est signum signati : sed hæc vox imposita hîc relativo, est signum hujus relativi, et hoc relativum est signum correlativi, igitur hæc vox imposita huic relativo, est signum sui correlativi licet non immediatum.

Ad hoc dicitur, quod major est vera, quidquid est signum signi, est signum signati, ita quod signum intermedium non varietur in comparatione ad primum signum, et ultimum signatum, quod non accidit in proposito, quia extraneum est relativo inquantum dat intelligere suum correlativum significari per hanc vocem, et e converso.

Ad quintum dicitur, quod ejusdem possunt esse nulla per se relativa, et secundum hoc potest esse alia definitio conveniens, ubi ponitur unum correlativum, quamvis non ponatur reliquum.

QUÆSTIO XXIX

Utrum idem possit per se referri ad diversa

D. Thom. 3. *part. quæst.* 15. *art.* 5. *et* 3. *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 5. *et Quodl.* 9. Doctor 5. *Metaph. quæst.* 7. *et* 3. *d.* 8. *quæst. unic. et Quodl.* 11. Lichetus *super locum Doct. in* 3. *cit. et ibidem* Tartar. *et super hoc cap. dub.* 3. Bassolis 5. *Metaph. quæst.* 12. Vasq. *tom.* 4. *in* 3. *par. quæst.* 91. *art.* 1. Alvar. *ibid. disp.* 45. Suarez *disp.* 5. *Metaph. sect.* 8. *et disp.* 47. *sect.* 17. Fonseca 5. *Metaph. cap.* 1. *quæst.* 1. *sect.* 3. Molina 1. *parte quæst.* 1. *art* 3. Cajet. cum D. Thom. *supra*. Ferrar. *lib.* 1. *contra Gentes*. Soncinnas 5. *Metaph. quæst.* 32. *part.* 3. Tolet. *quæst.* 2. *hujus prædicamenti*, Ruvius *hîc quæst.* 8. Capreol. 1. *d.* 7. *quæst.* 2. Herveus 3. *d.* 8. *quæst.* 1. Palud. *ibid. quæst.* 2. Sanchez *lib.* 5. *quæst.* 34. Cursus Carmelit. *disp.* 14. *Log. q.* 7. §. 4. Merin. *disp.* 2. *de Ad aliquid q.* 3. Rodriguez *hîc art.* 1.

Quod non videtur, quia Aristoteles 5. Metaph. cap. de Relatione, cont. 20. habet pro inconvenienti, quod idem bis dicatur, id est, referatur ad duo correlativa. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, si aliquod relativum sit A, posset referri ad duo per se, scilicet ab B. et C. sequitur quod idem possit simul esse, et non esse. Consequens est falsum : igitur antecedens. Probatio consequentiæ, quia illa duo correlativa ejus, ut B. et C. non referuntur sibi invicem ; igitur unum potest esse sine altero, ut B. poterit esse, C. non existente : sed B existente, est A. C. non existente non est A. ergo idem, ut A. poterit simul esse, et non esse.

Item, relativi esse est ad aliud se habere: sed ad duo non est eadem habitudo : ergo esse unum unius relativi non est se habere ad duo : ergo nullum unum relativum essentialiter per se refertur ad duo.

Item, si sic, ejusdem relativi possent esse duæ definitiones : et ita idem relativum simul posset esse cognitum, et incognitum, quod videtur inconveniens, cum unius incomplexi sit tantum una cognitio.

Ad oppositum, Omnis species relativi dicitur ad illud, ad quod suum genus, per Aristotelem 4. Topicorum cap. 1. et 2. et præter hoc, potest habere suum correlati- 2. *Argumenta pro parte affirmativa.*

vum, aliud a correlativo sui generis : igitur refertur ad duo per se : ad correlativum enim generis, refertur per se, quia ad quodcumque essentialiter dependet genus, et species.

Item, Species refertur ad Genus, et ad Individua : igitur ad duo, aliter non assignaret Porphyrius cap. de Specie, tres, vel duas ejus definitiones ; igitur, etc.

Item, similius per se refert ad minus simile, præter hoc refertur ad illud, ad quod simile absolute refertur, igitur ad duo. Ita contingit arguere de omni relativo, dicto secundum magis,et minus,quod magis refertur ad minus, et e converso, et præter hoc ad illud, ad quod relativum simpliciter refertur.

Conclusio. Idem primo non refertur ad duo, bene tamen per se. Ad istud dici potest, quod idem primo non refertur ad duo, id est, secundum propriam suam rationem, quia tunc non esset unum essentialiter, sicut probat una ratio in contrarium ; per se tamen potest aliquod referri ad duo non omnino diversa, sed quorum unum includit alterum aliquo modo, sicut probant rationes ad oppositum ; quia aliquid secundum propriam formam potest dici ad unum, et secundum formam sui generis ad aliud, ad quod non dicitur primo ; quia non secundum ejus propriam rationem, secundum quam distinguitur ab aliis speciebus, licet per se, quia secundum genus quod est de ejus per se intellectu.

3. *Ad 1. princ.* Ad argumenta patet fere. Ad primum Aristoteles habet pro inconvenienti, quod aliquid primo referatur ad duo, sicut ad intelligentem, et intelligibile, secundum quod ibi loquitur, vel forte ad duo omnino diversa, cujusmodi sunt aliqua duo.

Ad 2. Ad aliud dico, quod B. et C. existentibus duobus ad quæ refertur A per se, vel non est possibile unum illorum esse, altero non existente, sicut si unum includat alterum ; vel non sequitur ejus esse, ad esse utriusque ; sed tantum ad esse sui primi correlativi, cum esse ejus non stat non esse alterius, quod est ejus per se correlativum, sed non primo.

Ad 3. Ad tertium dico, quod ad duo omnino diversa, non est eadem habitudo æque primo, licet possit esse ad duo includentia se : ad unum primo, ad reliquum per se, sed non primo.

Ad quartum patet, quia non habet duas definitiones secundum propriam rationem, sed unam talem, et aliam secundum rationem sui generis : et forte non sunt simpliciter dicendæ duæ definitiones ; quia illa, quæ est ejus secundum rationem sui generis, est pars definitionis, quæ est ejus, secundum propriam rationem suam. Juxta hoc patet ad quintam rationem præcedentis quæstionis. *Ad 4.*

Ad primam rationem in oppositum concedendum est Speciem relativi, referri ad correlativum sui Generis, sed non primo, neque etiam est correlativum Generis diversum simpliciter a primo correlativo Speciei : sed forte in eo includitur, quia secundum Aristotelem 2. Topicor. cap. 30 et inde. In relativis est consequentia in se ipso, ita quod si relativum ex una parte sequatur relativum ad correlativum primi, sequitur correlativum secundi : ex quo videtur sequi, quod correlativum primum Generis, sit superius ad correlativum Speciei, sicut et Genus ad Speciem, quod manifeste dicitur in 4. Topicorum cap. 4. et inde 7. Consideratione, de Relative oppositis. *4. Ad 1. pro parte affirmativa.*

Ad aliud dicendum, quod Species primo refertur ad Genus, sed per rationem sui Generis, quod est Universale, refertur ad Individua, sicut omne universale dicitur ad illa, de quibus prædicatur : et ita non primo ad utrumque : et illorum correlativorum alterum, ut genus, includit correlativum primum alterius, ut universale, et ita non potest esse non existente reliquo correlativo per se. Universaliter autem primum correlativum ad non primum, sed per se, vel dependet, vel ipsum includit, vel aliquid includit, quod ad ipsum dependet. Unde nunquam primum potest esse reliquo non existente, licet quandoque sit e converso. Prius autem correlativo non existente, reliquo quod per se, sed *Ad 2.*

non primo est ejus correlativum, existente, non oportet primum esse, quia positio per se correlativi, et non primi, non includit positionem reliqui.

Ad 3. Ad aliud dico, quod similius refertur primo ad minus simile, et omne magis, ad minus, secundum illam formam, sed per se, et non primo, refertur ad correlativum sui positivi, et correlativorum ejus alterum, ut *minus simile* includit reliquum, ut *simile*, per Aristotelem 2. Topicorum c. 29. in fine, *Quod secundum magis, vel minus inest, et simpliciter inest.*

5. Contra quædam supposita in hac quæstione. Videtur enim quod nihil sit per se primo relativum ad aliud, secundum illud, quod superaddit generi, quia nulla differentia in genere Relationis, est per se relatio, sicut nec in aliis generibus prædicatur Genus de aliqua differentia per se; igitur nulla differentia in genere Relationis, dicitur ad per se relativum : quia relativum per se non dicitur, nisi a relatione per se ; igitur nec specialia relativa, per differentias proprias, quas superaddunt generi, et ita non primo, sed omnia secundum genus.

Ad hoc potest dici, concedendo, quod nulla differentia, per se sit relatio ; tamen Species constituta per differentiam, est per se relatio, et ita denominative dictum a specie, potest referri ad aliquid proprie relativum primo, licet nullum denominative dictum a differentia sit tale.

6. *Notabile pro quæstione præcedenti.* Notandum pro quæstione præcedenti, quod sicut in definitione unius per se relativi, debet poni alterum, ita in definitione relationis, a qua dicitur illud relativum, debet poni alia relatio sibi correspondens, vel relativum dictum ab alia relatione, ut in definitione paternitatis debet poni filiatio, vel filius, quia relatio est essentialiter habitudo ad aliud : et impossibile est concipere habitudinem sine termino, ad quem est : et omne illud oportet poni in definitione, sine quo definitum non potest concipi, quia definitio exprimit completum intellectum definiti : ergo in definitione relationis oportet terminum ad quem est, poni : magis tamen videtur relationem, ut *filiationem*, ponendam esse in definitione relationis, ut *paternitatis*, quam relativum, ut *filius* : quia *filius* est simul natura cum patre, et *pater* est naturaliter posterius paternitate, sed nullum posterius videtur ponendum in definitione prioris.

Habitudo ad aliud non potest concipi sine termino

Sed ad istud posset dici, quod *pater* non est posterius paternitate, posterioritate opposita illi simultati, quæ est in relativis. Sicut enim illa relativa simul sunt, et non sunt, ita pater, et paternitas simul sunt ; licet *paternitas* sit prius patre, quia simplicius, et formale : et quod est posterius aliquo opposito modo isti prioritati, nihil prohibet poni in definitione prioris ; hoc modo, secundum hoc esset dicendum, quod correlativum, sicut *filius*, convenientius ponitur in definitione relationis, ut *paternitatis*, quam relatio, ut *filiatio* ; quia correlativum immediate significat terminum habitudinis. 7.

Contra istud, essentia relationis est absoluta in suo genere : tum quia quodlibet videtur esse absolutum in suo genere, quia quodlibet in suo genere habet modum *quid*, et modus *quid* est modus absoluti : tum quia omne ens, aut est absolutum, aut comparatum, illæ enim videntur esse differentiæ immediate dividentes *ens*, secundum quod descendit in Prædicamenta decem, sed relatio non est comparata, quia non refertur ; igitur est absoluta, igitur ad nihil aliud in suo genere dependet.

Consimiliter arguitur de relativis, quia essentia relativi est a relatione formaliter, et ita si relatio sit absoluta, et essentia relativi esset absoluta : ergo non dependet ad aliquid in suo genere ; igitur non debet definiri per aliud.

Item, si relatio dependet ad aliud, ut ad relativum, illud aliud erit terminus dependentiæ istius, sed *terminus* est posterius eo cujus est ; sed hoc est falsum, quia relativa sunt simul natura, et etiam relationes a quibus relative dicuntur.

8. Ad primum istorum potest dici, quod relativum est absolutum in suo genere, hoc est, in comparatione ad suum genus, quia suum genus dicitur de eo absolute, sed non oportet quod sit ita absolutum in suo genere, quod ad nihil aliud in genere dependeat. Cum ostenditur, eam relationem esse absolutam, ad primam probationem dicendum, quod quodlibet habet modum *quid* in suo genere, hoc est, genus ejus prædicatur de eo in *quid*, et ita absolute, sed ex hoc non sequitur ipsum esse omnino absolutum.

Ad aliam probationem dico, quod absolutum, et comparatum, ut dividunt *ens*, sunt idem quod ens in subjecto, et ens non in subjecto, et sic concedendo relationem esse comparatum, quia est ens in subjecto, non tamen comparatum ut relativum dicitur comparatum ad terminum, sed est comparatum ad terminum: cum hoc tamen stat, quod in definitione ejus oporteat terminum poni, quia comparatio ad terminum, non potest concipi sine termino.

9. De relativo autem manifestum est, quod ejus essentia non est absoluta, nisi respectu sui generis, quia ejus genus prædicatur de eo absolute, et in *quid*; simpliciter autem essentia ejus est ad aliud se habere. Nec sequitur ejus essentiam esse absolutam, etiam si relatio esset absoluta; quia quod inest principio formali, non oportet inesse composito, cujus illud est terminus, sicut si forma si simplex, non sequitur, essentiam compositi, quæ est per formam, esse simplicem. Vel aliter concesso, quod relatio sit absoluta, ut probatur superius dupliciter, et quod non dependeat ad aliud in genere relationis, non sequitur ipsum non esse definiendum per aliud in suo genere, quia est comparatio, et dependentia ad aliud, quorum neutrum definitur sine termino.

Quod inest principio formali, non oportet inesse composito.

Ad aliud dico, quod non omnis terminus dependentiæ, est posterius eo cujus est, præcipue quando est mutua dependentia, sicut est relativis per se.

10. *Nota.* Notandum, quod solutio illius quæstionis, vera est de relativis æquiparantiæ, quando definiuntur in singulari, quia eorum esse est ad aliud se habere; definitio enim debet indicare esse definiti; sed quando definiuntur in plurali, non oportet in eorum definitionibus eorum correlativa poni, tunc enim tam subjectum relationis, quam ejus correlativum exprimitur per idem nomen sumptum in plurali. Si arguatur contra hoc, igitur aliquid definitur per idem sibi specie, non videtur inconveniens hoc concedere, ut per [illegible], quando est relatio secundum eamdem formam specie, sicut nec est inconveniens de aliis relativis concedere aliquid definiri per aliud specie, quod tamen non est prius definito.

Aliquid potest definiri per idem sibi specie.

Vel diceret aliquis, quod *simile* differt a *simili*, cui refertur specie, quia opponitur sibi, et omnis oppositio sibi, est secundum formam, licet *similitudo* in hoc, et in illo sit eadem specie. Sed hoc non videtur, quod forma existente eadem specie, sint aliqua diversa secundum illam formam.

Qualitatem autem dico, secundum quam quidam quales, etc. Cap. de Qualitate.

QUÆSTIO XXX

Utrum Species Qualitatis convenienter assignentur

Arist. hic et 5. *Metaph.* [illegible] q. D. Thom. 1. 2. [illegible]

Quod non videtur. Nullum multiplex habet species, sed Qualitas est multiplex, per Aristotelem in libro [illegible] quia multipliciter dicitur. Major patet, quia genus prædicatur univoce per Aristotelem in definitione univocorum.

1 *Argumentum quod non* [illegible]

Item, cujuslibet unius generis sunt tantum duæ species primæ; Qualitas est unum genus; igitur non tantum quatuor

primas species : nec videntur istæ species subalternæ, quia nulla subalterna continetur. Major probatur sic, omnis divisio generis est per differentias contrarias, per Aristotelem in 10. Metaph. text. com. 13. et 24. et Boetium in lib. Divisionum ; sed *Tantum unum uni est contrarium*, ut probat Aristoteles in eodem 10. cont. 14. et 17. et inde : igitur tantum sunt duæ primæ differentiæ diversæ cujuslibet generis ; igitur tantum duæ species constitutæ per illas.

2. Item, impossibile est duas species ejusdem generis prædicari de eodem, sed *habitus*, et *dispositio*, quæ assignantur pro prima specie ; et *passio*, et *passibilis qualitas*, quæ assignantur pro tertia, prædicantur de eadem qualitate, ut de calore, et frigore, et consimilibus, quæ Aristoteles enumerat in prima specie, et tertia ; igitur prima species, et tertia non sunt duæ. Probatio majoris, *omnis differentia secundum speciem est contrarietas*, per Aristotelem in 10. Metaphysic. context. 13. et 24. et contraria nullo modo prædicantur de eodem. Minor etiam probatur ratione ; quia eadem qualitas secundum essentiam, potest inferre passionem sensui, et ita esse passibilis qualitas, et esse faciliter, et difficulter mobilis a subjecto, et ita esse habitus, vel dispositio.

Ad oppositum est Aristoteles, ut manifeste patet in littera.

Est autem qualitas eorum quæ multipliciter dicuntur : et una quidem species qualitatis est habitus et dispositio. Cap. eodem.

QUÆSTIO XXXI

An prima species Qualitatis sit habitus et dispositio

Boetius, Aver. Ammon. *in hoc cap.* D. Thom. 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 2. Caject. *et* Conrad. cum D. Thom *supra.* Javellus *et* Sot. *in hoc cap.* Vasq. 1.2. *dist.* 78. *cap.* 3. Salas 16. *quæst.* 52. *disp.* 5. *sect.* 1. Sanches *lib.* 5. *quæst.* 44. Titelmannus, Villalpandus, Lovan. *in præsent. cap.* Suarez *tom.* 2. *Met. disp.* 42. *sect.* 6. Tolet. Sot. Cantat. *in hoc cap.* Ruvius *quæst.* 2. *de Qualitate.* Conimb. *hic quæst* 1. *art.* 3. Hurtado *disput.* 14. *Met. sect.* 2. Merin. *de qualit. quæst.* 3. Rodrigues *hic art* 2. Aversa *hic sect.* 3.

Quod non videtur ; quia aut hæc sunt duo, aut non ; et si sic, igitur non sunt tantum quatuor species. Etiam non omnis habitus esset dispositio, quod est contra Aristotelem hîc, et in 5. Metaphysic. text. comm. 25. si non, igitur inconvenienter ponitur copulatio inter illa, quia copulatio vult esse inter diversa. Etiam inconvenienter poneretur eorum differentia, per *faciliter mobile, et difficulter mobile* quam ponit Aristoteles *hîc in littera*, quia illa cum sint opposita, non sunt eadem. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, *habitus* est unum genus generalissimum ; igitur non species Qualitatis.

Item, quæ ponuntur in hac specie, ut scientia, virtus, et hujusmodi, sunt relativa, per Aristotelem sup. in cap. de Relatione, et in 4. Top. in multis considerationibus de relative oppositis ; et si illa sunt ad aliquid, igitur genus eorum, quod est *habitus*, est Ad aliquid. Consequentia patet per Aristotelem 4. Top. context. 9. et inde, prima consideratione de Relative oppositis, igitur non est species Qualitatis.

Item, 5. Metaph. text. comm. 25. dicit Aristoteles quod dispositio est ordinatio partium in habente partes, sed ordo partium, non est species Qualitatis, igitur nec dispositio est species ejus.

Ad oppositum est Aristoteles.

Aliud vero genus Qualitatis est, secundum quod pugillatores, vel cursores dicuntur : vel salubres, vel insalubres. Et simpliciter quæcumque secundum naturalem potentiam, vel impotentiam dicuntur. Cap. eod.

QUÆSTIO XXXII

An secunda species qualitatis sit naturalis potentia, vel impotentia

Sot. *quæst.* 1. *hujus cap.* Versor. cum. P. H. *in hunc locum.* Fonseca 5. *Met. c.* 14. *quæst* 2. *sect.* 3. Conimbr. *hic quæst.* 2. Ruvius *quæst.* 3. Suar.

disput. 4. Metaph. sect. 1. Rodriguez in hanc quæstionem Doctor. artic. 3. Hurtado ubi supra. Aversa hic, sect. 3. Cursus. Carmel. *de Qualit. quæst.* 4. Meriner. *disp. de qual. sect.* 2.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia *potentia* per se refertur ad actum, quælibet species Qualitatis est aliqua forma absoluta, et patet ad minus de hac specie, quia *durities*, et *mollities*, quæ hic enumerantur, sunt formæ absolutæ.

Item, per Aristotelem 4. Top. cap. 7. prima consideratione de Privative oppositis : privatio autem, aut non est in genere, aut non est in eodem genere proximo cum potentia sed impotentia est privatio potentiæ ; ergo non est in eodem genere cum potentia.

Item, potentia est transcendens, quia est prima differentia entis : igitur non est species Qualitatis.

Item, *potentia et impotentia*, non sunt subalternæ, manifestum est, quia neutrum de neutro prædicatur, igitur sunt duæ primæ species, et ita non ambo in secunda specie.

Ad oppositum est Aristoteles.

Tertia vero species Qualitatis est passibilis qualitas, et passiones, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO XXXIII

An tertia species Qualitatis sit passio, et passibilis qualitas

D. Thom. 3 *p. q.* 3. *art.* 2. Sot. *q.* 1. *hujus prædicamenti.* Tartar. *in prædic. Qualit.* §. *Tertio sciendum.* Fonsec. 5. *Met. c.* 14. *q.* 2. *sect.* 3. Ruvius *de Qualit. q.* 2. *dub.* 1. *et* 2. Suar. *disp.* 42. *Metaph. per* 5. *sectiones continuas.* Conimbr. *hic q.* 2. *sect. art.* 3. Hurtado *disp.* 14. *Metaph. sect.* 2. Merinerus *de Qualit. sect.* 3. Aversa *hic sec.* 4. Rodriguez *in hanc q. art.* 4. Complut. *hic q.* 5.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia *passio* est unum generalissimum.

Item, aut hæc sunt duo, *passio et passibilis qualitas*, aut non ; si sic, igitur non sunt unica species Qualitatis, ut tertia ; si non, sequuntur inconvenientia : primum quod Aristoteles male hic in littera assignat eorum differentiam, dicens, illas esse passiones, quæ cito transeunt, et permanentes, esse passibiles qualitates. Secundo sequitur, quod male copulantur ad invicem. Ostenditur etiam, quod sint idem, quia omnis passio est qualitas, quia secundum eam quales dicimur, per qualitatis notificationem, et infert passionem sensui : igitur omnis passio est passibilis qualitas, et e converso. Probatio, quia 5. Metaphysic. cont. 26. dicit Aristoteles quod *passio dicitur qualitas secundum quam aliquid contingit alterari*, sed omnis passibilis qualitas est talis, quia secundum eam est alteratio per se ; igitur omnis passibilis qualitas est passio, et e converso.

2. Item, probatur quod nulla sit qualitas passibilis, eo modo quo Aristoteles intelligit, dicit enim, qualitatem non esse passibilem, quia subjectum aliquod ab ea patiatur, sed quia facit passionem in sensu. Probo, quod utrumque est falsum : primum; quia secundum qualitates tertiæ speciei, est per se alteratio, secundum Aristotelem 7. Physicorum cont. 20. et circiter, igitur ad hoc, quod subjectum recipiat talem qualitatem, oportet ipsum alterari ; et ita pati ab agente habente eamdem qualitatem specie : igitur talis qualitas infert passionem subjecto recipienti ipsum. Quod secundum sit falsum, probatio : tum quia omnis passio est motus, et omnis motus est in tempore : tum quia omnis passio est cum abjectione contrarii ; quia et omnis motus per Aristotelem 5. Physic. context. 9. et fatetur, sed in mutatione sensus a sensibili non est abjectio contrarii, quia sensus est summe dispositus ad recipiendum species sensibiles. Utrumque assumptum patet per locum a majori : quia medium immutatur in instanti, et sine abjectione contrarii, quod tamen minus videtur dispositum ad speciem sensibilis, quam sensus.

Ad oppositum est Aristoteles.

Quartum vero genus Qualitatis est forma ; et circa aliquid constans figura. etc. Cap eod.

QUÆSTIO XXXIV

Utrum forma, et circa aliquid constans figura sit quarta species Qualitatis

Boetius, Simplic. Ammon. *cap. præsenti.* Alb. Mag. *tract. de prædicament. Qual. cap.* 8. D. Thom. 7. *Phys. lect.* 7. Ruvius. *cap. de Qualit. quæst.* 5 Sanches. *quæst.* 61. Suarez *cit. quæst. præced.* Fonseca. 5. *Met. cap.* 15. *quæst.* 2. *sect.* 3. Ona *hic quæst.* 1. *art.* 5. Conimbr. *ubi supra quæst. præcedenti.* Complutens. *disput. de Qual. quæst.* 6. Aversa *de prædic. qual. quæst.* 20. *sect* 2. Rodrigues *hic art.* 6. Meriner. *de Qual. disp. unic. q. et sect.* 4.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia *forma,* secundum quod patet per definitionem ejus, quæ assignatur in principio sex principiorum, communis est omni accidenti : igitur non est species Qualitatis.

Item, forma non est secundum se ens sed principium ejus; ens autem secundum se dividitur in 10. Genera per Aristotelem in 5. Metaph. cont. 14. ergo forma, in nullo genere est ut species.

Item, *figura* est quantitas, quia est superficies : igitur non est species Qualitatis.

Item, aut hæc sunt idem, aut non si non male ponuntur una species Qualitatis cum sint duæ : et si sic, male copulantur ad invicem.

Ad oppositum est Aristoteles.

QUÆSTIO XXXV

An istæ quatuor species convenienter ordinentur

Vide Auctores *q. sequentis. locis ibi citandis*

Quod non videtur ; quia inter omnia ac-
1. *Argumenta pro parte negativa.* cidentia, quantitas primo inhæret substantiæ, igitur illæ qualitates, quæ immediatius consequuntur quantitatem, sunt priores naturaliter, cujusmodi sunt qualitates quartæ speciei : igitur illæ debent esse primæ naturaliter.

Item secundum Aristotelem 3. Topic. prius est illud, quod est a natura, eo quod non est a natura, idem text. 2. sed qualitates secundæ Speciei sunt a natura, qualitates aliarum specierum non ; igitur secunda Species debet esse prima.

Item qualitates elementorum dicuntur primæ qualitates, quia eas consequuntur omnes aliæ qualitates, et istæ sunt tertiæ Speciei ; igitur tertia Species deberet esse prima.

Item, habitus, et dispositio præsupponunt omnes alias qualitates, ut patet inductive, prius enim naturaliter est homo figuratus, habens qualitates sensibiles, et potentiam naturalem, vel impotentiam, quam sciens, vel virtuosus : igitur prima species deberet esse ultima.

Item, potentia naturalis est principium operandi immediate consequens formam substantialem : habitus autem mediate ; sed quod propinquius est priori, est prius, secundum Aristotelem 3, Top. cap. 2. et inde ; igitur potentia prior habitu. Hoc etiam patet ; quia potentia naturalis est immediatum subjectum habitus, vel dispositionis, ut potentia intellectiva, scientiæ, subjectum prius naturaliter est accidente, cujus est subjectum.

Ad oppositum est Aristoteles.

QUÆSTIO XXXVI

An species Qualitatis sufficienter enumerentur

Boetius, Simplicius, Alexand. *hic.* D. Thom. 1. 2. *quæst.* 49, *art.* 2. Cajet. *ibid.* Mayron *in Log. passu.* 42. Fonseca 5. *Met. cap.* 14. *quæst.* 1. *sect.* 4. Suar. 2. *tom. Met. disput.* 42. *sect.* 5. Ruvius *hic cap.* 8. *quæst.* 1. Hurtado *in Met. de qual. disp.* 14. *sect.* 2. Conimb. *hic in comment. textus q.* 1. *art.* 2. Merinerus *hic q.* 3. Aversa *q.* 20 *Log. sect.* 2. Rodriguez *art.* 8. *in Prædic. Qualit. apud Scotum.*

Quod non videtur ; quia potentia animæ videtur esse qualitas ; quia secundum 1. *Argumenta pro parte negativa.*
eam anima dicitur *qualis,* sed illa in nulla specie alia potest esse, quam in secunda, et non est in ipsa. Tum quia secundum

qualitates in secunda Specie, dicitur aliquid posse faciliter agere, vel difficiliter pati, sed potentia animæ non est ad agere faciliter, vel difficiliter pati, sed ad agere absolute. Tum quia impossibile est aliquam speciem alicujus generis, esse subjectum alterius speciei illius generis; sed potentia est subjectum habitus, qui est in prima Specie: igitur, etc. Major probatur, tum quia dicit Aristoteles 4. Topic. text. 10. et inde, quarta Consideratione, post considerationem de Oppositis, quod in eodem subjecto nata sunt fieri genus, et species: sed genus non est natum esse in aliqua ejus specie, ut in subjecto per ipsum in 11, consideratione sequenti, sed natum est tantum dici de specie; igitur nec aliqua species generis, nata est fieri in alia ejusdem generis, ut in subjecto. Tum quia dicit Aristoteles 13, Consideratione 4. Top. text. 12. et inde, quod si aliquod superius prædicatur de subjecto in *quid*, et inferius prædicatur de illo subjecto, prædicabitur de eo ut genus; igitur cum generalissimum prædicetur de qualibet sua specie in *quid*, si aliqua species ejus dicatur de hac specie, dicetur de ea, ut genus; igitur nulla alia est in hac, ut in subjecto.

Item ira, et dementia et hujusmodi, sunt qualitates, quia secundum eas aliquis dicitur *qualis*, et in nulla alia specie sunt nisi in tertia, sed ibi non sunt, quia secundum qualitates tertiæ Speciei potest fieri alteratio; sed secundum istas non, quia istæ sunt in anima, per Aristotelem in littera, sed anima non alteratur, quia non est quanta, et omnis motus secundum qualitatem præsupponit quantitatem.

Item, pulchritudo, et decor videntur qualitates, per rationem Qualitatis, et in nulla istarum Specierum; igitur sunt plures. Probatio minoris, quia magis viderentur esse in quarta Specie, et ibi non sunt, quia suscipiunt magis, et minus, quod negat Aristoteles de qualitatibus quartæ Speciei.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio. Ad quæst. 1.* Ad primam quæstionem potest dici, quod Aristoteles non assignat Species qualitatis, propter tertiam rationem ad primam quæstionem, quæ confirmatur sic, quia hæ species quatuor, nec sunt subalternæ, quia de nullis duabus earum potest vere dici, quod quidquid est in una, est in alia, vel e converso; ergo si hæ essent species, essent non subalternæ, et tales diversas prædicari de eodem est impossibile, sed hoc possibile est prædicari de eodem, quia possibile est eamdem qualitatem essentialiter esse radicatam in subjecto, et ita habitum, et esse principium naturale faciliter operandi, vel non faciliter, et esse per se subjectum sequens. Et propter primam rationem, ad tertiam quæstionem: sed assignat modos ejus, quod patet per litteram ejus, antequam hæc enumeret, dicit enim, *Qualitas est eorum, quæ multipliciter dicuntur*; idest, multis modis, et in fine his enumeratis dicit, *et forsitan quidam alii appareant qualitatis modi, sed qui maxime dicuntur, hi sunt.*

Est autem differentia inter *species*, et *modos*, quia *species* super illud, cujus est, addit differentiam essentialem; *modus* differentiam accidentalem, et ita licet isti modi dicant diversam habitudinem qualitatis ad subjectum, penes hoc, quod est esse permanens, vel non; esse a natura, vel non; esse sensibile vel non; quæ tamen omnia non variant qualitatem essentialiter, quia omnes istæ habitudines, vel plures, possunt esse in eadem qualitate secundum essentiam. 3. *Differentia inter species, et modos.*

Ad primum argumentum in contrarium, *multipliciter*, non intelligitur, idest, æquivoce, sed *multis modis*, et est manifesta differentia inter significata, quæ faciunt multiplicitatem primo modo, et inter modos qui sunt differentiæ accidentales, et faciunt multiplicitatem secundo modo. *[illegible]*

Ad secundum et tertium patet.

Ad auctoritatem Aristotelis in contrarium, dicendum est, quod ibi dicit speciem, pro modo speciali, et quando dicit genus, pro modo generali: et hoc licite dicit, quia isti modi, nec sunt generalissimi, nec specialissimi, sed generales, et speciales. In

comparatione ad diversa : nec ista expositio multum extorquet litteram, quia intermedia intelligenda sunt secundum quæ ponuntur in proœmio, et epilogo *multipliciter* et *alii modi*.

4. *Ad quæst.* 31. *Habitus sumitur multipliciter.*

Ad secundam quæstionem dicendum, quod *habitus*, uno modo significat aliquid transcendens, secundum quod ab eo dicitur habere denominative, quod distinguitur inferius in fine libri. Secundo modo significat habitudinem mediam inter habentem, et rem habitam, quæ est velut actio media inter agens, et patiens, et sic est decimum generalissimum. Alio modo significat idem, quod forma positiva, et sic sumitur inferius in oppositione privativa, nullo istorum modorum fit hìc sermo de habitu. Sed quarto modo secundum quod *habitus* significat qualitatem radicatam in subjecto, et difficulter mobilem. *Dispositio* autem aut sumitur absolute; et tunc est superius ad habitum hìc, secundum quod dicitur, ubi ponitur convenientia inter dispositionem, et habitum in 5. Metaph. cap. de Habitu, text. com. 15. Alio modo sumitur cum præcisione, et tunc distinguitur contra habitum. Primo modo, posset primus modus poni dispositio, secundo modo sumendo oportet simul ponere habitum, et dispositionem. Alio modo dicitur, quod *dispositio* significat qualitatem, quæ de sua natura est faciliter mobilis a subjecto, et *habitus* illam, quæ secundum suam naturam est difficulter mobilis : sed istud est contra Aristotelem, quia tunc nullus habitus esset dispositio.

Dispositio sumitur multipliciter.

Aliter dicitur, quod dispositio se habet ad habitum, sicut imperfectum ad perfectum.

5. Contra, aut ista imperfectio est in essentia qualitatis, aut in formando subjectum, neutro modo est : non in essentia, quia essentia mensuratur instanti : igitur æque perfecta est, sive diu maneat in subjecto, sive non : nec in formando subjectum; quia sic essentia breviter manens, est æque perfecta in subjecto, sicut diu manens, sicut nunc ostensum est ; igitur æque perfecte denominat subjectum.

Ideo dicendum est ut prius, quod *Dispositio* secundum unum significatum, forte est ita generale sicut qualitas, secundum aliud significatum, sicut primus modus Qualitatis : sed præcise sumptum ipsum cum habitu, constituit primum modum Qualitatis. Exemplum est in Porphyrio. Porphyrius enim dividit differentiam in facere *alteratum*, et *aliud* : et tamen dicit omnem differentiam facere alteratum : igitur in divisione oportet intelligere *alteratum* præcise, et in secunda propositione *alteratum* absolute.

Ad primum argumentum patet, qualiter sunt duo, et qualiter non. 6. *Ad argumenta principalia.*

Ad secundum patet æquivocatio *habitus*.

Ad tertium dico, quod nullum quod est in hoc modo, secundum illam significationem, secundum quam est essentialiter qualitas, est per se in genere Relationis, sive ut relatio, sive ut denominative dictum a relatione ; sed si sic, hoc est secundum aliam significationem.

Ad quartum, *dispositio* est æquivocum, secundum quod significat idem quod *positio*, quod est generalissimum, et secundum quod significat speciem Qualitatis.

Ad aliam quæstionem dico, quod *potentia*, vel *impotentia* non significant aliqua, quæ essentialiter sunt in genere Qualitatis, sed *potentia* tantum significat modum qualitatis absolute, secundum quod est principium operationis ; et *impotentia* significat modum qualitatis, secundum quod illa est principium difficulter agendi, vel patiendi faciliter. Qualitates autem quæ subsunt, sunt formæ absolutæ, et non nominantur nominibus nominantibus eas absolute, sed in comparatione ad operationes, quarum sunt principia, secundum quod dicit Aristoteles inferius, *Qualia autem*, quod valetudinibus non sunt nomina imposita, quia forte non concipimus illas, nisi per comparationes ad operationes. 7. *Conclusio. Ad quæst.* 32.

Ad argumenta, prima ratio est concedenda, quod *potentia* et *impotentia* non significant species Qualitatis, sed modos essentiæ, per comparationem ad operationem. 8. *Ad argumenta quæst.* 32.

Ad secundum patet, quod *impotentia* non est species Qualitatis, illa etiam qualitas, quæ subest impotentiæ, ut hic sumitur, est forma positiva, sicut mollities.

Ad tertium concedendum, quod isti duo sunt æque primi modi, quorum neutrum sub altero continetur, et ita de quolibet alio modo, et ita loquendo præcise, possunt concedi octo primi modi qualitatis, sed secundum aliquam unam rationem generalem conveniunt inter se illa duo, quæ enumerantur in aliquo uno modo, secundum quem non conveniunt cum aliis, quæ enumerantur in alio modo, ut *naturalis potentia*, vel *impotentia* in hoc quod est esse innatum, et esse principium operandi, unde illud posset poni secundus modus generalis, et ita in omnibus aliis modis.

Ad aliam rationem patet, quod *potentia* æquivoce sumitur, secundum quod est differentia entis, et secundum quod significat principium faciliter agendi.

9. *Conclusio ad quæst. 33.* Ad quartam quæstionem dicendum, quod *passio*, est æquivocum, secundum quod distinguitur in 5' Metaph. in multa significata, sed hic sumitur secundum quod significat qualitatem, secundum quam est alteratio; et tunc vel sumitur absolute, vel cum præcisione. Absolute sumptum, est convertibile cum *passibili qualitate*, vel superius ad ipsum. Præcise sumptum, distinguitur contra passibilem qualitatem, prout *passibilis qualitas* dicitur illa, a qua aliquis denominatur, de nominatione significante permanentiam formæ in subjecto. Absolute igitur, tertius modus est *passio*, quæ dicit comparationem qualitatis ad subjectum, natum alterari secundum eam, vel comparationem qualitatis ad sensum, qui infert passionem, ut patebit respondendo ad argumenta.

10. *Ad 1. princ. quæst. 33. Passio æquivoce est effectus passionis.* Ad primum igitur argumentum dicendum, quod *passio* æquivoce est effectus actionis, secundum quod dicit auctor sex Principiorum, et secundum quod est qualitas, secundum quam est alteratio.

Ad 2. Ad secundum dico, quod *passio* distinguitur præcise contra *passibilem qualitatem*, et sic intelligenda est illa divisio, et differentia quam ponit Aristoteles, et tamen possunt poni unus modus, quia habent certam rationem generalem, sicut prædictum est de secundo modo; et absolute loquendo de utroque sunt convertibilia; quia omnis passio est qualitas, et ita secundum eam dicimur *quales*. Sed tunc ad dictum Aristotelis, quando dicit, *secundum passionem non dicimur quales*, hoc intelligendum est, vel quia non ab illo denominativo, quod sumitur a *passibili qualitate*, quod denominat subjectum per modum stabilis, ut a *rubore* causato per verecundiam non dicitur aliquis *rubicundus*; quia illud denominativum notat permanentiam hujus formæ cum subjecto, pro tempore tamen pro quo inest ille *rubor*, potest dici *rubeus*, vel *rubens*, quæ notant absolute talem formam, ut est in subjecto. Vel dictum Aristotelis sic est intelligendum quod non dicimur *quales* a passionibus, quia ab illis non sumuntur communiter denominativa; sed si sumerentur, posset habens *passionem* denominari ab illa, sicut habens *passibilem qualitatem* denominatur ab illa.

Ad aliud dico, sicut dicit Aristoteles, quod qualitates tertiæ Speciei, non dicuntur *passibiles*, quia inferunt passiones suis subjectis; nulla enim forma nata est agere in suum subjectum; sed dicuntur *passibiles*, quia aliquo modo inferunt passionem sensui. Ad 3.

Cum arguitur contra primum membrum dico, quod *passibilis qualitas* inducitur per alterationem, et ita subjectum patitur ab aliquo alterante, sed non a forma, quam recipit, sed ab aliquo habente eandem formam specie.

Cum arguitur contra secundum membrum, dico quod *passibilis* qualitas efficit quamdam passionem in sensu, non tamen sicut dicit Aristoteles, ut qualis sit illa passio, [illegible] 57, et inde.

Notandum etiam juxta hoc, quod [illegible]

passionem sensui, non est de essentia qualitatis, secundum quod habetur in 2. de Anima, cap. *de Visibili*, text. com. 66. in principio, ubi dicitur, quod esse visibile non est de essentia coloris, sed passio ejus; igitur passio, vel passibilis qualitas, quæ denominat qualitatem, inquantum infert passionem sensui, non nominat essentiam, vel speciem qualitatis, sed modos; et hoc valet pro solutione primæ quæstionis.

11. *Conclusio ad quæst. 34.* *Forma, et figura multiplex.* Ad quintam quæstionem dicendum, quod *forma*, uno modo est transcendens, secundum quod sumitur in principio sex Principiorum: alio modo est exterior dispositio rei animatæ, vel decens lineatio. Similiter, *figura*, uno modo significat superficiem inclusam, vel terminatam lineis: alio modo ipsam terminationem, vel clausionem superficiei, hæc duo, secundum duo prima significata, non pertinent per se ad genus Qualitatis, sed secundum alia duo, et secundum illa sunt subalterna, ita quod omnis forma est figura, et non e converso, vel præcise loquendo, sunt duo disparata.

12. Quod forma habeat secundam significationem, patet, per Porph. cap. de Specie, qui dicit, quod *Species uno modo dicitur forma uniuscujusque*, ubi *forma* significat idem quod decor, sive exteriorem dispositionem rei animatæ, secundum quod patet per exemplum ejus, scilicet, *Species Priami prima digna est imperio*, et secundum quod dicitur in 4. Ethic. quod parvi possunt esse formosi, et commensurati, idest, decenter lineati.

Ad argumenta. quæst. 34. Ad prima duo argumenta, patet per equivocationem illorum duorum, scilicet *forma*, et *figura*, quæ dicta est prius. Ad tertium dicendum, quod si *forma* est decens lineatio, et *figura* clausio, vel terminatio superficiei, tunc absolute sumpta sunt subalterna, sed cum præcisione sumpta, sunt diversa. Si autem *figura* sit exterior dispositio rei inanimatæ, sunt omnino diversa; convenienter tamen possunt poni unus modus Qualitatis, quia supperaddunt essentiæ qualitatis hanc rationem, unam generalem, quod est exterius disponere, vel constare circa aliquid, et non intra: quæ ratio si accidat essentiæ qualitatis, non mirum est hæc duo non constituere speciem Qualitatis, sed modum.

Ad omnes istas quinque, sustinendo quod Aristoteles enumerat species Qualitatis, et non modos tantum, potest dici, quod istæ differentiæ, *faciliter mobile*, vel *difficulter*, *esse principium operandi*, vel *non inferre passionem sensui*, *exterius disponere subjectum*, sunt differentiæ accidentales generi Qualitatis, quibus tamen Aristoteles utitur pro differentiis essentialibus; quia differentiæ essentiales sunt ignotæ: et ita illæ formæ, quæ subsunt primo istis differentiis, sunt quatuor species Qualitatis. Et iste modus dicendi non multum differt a priori, nisi in hoc, quod secundum priorem modum, non oportet concedere istos quatuor modos consequi per se distinctas species Qualitatis, quin plures possint inesse eidem qualitati secundum speciem. Sed secundo modo dicendo, oportet ad minus concedere has differentias, quamvis accidentales, esse proprias quatuor distinctis speciebus Qualitatis, ita quod sicut illarum specierum, una non dicitur de alia, neque ambæ de aliquo eodem, ita et istarum differentiarum nulla dicatur de alia, neque duæ de aliquo eodem; quia proprium dicitur universaliter de eo, cujus est, et tantum. 13. *Alia solutio ad 5. quæstiones præcedentes.* *Differentiæ essentiales qualitatis ignotæ.*

Dicendum hoc secundo modo, sicut prius, ad quatuor quæstiones præcedentes, concedendo has differentias esse accidentales, quæ hîc assignantur: tamen formæ quas istæ differentiæ consequuntur, tanquam proprietates earum, sunt essentialiter qualitates. 14. *Conclusio propria Doctoris.*

Sed ad distinguendum has differentias ab invicem, potest dici, quod tam *forma*, quam *figura* est exterior dispositio rei; tam *passio*, quam *passibilis qualitas* est per se immutativa sensus; tam *potentia naturalis*, quam *impotentia*, universaliter est naturale principium agendi, vel patiendi: et istæ tres differentiæ dicuntur ita distinctæ, quod nulli qualitati eidem insunt.

Prima autem species non videtur sumi per aliquam differentiam positivam, distinctam ab his tribus, sed per privationem cujuslibet istorum, ita quod illa qualitas, quæ sibi inest, nulli istarum differentiarum subest, quæ est quasi tantum qualitas ; quia nulla differentia nota, quam superaddit qualitati est, neque essentialis, nec proprie accidentalis dicta, in prima specie Qualitatis. Istæ enim differentiæ, *faciliter mobiles a subjecto* vel *difficulter*, non sunt ita distinctæ ab aliis, quin possint dici de eadem qualitate, de qua aliqua illarum differentiarum dicitur. Sed adhuc qualitati existenti in prima specie, istæ differentiæ accidunt, et per has distinguuntur *habitus*, et *dispositio* præcise sumpta ab invicem.

Istud patet in exemplo, *scientia*, et *virtus*, et *sanitas radicata* vel *non radicata in subjecto*, et hujusmodi, neque sunt exteriores dispositiones rei, neque per se sensibilia, neque innata principia operandi, vel patiendi ; neque est alia differentia positiva nota, quam ista superaddunt qualitati ; ergo videntur tantum esse qualitates, ut per illam præcisionem distinguantur ab aliis Speciebus quæ superaddunt differentiam notam, et tamen inter illas, quæ sunt primæ Speciei, radicatas, et non radicatas est differentia per *faciliter mobile*, et *difficulter*.

15. *Objectiones.* Contra distinctionem Specierum arguitur sic. Aliqua qualitas in tertia Specie, est innatum principium operandi, vel patiendi, ut caliditas in igne, frigiditas in aqua : igitur eadem qualitas est in tertia Specie, et in secunda.

Item, a naturali potentia pugnandi, vel currendi, dicitur aliquis pugil, vel cursor, et etiam ab arte currendi dicitur talis : sed a diversis qualitatibus non dicitur denominative idem quale ; igitur qualitates secundæ Speciei, et primæ non differunt.

Item figura, quæ ponitur in quarta Specie, est per se sensibilis, secundum Aristotelem in 2. de Anima ; igitur infert passionem sensui, et sic passibilis qualitas : igitur quarta Species, et tertia non differunt.

...itus dicendi ge... qualitatis. Ad hæc potest dici, quod differunt Species, quæ intelliguntur per accidentales hic assignatas differentias, sed per illas sunt differentiæ propriæ specierum, quæ sumuntur cum præcisione. Sic puta, quia Qualitas sic dividitur, alia est dispositio interior, alia exterior : exterior, aut primo sensibilis, et sic est *figura*, et sic est *Quarta species* ; aut primo sensibilis et sic est *Tertia species* ; si interior dispositio, aut est innatum principium operandi, et sic *Secunda Species* ; aut interior dispositio, non innatum principium operandi, et sic *prima species*.

Intelligendum est semper per istas differentias accidentales, differentias essentiales Specierum. Sic patet quælibet una species includit differentiam privativam, respectu alterius speciei : et sic semper una superior species debet sumi cum præcisione respectu inferioris.

Ad primam igitur rationem dicendum, 16. *[illegible]*
quod *calor ignis* est in Tertia Specie qualitatis, quia passio sensibilis est ; et non in secunda, quia non est tantum innatum principium operandi, nisi cum præcisione differentiarum Tertiæ Speciei, et Quartæ, sic autem est propriè Secundæ Speciei.

Ad secundum dico quod *pugil*, vel *cursor*, et universaliter omnia *qualia* dicta a qualitatibus Primæ Speciei, et secundæ, æquivoce dicuntur ; quia de eodem possunt affirmari, ut dicitur a qualitatibus Primæ Speciei ; et negari, ut dicitur a qualitatibus Secundæ Speciei, et e converso ; et idem æquivoce sumptum, potest de eodem affirmari, et negari : quod patet exempl ariter in aliis, quia aliquis *sanatus* secundum *naturalem potentiam*, potest esse *æger*, secundum *habitum*.

Ad tertiam dicendum, quod *figura* est de numero sensibilium communium, et illa sunt per se sensibilia, non tamen inferunt passionem sensibus, sed tantummodo diversificant modum immutandi sensum a sensibili proprio, quod sensibile solum infert passionem sensui ; ideo in tertia specie sunt sola sensibilia propria.

17. *[illegible]*
Hoc secundo modo dicendo, posset aliquis

modo salvari ordo Specierum, quia Prima species est communissima. Quæcumque enim qualitas, non habens aliquam differentiam alicujus aliarum specierum, potest poni in hac Prima specie. Post hanc, Secunda prior est aliis : quia consequitur naturam rei, tanquam suam causam : et Tertia post hanc, quamvis de ejus ratione non sit inesse a natura ; communis tamen disponit subjectum in profundo, et in superficie. Quarta est ultima, per privationem omnium istarum, nec enim est communior in genere Qualitatis cæteris speciebus, idest, plures species Qualitatis continens, licet forte pluribus subjectis insit ; nec est innatum, quia figura potest variari circa subjectum, nulla facta variatione in natura ; nec est dispositio in profundo, sed tantum exterior, ideo rationabiliter ponitur postrema. Secundum hanc viam dicendum, quod convenienter distinguuntur Species qualitatis, non primæ forte, quia sunt tantum duæ, sed proximæ primis, et hoc intelligendo per istas differentias illas qualitates, quarum istæ sunt propriæ, licet accidentales.

Secundum hoc patet ad secundam rationem primæ quæstionis.

18. *Ad argumenta quæst.* 30. Ad primum videtur dicendum , sicut dictum est prius.

Ad tertium dicendum est quod nulla qualitas eadem, est in una specie, et in alia : nec etiam aliquæ differentiæ duarum specierum dicuntur de eadem qualitate. Cum arguitur, quod eadem qualitas potest inferre passionem sensui, et esse *faciliter mobile*, et *difficulter*: dico quod *faciliter mobile*, et *difficulter*, non sunt differentiæ propriæ Primæ speciei, nec essentiales, nec accidentales, nisi determinentur ad qualitates, quæ non habent aliquam differentiam alterius speciei, cujusmodi prius dictæ sunt qualitates Primæ Speciei esse : possunt autem illæ differentiæ *faciliter mobile*, vel *difficulter*, inesse alicui qualitati habenti aliam differentiam alterius Speciei ; sed ex hoc non sequitur, illam qualitatem esse in Prima Specie, nisi illæ differentiæ essent ad minus propriæ Primæ Speciei.

19. *Ad arg. ment. quæst.* Ad argumenta sextæ quæstionis, quæ sunt contra ordinem Specierum.

Ad primum dicendum, quod Species qualitatis non ordinantur secundum hoc, quod est immediatius consequi Quantitatem, vel Substantiam ; sed secundum alias rationes prædictas, scilicet secundum majorem communitatem in genere Qualitatis, et secundum naturaliter inesse, et disponere in superficie, et profundo, et eorum opposita : et secundum omnes has conditiones debet Quarta species esse postrema.

Ad secundum dico, quod illa species, quæ est communior in genere Qualitatis, idest, minus addens super rationem qualitatis absolute, licet non sit a natura, debet poni prior species altera, quæ non est ita communis.

Ad tertium dico, quod qualitates Tertiæ speciei, non sunt tantum qualitates elementorum, sed omnes qualitates, quæ sunt per se immutative sensus, quarum quædam sunt elementorum, et non insunt a natura. Unde ex prioritate quantitatum elementarium, vel ex inhærentia naturali earum in elementis, non potest concludi generalis prioritas omnium qualitatum Tertiæ speciei ad alias, quod oportet medium sufficiens esse, ad concludendum idem esse rationem communem omnium qualitatum Tertiæ speciei.

Ad quartum dico, quod qualitates Primæ speciei, licet non primo insint substantiæ, sed aliæ præcedant eas, tamen hæc species communior est cæteris, minus superaddens Qualitati, et forte plures species inferiores continens.

Ad quintum patet per hoc , quod licet illa qualitas, quæ dicitur *naturalis potentia*, immediatius consequatur formam substantialem, quam illa quæ dicitur *habitus*, non tamen est ita communis, sicut illa, et ideo non debet poni prior species.

2[0]. *Con[clusio] ad q[uæst.] præs[.]* Ad aliam quæstionem potest dici, quod non enumerantur hìc omnes species Qualitatis, sicut et Aristoteles dicit in littera : sed species magis famosæ, quia nec istæ

sunt primæ Species, nec forte duæ dividunt idem Genus primo, et aliæ duæ aliud Genus. Sustinendo tamen quod sufficienter enumerantur, potest responderi ad rationes.

Ad argumenta. Ad primam potest dici, quod *potentia animæ* est Secunda species Qualitatis, loquendo de qualitate, cui attribuitur illa ratio, secundum quod est principium operandi.

Ad primam probationem in contrarium, dico, quod non tantum *potentia*, quæ est in secunda specie, est tantum ad faciliter agendum, sed et illa, quæ est ad agendum absolute, dummodo sit innata.

Ad aliam rationem dici potest, quod *ira*, etc. *dementia*, et hujusmodi, sunt in Prima specie, et forte omnes qualitates animæ. Cum videtur quod ista enumerantur in tertia specie, dico, quod *passio*, et *passibilis qualitas* sumpta præcise, differunt penes has differentias accidentales, *faciliter mobile*, et *difficulter*, penes quas etiam differunt *habitus*, et *dispositio* : et ideo quæ sunt in Prima specie, possunt numerari in Tertia, quia participant illam differentiam, quæ non est propria Tertiæ ; sicut e converso in Prima specie enumerantur *calor*, et *frigus*, quæ tamen vere sunt in Tertia specie, ut per hanc mutuam enumerationem Specierum insinuet Aristoteles has differentias *faciliter mobile* et *difficulter*, non tantum non esse essentiales, sed nec esse proprias alteri aliarum Specierum, sed accidentaliter distinguere *passionem a passibili qualitate*, et *dispositionem* ab *habitu*.

Ad tertium dico, quod *decor* et *pulchritudo*, loquendo de pulchritudine corporali, quæ est conveniens membrorum dispositio, sunt in Quarta specie Qualitatis.

Cum arguitur contra hoc, quia qualitates Quartæ speciei non suscipiunt magis, et minus, et hæc suscipiunt ; dico, quod non ab omnibus qualitatibus Quartæ speciei, negat Aristoteles suscipere magis, et minus, sed a quibusdam : sufficit enim hoc ad propositum suum, quod est, hanc proprietatem *suscipere magis, et minus*, non inesse omni Qualitati : illis autem in Quarta specie, non inest, quæ sunt qualitates Mathematicorum, quia illæ sunt priores motu, et *magis et minus* non habent fieri, nisi ubi est motus.

Rarum vero et spissum, et asperum, et lene putabuntur qualitatem significare : sed aliena hæc putantur esse a divisione quæ circa qualitatem est, etc Cap. eod.

Notandum, quod *rarum* et *densum*, *asperum*, et *lene*, uno modo significant extensionem partium quantitativarum, et sic idem corpus compressum, et non compressum, potest esse rarum, et densum, ut patet de lana, et spongia. Alio modo significant extensionem partium materiæ, prout *rarum* dicitur, quod multum habet de forma, et parum de materia ; et densum e converso. Primo modo hæc forte significant positionem, quia dicunt ordinem partium in toto, et in loco : secundo modo, forte significant qualitates. Et sic patet solutio controversiæ, quæ est de istis inter Aristotelem hic, et in 4. Physicorum, cap de Vacuo et Auctorem sex Principiorum, quomodo, scilicet sunt qualitates, et quomodo positiones. 22

Qualia sunt, quæ secundum has denominative dicuntur, vel quomodolibet aliter ab eis, etc. Cap. eod.

Circa notificationem Qualium, videtur, quod in notificatione Qualitatis sit circulus: primo enim dicitur, quod *Qualitas est secundum quam quales esse dicimur*, et secundo *qualia dicuntur quæ denominative dicuntur a qualitatibus*, et sic mutuo utrumque per alterum notificatur. Sed forte prima notificatio est per nobis notius, secunda per notius simpliciter, neutra tamen notificatio est definitio. 23 [illegible]

Notandum etiam, quod Aristoteles dicit *qualia* dici denominative a qualitatibus, nisi ubi vel non sunt nomina imposita qualitatibus, ut est de qualitatibus Secundæ speciei ; vel ubi nominibus Qualitatibus impositis, non sumuntur denominative ab eis denominativa, ut a virtute, dicitur aliquis stu-

diosus, ubi tamen istud *quale*, ab alia qualitate directe sumitur.

Ex quo patet, quod denominativa in nullo pertinente ad significatum debent differre a suis principalibus, sed tantummodo in modo significandi, et in fine vocis.

Inest vero contrarietas secundum quod quale est, etc. Cap. eod.

23. Juxta primam proprietatem, quæ est *recipere contraria*, notandum, quod qualitatibus mediis inter contraria est unum extremum contrarium, contrarietate transumptive dicta, quæ est differentia secundum speciem, et consimiliter contrarietate proprie dicta, sed diminuta. Tum quia aliter non posset esse motus ab extremo in medium, vel e converso, cujus oppositum habetur ab Aristotele in 5. Physic. text. com. 6. et 9. Tum quia medium aliquid participat utriusque extremi, et ita utrique extremo contrariatur incomplete, pro eo quod habet in se de reliquo : sed nihil est eis contrarium contrarietate completa, et proprie dicta ; quia eodem modo contrariatur utrumque extremum medio : et non possunt contrariari duo eidem, contrarietate completa, et perfecta, secundum quod dicitur 10 Metaphysicæ, text. com. 14.

Suscipit autem qualitas magis, et minus, etc.

24. *Essentia qualitatis non suscipit magis et minus.* Juxta secundam proprietatem, quæ est *suscipere magis et minus*, notandum, quod essentia qualitatis, quæ significatur in abstracto, non suscipit magis, et minus, secundum quod dicitur in littera, quod *justitia* non dicitur magis justitia, nec *Grammatica*, magis Grammatica : et hoc, quia essentia qualitatis, sicut et cujuslibet formæ, est indivisibilis, per Auctorem sex Principiorum, in principio : et indivisibile non suscipit magis, et minus : sed denominative dicta a quibusdam qualitatibus suis suscipiunt magis, et minus : unde aliquis dicitur *justior*, vel *grammaticior* altero : ut dicitur in littera, et ita ipsa forma, informando subjectum suscipit magis, et minus, licet non in essentia ; quia unum subjectum plus participat formam, quam aliud.

Contra hoc, a magis, et minus, potest aliquid mutari, per Aristotelem 5. Physic. sed nulla mutatio est ab eodem *specie*, in idem *specie* : igitur magis, et minus non sunt in qualitate ejusdem speciei, et non sunt nisi in forma ejusdem speciei ; quia non est comparatio nisi secundum aliquam formam eamdem specie, secundum Aristotelem in 7. Physicorum cont. 24. et inde ; igitur absolute in Qualitate non sunt magis, et minus.

Item, hoc modo videtur esse concedendum, quod Quantitas suscipit magis, et minus, quia secundum esse ejus in subjecto naturali, potest esse perfectum, et imperfectum, licet non secundum suam essentiam : et eodem modo ponitur de Qualitate : ergo ambo consimiliter suscipiunt magis, et minus : et hæc proprietas neganda est a Quantitate, secundum Aristotelem, cap. de Quantitate, prius igitur a Qualitate.

Item, *si simpliciter sequitur simpliciter, et magis sequitur magis*, per Aristotelem 2. Top. c. 29. sed ad album sequitur, quod 25.
sit albedine album : igitur ad magis album sequitur, quod sit magis albedine album : igitur si forma in subjecto suscipit magis, et minus, et in se suscipit magis, et minus.

Item, omne magis, secundum aliquam formam, est per se relativum ad minus, secundum eamdem formam : igitur forma secundum quam istæ referuntur, est per se relatio : igitur secundum nullam qualitatem dicuntur per se magis, et minus. Consequentiæ patent, quia relativum non dicitur per se, nisi a relatione, et quia nulla qualitas est per se relatio.

Item, *albius*, et *minus album*, sunt relativa suppositionis, et superpositionis; quia non æquiparantiæ, ut manifestum est : sed relativa superpositionis, et suppositionis differunt specie, quia sunt opposita ; ergo nulla qualitas eadem specie suscipit magis, et minus, nec diversa specie, ut probat prima ratio ; igitur, etc.

26. Item probo, quod si Qualitas suscipiat magis, et minus aliquo modo, quod suscipiat secundum essentiam : si enim suscipiat magis, et minus, secundum esse ejus in subjecto, vel secundum quodcumque aliud, sit illud A : aut igitur A est de ejus essentia, vel non ; si sic, et A est aliquid essentiæ ejus ; igitur secundum essentiam suam suscipit magis, et minus ; si non, et A suscipiet magis, et minus, quia aliter non posset Qualitas secundum ipsum suscipere magis, et minus ; aut ergo A suscipit magis, et minus secundum essentiam, et habetur propositum ; quia pari ratione primum suscipit magis, et minus secundum essentiam, quia quantum ad hæc, idem judicium videtur esse de omni forma accidentali : si A suscipiat magis, et minus secundum aliquid aliud a sua essentia, sit illud B, et sic procedendo, vel infinitæ erunt formæ accidentales, quarum una suscipit magis, et minus secundum aliam, vel stabitur ad aliquam formam accidentalem, quæ suscipit magis, et minus secundum essentiam : igitur pari ratione videtur standum in primo, quia idem judicium est in omnibus.

27. *Solutio.* Si concedatur propter has, quod Qualitas speciei secundum essentiam suscipit magis, et minus, quia subjectum aliquod secundum perfectiorem gradum participat eamdem essentiam specie, et aliud subjectum secundum minus perfectum gradum.

Objectio. Contra, aut iste gradus, et ille sunt intra essentiam, aut non ; si sic, et iste gradus est diversus ab illo, igitur hæc essentia diversa ab illa, per aliquid, quod est intra essentiam ; igitur magis differt a minus specie. Hæc ultima consequentia patet, tum quia omnis diversitas essentialis diversificat speciem, tum quia essentia primo est Speciei, non Individui : alioquin Individuum posset habere definitionem specialiorem definitione Speciei ; igitur differentia in essentia non est sola differentia numero, sed specie.

28. Sex rationum positarum contra propositatem, si secunda, et tertia, et sexta concedantur ; quia impediunt non propositum absolute sed falsum modum intelligendi eam, tunc intelligendum est, quod sicut similitudo est relatio proprie, fundata super essentiam qualitatis, ita magis, et minus : fundamentum autem *magis*, est essentia speciei sub perfecto gradu, qui gradus est aliquid absolutum de genere Qualitatis, licet ipsum consequatur respectus *magis*, ad alium imperfectum, in eadem specie, quem consequitur relatio *minus*.

Quomodo qualitas suscipit magis et minus. Quando igitur adducuntur Aristoteles, et Boetius in contrarium, quod *justitia* non dicitur magis, et minus alia justitia, sed aliquis dicitur justior altero, intelligendum est, quod essentia speciei in se considerata, abstrahendo a suppositis, non habet in se magis, et minus ; quia ipsa sic considerata est indifferens ad omnem gradum ; sed ipsa in uno supposito, est perfectior seipsa in alio supposito, et ut est in supposito, sic denominat subjectum, quia per se suppositum ejus non est subjectum, sed qualitas in hoc subjecto : non igitur, *justitia*, abstracte intelligendo, sed *justum*, id est, *hæc justitia*, ut denominat istud subjectum, est major alia.

29. *Ad objectiones.* Ad primum argumentum de medio respondeo, quod inter duo supposita ejusdem speciei, potest esse motus per se, non inquantum ejusdem speciei, sed inquantum aliquo modo opposita : et hæc oppositio in proposito non est per relationes tantum ; quia motus non est per se ad relationem, secundum Aristotelem 5. Physicor. text. com. 10. sed est per aliquos gradus absolutos in hoc, et in illo, qui sunt de genere Qualitatis, qui opponuntur, inquantum unus habet rationem medii respectu alterius. Nec tamen ista relatio medii est causa motus, sicut nec relatio minus, sed illud quod subest, sicut *forma* est extremum motus non *formaliter* inquantum medium, sed inquantum extremum a quo opponitur termino ad quem : et non opponitur nisi aliqua ratione. Respondeo, prima propositio est vera, potest importari ... secundo modo per se, non primo. Ad

quartum et quintum de relationibus, patet.

Quartum etiam argumentum potest fieri de tertia proprietate Qualitatis eodem modo, sicut hic : unde concedendum est tantum, quod magis refertur ad minus, loquendo de istis formis, non de illis quæ subsunt : ergo formæ secundum quas dicuntur magis, et minus, sunt relationes, verum est secundum quas per se primo modo, non secundo.

Similiter ad quintum, istæ relationes *majoritas intentionis*, et *minoritas remissionis*, quæ sunt propria Qualitatis, opponuntur specie ; sed non fundamenta, sicut *simile*, et *disssimile* fundantur in eadem qualitate specie. Confirmatur totum hoc, quia tota perfectio absoluta, in magis albo, scilicet quicumque gradus albedinis in ipso, potest remanere destructo respectu magis : posito quod non sit aliud minus, ad quod posset dici, sicut tota albedo est in subjecto, quæ prius fuit, licet nullum dicatur simile secundum eam, sicut prius dicebatur : unde ista proprietas debet intelligi inesse qualitati sècundum aptitudinem.

30. *Dubium.* Sed de quinto argumento, numquid *albius* est in genere Relationis? Videtur quod non, quia tunc *albius* non significaret idem quod *album*. Item, *magis* videtur esse modus significandi in *albiore*. Item, quid terminaret motum per se in eadem specie, a *minori* in *magis*.

Contra, aliquid est albius, cum prius non fuit, per solam mutationem in alio : ergo dicit relationem tantum. Item *magis album* dicit formaliter relationem, tamen fundatam in hoc ; ergo *albius*.

Respondeo, significat essentiam sub tali gradu qualitatis : unde est quasi species albi, quod est indifferens ad omnem gradum relationis, nec est de significato, nec forte de modo significandi nominis ; si tamen gradus ponitur de significato, tunc relatio potest consequi esse de modo significandi : quære responsionem ad argumenta.

Similia autem, et dissimilia secundum solas dicuntur qualitates, etc. Cap. eod.

De tertia proprietate Qualitatis, quæ est, 31.
quod *secundum eam dicitur aliquid simile, vel dissimile*, notandum, quod *simile*, et *dissimile*, licet sint propria generi Qualitatis, sunt tamen ut species in genere Relationis, hoc est, ut denominative dicta a speciebus relationis, quia *similitudo* est per se relatio, et *simile* per se relativum, sic intelligendum est de propriis aliorum Generum, quæ non sunt in illo genere, ut Species.

Consimiliter sunt intelligenda secundum aptitudinem, licet enim aliquid secundum aliquam qualitatem quam habet, non dicatur simile, si nihil aliud quam eamdem qualitatem habeat, non eo minus convenit hæc proprietas illi qualitati, quia secundum illam qualitatem aliquid natum est dici simile alteri.

Recipit autem facere, et pati contrarietatem, et magis et minus. Cap. de facere, et pati, *etc.*

Notandum, quod *recipere contraria, et* 32. *Actio, et Passio specificantur a termino ad quem.*
magis, et *minus*, non insunt Actioni, et Passioni, nisi ratione terminorum ad quos, cum tam Actio, quam Passio speciem accipiat a termino ad quem, secundum quod habetur in 5. Physic. cont. 4. et inde. Ab eo etiam accipiet contrarietatem, et similiter magis, et minus.

Notandum, quod de istis duobus, et de aliis quatuor subsequentibus, breviter pertransit Aristoteles, vel quia Species eorum in quas essent dividenda, secundum quod sunt Genera, non sunt notæ, nec passiones eorum, quæ insunt eis secundum quod considerantur a ratione. De his autem passionibus, quæ insunt eis secundum esse naturale eorum, plenius determinatur in libris Naturalibus, et Metaphysic. de Actione, et Passione in 3. Physic. et in libro de Generatione : de Quando, et Ubi in 4. Physicorum. In hoc enim quod determinatur ibi de loco, et tempore ; innotescunt

proprietates loci, et temporis, de Positione, et Habitu aliquantulum 5. Metaphysic.cont. 8. et inde, et ita determinatio hic habita de istis, sufficiens est quantum ad Logicum, etc.

Quoties autem opponi solet, dicendum est, etc. Cap. de oppositis.

QUÆSTIO XXXVII

An oppositio sit accidens reale, vel intentionale

Boet. Simplic. Philopon. *hoc loco.* **D. Thom.** *opusc.* 37. *et d.* 5. *q.* 1. *art.* 1. *et tract. de Interpretat.* Soncin. 8. *Met. q.* 18. Joan. Paris. *in Postprædicam. q.* 1. Lovanienses *hic.* Ant. Andr. *hic q.* 1. Conimbr. *in cap. de oppos. q. uni. art.* 2. Javell. 10. *Met. q.* 11. Cajet. et Sotus *in hoc cap.* Masius *ibid.* Rodrig. *in hanc q. Doctor. art.* 2.

1. *Argumenta.* Quod reale videtur; quia Metaphysicæ est tantum considerare ens reale, et accidentia realia entis : accidentia enim entis, ut considerantur a ratione, pertinent ad considerationem Logici : sed Metaphysicus considerat oppositionem, ut patet 5. Metaphysic. cap. non habente contextum, igitur oppositio est passio realis.

Item, oppositio est species differentiæ, et differentia diversitatis; et diversitas est passio realis; ergo oppositio, qua genus, non est verius ens suis speciebus.

Item, oppositio esset non existente intellectu ; igitur non est accidens intentionale. Antecedens patet inductive, esset enim mutua actio inter calidum, et frigidum,et motus inter illa, non existente intellectu ; igitur et contrarietas.

Similiter esset aliquis pater, et aliquis filius, non existente intellectu, quia genuisse, et genitum esse, non dependent ab intellectu : igitur et relative opposita.

Similiter esset carentia habitus in apto nato habere habitum : igitur et privative opposita.

Similiter et contradictio ; quia illa sequitur ad quamcumque oppositionem : igitur illa potest esse sine intellectu, quacumque alia sic manente.

2. *Argumentum ad oppositum.* Ad oppositum, accidens non habet verius esse, quam suum subjectum, sed oppositiones fundantur in intentionibus, ut in subjecto : igitur non sunt realia, sed tantum intentionalia. Minor patet inductive. Referuntur enim Species, et Genus ad invicem, contradicunt *genus*, et *non genus*, et sic de aliis oppositis.

Item, in solis accidentibus intentionalibus possibile est aliquid prædicari de seipso denominative, sed hoc possibile est in oppositionibus : igitur, etc. Probatio majoris : Prædicatio denominativa de aliquo, est prædicatio accidentis de subjecto ; sed nullum accidens, nisi intentionale, potest esse in aliquo sui, ut in subjecto. Probatio minoris, omnis divisio est inter opposita ; sed *oppositio* dividitur in *contrarietatem*, *oppositionem privativam*, et hujusmodi : igitur hæc opponuntur ; ergo et oppositiones opponuntur.

Item, nihil reale invenitur in omnibus generalissimis ; sed oppositio, et ejus species inveniuntur in omni genere : igitur, etc. Minor patet ; quia contradictio secundum eamdem rationem invenitur inter *hominem*, et *non hominem* ; inter *album*, et *non album* ; quia secundum hanc rationem, cujus non est medium secundum se.

Consimiliter videtur de contrarietate, quæ in diversis Generibus reperitur secundum hanc rationem, maxima distantia formarum quæ natæ sunt fieri mutuo circa idem.

Dicitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut privatio et habitus, aut ut affirmatio, et negatio. Cap. eod.

QUÆSTIO XXXVIII

Utrum divisio oppositionis in hæc quatuor, scilicet, relativam oppositionem, contrariam, contradictoriam, privativam, sit conveniens

Ammonius in hoc cap. D. Thom. 5. Met. lect. 12. et opusc. [illegible] Andr.

hic q. 2. Conimbr. *in cap. de opposit. artic.* 2. Cursus Carmel. *ubi supra.* Aversa *q.* 22 *Log. sect.* 1. Rodrig. *in hanc q. Doct. art.* 2

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod non; quia omnis divisio est per opposita, per Boetium lib. Divisionum, hæc non; igitur, etc. Probatio minoris; quia hæc divisio est inter oppositiones, et nulla oppositio opponitur. Probatio, quia si sic, igitur opponitur per aliam oppositionem, et pari ratione illa posset esse divisa contra aliam oppositionem; et sic erit procedere in infinitum in oppositionibus; igitur divisio est insufficiens, cum non fiat in illas omnes oppositiones.

Item, ubi unum videtur sequi ad aliud, divisio est insufficiens : sed contradictoria sequuntur ad omnia alia opposita : igitur, etc. Minor patet; quia omnia alia opposita includunt contradictorie opposita.

Item, relative opposita dicuntur de eodem ; igitur non sunt opposita. Antecedens patet; quia sicut arguitur, cap. de Quantitate, *hoc est magnum ad hoc, et hoc est parvum ad hoc*; igitur hoc est magnum, et parvum: igitur si ille modus arguendi valeat, possunt duo relative opposita inferri absolute, ex seipsis positis in comparatione ad diversa, intelligit enim Aristoteles per *magnum*, et *parvum* relative opposita, ut ibi patet.

Item, privative opposita dicuntur de eodem : igitur non sunt opposita. Probatio antecedentis, quia per Aristotelem in 2. Top. in privative oppositis tenet consequentia in seipso : igitur si ad visum sequitur sensus, ad cæcitatem sequitur insensibilitas ; sed sequitur visus, igitur sensus : igitur omnis videns est sentiens, quia in abstractis tenet consequentia per se ad concreta ; quia sequitur, si surditas est insensibilitas, igitur surdus est insensibilis ; igitur si idem sit videns, et surdus, idem erit sensibilis, et insensibilis, et privative opposita de eodem. Hoc idem patet in alio exemplo ; quia sequitur, iste est similis huic : igitur est similis, et dissimilis illi : igitur est dissimilis. Patet consequentia, quia relativum positum respectu cujuscumque, infert seipsum simpliciter, quia nullus terminus distrahit a ratione relativi simpliciter.

Item, contraria dicuntur de eodem : igitur non sunt opposita. Antecedens patet : tum quia in medio dicto per participationem est natura utriusque extremi, aliter non differret a medio dicto per abnegationem : etiam aliter non esset motus ab utroque extremo in medium, sicut medium dictum per participationem denominatur ab utroque extremo. Tum, quia scutum cujus medietas est alba, et medietas nigra, est coloratum : igitur album, vel nigrum, vel medium. Consequentia patet, per Aristotelem 2. Top. Quidquid est in genere, vel denominatur a genere, necesse est esse in aliqua specie, vel denominari ab aliqua, non est medium, ut manifestum est, si album, pari ratione nigrum ; igitur contraria dicuntur de eodem.

Ad primam probationem diceretur, quod natura extremorum imperfecte est in medio, et ideo medium a neutro extremo denominatur. Contra, utrumque extremum est aliqua forma ; ergo simplex ; per Auctorem sex Principiorum, in principio, *Simplex ubi est, secundum se totum est,* ergo si utrumque extremum secundum in aliquid sui est in medio, secundum se totum erit in medio. 2.

Dicitur ad secundam probationem, quod scutum non est coloratum, sed colorata. Contra, igitur est hoc coloratum, et illud ; quia per Priscianum, *plurale non est, nisi singulare geminatum,* sed consequens est falsum ; quia tunc esset multiplicatio subjecti, et accidentis.

Item, contradictorie opposita dicuntur de eodem : igitur non sunt opposita. Probatio antecedentis ; quia contradictorie opposita sequuntur ad quæcumque alia, sed omnia alia, dicuntur de eodem, sicut ostensum est : igitur contradictoria.

Item, si oppositio convenienter dividatur, igitur est oppositio subjectum divisionis, et præter hoc, divisio est subjectum oppositionis, quia divisio opponitur alicui,

ut indivisioni, vel collectioni; igitur idem respectu ejusdem est subjectum, et accidens, quod est inconveniens; ergo, etc.

Ad oppositum est Aristoteles, et Boetius in Commentariis super Aristotelem in libris Topicorum. Quoties enim docent considerare de oppositis, docent inspicere tantum ad hæc.

3. *Conclusio ad quæstionem præcedentem.* Ad primam quæstionem potest dici, quod *oppositio* æquivoca est, quia in uno sensu sumpta, dicitur æquivoce de contrarietate, et oppositione relativa: in alio sensu dicitur univoce de contradictione, et privativa oppositione. Primo modo est ens reale, et Species in genere Relationis: si autem inveniatur in aliis generibus, hoc non est ut species, sed ut passio. Secundo modo est intentio, quia et alterum extremum ejus est tantum ens, secundum considerationem rationis.

4. *Ad 1. pro parte negativa quæst. 37.* Ad primum argumentum dicendum, quod Metaphysicus distinguit multa multiplicia in quinto, non quia secundum omnes sensus sunt entia, vel passio realis entis; sed secundum alios, et alios sensus forte ponit, ut excludat a proposito: ita et de oppositione, cujus una species est ens reale, et species relationis; et alius sensus adjungitur, ut a proposito forte excluditur.

Ad 2. Ad aliud dico, quod oppositio in uno sensu, prout scilicet dicitur de contrarietate, et oppositione relativa, est species differentiæ: non autem prout dicitur de contradictione, et privativa oppositione, quia *ens*, et *non ens* contradicunt, et tamen non differunt, nec sunt diversa, quia diversitas est differentia entis, et differentia similiter.

Ad 3. Privatio, et negatio, tantum entia rationis. Ad tertium concedendum, quod contrarietas, et relativa oppositio essent, intellectu non existente, non autem privativa oppositio, nec contradictio; quia alterum extremum in illis oppositionibus, puta negatio, et privatio secundum quod est extremum relationis, est tantum ens secundum rationem; quod de negatione patet, quia licet illa dicatur de aliquo ente: ut *non homo* dicitur de *asino*, tamen secundum rationem, qua contradicit homini, non est ens, nisi rationis. Per hoc patet, quod licet contraria maneant, non existente intellectu non oportet contradictoria manere, secundum quod sunt contradictoria, quia negatio albi, prout contradicit albo, non est in nigro, quia ut contradicit, est dicibilis de ente, et de non ente. Si dicatur, quod ad nigrum saltem sequatur negatio albi, ut contradicit albo, et ita contradictoria sunt, si contrarja sunt; dico, quod non existente intellectu non est consequentia. Similiter privatio, licet sit negatio habitus in subjecto, tamen tantummodo opponitur habitui ratione negationis, et illa non est ens, nisi tantum secundum rationem.

5. *Ad 1. pro parte affirmativa.* Ad argumenta in oppositum. Ad primum dico, quod *contrarietas*, et *relativa oppositio* sumpta in illo sensu, in quo sunt species oppositionis, non sunt in subjectis intentionalibus, licet forte contrarietas secundum alium sensum, prout dicitur esse in propositionibus secundum Qualitatem, et quantitatem earum sit intentionale, et in subjecto intentionali, ut in propositione: alia autem duo, ut *contradictio*, et *privativa oppositio*, possunt esse in subjectis intentionalibus.

Ad secundum dico, quod *major* potest negari; quia etiam in accidentibus realibus comparatis, videtur aliquid prædicari de seipso denominative, cujusmodi sunt oppositiones. *Ad 2.*

Contra, impossibile est in rebus aliquid esse in eadem specie, ut in subjecto; et prædicatio denominativa est propria de subjecto. Vel potest dici, quod cum dicitur, oppositiones opponuntur, illud quod denominat oppositiones, non est oppositio realis, sed intentionalis, et ita non idem denominat se.

Contra, *contrarietas*, et *relativa oppositio* dividunt oppositionem, ut genus; ergo sunt species oppositionis; igitur oppositionum est aliqua realis, quia et utrumque extremum ens.

Ad tertium dico, quod *contradictio*, et etiam *privativa oppositio*, possunt univoce inveniri in omni genere, et similiter contrarie- *Ad 3.*

tas, et relativa oppositio forte ut passiones, non ut species.

6. *Conclusio ad quæst. præsentem* Ad secundam quæstionem dicendum, quod divisio oppositionis in illa quatuor est conveniens, quia oppositio realis, est eorum quæ sunt in eodem genere ; aut igitur unum illorum dependet ad aliud, et sic est *oppositio relativa* ; aut non, et sic est *oppositio contraria*. Oppositio habens alterum extremum non ens, quod dicitur de oppositione privativa, et contradictoria, aut habet extremum non ens, quod nullum subjectum sibi determinat, et sic est *contradictio* ; aut quod determinat sibi aliquod subjectum, et sic est *privativa oppositio* ; et sic patet sufficientia.

Divisio oppositionis.

7. *Ad 1. principale.* Ad primum argumentum potest dici, quod non omnis divisio est inter opposita, proprie loquendo : quia non divisio generis in species, ut in genere Substantiæ : et ita contraria, et relativa dividunt oppositionem, ut species ; et alia duo, licet in alio sensu oppositionum, ut species, et species dividentes non oportet nisi esse contrarias transumptive, quæ contrarietas non est oppositio, ut hîc loquimur, sed forte intentio communis omnibus disparatis : dividentia autem multiplex, nullo modo proprie oportet opponi, et ita nec contrarietatem contradictioni. Vel aliter, hoc non valet ad oppositum, quia nulla oppositio harum potest determinare hæc omnia dividentia, nec aliqua seipsam, in comparatione ad aliam, in uno sensu dividit in contrarietatem, et relativam oppositionem in hac divisione, licet omnia dicuntur disparata, et ita contraria transumptive.

8. *Nota.* Intelligendum tamen, quod divisio oppositionis in hæc absolute, est divisio vocis in significationes : sed oppositio sumpta in uno sensu, dividitur in contrarietatem, et relativam oppositionem, ut genus in species. In alio sensu sumpta, similiter est generale, propterea dividentia ipsam in utroque sensu sunt opposita : ut contrarietas, et relativa oppositio sunt forte contraria, loquendo de contrarietate transumptive sumpta, quæ est differentia secundum speciem : sed non oportet dividentia in uno sensu, opponi dividentibus oppositionem in alio sensu.

Ad aliud dico, quod divisio oppositionis est in istas intentiones, ut unum membrum illorum non sequitur ad aliud, quia non sequitur, *hæc sunt contraria, igitur sunt contradictoria* ; sed consequentia est inter illa quæ subsunt, ut sequitur, *album, et nigrum, igitur album, et non album*, et in illa non est divisio, nisi per accidens. *Ad 2.*

Contra hoc loquendo de intentionibus, omnia sunt relative opposita, quia contradictorium dicitur contradictorio contradictorium, et contrarium contrario contrarium, et sic de aliis. Respondeo, contradictorium est relativum per accidens, sicut homo est albus : contradictio autem non est relativa oppositio ; divisio autem sic oppositionis in abstracto, vel in concreto sumpto essentialiter, non sumitur pro omni illo quod potest denominare, quia tunc *quale* non divideretur in denominativa specierum suarum, cum illa possint de eodem prædicari, et de se mutuo, licet per accidens.

Ad aliud dico, quod relativa non sunt relative opposita, nisi in comparatione ad idem, et sic non possunt inferri ex seipsis positis in comparatione ad diversos terminos, licet relativa absolute possint inferri. Qualiter autem ratio Aristotelis valet de *magno*, et de *parvo*, dictum est supra. Contra hoc, Aristoteles in principio hujus capituli, ubi dat differentiam inter *contraria*, et *relative opposita*, dicit, quod in relative oppositis unum secundum se dicitur ad aliud, et non in contrariis : et idem dicit, assignando differentiam inter relativam oppositionem, et contrariam, et duo relativa sumpta in comparatione ad idem, ut *pater hujus*, et *filius hujus*, non dicuntur ad invicem, sed ipsa absolute sumpta : igitur intelligit relative opposita esse relativa absolute. *Ad 3.* 9.

Ad hoc potest dici, quod in relative oppositis, sunt duo, *oppositio*, et *relatio* ; superaddita ratione oppositis, oportet sic opposita accipi in comparatione ad idem ; 10.

quia hoc est generale omnibus oppositis, sumi in comparatione ad idem, ratione differentiæ superadditæ oppositioni, quæ est relatio, oportet illa, secundum quæ est oppositio, referri ad invicem.

Dictum igitur Aristotelis est intelligendum de ipsis formis, inter quas est oppositio, quia illæ referuntur ad invicem, quia in hoc differunt formæ, hic oppositæ, a formis oppositis in aliis generibus oppositionis : in omnibus tamen oportet opposita referri ad idem : et ideo Aristoteles,quando debuit distinguere hanc oppositionem ab aliis, non posuit illam conditionem, in qua hæc convenit cum aliis, in ratione oppositionis in generali, sed illam in qua hæc distinguitur ab aliis.

11. Ad 4. Ad aliud potest dici, quod in privative oppositis, non tenet consequentia in seipso, nisi in comparatione ad subjectum proximum. Verbi gratia, si sequatur, *homo est videns : ergo homo est sentiens*,non sequitur eodem ordine in privative oppositis, *homo est cæcus, igitur homo est insensibilis* ; quia si sic, cum ulterius sequitur, *igitur homo est non sensibilis*, ab affirmativa de prædicato privato, ad affirmativam de prædicato infinito, per Aristotelem et Boetium in 2. Periher. et per Aristotelem in 1. Priorum, cap. 1. et inde, cap. ult. et ulterius sequitur, *est non sensibilis, igitur non est sensibilis*; per ipsos ubi prius,sequeretur a primo, et ultimum, *est cæcus, igitur non est sensibilis*, ubi manifeste est fallacia Consequentis. Potest tamen dictum Aristotelis in 2. Topic. intelligi de subjecto proximo habitus inferioris, et suæ privationis,ut forte, si sequatur, *oculus est videns, igitur oculus est sentiens*, similiter sequitur, *oculus est cæcus*, vel *homo cæcus secundum oculum, igitur oculus*, vel *homo secundum oculum est insensibilis*. Ratio differentiæ est, quia privatio est negatio habitus in apto nato : ad negationem autem habitus inferioris absolute, vel in subjecto remoto, non sequitur negatio habitus superioris absolute, vel in subjecto remoto ; sed est fallacia Consequentis, a propositione habente plures causas veritatis, ad unam. Tamen ad negationem habitus inferioris in subjecto proximo illius habitus, sequitur negatio habitus superioris in eodem subjecto, quia in illo subjecto non est habitus superior natus haberi, nisi quia habitus inferior. Nec mirum est respectu alicujus subjecti privativum habitus inferioris, inferre privativum habitus superioris, respectu alterius non ; quia consequentia non est inter incomplexa sed inter propositiones. Tum quia omnis illatio pertinet ad tertiam operationem intellectus ; sicut igitur secunda operatio intellectus, quæ est compositio, et divisio, supponit primam, quæ est indivisibilium intelligentia, et non est compositio, nisi in talibus ; ita tertia operatio præsupponit secundam, ita quod in illa non erit aliqua illatio nisi in compositis, vel divisis. Tum quia omnis consequentia est reducibilis in syllogismum : nihil autem est antecedens, vel consequens in syllogismo, nisi propositio ; igitur nihil est extremum consequentiæ nisi tale.

Ad exemplum de privative oppositis, si concedatur hæc consequentia, *est dissimilis illis, igitur est dissimilis*, quod videtur propter relationis rationem in dissimili, dicendum est tunc, quod *dissimile* absolute sumptum non opponitur *simili* absolute privative, sed oportet utrumque sumi secundum idem ad idem, ut similis, et dissimilis eidem, ut in albedine ; et sic non possunt ista duo dici de eodem. Vel aliter neganda est ista consequentia, *est dissimilis illis, igitur est dissimilis*, quia ad consequens sequitur, igitur non est similis, quod non sequitur ad antecedens. Tunc ad propositionem illam, relativum respectu cujuscumque termini infert seipsum absolute, conceditur quantum est ex ratione relationis, sed potest prohiberi ratione negationis, quando in eodem conjungitur negatio cum relatione : sic est in relativis privativis, cujusmodi est dissimilis. 12. Ad 5.

Ad aliud dici potest, quod Aristoteles in 4. Metaphysic. c. de Medio, ubi ponit principaliter, quod medium componitur ex 13. Ad 6.

contrariis; quia medium est magis unius extremi, et minus alterius, quia medium dictum per participationem, participat utrumque extremum imperfecte, et virtualiter, neutrum tamen simpliciter, et ideo denominatur a neutro simpliciter.

Ad primum in contrarium dico, sicut est compositio essentialis ex materia, et forma, compositio quantitativa, quæ est ex partibus integralibus, et compositio secundum gradus perfectionis, ita per oppositum est simplicitas, et simplicitate opposita primis duobus modis compositionis est forma simplex, sed non omnis forma est simplex, simplicitate tertio modo, quia in aliqua eadem forma sunt diversi gradus perfectionis, et virtutis, quæ compositio non repugnat simplicitati essentiæ formæ.

14 Ad secundam probationem de contrariis, si concedatur scutum hujusmodi esse coloratum, potest dici, quod non sequitur, igitur est album, vel nigrum, quia in illa consideratione quæ accipitur, dicit Aristoteles quod quidquid denominative dicitur a Genere vel habet Genus, oportet denominative dici a Specie, vel habere Speciem, et per hoc innuit duplicem modum denominandi in accidentibus, unum secundum *esse*, alium secundum *inesse*, quem duplicem modum tetigit in principio secundi; quod igitur Genus denominat, et aliqua Species denominabit, vel secundum *esse*, vel secundum *inesse*, et ita est vere concedendum, quod scuto inest albedo, vel nigredo, vel color medius, sed non sequitur; ergo scutum est album, quia in accidentibus non tenet ab *inesse* ad *esse*, secundum Aristotelem in principio secundi Topicorum.

Accidens habet duplicem modum denominandi.

15. *Ad 7.* Aliter potest dici, quod scutum non est coloratum, quia verum est dicere, quod nullo colore coloratum; quia illius universalis quælibet singularis est vera; quia opposita quælibet est falsa, nec tamen est concedendum quod sit colorata, quia forte sicut coloratum dicit unitatem in forma, et in subjecto, ita colorata dicit pluralitatem in utroque, et neque est unitas in utroque, neque pluralitas in utroque, sed unitas in subjecto, pluralitas in accidente.

Ad aliud dico, quod non est inconveniens duorum accidentium intentionalium utrumque esse in utroque, ut in subjecto; quia quodlibet intentionale, præter hoc, quod est modus intelligendi alterius, est intelligibile per se: quando est modus intelligendi habet rationem accidentis; quando est intelligibile, est quid, et potest intelligi sub aliquo, quod est modus intelligendi ejus, cujus tamen prius fuit modus intelligendi: et ita potest respectu ejusdem esse intellectum, et modus intelligendi: et hæc est causa, quare in accidentibus intentionalibus potest idem prædicari de se denominative, quia idem potest esse intellectum, et modus intelligendi, sub extranea ratione sumptum: et ita sub extraneis rationibus potest significari in concreto, et in abstracto. Sic patet, quod hæc divisio tantum est oppositionis, quæ est in complexis, quia uno modo intendit Aristoteles de oppositione in libro Periher, ubi distinguit oppositionem in enunciationibus. Patet cujus divisio sit, quia primo est æquivoci in æquivocata, secundo univoci in utroque sensu in univocata.

Notandum, quod contrariorum quædam sunt immediata, quorum alterum necesse est inesse omni susceptibili; alia sunt mediata, quorum non necesse est alterum inesse. Et mediatorum, quædam habent media per participationem, quæ media aliquid habent utriusque extremi; quædam habent tantum media per abnegationem. Mediatorum etiam, quædam habent plura media: quædam tantum unum, et quædam media nominata, quædam innominata. 16.

Pro secunda divisione tamen intelligendum, quod nulla dicuntur contraria mediata proprie, nisi quæ habent medium per participationem: medium enim per abnegationem, invenitur in omnibus, præterquam in contradictoriis, sed forte in aliquibus contrariis mediatis medium non nominatur, nisi per abnegationem extremorum, ut in bono, et malo, et consimili-

bus. Tertiæ divisionis, et quartæ causa assignatur in 10. Metaphysic. cap. *Quoniam autem uni contrarium*, etc. text. 17. et inde, quæ est, quod aliquando negationes contrariorum cadunt super aliquid unum determinatum ejusdem generis cum extremis et tunc potest esse unum medium nominatum, sicut negatio majoris, vel minoris determinate cadit super habens eamdem quantitatem ; et ideo illorum est unum medium nominatum, quod est æquale. Quando autem negationes contrariorum non cadunt super aliquod unum susceptivum, tunc non est unum medium, sed vel omnino remanet innominatum, vel plura media nominata, quando negatio extremorum cadit super plures formas ejusdem generis, ut est in coloribus.

*Quæcumque vero contrariorum sunt talia, ut in quibus nata sunt fieri, vel de quibus prædicantur, **necessarium sit alterum eorum inesse**, nihil medium eorum est.* Cap. eod.

QUÆSTIO XXXIX

Utrum aliqua sint contraria immediata

Arist. 10. *Metaph. text.* 15. *et deinceps*. Ammon. *in hunc locum Postprædic.* Mayron *loc. passu* 52. Anton. Andr. *hic in expos. text. et q.* 1 *sequente*. Fonseca *lib.* 2. *Instit. c.* 17 Faber *Theor.* 43. *c.* 4. *ad* 2. *arg.* Rodrig. *in summa text. Doct. in hac q.* Aversa *q.* 22. *Log.*

1. *Argumentum pro parte negativa.* Quod non videtur ; quia si aliqua essent talia, igitur eorum non esset medium secundum se ; igitur essent contradictoria. Probatio primæ consequentiæ ; quia si eorum esset medium secundum se, essent mediata. Probatio secundæ consequentiæ, quia contradictoria sic definiuntur ab Arist. in 1. Posteriorum text. 5. *Contradictio est oppositio, cujus non est medium secundum se* ; igitur quæ habent hanc definitionem, sunt contradictoria.

Item, secundum Aristot. in littera, contrariorum immediatorum necessario unum inest susceptibili ; sed nulla sunt talia : igitur, etc. Probatio minoris, quia de quibuscumque contrariis oppositis, ubi alterum non inest a natura, arguatur sic, non necessarium est hoc inesse susceptibili, nec necesse est illud ; igitur neutrum necesse est inesse : nam singulares sunt veræ ; igitur et universalis, quia illa universalis sufficienter inducitur per duas singulares ; igitur ejus contradictoria est falsa; *alterum necesse est inesse*, etc.

Item, inter contraria immediata, si quæ sunt, potest esse motus, sed mobile dum est in motu, sub neutro terminorum est, ergo possibile est subjectum esse sub neutro contrariorum immediatorum. Probatio secundæ propositionis, tum per Arist. 6. Physic. text. 7. et 87. *Mobile dum est in motu, partim est in termino a quo, partim in termino ad quem*. Tum quia si mobile esset in termino a quo simpliciter, non moveretur ; quia tunc inciperet motus; si esset simpliciter in termino ad quem, non esset motus, quia tunc terminaretur motus.

Item, si possibile esset fieri mutationem inter contraria immediata, ut manifestum est, mutetur Socrates de sanitate in ægritudinem, cum durationis sanitatis in Socrate sit aliquis terminus : sit ille ultimus terminus A, et primus initialis ægritudinis B, aut igitur B, et A sunt unum instans, et tunc idem in uno instanti esset sub duobus contrariis : aut sunt duo instantia ; igitur inter illa est tempus medium, in quo non est sanus, nec æger : igitur illa sunt contraria mediata, et sic de quibusdam aliis. Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicendum, quod aliqua sunt maxime distantia in eodem genere, quorum alterum necesse est inesse susceptibili : ergo aliqua sunt contraria immediata. Consequentia tenet per locum a definitione, quia quæstio si est non solvitur demonstrative, nisi per quid est, per Aristotelem in 2. Poster. text. 1. et 2. et inde. 2. *Conclusio.*

Ad primum argumentum dico, quod illud non est medium secundum se, potest intelligi dupliciter, vel quod sit negatio medii simpliciter, vel medius negationis. Primo modo convenit contrariis immediatis, secundo convenit contradictoriis, et *Ad 1.*

ponitur in definitione eorum, quia sola contradictoria nullo modo habent medium; quia secundum se inest ei non habere medium, omnibus autem aliis oppositis, aliquo modo convenit habere medium.

Ad 2. Ad secundum, concedo hanc propositionem esse falsam, *Necesse est alterum contrariorum immediatorum inesse susceptibili*, prout *alterum* est signum particulare, quia particularis nunquam est vera : nisi singularis sit vera.

3. Pro communi tamen modo loquendi intelligendum, quod *alterum* communiter sumitur pro hoc, vel illo, et illud est distinguendum secundum compositionem, et divisionem, cum sic dicitur, *Necesse est hoc, vel illud inesse subjecto*, in sensu compositionis est propositio vera, et est propositio de disjuncto prædicato, in sensu divisionis est falsa : et sic sumitur, quando ly *alterum*, sumitur, ut est signum particulare, primo modo intelligit Aristoteles et est communis intellectus, quando dicimus, *Necesse est alterum contradictoriorum esse verum*, et hujusmodi : secundum tamen, quod prætendit virtus sermonis, est propositio particularis.

Ad 3. Ad tertium dico, quod toto tempore motus est subjectum sub forma priori, et in ultimo termino motus, sub forma posteriori, et ita semper sub altero. Ad primam probationem dico, quod forma accidentalis secundum quam est motus, suscipit magis, et minus, et secundum illum gradum, secundum quem est terminus a quo motus, non manet in motu, quia in toto motu remittitur magis, et minus, sed semper essentia termini *a quo* manet, ideo intelligendum est dictum Aristotelis sic, *mobile*, etc. hoc est, terminum a quo participat secundum aliquem gradum remissum, et in tantum continue accedit ad terminum ad quem. Similiter patet ad aliam probationem, quia dum subjectum est in termino a quo, secundum illum gradum, secundum quem est terminus a quo, non movetur, sed forte incipit moveri. Sed quando subjectum est in termino ad quem, secundum illum gradum, secundum quem est terminus ad quem, tunc finitur motus.

Ad quartum dico, quod impossibile est accipere ultimum instans sanitatis, seu alicujus formæ permanentis in subjecto, in quo termino illa forma habeat esse ; sed ultimus terminus durationis formæ præcedentis est primus terminus formæ subsequentis, in quo termino est forma subsequens, non præcedens, ut determinatur in 8. Physicorum cont. 64. *Ad* 4.

Privatio vero et habitus dicitur quidem fieri circa idem aliquid, *etc.* Cap. eod.

Notandum, quod specialis ratio istorum oppositorum non est fieri circa idem ; quia hoc convenit aliis oppositis, nec est ratio eorum fieri circa idem ordine quodam, quia non convenit omnibus privative oppositis, nisi intelligatur secundum naturam, scilicet, quod sit aliquod subjectum aptum natum prius natura habere habitum, quam dicatur privari : et ita forte est de contrariis, quia in omnibus, subjectum naturaliter prius ordinatur in extremum perfectius, quam imperfectius : sed ratio generalis istorum oppositorum est forma, et carentia formæ in subjecto apto nato, et per hoc principaliter distinguitur a contrariis, ubi neutrum extremum est sola carentia reliqui, sed aliqua forma positiva. 4.

Privari vero et habitum habere non est habitus et privatio, *etc.* Cap. eod

Notanda est etiam illa consequentia Aristotelis, si privari et privatio idem essent, de eodem prædicarentur, quia ex eo sequitur universaliter denominativum, et abstractum non esse idem.

Opposita autem et hæc videntur esse, *scilicet privari*, *et habitum habere tanquam privatio et habitus*. Cap. eod.

Similiter notandum est illud dictum, quod eadem est oppositio in concretis, et abstractis.

Quoniam autem privatio et habitus non sic opponuntur, ut ad aliquid manifestum est. Cap. eod.

5. Notandum pro differentia secunda, quam assignat Aristoteles inter privative opposita et relative, quod non omnia relative opposita dicuntur reciproce secundum eumdem modum referendi : sed solum ea quæ per se mutuo referuntur, unde illa differentia est forte quorumdam relativorum ad privative opposita : sed prior differentia est universalior. Hoc valet pro intellectu tertiæ proprietatis relativorum, quæ est *omnia relativa dici ad convertentiam*, hoc est mutuo ad invicem, quæ proprietas in aliquibus relativis vera est secundum eamdem rationem referendi, ubi utrumque extremum est per se relativum ad aliud : in aliis non sic, ubi unum extremum per se refertur ad aliud, et illud non ad ipsum, nisi per accidens. Vel aliter potest dici, quantum ad propositum, quod licet non omnia relativa dicantur reciproce, tamen omnia relative opposita dicuntur reciproce : quia illa relativa ubi non utrumque dicitur per se ad aliud, non sunt relative opposita, quia non sunt ambo in eodem genere : *scibile* enim non est in genere relationis, nec ut relativum, nec ut relatio per se, et ita de aliis relativis, ad quæ alia dicuntur per se, et non e converso: et secundum hoc hæc differentia inter relative opposita, et privative est generalis.

Quoniam autem neque ut contraria opponuntur ea, quæ secundum privationem et habitum dicuntur, ex his manifestum est. Cap. eod.

6. Notandum, quod duplicem assignat Aristot. differentiam inter contraria, et privative opposita : unam sumptam a divisione contrariorum talem : Contrariorum mediatorum nunquam necesse est alterum inesse susceptibili, sed privative oppositorum semper necesse est alterum inesse, postquam subjectum natum est ea suscipere ; ergo privative opposita non sunt contraria mediata. Immediatorum necesse est semper alterum inesse susceptibili, quia semper susceptibile est natum vel natum est suscipere. Privative oppositorum non est necesse alterum inesse, quia non semper subjectum natum est ea suscipere : ergo privative opposita non sunt contraria immediata.

Præter hæc adjungit unum accidens, quod in utriusque contrariis accidit aliquando unum extremum inesse a natura, quod non accidit in privativis.

QUÆSTIO XLI.

Utrum possibile sit aliquorum contrariorum unum determinate inesse a natura alicui subjecto.

Arist. 2. *Topic.* cap. 2. Anton. Andr. in hunc locum *q.* 1. Fonseca *lib.* 2. *Instit. c.* 17. Rodrig. hic in summa text. Vide Doct. 4. d. 12. q. 2. Alios Auctores *cit. q. præced.*

Quod non videtur ; quia dicit Aristoteles in 2. Topic. cap. 2. quod si alicui subjecto assignatur aliquod prædicatum inesse, si contrarium prædicati non possit inesse, nec propositum inest : igitur nulli subjecto inest unum contrariorum determinate. 1. *Pro parte negativa.*

Item, contraria nata sunt fieri circa idem : ergo non inest alicui unum, nisi quod natum est suscipere alterum : igitur neutrum determinate inest.

Item, hoc videtur specialiter in illis, in quibus exemplificat Aristoteles. Ignis enim non videtur determinate calidus, neque aqua frigida ; quia omnem generationem præcedit alteratio ; igitur generationem ex igne præcedit alteratio ignis, per quam inducuntur qualitates aquæ : sed in tota alteratione manet forma ignis, quia per Aristotelem in 8. Physic. text. 23. et alibi, in tota transmutatione manet subjectum sub forma priori : ergo ignis potest manere ignis, et non esse calidus, et ita de omnibus transmutabilibus secundum alias qualitates, quas habent, quia generaliter secundum omnia contraria videtur posse fieri mutatio.

2. Ad oppositum est Aristoteles.

Conclusio. Ad quæstionem dicendum, quod possibile est in aliquibus extremis, unum contrarium inesse a natura alicui subjecto; quod ad minus patet de Speciebus contrariis in Genere, ubi est proprie contrarietas : et quæ constituuntur per differentias proprias contrarias, et utrique determinate inest sua differentia, ita quod non est possibile oppositum inesse. Similiter patet in passionibus, quod aliquod subjectum secundum suam naturam est principium per se alicujus passionis habentis contrarium, cujus passionis contrarium non potest inesse, cum ipsa passio sequatur formam subjecti.

3. *Ad argumenta.* Ad primum argumentum dicendum, quod consideratio Aristotelis intelligenda est secundum aptitudinem, non secundum potentiam, quia si unum contrarium insit, reliquum aptum est inesse, et non tamen oportet quod possibile sit reliquum inesse.

Ad secundum dicendum, quod illa definitio est vera, secundum generalem rationem contrariorum; quia quantum est ex hoc, cui inest unum contrarium, natum est ei inesse reliquum, sed non oportet, quod sit idem de quibuscumque contrariis, comparatis ad quodcumque subjectum, nisi forte loquendo de illo subjecto secundum genus; quia licet subjectum aliquod secundum suam propriam rationem determinet sibi contrarium unum, hoc non est ex ratione contrariorum, nec ratione generis talis subjecti. Forte hæc secunda particula additur pro speciebus, quæ determinant sibi aliquas differentias contrarias determinate, quod licet forte sit et a parte Specierum, et Differentiarum, non tamen inest Speciebus per naturam Generis.

Ad tertium potest concedi, quod qualitates elementorum non insunt eis a natura, neque determinate; quia formæ substantiales eorum possunt manere sub oppositis qualitatibus, ut patet in alteratione præcedente corruptionem elementorum : in illis tamen exemplificat Aristoteles; quia secundum communem conceptionem, illæ videntur consequi inseparabiliter formas elementares. Vel aliter potest dici, quod quælibet qualitas secundum aliquem gradum determinate inest suo elemento, et secundum illum nunquam amittitur in transmutatione, licet secundum perfectissimum gradum possit amitti, quia secundum illum gradum non consequitur inseparabiliter formam elementi, puta calor perfectissimus formam ignis. Vel aliter, quod istæ qualitates consequuntur formam elementi, puta ignis in suo perfectissimo esse, quale esse non habet in transmutatione, cum tendit ad corruptionem.

Amplius, et in contrariis quidem existente susceptibili, possibile est in alterum fieri mutationem, nisi alterum naturaliter insit, etc. Cap. Eod.

Secundam differentiam ponit Aristoteles inter contraria, et privative opposita. Inter contraria est mutua transmutatio : inter privative opposita non; quia ab habitu potest fieri transmutatio in privationem, e converso non. ***Nota.***

QUÆSTIO XLI

Utrum a privatione possit fieri regressio in habitum

Simplic. et Ammonius *hic.* Nyphus 1. *Metaph. q.* 4. D. Th. *q.* 2. *de Malo, et* 8. *Met. cap.* 5. *lect.* 4. Soncin. 10. *Met. q.* 19. Ant. Andr. *hic q.* 2. Mayr. *hic, passu* 57. Conimbr. *hic q. unic. art.* 5. Tolet. *ibid.* Suar. *in indic. Met. lib.* 8 *cap.* 5. Fonseca *lib.* 2. *Instit. cap.* 17. Aversa *q.* 22. *Log. sect.* 1.

Quod sic videtur; quia secundum Aristotelem 1. Physicorum cont. 5. et inde, Privatio, et forma sunt duo principia transmutationis, ita quod privatio est terminus a quo, et forma terminus ad quem : sed a termino a quo, ad terminum ad quem est transmutatio; igitur, etc. Item, hoc patet in exemplo; tenebra enim opponitur luci privative, alioquin illuminatio medii esset cum motu, et successione, quod improba- 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

tur 2. de Anima. Consequentia patet ; quia unum contrarium non abjicitur, et reliquum non acquiritur sine motu, sed a tenebra ad lucem possibilis est regressio, manifestum est, igitur, etc.

Item, omnium contrariorum alterum includit privative oppositum alterius, per Aristotelem 10. Metaphysic. cont. 15. et hoc non obstante inter contraria est transmutatio ; igitur et inter privative opposita.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Primus modus respondendi quæst.* Ad istud dici potest, quod loquendo generaliter de privative oppositis, non est impossibile universaliter a privatione esse regressum ad habitum ; quia sic loquendo, *privatio* dicitur esse carentia formæ in subjecto, quando aptum natum est habere, et a tali privatione possibile est esse regressum ad formam : unde illud dictum Aristotelis est verum de aliqua privatione particulariter, ideo prima differentia, quam ponit Aristoteles inter contraria, et privative opposita, est generalis. Ista secunda est particularis. Ad salvandum igitur dictum Aristotelis distinguitur *privatio* tripliciter, uno modo sic. Quædam est privatio, quæ est carentia formæ, ad quam non ordinatur subjectum, nisi mediante habitu ; alia ad quam ordinatur non mediante habitu. *Privatio triplex.* Alio modo sic, quædam privatio privat habitum secundum actum, et secundum potentiam : alia privat tantum actum. Tertio modo sic, privatio quædam est, cujus habitus inest a principio innato, cujusmodi est cæcitas, quia visus est a principio intrinseco. Alia est privatio, cujus habitus inest principio extrinseco, ut tenebra in medio. De privatione quocumque istorum modorum, primo dicto dicta, intelligit Aristoteles, secundo modo non. Videtur tamen prima distinctio esse minus competens, quia nullum subjectum videtur ordinari in privationem, mediante habitu. Si intelligatur subjectum ordinari in privationem mediante habitu, sic quod subjectum non est natum recipere privationem, nisi prius recipiat habitum, hoc enim est manifeste falsum ; quia aliquis non prius videns potest esse cæcus ; vel sic intelligatur, nisi prius natum sit recipere habitum ; et sic distinctio nulla ; quia sic omne subjectum ordinatur in privatione, mediante habitu. Ratio autem quare Aristoteles intelligit de primo membro secundæ distinctionis, et non de secundo, est manifesta ex ipsis verbis distinctionis. Quare autem possit intelligere de primo membro tertiæ divisionis, et non de secundo, causa est, quia quando habitus, qui est a principio intrinseco non inest, tunc in subjecto non inest principium sufficiens illius habitus : et cum natura transmutabilis semper tendat in non esse, non est possibile illud principium recuperari in subjecto, et ita nec habitum illum induci. Si igitur privatio talis habitus aliquando insit, impossibile est postea habitum illum inesse ; sed quando habitus est a principio extrinseco, ut lux in medio, a corpore luminoso ; tunc licet privatio aliquando insit, possibile est tamen ab illo extrinseco habitum induci.

Ad argumenta patet, quia argumenta prima procedunt de privatione uno modo, *Ad argumenta.* et argumenta ad oppositum, de privatione alio modo : quare, sicut dictum est, illa differentia non est generalis inter privative opposita, et contraria. Multa enim sunt opposita, ubi unum est tantum carentia alterius in apto nato, quæ non possunt aliter opponi, nisi privative : et tamen non habent hanc proprietatem, puta lux, et tenebra, quæ si essent contraria, non posset alterum expelli, et alterum induci sine motu : et ita non posset medium in instanti illuminari, cujus oppositum habetur in 2. de Anima cont. 70. Similiter justitia, et injustitia, scientia et ignorantia ; possibile est enim injustum facere aliqua opera justitiæ, quia injustitia non necessitat ad faciendum injuste, licet inclinet, et per frequenter justa operari, potest acquirere habitum justitiæ, igitur potest ab injustitia transmutari ad justitiam.

Aliter potest dici ad quæstionem, quod

inter contraria mutua est motus proprie dictus, quia utrumque est aliqua natura positiva, nec potest expelli, nisi in tempore : sed a privatione in habitum nunquam est motus ratione privationis ; quia materia subjecta privationi, tantum habet carentiam formæ, et cum hoc tamen stat, quod summe sit disposita ad suscipiendum formam, et ita non oportet illam moveri ad illam ; sed statim præsente agente recipere illam sine motu : secundum hoc est dicendum, quod hæc differentia est universalis inter contraria, et privative opposita.

Ad argumenta. Ad primum argumentum dici potest, quod a privatione, quæ est principium, in formam non est motus proprie dictus, nisi quando privatio conjungitur contrario.

Ad secundum patet ex illis exemplis, qualiter non est motus a privatione in habitum.

Ad tertium non sequitur non esse motum inter contraria, quia non esset inter privative opposita, quia extremum ignobilius contrarietatis non tantum est privatio reliqui, sed cum hoc est aliqua forma positiva, et ideo non potest expelli sine motu.

Quæcumque vero tanquam affirmatio et negatio, etc., Cap. eod.

5. *Contradictoria nec simul vera, nec simul falsa.* Hic assignat Aristoteles differentiam inter contradictorie opposita, et omnia alia, quia in omnibus aliis, non oportet alterum extremum esse verum, alterum falsum ; in his autem oportet, vel quia nullum aliorum necessario vere inest, et aliud false ; sed in contradictoriis alterum vere inest, alterum false, et sic loquitur de contradictoriis incomplexis ; vel quia nullum aliorum oppositorum est verum, vel falsum, quia incomplexum, et contradictoria sunt complexa. Secundum istum sensum magis videtur intelligere ibi ; *Omnino autem eorum quæ sine complexione dicuntur, nihil verum, neque falsum est*, et omnia alia quæ dicta sunt, sine complexione dicuntur, alia scilicet a contradictoriis, et tunc intelligendum, quod contradictio, de qua hic loquitur, non tantum sit in incomplexis ; quamvis hic loquatur principaliter de oppositione incomplexorum, quia contradictio forte univoce invenitur in propositionibus, et in terminis : non sic forte in aliis oppositionibus, quia ista est magis intentionalis, est enim simpliciter intentionale.

Adjungit postea, quod licet subjecto existente, oporteat alterum contrariorum immediatorum esse verum de illo, non tamen hoc oportet subjecto non existente : sed in contradictoriis sive subjectum sit, sive non sit, semper alterum est verum de subjecto, et alterum falsum, quia sive Socrates sit, sive non, semper hæc est vera, *Socrates languet*, vel *Socrates non languet.*

QUÆSTIO XLII

Utrum in negativa subjectum stet pro ente, et pro non ente indifferenter

Vide Auctores citatos *qq.* 5. 6. 7. *lib.* 1. *Periherm.* quo Doctor ad hujus quæstionis solutionem se remittit.

Quod sic videtur, quia ista, *Socrates non languet*, non esset vera, Socrate non existente, nisi subjectum staret pro non ente; quia aliter sensus esset, Socrates qui est, non languet, et ejus contradictoria est falsa, Socrate non existente, et sic duo contradictoria essent simul falsa. 1. *Argu[m] ta pro te neg va.*

Dicetur ad istud quod quando terminus supponit non habens plura supposita, sicut terminus discretus, possibile est tale subjectum stare pro non ente, sed hoc non est possibile de termino communi. Contra hoc, ponatur, nullum hominem esse, hæc est falsa, *omnis homo languet.*

Ad solutionem hujus quæstionis oportet præscire, quid significatur per *terminum*, et quæ sunt ejus per se supposita ; quia ex hoc esset concludendum, pro quibus per se supponit terminus in oratione, in omni

enim propositione affirmativa, sive negativa, supponit pro ejus per se suppositis, et ideo de hoc forte fiet mentio in libro Perihermenias, ubi illa sunt magis propria.

Contrarium autem est bono quidem ex necessitate malum, etc. Cap. eod.

3. *Prima proprietas contrariorum.* Notandum, quod quatuor ponit Aristoteles proprietates contrariorum. Prima est, quod *semper bono contrariatur malum, sed malo quandoque malum, quandoque bonum*. Quæ intelligenda est, non solum de istis formis *bonum*, et *malum*; quia ista sola inter se contrariantur, et nunquam malum malo ratione formæ mali, sed de his quæ subsunt, quia aliquando illud quod est malum, contrariatur ei, quod est malum, sicut et in propositionibus, aliquando illud quod est falsum, contrariatur ei, quod est falsum; quia ambo contraria possunt esse simul falsa.

Amplius vero contrariorum non necessarium est, si alterum est reliquum esse etc. Cap. eod.

4. *Secunda proprietas.* Secunda est, *uno contrariorum existente, non oportet reliquum esse*. Ut omnibus existentibus sanis, sanitas est, et non ægritudo, vel si forte absolute sumptæ non sint contrariæ, nisi in comparatione ad idem subjectum, ut sanum, et ægrum circa Socratem, cum impossibile sit ipsa simul inesse eidem subjecto, impossibile est uno existente, reliquum esse, primum forte est verius; quia forte inter se sunt contraria. Probatio, quia ex se maxime distant in eodem genere.

Objectio. Contra hanc proprietatem in lib. de Cœlo, et mundo, lib. 2. text. com. 18. habetur, *si unum contrariorum est in natura, et reliquum*; igitur uno existente, oportet reliquum esse.

Solutio. Ad hoc potest dici, quod illa propositio non est vera, de esse in actu tantum, sed de esse in actu, vel esse in potentia, et de contrariis, quæ mutuo se expellunt circa idem subjectum; quia tunc si unum contrarium est, subjectum ejus est; si subjectum ejus est, igitur reliquum contrarium est in potentia; quia illud subjectum est in potentia ad alterum contrarium.

Palam autem est quod circa idem, aut specie aut genere natura habent fieri contrarietates etc. Cap. eod.

5. *Tertia proprietas.* Proprietas tertia est, quod *habent fieri circa idem Specie, vel Genere*. Quæ notanda est, quia licet alicui speciei repugnet unum contrarium, ut albedini congregativum; tamen illa contraria habent fieri circa idem genere, ut circa colorem, qui est in diversis speciebus; quia sic tantum est idem genere, et hoc valet pro eo, quod prius dictum est, qualiter definitio contrariorum sit intelligenda.

Necessarium est omnia contraria, vel in eodem genere esse, vel in contrariis generibus vel ipsa genera esse, etc. Cap. eod.

6. *Quarta proprietas.* Quarta proprietas est, quod *contraria vel sunt in eodem genere, vel in contrariis generibus, vel sunt genera aliorum*, et istud est intelligendum de generibus primis, semper enim contraria sunt in eodem genere primo, nisi sint forte transcendentia, et tunc æquivoce sunt in diversis generibus, ut forte *bonum*, et *malum*, prout sunt transcendentia, sunt hujusmodi, prout autem accipiuntur in moribus, sunt genera morum.

Intelligendum tamen, quod primo modo, prout scilicet *bonum* convertitur cum ente, nihil dicitur simpliciter malum, nec sic bonum et malum contrariantur; sed tantummodo dicitur bonum et malum in comparatione ad aliud, quia scilicet deficit a perfectione entitatis alterius.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliter. etc. Cap. de priori.

QUÆSTIO XLIII

Utrum Aristoteles convenienter assignet modos Prioris

Aristot. 5. *Met. text.* 16. Ammonius *in hunc locum Postpræd.* Anton. Andr. *in cap de Priorit. per totum.* Mayron. *hic, passu* 61. Aversa *supra, sect.* 2.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod non videtur ; quia multo plures assignat in 5. Metaph. cont. 10. puta prius in loco, prius secundum cognitionem, prius secundum motum, et plures alios ; igitur, etc.

Item, quot modis dicitur unum oppositorum, tot et reliquum : sed *simul* opponitur ei, quod est *prius*, et non habet quinque modos, sed tantum quatuor per Aristotelem ibidem ; igitur, etc.

Item, nihil est prius secundum tempus ; igitur primus modus inconvenienter ponitur. Probatio antecedentis, quia *prius est, quod est principio propinquius*, per Aristotelem 5. Metaphys. cont. 16. sed nullum est principium in tempore, quia est infinitum, per Aristot. in 8. Physic. cont. 1. et inde.

Item, secundus modus inconvenienter assignatur. Probatio, quia consequentia est inter propositiones : sed *prius*, de quo hîc loquitur, est in incomplexis ; igitur consequens a quo non convertitur consequentia, non debet dici prius aliquo modo, ille tamen ponitur secundus modus prioris.

Item, a parte integrali non convertitur consequentia ad totum, ut patet in exemplo Aristotelis, *duo sunt, igitur unum est, et non e converso;* ergo pars integralis est toto secundo modo Prioris ; sed hoc est falsum, quia secundum Aristotelem 7, Metaphysic. cont. 36. in definitione aliquarum partium integralium cadit totum : sed definiens prius est definito, per Aristotelem 6. Topic. cap. 4. idem 2. post. cap. 17.

2. Item, videtur quod ad totum integrale non sequitur pars, cujus oppositum dicitur in littera, tum quia omnis bona consequentia est reducibilis ad syllogismum, sed illa non. Probatio, quia si ista consequentia, *domus est, igitur paries est*, reduceretur in syllogismum, hæc propositio, *domus est*, non posset esse minor ; quia prædicatum ejus debet esse prædicatum conclusionis ; igitur oporteret, quod esset major, sed *paries* cum sit subjectum conclusionis directe est minor extremitas, et *domus* cum sit subjectum majoris, est medius terminus ; oportet igitur, ad reductionem illius consequentiæ, assumere talem minorem, *paries est domus*, et ita universaliter in aliis totis integralibus, et partibus, sed omnis talis minor est impossibilis ; quia per Aristotelem in 4. Topic. cap. 2. nullo modo pars de toto prædicatur ; igitur omnis talis consequentia tenens virtute talis minoris, est inutilis. Tum quia consequentia alicubi tenens, ubique tenet :sed totum integrale respectu alicujus prædicati, non infert partem, puta respectu hujus, quod est majus parte, vel componi ex partibus, vel esse talis figuræ, vel talis ; igitur nunquam infert.

Item, hoc secundo modo dicit Aristoteles Genus esse prius Specie, et hoc est falsum. Probatio, Tum quia in 1. de Anima, *Universale aut nihil est, aut posterius est.* Tum quia Genus, et Species sunt correlativa, per Porphyrium, igitur sunt simul natura.

Item, quintus modus videtur male poni, ubi causa dicitur prior causato, etc. et esse rei prius veritate sermonis, quia causa, et causatum referuntur ; signum, et signatum referuntur : igitur causa, et causatum sunt simul natura, et similiter esse rei, quod est signatum, et veritas sermonis, quod est signum.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicendum secundum 3.
Aristoteles 5. Metaph. cap. de Priori, in principio text. com. 18. generalis ratio Prioris in *Conclusi[o]*
omnibus modis, est esse propinquius principio : quotcumque igitur modis potest sumi *principium*, cujus distinctio patet in principio 5. Metaph. text. com. 1. et quotcumque modis potest aliquid esse propin-

quius principio quocumque modo sumpto, tot diversis modis dicitur *prius*; sed hoc potest pluribus modis accidere quam hic enumerentur, ut manifestum est ibidem in quinto: igitur hic non ponuntur omnes modi *Prioris*, sed quantum sufficit ad propositum; sed forte solus secundus modus, qui est *in consequendo*, est hic ad propositum, secundum quem modum genus dicitur prius specie in unoquoque Prædicamento, et forte quintus, qui est *in causando* quia substantia est causa omnium accidentium. Alii tres modi, qui sunt *tempore*, et ***ordine***, et ***honore***, ponuntur non ut principaliter intenti, sed ut per illos manifestentur modi principaliter intenti.

4. *Ad 1. principale.* Ad primum argumentum dico, quod in 5. Metaph. distinguitur *prius* inquantum est differentia entis, hic autem principaliter secundum quod est passio eorum quæ sunt in generibus Prædicamentorum, inquantum considerantur a ratione: et sic sumptum habet omnino diversos modos. Unde qui principaliter intenduntur hic, ibi omittuntur, et e converso. Concedo igitur quod non ponit hic omnes modos *prioris*, nec forte illos ad quos omnes sunt reducibiles: sufficientes tamen ad propositum enumerat, et quosdam alios ad illorum manifestationem.

Ad 2. Ad secundum dico, quod omnino tot modos habet *simul*, quot et *prius*, sed non ponit Aristoteles omnes ejus modos, vel quia sufficienter haberi possunt per modos *prioris*, vel quia sufficit sibi ponere illos modos ***simultatis***, qui sunt ad propositum, quæ sunt inter quæ est consequentia mutua, cum neutrum sit causa alterius, et ut species condividentes ex opposito idem genus, quorum utrumque opponitur secundo modo *prioris*, qui est principaliter ad propositum, et adjungit *simul tempore*, ut per hoc reliqui innotescant.

Ad 3. Ad aliud dici potest, sicut dicit Aristoteles 5. Metaph. c. *de Priori*, cont. 16, quod *prius*, et *posterius* sumuntur in tempore, per comparationem ad præsens *nunc* signatum; sed e converso in præteritis, et futuris: quia in præteritis remotius ab hoc *nunc* est *prius*, in futuris propinquius huic *nunc* est *prius*.

Ad quartum dico, quod aliquando est consequentia inter propositiones, tamen ratione incomplexorum, et tunc illud incomplexum in Consequente, ratione cujus sequitur ad Antecedens, et non e converso; est prius illo Antecedente, ratione cujus Antecedens infert Consequens. *Ad 4.*

5 *Ad 5.* Ad quintum potest dici, quod potest concedi, quod omnis pars integralis, sine qua totum non potest esse, est prior toto secundo modo prioris. Et cum arguitur, aliqua talis pars definitur per suum totum; igitur est posterius toto. Concedo quod sit posterius toto alio modo, ut forte quinto, qui est *in causando*, sed non secundo modo, qui est ***in consequendo***, sicut ad principum speciale sequitur conclusio in terminis generalibus, et non e converso, ut ad hanc, ***omnis triangulus habet tres angulos***, sequitur hæc, ***figura habet tres angulos***, ubi principium est prius quinto modo, id est, ***in causando***: sed principiatum est prius secundo modo, id est, ***in consequendo***, unde secundus modus non debet poni prius secundum naturam, sed secundum consequentiam, et quintus modus prius secundum naturam, vel secundum causalitatem, unde versus

Tempore, quod sequitur prius ordine dic, et honore.

Causandi quartus [illegible] modus est alienus.

6. *Ad 6.* Ad aliud potest dici, quod totum integrale esse infert partem integralem esse, loquendo de illa parte, sine qua totum non potest esse; et ita forte totum infert partem respectu illorum prædicatorum, quæ non possunt inesse toti, nisi insint parti, ut *domus est alba, igitur paries est albus*, sed respectu prædicatorum, quæ pertinent ad diversitatem totius et partis, non tenet talis consequentia, ut *domus est composita ex lateribus*, non sequitur *igitur paries*. Cum arguitur de reductione talis consequentiæ in syllogismum, potest sic reduci, Omne E.

lud sine quo domus non potest esse, vel omnis pars integralis domus est, si domus est; paries est hujusmodi, igitur paries est, si domus est, intelligendo majorem esse de conditionato prædicato, et conclusionem similiter, ubi sumitur pro medio illud unde tenuit consequentia enthymematica. Et cum arguitur, quod talis consequentia non tenet ubique, patet, quia totum integrale infert partem ubique respectu esse, et respectu aliorum prædicatorum, quæ non pertinent ad diversitatem totius, et partis; sed non oportet ex hoc, quod inferat ipsum respectu cujuscumque prædicati, sicut si Socrates inferat hominem, non oportet istam consequentiam tenere, *si Socrates est individuum, homo est individuum*, quia respectu hujus prædicati sunt extranea: et ita est de toto integrali, et parte respectu prædicati pertinentis ad diversitatem eorum. Sed prima probatio non solvitur, non enim reducit prædictum Enthymema in Syllogismum, sed concludit propositionem differentem ab Enthymemate tantum in ordine, quia quando reducitur in Syllogismum, oportet Antecedens Enthymematis esse aliam præmissam in Syllogismo, et Consequens Enthymematis esse conclusionem in Syllogismo.

Potest igitur dici, quod sic reducitur, *domus est, paries est domus*, genitive, *igitur paries est*; quia quando prædicatum debet concludi de aliquo, per hoc quod inest alii, debet in minori notari identitas illorum subjectorum ad invicem ad minus tanta, quanta sufficit ad illationem conclusionis. Identitas autem partis integralis ad totum, quod sit ejus, sufficit ad inferendum esse, quod prædicatur de toto, esse verum de parte: et ita de aliis prædicatis, quæ non possunt inesse toti integrali, nisi parti: nec impedit variatio medii penes rectum et obliquum, formam Syllogismi, ut patet per Aristotelem I. Priorum.

Ad 7 et 8. Ad aliud dictum est prius capitulo de Relatione, quarta proprietate. Ad octavum dico similiter, variatio est de istis intentionibus *causa*, et *effectus*; *signum*, et *signatum*: et de his quæ subsunt; intentiones enim referuntur per se, et simul sunt; sed ea quæ subsunt non referuntur nisi forte per accidens, et ideo illa non sunt simul, etc.

Motus autem species sunt sex, etc Cap. de motu.

QUÆSTIO XLIV

Utrum Aristoteles convenienter distinguat species motus

Arist. 3. *Phys. cap.* 5. Ammon. *in cap. de Motu.* Mayr. *hic passu* 63. Ant. Andr. *in cap. de Motu q. unic.* Ruvius et Conimbr. *ibid.* Rodrig. *super hac. q. Doct. in summa text.* Fuente *q.* 18. *Log. diff.* 2. *art. unico.*

Quod non videtur; quia illa in qua distinguit, sunt in diversis generibus, ut alteratio in Qualitate, et augmentatio in Quantitate, igitur nihil est eis univocum; igitur non sunt species motus; quia omne habens species est univocum eis. *1. Argumenta pro parte negativa.*

Item, Aristoteles probat in 5. Phys. text. com. 8. quod generatio non est motus: pari ratione nec corruptio, ergo, etc.

Item, Aristoteles ostendit hîc istos motus esse distinctos; quia non fiunt simul circa idem: cujus oppositum videtur, quia semper cum augmentatione conjungitur alteratio. Nec est vera instantia, quam ponit littera de quadrato et gnomone: multæ enim conditiones alterationis non possunt ibi salvari; quia non quælibet pars aucti augetur ex tali additione. Similiter talis additio est sola juxtapositio, quam dicit Aristoteles non esse alterationem, in 1. de Generat. text. com. 34. et inde. Similiter cum omni generatione, vel corruptione conjungitur alteratio; quia forma substantialis non est immediatum principium agendi; sed tantum qualitates activæ, et passivæ, et secundum illas est alteratio, ad quam consequitur transmutatio secundum formam substantialem, cujus formæ illæ qualitates sunt propriæ. Item, omne auctum occupat majorem locum quam prius, quia ipsum

est majus, et locus est æqualis locato; ergo omne auctum mutat locum.

Item, in genere Qualitatis est tantum unus motus. 1. de Gener. text. com. 23. Physic. text. com. 30. ut alteratio; et in genere Ubi, tantum unus, igitur esset tantum unus in genere Quantitatis, et tantum unus in genere Substantiæ, igitur non erunt nisi quatuor species motus tantum. Contingit etiam arguere, quod in aliis generibus a quatuor sit motus per se secundum quod videtur haberi per unum dictum Aristotelis in 3. Physic. cont. 5. quod tot sunt species motus, quot entis, igitur motus est in omni genere.

Ad oppositum est Aristoteles.

2. *Conclusio.* Ad quæstionem dici potest, quod *motus* (secundum illam rationem, quæ assignatur in 3. Physic. cont. 6. quod *est actus entis in potentia inquantum in potentia*) convenit omnibus istis sex æquivoce, sicut et definitio, et ipsa definientia, quæ sunt *actus* et *potentia*, æquivoce eis conveniunt. Sed magis proprie sumitur *motus* in 5. Physic. context. 6. 7. et 9. et inde, quod *motus est a contrario in contrarium, et in tempore:* et isto modo distinguitur contra mutationem subitam, quæ est in instanti, nec potest sic sumptum convenienter dividi in istos sex modos, sed tantum quatuor eorum; igitur primo modo sumitur hic, et est sic divisio conveniens, ut vocis in significationes.

3. *Ad argument. 1.* Ad primum argumentum, dico, quod *species* ibi sumitur non ut sumit Porphyrius, sed pro modo, vel significato speciali, sicut in illa auctoritate Aristotelis in 3. Physic. cont. 5. ubi dicit, quod *tot sunt species motus, quot et entis*, ens enim non habet illas tanquam species proprie; sed tanquam significata.

Ad aliud concedo, quod generatio et corruptio non sunt motus, ut Aristoteles loquitur ibi de motu, ut distinguitur contra mutationem: sunt tamen motus prout loquitur de motu in 3. Physicorum.

Ad aliud dico, quod licet isti motus fiant circa idem, vel simul, vel ordine quodam, nunquam tamen sunt simul; hoc est, ad eumdem terminum per se, et hoc sufficit ad eorum distinctionem. Cum arguitur de augmentatione et alteratione, concedo, quod omnis augmentatio naturalis proprie dicta præsupponit alterationem, cujusmodi non est augmentatio in Mathematicis; sed nulla augmentatio est ad terminum, ad quem est alteratio, et satis potest concedi, quod instantia Aristotelis non est ad propositum de augmentatione proprie dicta, sed de juxtapositione, quæ aliquo modo augmentationi assimilatur, et pro tanto est illa instantia ad propositum.

Cum arguitur de alteratione, et generatione, concesso quod omnem generationem præcedit alteratio, non sequitur, hoc esse per se ad eumdem terminum, quia alteratio est per se ad qualitatem, generatio ad formam substantialem.

Cum arguitur de augmentatione, et loci mutatione, concedo, quod auctum majorem locum occupat, quam prius; sed tamen non mutat locum secundum totum, unde quia totum non habet locum alium, ideo non dicitur moveri secundum locum: vel si concedatur quod moveatur secundum locum, loci mutatio, et alteratio per se sunt ad diversos terminos.

Ad aliud dico, quod in genere Quantitatis est unus motus genere, sicut in genere Qualitatis, et in genere Ubi; sed non est nominatus in genere, sed tantum in speciebus proximis, quæ sunt augmentatio, et diminutio. Et consimiliter dicendum de generatione et corruptione.

Ad aliud dico, quod in solis tribus Generibus, scilicet Quantitate, Qualitate, et Ubi est proprie motus, ut distinguitur contra mutationem subitam, sicut probatur 5. Physicorum, cont. 9.

Cum arguitur in contrarium, tot sunt species motus, quot et entis, Commentator addit, *acquisiti per motum*, et illa propositio sic particulariter sumpta, satis est universalis ad propositum Aristotelis ibi, et tantum res istorum trium generum per se acquiruntur per motum proprie dictum.

5. Item, juxta hoc arguitur, quod inconvenienter distinguit hic motum, cum motus sit passio naturalis, et ita impertinens Logico.

Ad quod potest responderi, quod motus inquantum ejus principium est materia, vel forma ; sive inquantum egreditur a principiis corporis naturalis, sicut passio a principiis sui subjecti ; pertinet ad considerationem Naturalis : sed inquantum est quid transcendens, repertum in diversis Generibus per reductionem, secundum quam est ad res diversorum Generum, sic pertinet ad considerationem Logici considerantis Generalissima.

Est autem simpliciter quidem quies motui contrarium. Cap. eodem.

6. *Quot species motus, tot quietis.* Notandum, quod quot sunt species motus, tot et quietis, et sumendo ambo ut differunt in eodem genere, opponuntur privative : speciali autem motui, privative opponitur quies specialis : non illa, quæ est in termino ad quem, quia illa est salus, et perfectio motus ; sed quæ est in termino a quo, ut dealbationi privative opponitur quies in nigredine. Motui autem ad unum terminum contrariatur motus e contrario, qui est ad terminum contrarium ; et quieti in contrario uno contrariatur quies in alio contrario : ita quod motus specialis habet pro contrario alium motum, et pro privative opposito quietem. Similiter quies habet pro contrario aliam quietem, et pro privative opposito motum.

Quod si quis ponat quietem contrariam motui, non esset possibile vitare inconveniens, scilicet plura contrariari eidem univoco, quod est contra Aristotelem 1. Topicorum, cap. 12. et circiter, et 10. Metaph. context. 14, et inde. Non est autem inconveniens eidem unum contrariari, et aliud eidem privative opponi.

Habere autem multis modis dicitur, etc. Cap. de Habere.

7. *Modi habendi.* Notandum, quod quotcumque modis aliquid dicitur esse in alio, tot modis potest dici illud habere idem, quod in eo est. Sed tamen octo modi *habere* hic positi, et octo modi essendi in 4. Phys. non sunt idem, nec forte omnes isti reducibiles ad illos, nec e converso.

Pro hac tamen distinctione intelligendum, quod sicut quæcumque genera accidentium æquivoce sunt in substantia, ita substantia ea habet æquivoce. Duos igitur modos primos ponit Aristoteles, quibus substantia dicitur habere Qualitatem, et Quantitatem, alios duos juxta Prædicamentum decimum, quod est Habitus, ut habere ea quæ circa corpus sunt secundum totum, vel secundum partem : per hos quatuor modos primorum generum accidentium, et ultimi Generis, dans intelligere modos alios *habere*, secundum alia genera intermedia, et adjungit alios quatuor modos *habere*, ut partem, contentum : possessionem, et cohabitationem, per quos possunt alii modi priores innotescere, nec enumerat omnes modos *habere*, sed famosiores, et præcipue de numero illorum, qui sunt ad propositum.

Pro his omnibus notandum de æquivocatione *habitus*, quod habet quatuor primos sensus, qui dicti sunt prius, et in primo sensu sumptus habet hanc totam distinctionem. 8.

Notandum etiam pro tertio modo, quod *habitus*, ut est generalissimum, non habetur, ut dicitur 5. Metaph. quia tunc esset processus in infinitum, sed est habitudo media inter habentem, et adjacentia corpori, quæ habentur per illum habitum. Si enim *habitus* ut est generalissimum haberetur, hoc esset per alium habitum, et pari ratione, ille haberetur per alium, et sic infinita essent entia, quod est inconveniens, quia tunc nullum esset primum ens, cujus oppositum probatur in 5. Met. et aliqualiter persuadetur in fine 12. Met. sic, *Entia non volunt male disponi, non est autem bonum pluralitas principatuum; unus igitur princeps*, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

EXPLICIUNT QUÆSTIONES **SCOTI** SUPER PRÆDICAMENTA ARISTOTELIS.

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

IN PRIMUM LIBRUM PERIHERMENIAS QUÆSTIONES

Primum oportet constituere quid sit Nomen, quid Verbum, etc. Cap. 1.

QUÆSTIO I

Quid sit subjectum libri Perihermenias

D. Thom. *in proœm. hujus, lect.* 1. Boet. Ammon. *ibid.* Occam, Ant Andr. *ibid.* Joan a Magist. *q.* 1. *hujus, dub.* 1. Lovan. *et* Villalpan. *in Proœm. hujus.* Tolet *ibid.* Doctor *in Proœm.* 2. *operis, in lib. Perihermenias.*

1. Circa subjectum hujus Libri notandum, quod Boetius ponit illud esse interpretationem, quod etiam indicat interpretatio hujus nominis *Perihermenias*: sed si ratio interpretationis sit hæc vox articulata, prolata cum imaginatione significandi, tunc *interpretatio* dicitur de incomplexis, et complexis, et non est propre subjectum hujus Libri, cum Liber iste medium teneat ordinem inter Librum Prædicamentorum, et Librum Priorum, quorum alter est de his, quæ pertinent ad primam operationem intellectus, alter de his, quæ ad tertiam. Iste Liber ergo est de his, quæ pertinent ad mediam. Sive autem ratio prædicta sit ratio interpretationis, sive secundum alios, alia specialior, scilicet *vox articulata prolata cum imaginatione significandi esse aliquid, vel non esse*, non erit *Interpretatio* proprium subjectum hic, cum nulla pars Logicæ sit de voce, ut de subjecto, sicut dictum est in principio Prædicamentorum, quia omnes passiones subjectorum in Logica eis æqualiter inessent, nulla etiam voce existente: ergo *Enuntiatio* hic convenienter potest poni subjectum, et hæc enuntiatio in mente, quia illa causatur ex secunda operatione intellectus, quia omnia quæ hic determinantur, propter ipsam determinantur, puta primo de partibus ejus integralibus *Nomine*, et *Verbo*: secundo de ejus genere, quod est *Oratio*, deinde quid ipsum est, et de divisione ejus in suas primas species, et consequenter de ejus proprietatibus, oppositione scilicet, et habitudine, et cæteris hujusmodi. Si autem istæ proprietates insunt Enuntiationi in voce, hoc non est primo, sed inquantum est signum ejus Enuntiationis, quæ est in mente. *Enuntiatio est subjectum in Perihermenias.*

Contra hoc, subjectum debet esse commune omnibus, quæ determinantur in scientia: non sic est Enuntiatio, cum hic determinetur de Nomine, et Verbo, de quibus Enuntiatio non prædicatur. [illegible]

Item, auctoritas Boetii est in contrarium, qui dicit hunc Librum esse de Interpretatione.

Item, quod non est Enuntiatio in mente, probatio, quia illius non sunt partes, scilicet Nomen, et Verbum, cum utrumque sit vox, sed Enuntiationis sunt illæ partes, de qua hic determinatur.

Ad primum, si intelligatur illa major de universalitate prædicationis, qualis est totius universalis in suas partes, falsa est. In omni namque scientia, cujus subjectum est [illegible]

compositum, necesse est determinare de partibus subjecti, de quibus tamen subjectum non prædicatur : sed si aliquo modo sit vera major, debet intelligi subjectum sic esse, communiter; quia ejus cognitio principaliter quæritur in scientia in cognitione omnium aliorum, quantum illa alia determinantur propter cognitionem principalis subjecti.

Ad secundum dico, quod de multis dicitur scientia esse, quorum non quodlibet est principale subjectum, ut dictum est in Porphyrio.

Ad tertium dico, quod sicut Nomen, et Verbum in voce, sunt partes Enuntiationis in voce, sic ipsa in mente sunt partes Enuntiationis in mente : quæ enim percipiuntur ab intellectu in prima ejus operatione, componuntur in secunda : licet nec hæc, nec illa exprimantur.

Deinde, cum dicitur, quod tam Nomen, quam Verbum est vox, vel est verum de his secundum quod nobis magis innotescunt, quia sic debuerunt eorum descriptiones assignari, et per illas patet descriptio eorum, prout sunt in mente ; vel aliud est dicere Nomen esse vocem, et esse in voce, quia vox forte potest esse essentialiter non in voce, hoc est non expressum, sicut et ipsum expressum, et primo modo ponitur in definitione Nominis.

Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO II

Utrum Nomem significet rem, vel speciem in anima

Arist. *hic cap.* 1. *et lib. de sensu et sensib. c.* 1. *et* 4. *Met. cap.* 7. Averroes *in Proœm. hujus.* D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 1. *et q.* 8. *de Potent. art.* 1. *in corpore, hic lect.* 2. Boet. *in Proœm.* 2. *edit. hujus,* Albert. Mag. *tract.* 2. *c.* 1. Alb. Parvus *q. unic. Proœm.* Occam *in Proœm. hujus.* Ant. Andr. *hic c.* 1. Joan. a Magist. *q.* 1. *hujus dub.* 1. Gabr *in* 1. *dist.* 22. *q. unic. art.* 3. Flandria 4. *Met. q.* 7. *art.* 4 Bruxellis *hic q.* 1. *art.* 1. Conimb. *hic c.* 1. *q.* 3. *art.* 1. 2. 3. *et* 4. Ruvius *ibid. q. unic.* Doctor *q.* 1. 2. *operis Periherm. et in* 1. *dist.* 27. *q.* 3.

1. Hic præmittit Aristoteles brevem tractatum de vocibus significativis, ideo potest quæri *utrum Nomen significet rem, vel speciem in anima*, et intelligitur quæstio non de nominibus impositis ad significandum similitudines, vel species, sed de quocumque alio nomine cuicumque imposito, ut de isto nomine, *homo, animal*, et hujusmodi, utrum *homo* significet naturam humanam, vel speciem. Dico autem speciem intelligibilium similitudinem intelligibilem, quæ est in intellectu ut in subjecto ; sicut species sensibilis est similitudo rei sensibilis, quæ est in sensu ut in subjecto. Quod speciem significet, videtur hîc in littera : dicit enim Aristoteles, *Ea quæ sunt in voce, sunt notæ*, id est, signa passionum in anima : illæ passiones non sunt res, quia res non sunt in anima.

Species intelligibilis quid, et in quo ut in subjecto.

Item, parum post, dicitur, *Passiones animæ sunt omnibus eædem : quarum primarum hæ voces sunt notæ, et res etiam sunt eædem, quarum et hæ passiones sunt similitudines.* Hæc littera manifeste exponit quid intelligat per *passionem*, quia similitudinem ; et eam dicit significari primo per vocem, quia est similitudo rei, et res non est similitudo sui ipsius ; ergo, etc.

Item, tantum veritas, et falsitas sunt in sermone, ut in signo ; ergo enuntiatio prolata illud significat, in quo est veritas, et falsitas, illud est compositio intellectus, ut dicit Aristoteles cito post in littera ; ergo enuntiatio composita, significat illud quod est in intellectu composito tantum : ergo et partes enuntiationis significant tantum ea, quæ sunt in intellectu simplici, cujusmodi est species.

Item, manifeste dicit Boetius frequenter in Commento hoc, quod voces significant similitudines, et dicit hanc esse Aristotelis opinionem.

Item, Priscianus dicit, quod omnis pars orationis significat mentis conceptum, sed iste conceptus non est res, sed similitudo, ut videtur ; ergo, etc.

Item, tantum illud significatur, quod primo intelligitur, hoc non est res ; ergo, etc. Probatio minoris, Omne intelligibile est in intellectu, res autem non est hujus-

modi, quia lapis non est in anima, sed species lapidis, 3. de Anima, context. 38. ergo, etc. Probatio majoris, quia ex 3. de Anima, context. 5. ex intellectu, et intelligibili fit verius unum, quam ex materia, et forma ; ergo, etc.

Item, nihil intelligitur nisi per speciem ; ergo nihil significatur per aliquam vocem nisi per speciem ; ergo species magis significatur, quia omne propter quod, et illud magis.

2. Ad oppositum inferius 1. Poster. in fine capituli de Verbo, context. 6. dicit Aristoteles, quod Verbum significat aliquid, constituit enim intellectum, qui dicit, ex quo sequitur, quod significare est alicujus intellectum constituere : illud ergo significatur, cujus intellectus per vocem constituitur ; sed prolata voce, non constituitur intellectus speciei, sed rei, ut patet in quocumque audiente vocem significativam.

Item, in primo Elenchorum dicit Aristoteles, quod pro rebus utimur nominibus, quia non possumus ferre res ad disputandum, sed species intelligibiles possumus nobiscum ferre ; ergo illarum non sunt voces notæ, sed rerum. Item, ibidem paulo post, quia res sunt infinitæ, nomina autem finita, ideo necesse est unum nomen, et unam orationem plures res significare.

Item, Aristoteles 4. Met. cont. 28. dicit quod ratio, quam significat nomen, est definitio : sed definitio indicat veram essentiam rei ; ergo illa essentia per nomen significatur. Quod autem species non significetur patet. Tum, quia tunc omne nomen significaret accidens, quia illa species est in anima, ut in subjecto, sicut species visibilis in oculo. Tum, quia omnis propositio affirmativa esset falsa, in qua subjectum, et prædicatum cognoscuntur ab intellectu per diversas species, ut illa, *Homo est animal*, cum alia sit species *hominis*, per quam intelligitur, et alia *animalis*, et manifeste omnes propositiones essent falsæ, in quibus enunciatur actus realis de aliquo subjecto, cujusmodi sunt, *homo currit*, etc. cum hæc non insint speciei. Hæc etiam propositio Aristotelis in 3. de Anima, context. 38. *Lapis non est in anima, sed species lapidis* includit contradictionem, primo removeri esse in anima a specie lapidis, quæ significatur per hoc nomen *lapidis*, per primam partem propositionis, *Lapis non est in anima* : per secundam partem illud prædicatum eidem subjecto attribueretur. Tum, quia omnis propositio esset vera, in qua prædicatur esse secundum adjacens, ut hæc *Socrates est*, vel *Antichristus est*, quia species cujuscumque subjecti, de qua enunciamus *esse*, est. Tum, quia nullus syllogismus esset perfectus, quia si per terminum medium significetur species in anima, sive sumatur res, sive species, non erit illud sumptum sub suppositum medii. Tum, quia nihil significatur, nisi quod intelligitur ; species intelligibilis non intelligitur, quod ostenditur. Primo per simile, quia species visibilis non videtur. Secundo, quia est id, quo intelligibile intelligitur, sed in omnibus circa primum differunt, *quo est, et quod est*, per Boetium, lib. de Tri. Tertio, quia si species intelligitur, intelligitur per aliam speciem, intellectus enim cum sit virtus passiva, nihil cognoscit, nisi sit in actu per speciem sui objecti.

Ad quæstionem dicitur, quod species intelligibilis immediate significatur per vocem, sed illa dupliciter consideratur, aut inquantum est quid in se accidens, scilicet informans animam, aut inquantum repræsentat rem. Primo modo, non significatur per vocem propter rationes ad oppositum, sed secundo modo, cum enim omne signum inquantum signum, sit signum signati, sequitur, quod vox significans similitudinem inquantum signum rei, significat ipsam rem, sed mediate : quia scilicet, immediate significat id quod est signum rei, inquantum est signum.

[illegible margin note]

Contra, nulla ratio substantialis est eadem substantiæ, et accidenti : quæ nec etiam habent idem genus generalissimum ; sed res est substantia, similitudo ejus est accidens ; ergo si hæc significentur per quodlibet nomen, istis duobus erit eadem

nomen commune ; ergo et ratio substantiæ est diversa : ergo omne nomen est æquivocum.

Confirmatur ratio per Aristotelem in principio Prædicamentorum, ubi exemplificat de æquivocis : ut *animal*, *homo*, et *quod pingitur* : intelligens per hoc, quod si aliquod nomen significet rem, et similitudinem ejus, esset æquivocum.

Ad istud dicitur, quod æquivocum cum diversis actibus significandi significat multa : sed vox significat rem et similitudinem eodem actu ; quia eodem actu est aliquid signum signi, et signati. Per hoc ad confirmationem Aristotelis intelligitur, si diversis actibus significandi significaretur utrumque, et diversa impositione. Hæc etiam patent in simili : quia non omnis dictio scripta est æquivoca, et tamen secundum Aristotelem illa significat dictionem in voce, et cum hoc rem : ideo non est æquivocatio, quia primum signatum, inquantum est signatum, est signum signati.

4. *Ad 1. princ.* Ad rationes principales contra hanc positionem, conceduntur omnes, quæ probant rem significari. Ad probationes autem, quæ probant speciem non significari. Ad primam respondetur, quod non est inconveniens omne nomen significare accidens ; sed immediate, vel in mente, non inquantum est quid in se, sed inquantum est signum rei : et ita voces aliquæ significant substantiam, ut ultimum significatum, et illæ dicuntur absolute significare substantiam. Aliquid enim potest significare simpliciter, licet non immediate, ut patet de dictionibus scriptis, aliqua illarum dicitur significare simpliciter substantiam, licet omnia illa immediate significent vocem per Aristotelem in littera.

Ad secundam probationem, intelligendum quod veritas, et falsitas non sunt in signo, nisi per signatum : veritas enim signi est conformitas ejus cum signato, et falsitas difformitas : compositio ergo specierum ad invicem, ut illæ sunt signa rerum, non est judicanda vera, vel falsa, nisi a signatis, id est, a rebus. Omnis ergo veritas cujuscumque propositionis referenda est ad res ; quia illæ sunt ultimo significatæ, et non sunt signa aliquorum aliorum. Hoc patet in exemplo : hæc propositio, *Homo est animal*, scripta, non dicitur falsa, licet hæc vox, *homo*, non sit hæc vox *animal*, et hoc, quia litteræ non significant voces, ut sunt aliquid in se, sed ut sunt signa aliorum : et ita in omnibus his semper oportet recurrere ad ultimum significatum.

Per hoc patet ad omnes probationes de veritate et falsitate compositionum, et quia veritas non est indicanda nisi penes ultima significata, quæ scilicet sunt res.

Si arguatur contra hoc, *hic homo est animal*, prima significata notantur esse eadem, quia vox ponit in oratione suum primum significatum : ergo notatur hæc species esse eadem cum illa, et illæ non sunt eædem ; ergo propositio pro primo ejus significato est falsa. Concesso, quod species uniantur inquantum sunt signa rerum, et quod non sunt eædem, non sequitur propositionem esse falsam ; quia circa signum, inquantum signum, non est nata esse veritas, vel falsitas, nisi referendo designatum ; sed alia, qualis debeat dici illa compositio, magis debet dici vera, quia positio signatorum est vera.

Contra, hæc species, inquantum similitudo rei, non est illa species, inquantum est similitudo rei, et tamen notantur esse eadem per hoc verbum *est*, per textum. Igitur per omnem affirmativam notantur primo esse eadem, quæ non sunt eadem, et omnis propositio, quoad primam compositionem, dicitur vera, vel falsa esse ; cum illa sit simpliciter compositio, et non est vera, quia non est ita, sicut illa compositio significat ; ergo est falsa.

Quamvis hæc ratio sit difficilis ad solvendum, non tamen concludit necessarium, 6.
quia in aliis ubi est eadem forma arguendi non est difficile, quia in hac oratione scripta, *Homo est animal*, primo uniuntur voces, quia illæ primo significantur, sed non propter hoc est illa oratio scripta falsa. Vi-

detur ergo dicendum ad istud, quod quantumcumque per idem multa significentur, quorum unum significatur, inquantum est signum alterius, si illud componatur in oratione cum alio, non est compositio signorum sed signatorum ultimorum, quæ non sunt signa ; et per orationem prolatam non significatur compositio specierum, sed rerum, sicut nec per enuntiationem scriptam significatur compositio vocum, sed rerum.

Ad probationem de Syllogismo dici potest, quod supposita accipienda sunt in Syllogismo perfecto sub medio, quoad ultimum significatum ejus, et sic res ut consideratur a ratione, est suppositum rei.

Ad ultimam probationem dicitur, quod species intelligitur, licet non primo, sed per reflectionem, et quia impositio est ad placitum, potest vox imponi ad significandum illud immediate intellectum per reflexionem,sicut et illud primo intellectum.

Ad probationes probantes speciem intelligibilem non intelligi. Ad primam negatur similitudo. Sensus enim cum sit virtus materialis,non potest se reflectere supra suum actum, neque super id quo cognoscit suum objectum ; et ideo species sensibilis non sentitur ; sed intellectus, propter sui immaterialitatem potest se reflectere supra suum actum, et supra speciem, qua cognoscit suum objectum, et etiam supra seipsum, et ita omnia alia a suo primo objecto potest cognoscere per reflexionem.

Ad aliam probationem, concedo speciem aliud esse ab illo, quod cognoscitur per illam, id est, a primo objecto, quia illius est species,sed cum hoc stat, ipsam speciem esse aliquod intelligibile aliud a primo objecto.

Ad tertium dico,quod species non cognoscitur per aliam speciem,quia solum illud, quod primo cognoscitur ab intellectu, scilicet primum objectum intellectus, quod est *quod quid est* rei materialis, cognoscitur per speciem in intellectu,omnia alia cognita per reflexionem, et per discursum cognoscuntur sine propria specie.

Ad partem oppositam quæstionis aliter dicitur, quod res primo significatur, non tamen secundum quod existit, quia nec sic per se intelligitur, sed secundum quod per se percipitur ab intellectu, hoc est ipsa essentia rei, quæ significatur per definitionem, quæ est primum objectum intellectus, ut vult auctoritas 4. Met. cont. 28. prius adducta, nec tamen hoc totum compositum significat, quod est res, ut intelligitur, quia illud est ens per accidens, et omnia nomina, quæ significant res alicujus generis, significant ens per se, solum enim ens per se est in genere.

Ad omnes auctoritates in contrarium dicitur, quod per speciem, vel passionem,vel conceptum, vel quodcumque aliud in aliis auctoritatibus significatur res, ut intelligitur, ad denotandum quod res, ut existit, non significatur.

Si autem aliquis dicat aliquid manifestius pro hac littera Aristotelis,negatur,quia in hoc non exponitur Aristoteles.

Ad aliud de compositione, et divisione intellectus, dico, quod compositio est illarum rerum, non tamen ut existentium,sed ut intelliguntur, et ideo dicitur veritas, et falsitas, circa compositionem,et divisionem intellectus, quia illa compositio ab intellectu causatur, et est in intellectu, ut cognitum in cognoscente, non autem ut accidens in subjecto, et ita concedo de partibus compositionis, quod sunt in intellectu simplici, ut cognitum est in cognoscente, et in illo modo sunt res in intellectu, non species solæ.

Ad aliud dico, quod res intelligitur primo, et non species, nisi per reflexionem. Ad illam probationem de intellectu, et intelligibili, dictum est, quomodo debet intelligi super Librum Porphyrii.

Ad aliud potest negari ista consequentia : nihil intelligitur nisi per speciem ; ergo nihil significatur nisi per speciem, et ly per utrobique sumatur causaliter, quia intelligere et significare non ordinantur ad invicem sicut causa necessaria, et effectus, sed *significare* præsupponit intell-

gere, sicut illud sine quo non. Quod autem est causa sic præsuppositi, non oportet quod sit causa sic præsupponentis, sed tantum præsupponitur ei, sicut illud cujus est causa, sic species præsupponitur significationi.

Concessa autem propositione, quod nihil significatur, nisi per speciem, sive ly *per*, sumatur causaliter, sive præsuppositive, non sequitur ulterius, speciem significari; quia illa propositio, *propter quod*, etc. intelligitur de causa efficiente, et univoca per se, et essentiali, et totali, cujusmodi non est species respectu significationis. Istarum viarum eligatur, quæ videtur probabilior.

II. Pro prima, et contra secundam, est præcipue secunda auctoritas hic in littera, et argumenta de veritate, et falsitate propositionis. Pro secunda, et contra primam præcipue est ista ratio, quia res primo intelligitur et tempore, et natura, quam intelligatur species per reflexionem; ergo in illo priori potest intellectus ei nomen imponere, quod nomen tantum rem significat; ergo non est necesse omne nomen significare speciem.

Contra utrumque, magis tamen contra primam, est vis de nominibus impositis ad significandum singularia. Licet enim posset salvari secundum viam secundam, quia scilicet singularia aliquo modo intelliguntur, licet non primo; non tamen posset salvari secundum primam viam, quia illa nullo modo faciunt speciem in intellectu; ergo nomina eis imposita nullo modo significant species intelligibiles in mente.

Consimiliter convenit arguere de nominibus impositis ad significandum figmenta, quia tam illa, quam singularia, licet faciant species in virtute imaginativa, non tamen in intellectu, quia tantum natus est recipere speciem sui objecti, quod est *quod quid est rei* materialis; aliorum autem non, cum una potentia non sit receptiva, nisi formarum ejusdem generis.

Contra secundam viam est, quod omnis propositio esset falsa, ubi subjecto aliquis actus realis denotatur in esse, quia si nomen significet rem ut intelligitur: tunc tale prædicatum attribueretur ei, ut intelligitur, et sic ei non inest; ergo, etc. Quod non insit ei, sic probo, quia ei ut intelligitur, insunt prædicata intentionalia, et medium comparatum ad prædicata intentionalia, et realia sumitur sub extraneis rationibus, quia sic sumendo medium in Syllogismo, si concludatur aliqua conclusio, fit fallacia Accidentis. Prima via videtur probabilior, secundum auctoritates. Secunda secundum rationes.

QUÆSTIO III

Utrum facta transmutatione circa rem, quæ significatur, fiat transmutatio in significatione vocis

Occam *in Procem. hujus.* Doctor *quæst.* 2. *secundi operis Periherm.*

Quod sic videtur, dicit enim Boetius in lib. divisionum, quod cum res non sit subjecta voci, erit vox non significativa, et illa prius fuit significativa, quando fuit res; ergo, etc. 1.

Item, secundum Commen. 1. Phys. c. 63. et in lib. de substantia orb. c. 1. in transmutatione substantiali res amittit nomen, et definitionem; ergo res transmutata non habet nomen quod prius habuit; ergo nomen, quod significavit prius ipsam, non significat ipsam nunc.

Item, destructo uno correlativorum, destruitur aliud, ex libro Prædicamentorum, c. de Relatione; sed signum et signatum sunt correlativa; ergo destructa re, quæ est signatum, destruitur vox, inquantum est signum rei.

Item, quod non intelligitur, non significatur: non ens non intelligitur; ergo non significatur. Probatio majoris, significare præsupponit intelligere. Probatio minoris, omne intelligibile facit speciem in intellectu: non ens non facit speciem in intellectu; ergo, etc. Probatio minoris, tum,

quia destructa causa destruitur effectus : species est effectus, res est causa speciei ; ergo destructa re, destruitur species. Tum, quia destructo signato, destruitur signum : res est signatum ; ergo destructa ea, species destruitur.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum est Aristoteles in lib. Prædicamentorum, cap. de substantia, dicens quod eadem omnino oratio quandoque est vera, quandoque est falsa ; igitur dictiones orationis, quæ quandoque est vera, et quandoque est falsa, idem significant : et tamen in re, quæ significatur per ipsas dictiones, est transmutatio, ut patet de hac oratione, *Socrates sedet*, quia quando est, hæc est vera, vel falsa, circa sedere est transmutatio; ergo in significando non mutatur facta mutatione in re.

Item, multi sunt actus, ut dormire, currere, etc. qui quandoque sunt, quandoque non sunt; si ergo vox illa significans mutaretur propter mutationem in istis, vox imposita istis multoties esset non significativa, et iterum significativa, et per consequens oporteret ipsam multoties imponi ad significandum.

Item, nullo currente hæc non esset falsa, *aliquid currit* ; quia *currere* non significaret idem quod significat, quando cursus est.

Item, manifestum est ex modo loquendi, quia eumdem intellectum constituit vox prolata in nobis, quando res significata est, et quando non est, alioquin non diceremus hanc esse falsam, *Socrates est*, Socrate non existente ; ergo cum *significare* sit intellectum constituere ; ergo per vocem idem significatur. Item, 2. Post. text. 7, non entia contingit significare, et intelligere ; ergo non entitas rerum non infert non entitatem significati vocis.

3. *Conclusio.* Dicendum ad quæstionem, quod facta transmutatione in re, secundum quod existit, non fit transmutatio in significatione vocis, cujus causa ponitur : quia res non significatur, ut existit, sed ut intelligitur per ipsam speciem intelligibilem : sed sive sit, sive non sit, cum tam res, ut intelligitur, quam species maneant in intellectu facta transmutatione in re, ut existit, quia per eamdem speciem cognoscimus [illegible], et eamdem scientiam habemus de ea, quando existit, et quando non existit : quia per Aristotelem 1. Poster. text. 29, de his quæ frequenter sunt, possumus habere demonstrationem, etiam quando non sunt, vel fiunt ; et per consequens eamdem scientiam habere, sicut et quando sunt, sequitur quod res ut significatur per vocem, non transmutantur qualicumque transmutatione facta in re, ut existit, et per consequens nec vox significans, transmutabitur in significando.

Res non significatur ut existit, sed ut intelligitur.

4. *Ad auctoritates.* Ad primam auctoritatem, in littera Boetii talis est : *Si nulla res sit subjecta, quam significat vox, significativa esse non dicitur*, ubi *sit* non prædicat secundum, sed tertium adjacens, *si nulla res sit subjecta, quam vox significat*, id est, significata per vocem, etc. et sumitur ibi *res* non tantum pro existentibus, sed etiam pro re, quæ intelligitur. Quasi diceret, si nihil significetur per vocem, vox non dicitur significativa.

Ad secundam, intellectus illius auctoritatis potest esse talis, in transmutatione substantiali rei singularis, in qua scilicet abjicitur forma substantialis, res singularis transmutata amittit nomen, et definitionem speciei, quia non manet in specie, in qua fuit prius : ergo nomen speciei amittit suum significatum, non sequitur : quia illud nomen individui, si quod erat ei proprium impositum, amittit proprium significatum, sed tantum transmutatur a forma speciei, in qua fuit prius.

5. *Ad rationes.* Ad primam rationem est concedendum, quod destructo signato, destruitur signum, sed licet res destruatur ut existit, non tamen res ut intelligitur, nec ut est signata destruitur.

Ad aliam, major principalis potest negari. Ad probationem, *significare* sic præsupponit intelligere, quod illud significatum prius intelligebatur, alioquin ei vox non fuisset imposita, sed postquam imposita est,

potest illud significare, ad quod imposita est, licet a nullo intelligatur.

Ulterius potest dici ad minorem, quod est falsa, quia per Aristotelem 2. Posterior. text. 7. non entia contingit intelligere. Ad probationem illius minoris, major est falsa omnibus aliis, præter quam de primo objecto intellectus. Ulterius etiam minor illius probationis, si intelligitur sermo fieri de non existente, potest negari ; quia non existens potest intelligi per speciem, non quam facit, sed quam fecit in intellectu, quia illa species potest manere eadem nunc quæ prius.

Cum objicitur quod non, quia *causa destructa*, etc. Ista probatio tantum intelligenda est de causa rei in esse, et in fieri : res autem, secundum quod existens, tantum esse causa speciei in fieri.

Cum secundo dicitur, destructo signato destrui signum, dico, quod res secundum quod existit, non est signatum per speciem intelligibilem in anima, sed res secundum quod intelligitur, et isto modo non destruitur.

6. *Objectio.* Contra solutionem quæstionis, si vox significet idem, re existente, et non existente; ergo quod significatur est idem. Consequentia patet, quia omnis activa vera potest transmutari in passivam veram : et ulterius prius significabatur res existens, nunc non existens ; ergo existens, et non existens sunt idem, quod est falsum.

Solutio. Ad illud est facilis responsio, quod nec prius significabatur per vocem res existens, nec nunc res non existens, sed res ut intelligitur, cui extraneum est existere, vel non existere, secundum quod significatur.

Et quemadmodum nec litteræ omnibus eædem, sic nec eædem voces. Quorum autem hæ primorum sunt notæ, eædem omnibus animæ passiones sunt : et quorum hæ similitudines, res etiam eædem. Cap. eod.

QUÆSTIO IV

Utrum differentia quam assignat Aristoteles inter litteras et voces, et passiones, et res, sit conveniens

D. Thom. *hic lect.* 2. Occam *in Proœm.hujus*. Ant. Andr. *hic c.* 5. Joan. de Magist. *q.* 1. *hujus*. Conimbr. *c.* 1.*hujus*, *q*, 4. *art.* 1. 2. *et* 3. Ruvius *in c.* 1. *hujus*.

Quod non sit convenienter data, proba- 1. *Argume*
tur, quia si passiones sunt eædem apud om- *la pro p*
nes, cum ducant in cognitionem rerum ; *te nega*
ergo apud omnes sunt eædem res cognitæ ; *va.*
ergo omnes sunt æque scientes.

Item aliquæ sunt res apud aliquos, quæ non sunt eædem numero apud alios, nec eædem specie ; ergo, etc.

Item, comparatio apud diversos utentes non diversificat aliquid secundum se : ergo litteræ, et voces apud quoscumque utentes sunt eædem naturaliter.

Item, illud quod est a natura, est idem apud omnes; sed vox significativa est signum naturale : ergo idem significat apud omnes. Probatio minoris, cujuslibet virtutis naturalis est aliquod instrumentum naturale; sed virtus interpretativa est virtus naturalis homini, cum homo sit animal sociale, volens alii exprimere quod apud se est : ergo vox significativa, quæ est instrumentum illius virtutis, est signum naturale; ergo naturaliter significat.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad quæstionem dicendum, quod diffe- 2.
rentia est conveniens ; quia passiones, in- *Conclus*
quantum sunt signa, et res, inquantum sunt significata, sunt eædem apud omnes, nam eadem passio in anima apud quoscumque concipientes repræsentat eamdem rem, quia eadem similitudo in anima semper est ejusdem repræsentativa, sicut est simi-

litudo sensibilis in sensu litteræ et voces in se eædem, non sunt eædem apud omnes inquantum sunt signa, quia nec eadem littera apud omnes repræsentat eamdem vocem, sed vel aliam, vel nullam; nec eadem vox apud omnes significat eamdem passionem, sed vel aliam, vel nullam.

Ex hoc patet, res, et passiones esse signa naturaliter, quia apud omnes uniformiter significant, et significantur; et quod est a natura, est idem apud omnes: littera autem, et vox non sunt signa a natura, quia non sunt eædem apud omnes, inquantum significant, aut significantur, nec intendit Aristoteles hic assignare eorum differentiam, nisi inquantum sunt signa, et signata.

3. *Ad argumenta* Ad primam rationem dicitur, quod licet omnes eodem modo simplicia concipiant, non tamen eodem modo componunt, et dividunt, unde 3. de Anima, context. 36. et 21. dicitur, quod intellectus circa *quod quid est*, non decipitur nisi secundum accidens, et hoc est secundum ipsos, non in absoluta apprehensione, sed in componendo *quod quid est* cum altero.

Contra, saltem sequitur, quod omnes erunt æque scientes, quantum ad apprehensionem simplicium, et ita erunt omnes æque scientes definitive, quia definitio est via cognoscendi simpliciter; sed hoc manifeste est falsum, multi enim sciunt aliqua simplicia, de quibus alii nihil apprehendunt. Quod autem additur de 3. de Anima, non est ad propositum, est enim iste intellectus Arist. ut patet in 9. Metaph. cont 22. in fine, ubi loquitur de eadem materia, quod vel intellectus omnino concipit *quod quid est*, vel nihil ejus, et ita non decipitur circa ipsum, quia deceptio præsupponit aliquam cognitionem, et aliquem errorem, non autem intelligit, quod intellectus concipiat omne *quod quid est*, cum contingat alicujus *quod quid est* nihil concipere. Ideo patet responsio, secundum illud quod dictum est in responsione, quod passiones non sunt eædem apud omnes in se, sed inquantum sunt signa rerum, quælibet enim passio eadem in se, apud cujuscumque notitiam fuerit, eamdem rem se repræsentat.

Ad aliud de rebus, patet similiter, quia res inquantum significantur per passionem sunt eædem apud omnes.

Ad tertium concedo, quod eædem litteræ manent in se in comparatione ad quoscumque utentes: sed non manent signa earumdem vocum apud omnes, quia non significant idem apud omnes, nec etiam est inconveniens eas sic variari apud diversos imponentes, cum fiant signa ex impositione, quæ diversa est apud diversos. 4.

Ad aliud dico, quod vox significativa non est instrumentum virtutis interpretativæ in homine, sed guttur, et pulmo, quæ concurrunt ad formationem vocis: sicut si naturaliter homo velit fugere nociva, non sequitur omne illud esse naturale instrumentum, quo fugit nociva, puta vestimenta, vel arma, vel hujusmodi, sed tantum natura illa dedit, ut instrumenta naturalia, quibus homo hæc posset sibi præparare, ut manus: nam per manus homo potest illa per artem præparare, et sic per rationem; et instrumenta naturalia formandi vocem potest homo aliqua imponere, quæ sunt signa ad placitum, et non naturalia, sive conceptus.

Nomen ergo est vox significativa secundum placitum, sine tempore, cujus nulla pars est significativa separata. Cap 2

QUÆSTIO V

Utrum terminus communis impositus ad significandum [illegible], neque aliqua supposita essent, [illegible] de existentibus, et non existentibus.

[illegible]

Quod non videtur; [illegible] [illegible] [illegible]

æquivocantur in ente, quod est superius; ergo in termino communi, qui significatur inferius ad ens. Major patet, quia de quibuscumque dicitur inferius univoce, et superius. Minor patet, quia existentia sunt entia, alia vero non entia : vel solummodo entia in potentia.

Item, prædicatio univoca est essentialis, aliter non distingueretur a denominativa prædicatione; sed terminus communis non prædicatur essentialiter de his, et de illis : ergo non univoce. Minor patet, quia prædicatio essentialis verissime fit cum hoc verbo *est*, sed isto modo non prædicatur de suppositis non existentibus, ut ostendetur post. Item, enti, et non enti nihil est univocum : quod patet per locum a majori, quia nec omnibus entibus est aliquid commune univocum; ergo,etc.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum, terminus communis dicitur de his et de illis, secundum eamdem rationem, et idem nomen, ergo univoce. Antecedens patet, quia talis terminus communis non habet nisi unam definitionem, cum sit univocum in se : ergo dicitur de omnibus, de quibus dicitur secundum lam.

Item, quod significat præter omnem differentiam temporis, ad supposita nullius temporis determinatur : hujusmodi est terminus communis nominalis; ergo, etc.

Item, differentiæ accidentales significato termini non faciunt terminum communem æquivocum, sed *esse*, *fuisse*, vel *fore: existere*, vel *non existere* : ut *præsens*, vel *præteritum*, sunt differentiæ accidentales significato sui termini; ergo, etc. Minor patet, quia si terminus significaret aggregatum ex *existentia*, et ex *esse*, vel *fuisse*, significaret ens per accidens, et ita quod significaretur per ipsum non esset in genere.

3. *Conclusio.* Ad istud dicendum, quod terminus communis qui non est æquivocus ex impositione ad diversas naturas, sed tantum imponitur ad significandum unam naturam, de quibuscumque dicitur simpliciter, dicitur et univoce : quod patet, tum quia si est in se univocus; ergo habet unam definitionem exprimentem illud significatum, cui imponitur; ergo de quibuscumque dicitur simpliciter, dicitur secundum illam definitionem, quia ad oppositum consequentis, quod dicatur de aliquibus secundum aliam definitionem, quam de aliis, cum omnis definitio exprimat significatum nominis, quia secundum Aristotelem in 4. Metaph. cont. 28, ratio quam significat nomen, est definitio, sequitur illud nomen habere duo significata, quod est oppositum antecedentis; tum quia nullus terminus communis imponitur ad significandum aliquod suppositum, vel aliqua : æquivocatio autem est diversitas significatorum; ergo propter qualemcumque diversitatem in suppositis, nunquam erit terminus communis æquivocus; quia nunquam fit variatio in ejus per se significato. Si autem de omnibus suppositis dicatur simpliciter, sequitur quod de omnibus suppositis dicatur univoce.

QUÆSTIO VI

Utrum sint aliqua supposita simpliciter termini communis significantis veram naturam præter existentiam

Vide citatos *quæst.* 5.

Quod sic videtur, omne illud pro quo terminus potest simpliciter supponere, et verificare propositionem, est simpliciter suppositum ejus : hujusmodi sunt alia ab existentibus, ut patet in his propositionibus, *homo fuit, homo erit,* sumendo *fuisse*, prout dicit actum inchoatum, et terminatum, sic enim non verificatur illa pro aliquo existente, et specialiter in hac propositione, scilicet, *contingit omnem hominem currere*, in qua dicit Aristoteles 2. Periherm. et 1. Prior. et alibi, subjectum stare, pro eo quod contingit esse. 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

Item, participari secundum aptitudinem sufficit ad rationem communis : ergo participare secundum aptitudinem sufficit ad rationem suppositi. Antecedens patet, quia

universale est aptum natum prædicari de pluribus. Consequentia patet, quia non major actualitas requiritur ad suppositum, ut videtur, in participando active, quam ad commune passive : sed alia ab existentibus sunt apta participare formam communis ; ergo, etc.

Item, inter suppositum et commune est ordo secundum superius, et inferius : talis ordo non est in rebus secundum quod existunt, sed tantummodo inquantum comparantur ad intellectum ; ergo ratio communis, et suppositi non dependet ab esse rei, sed a consideratione intellectus : sed illa potest esse eadem circa res, sive existentes, sive non existentes : quia extraneum est ei, quod concipitur ab intellectu, inquantum tale *existere*, sive *non existere* : ergo tam suppositum, quam commune eodem modo se habet ad existentiam, et non existentiam.

2. *Argumenta pro parte negativa.* Ad oppositum, commune est de per se intellectu cujuscumque simpliciter suppositi : ergo de quocumque illorum prædicatur, per se primo modo prædicatur : sed non de non existentibus, ut ostendetur post.

Item, non sufficit ad suppositum, quod significet particulariter illud quod significat suum commune universaliter ; quia tunc cum sola vox significet, vox esset suppositum vocis, quod est manifeste falsum ; ergo oportet quod suppositum sit idem essentialiter cum suo communi : sed non ens, non est idem essentialiter cum eo quod est vera natura : ergo, etc.

Item, tunc esset falsa omnis universalis affirmativa de *inesse*, in qua prædicatum non inest suppositis non existentibus, quia eis denotaretur inesse per *dici de omni*, cum sint supposita simpliciter communis distributi : et præcipue nulla esset vera de *inesse*, ut nunc, nec etiam possibilis ; quia prædicatum ejus non posset inesse non existentibus, et ita nulla universalis de contingenti esset possibilis ; quia poneretur in aliam de inesse impossibilem.

QUÆSTIO VII

Utrum hæc sit vera, Cæsar est homo, Cæsar est animal, Cæsare non existente.

[illegible]

1. *Argumenta pro parte negativa.* Videtur quod sint falsæ : quia quod est vere ens, non potest vere prædicari de non ente ; sed Cæsare non existente, adhuc homo est verum ens, saltem in aliis suppositis ; quia alia supposita sunt simpliciter entia, in quibus simpliciter est ipsum ens : ergo non prædicatur, etc. Consimiliter arguitur de homine et animali.

Item, per Aristotelem 2. Periherm. c. 2. quando non est oppositio in adjecto in prædicato, nec prædicatur *esse* secundum accidens, tunc tenet consequentia a conjunctis ad divisa : sed hic, *Cæsar est homo, Cæsar est animal*, in hoc casu non est oppositio in adjecto, nec prædicatur *esse* secundum accidens, cum prædicetur *esse* substantiæ vere entis : quod est *esse* verissimum ; ergo sequitur, *Cæsar est*. Consequens falsum : ergo et Antecedens.

Item, in isto casu est vera, *Cæsar est homo mortuus*, et sequitur *ergo non est homo* ; quia quod cum determinatione repugnante prædicatur de aliquo, vere negatur ab eodem. Antecedens probatur, tum quia hæc est vera, *Cæsar fuit homo*, prout ly *fuit* dicit actum terminatum : ergo desinit esse homo : ergo est homo mortuus. Tum, quia Cæsar non est homo vivus, quia non vivit : est ergo homo mortuus ; quia mortuum et vivum circa hominem sunt immediate opposita.

Item, in transmutatione substantiali res amittit nomen, et definitionem, quod maxime est nomen prius dictum esse commune esse de supposito in comparatione ad speciem : ergo suppositum in corruptione, quæ est transmutatio substantialis, amittit nomen hominis.

Item, si illa esset vera *Antichristus est homo*, per rationem esset necessaria : ergo

de supposito contingenti diceretur medium vere cum modo necessitatis : ergo idem de eodem non posset dici vere cum modo contingentiæ : ergo omnis minor in uniformi de contingenti cum denotet medium dici de tali supposito, contingenter esset impossibilis.

Item, destructis primis substantiis, impossibile est aliquod aliorum remanere; quia omnia alia vel sunt in eis, vel dicuntur de eis ; ergo in isto casu secunda substantia, quæ significatur per hominem, non dicitur de Cæsare.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum ; hæc consequentia est necessaria, *Cæsar currit : ergo homo currit.* Ergo medium, cujus virtute tenet, est necessarium : illud est, *Cæsar est homo.* Necessitas consequentiæ ostenditur ; quia aliquando sequebatur, et nunc manet idem intellectus antecedentis, et consequentis, qui et tunc : et ex eorum intellectu dependet consequentia ; ergo et nunc sequitur.

Item, 4. Metaph. context. 10. dicit Aristoteles, *hoc est hoc*, quia *hoc* significat *hoc*: sed Cæsare non existente, est *homo* de significato ejus, cum idem significet *homo* Cæsare non existente, quod significat existente.

Dicitur quod Aristoteles intelligit ibidem de primo significato termini, ut infert de homine et animali bipede, non de parte definitionis, vel significati.

Contra, totum significatum infert partem : ergo si sit verum totum enuntiare de subjecto, et partem. Si autem hæc consequentia, *animal bipes : ergo animal*, non tenet homine non existente, ergo non tenet ipso existente ; quia eadem diminutio fiet utrobique, cum diminutio sit ratione significatorum, quæ semper manet eadem.

Item, Cæsare non existente, est *homo* de per se intellectu ejus ; ergo prædicatur de eo per se : ergo necessario : igitur, etc. omnes consequentiæ istæ patent ex 1 Poster.

Dicitur ad hoc, quod prædicatum esse de intellectu subjecti non concludit propositionem esse necessariam, sed quando definitio, vel pars definitionis prædicatur de definito : singularis autem non est definitio, nec hominis, posito quod nullus sit, quia non entis non est definitio, cum ejus non sint differentiæ.

Contra, si non entis non est definitio : ergo de non entibus non sunt demonstrationes. Consequentia patet, quia de subjecto demonstrationis oportet præcognosci quid est. Consequens est contra Aristotelem 1. post. text. 11 qui dicit quod de sequenter existentibus, quando non sunt, potest habere demonstratio, quod est manifestum, quia nullo tonitruo existente, potest sciri, quod tonitruus est sonus terribilis.

Item, non entium sunt definitiones, saltem indicantes quid dicitur per nomen, nullo homine existente ; si detur talis definitio de homine, in illa poneretur animal, cum sit pars significati hominis; ergo adhuc prædicatur de ipso per se.

Item, sequitur *Cæsar est Cæsar*; *ergo Cæsar est homo.* Antecedens est verum, quia idem prædicatur de se : igitur et Consequens. Consequentia patet, quia Consequens est de intellectu Antecedentis.

QUÆSTIO VIII

Utrum hæc sit vera, Homo est homo, Cæsar est Cæsar, *neutro existente*

Vide citatos *quæst.* 5.

Videtur quod sint falsæ, quia ex eis sequitur, *ergo Cæsar est : ergo homo est*, quod ostenditur, quia nec est oppositum in adjecto, nec prædicatio secundum accidens, ut videtur ; quia prædicatur esse substantiæ. Consequens est falsum : ergo et Antecedens. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, ex istis sequitur, *ergo Cæsar est homo*, *ergo Cæsar est animal ;* quia Consequentia sunt de intellectu illorum Antecedentium : et hæc Consequentia sunt falsa ; ergo et Antecedentia.

Item, quando affirmativa est vera, oportet esse unionem in re, qualis significatur per propositionem ; sed hic, *Cæsar est Cæ-*

sar, nulla est unio in re, cum subjectum, et prædicatum non sint aliquæ res : ergo, etc.

Ad oppositum, nulla propositio est verior illa in qua idem prædicatur de se, illæ sunt tales.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Item, 4. Metaph. context. 10. hoc est hoc: sicut argutum est supra.

Item, 3. Metaph. c. de Secundum se, context. 50. hominis multæ sunt causæ quare homo est homo, nulla est causa.

Item, 7. Metaph. quærere, *quare homo est homo*, nihil est quærere, quia nihil est certius quod posset supponi in illa quæstione, in qua illud est dubium.

Item, per Aristotelem in 2. Periherm. c. 1. omnis negativa est per accidens vera, et hoc, quia hujusmodi reducitur ad aliam affirmativam priorem veram, et hoc maxime ad illam, in qua idem prædicatur de se : ergo veritas illius, *bonum non est malum*, reducitur ad veritatem illius, *bonum est bonum* ; cum ergo hæc sit vera, *Cæsar non est asinus*, et multa alia sic contingit removere a Cæsare, sequitur quod contingat ipsum vere affirmari de se ipso.

Item, per rationem : si negatur illa, *Socrates est Socrates*, conceditur illa, *Socrates non est Socrates*, et ulterius sequitur, *ergo Socrates est non Socrates*. Talis enim consequentia tenet in omnibus, ubi prædicata affirmativa sunt opposita contradictoria : hujusmodi sunt prædicata simplicia, ut dicetur inferius, et ulterius, *Socrates est non Socrates, ergo non Socrates est Socrates* per conversionem ; et ulterius ex convertente, et conversa, quæ conceduntur, arguatur syllogistice sic, *Non Socrates est Socrates, Socrates est non Socrates, ergo Socrates est Socrates*. Præmissæ autem sunt veræ per illum qui negat, ergo hæc conclusio simpliciter est vera ; nec obstat huic syllogismo, quod non sunt nisi duo termini reales, quia hoc sufficit si sint tres termini secundum rationem, ut patet in syllogismo ex oppositis. *Socrates* autem in propositione habet rationem duorum, scilicet majoris extremitatis, et minoris.

Item, in omni syllogismo ex oppositis, conclusio est impossibilis, ex 2. Priorum ; sed sive res sit, sive non sit, hic est syllogismus ex oppositis in tertia figura : *Nullus homo est albus, aliquis homo est albus*, et sequitur, *igitur aliquis homo non est homo* ; ergo conclusio est impossibilis, sive res sit, sive non sit ; ergo ejus opposita est necessaria, scilicet *omnis homo est homo*, sive res sit, sive non. 2

Item, sive res sit, sive non, hæc sunt contradictoria *Socrates currit, Socrates non currit* ; non enim homo currit ; ergo subjectum in utraque est idem ; sed idem vere potest prædicari de se ipso cum hoc verbo *est* ; ergo, etc.

Respondetur ad istud, et ad quasdam rationes, scilicet Boetii, et aliorum, quæ hic ponuntur, quod cum dicitur, *Socrates est Socrates* quod hic non prædicatur *Socrates* tantum, sed illud totum, *Ens Socrates*, quia res hujus verbi est, cum eo, quod specificat ipsum, prædicatur, quando prædicatur tertium adjacens, sed subjectum est *Socrates* absolute, non autem *ens Socrates*, et ideo in talibus propositionibus non prædicatur idem de se. Quamvis hæc responsio includat difficultatem de re verbi, quando prædicatur tertium : utrum scilicet, sit pars prædicati, de qua forte dicetur post, tamen ad propositum potest argui specialiter sic : esse quando prædicatur tertium prædicatum, quod in alio est, hoc est esse ejus quod specificat ipsum ; ergo hic, *Socrates est Socrates*, prædicatur esse Socratis, et illud est idem Socrati, sive Socrates sit, sive non sit ; ergo affirmativa vera. Confirmatur ratio per hoc ; quia tales propositiones conceduntur esse veræ, *non ens est non ens*, et *Chimæra est Chimæra*, propter hoc solum, quia esse prædicati est idem subjecto.

Ad primum istarum quæstionum dici potest, quod ratio communis vel suppositionem attribuitur ei, ut existit, sed ut concipitur apud intellectum ; quia quærere aliquid existere secundum quod ei attribuitur ratio communis, hoc est ponere ideas, 3. *Conclusio ad quæstionem 1.*

sicut Plato posuit, igitur commune secundum quod habet rationem communis, est natura, prout concipitur sub ratione dicibilis de pluribus, et ita suppositum est natura concepta apud intellectum, sub ratione non dicibilis de pluribus ; sed possibile est apud intellectum, eodem modo concipere naturam, ut dicibilis est de pluribus, et eamdem ut non dicibilis est de pluribus, sive utraque existat, sive neutra, sive quæ concipitur, ut non dicibilis de pluribus non existat,et illa quæ concipitur ut dicibilis de pluribus existat in aliis suppositis. Semper enim in natura concepta, ut hæc, intelligitur per se natura concepta absolute : ergo alia ab existentibus sunt simpliciter supposita termini communis. Assumptum, (scilicet quod res existens eodem modo concipiatur, sicut quando non existens) patet ; quia de his quæ frequenter fiunt, et quando non existunt, possunt fieri demonstrationes per Aristotelem 1. Poster. text. 20. ergo et illa possunt sciri definitive ; quia cognitio demonstrativa præsupponit cognitionem definitivam : ergo possunt simul concipi apud intellectum per eamdem speciem. Est ergo vis rationis in hoc, natura humana concepta ut hæc, eodem modo se habet ad naturam humanam conceptam sub ratione dicibilis de pluribus, sive natura concepta ut hæc, existat, sive non ; ergo æqualiter habet rationem suppositi, quando existit, et quando non. Quod si ista nomina,*Cæsar*, *Antichristus*, et hujusmodi imposita sint ad significandum supposita hominis, id est naturam conceptam ut hanc, cum semper idem significent, facta qualicumque transmutatione in existentia rei (ut dictum est in solutione quæstionis tertiæ) sequitur quod semper significet suppositum hominis. Si autem sint imposita ad significandum simul totum, de quo dicit Aristoteles in 8. Metaph. cap. de Partibus definitionis, context. 34. et inde, quod circa idem est generatio, et corruptio ; tunc nec significant suppositum hominis, quando existunt, et quando non existunt. Suppositum enim per se est eadem natura cum suo communi, sumpta a quodam modo determinatiori, non sic simul totum se habet ad naturam speciei, sed *iste homo* ad minus significat vere suppositum hominis.

5. *Ad 1 et 2 princ. quæst. 7.* Ad primum argumentum patebit responsio ex solutione quæstionis sequentis.

Ad secundum patet, quod non est ratio suppositi, significare particulariter, quod suum commune universaliter : sed natura concepta apud intellectum, ut hæc, quæ quidem significatur per vocem, non est vox significans, cum sit suppositum naturæ conceptæ apud intellectum, ut dicibilis de pluribus, et hæc natura, ut sic concepta, est idem essentialiter naturæ sic conceptæ, non tamen quod ratio concipiendi cadat in unione quæ fit cum hoc verbo *est.*

Cum dicitur in argumento, *non ens, non est idem naturæ veræ*, dico, quod non existens ut concipitur apud intellectum, potest esse idem alicui, quod in aliis suppositis est verum ens : sed inquantum est in eo, est non existens, sicut et ipsum ut patebit postea.

Ad aliud patebit, cum quæretur, *utrum terminus communis supponat et distribuatur ubicumque pro omnibus suppositis ejus.*

6. *Conclusio responsiva ad quæstionem* Ad secundam quæstionem possunt tales propositiones concedi esse veræ, quia ad verificationem propositionis affirmativæ sufficit unio extremorum. Hoc enim solum significat propositio affirmativa, sed talis est in proposito, in intellectu enim subjecti includitur per se intellectus prædicati, hoc dico si *Cæsar*, et hujusmodi nomina imponantur ad significandum supposita hominis ; tunc enim patet veritas talium propositionum ex solutione præcedentium quæstionum, et ex argumentis etiam factis pro hac parte quæstionis, et quibusdam tactis in solutione sequentis quæst. et specialiter ex quadam auctoritate Aristotelis 1. Poster. *De omni est*, etc. ut de omni homine *animal*. Si enim verum est di-

cere hominem verum est dicere animal, et si nunc alterum, et alterum. Ex qua auctoritate patet, quod ad necessitatem propositionis sufficit necessaria concomitantia extremorum, ita quod posito uno, ponatur alterum, licet neutrum necessario existat.

Item patet, quod aliter nulla propositio esset de *inesse* simpliciter, in qua prædicatur commune de supposito suo, quia non esset semper vera, et nihil potest sumi sub medio in majori de necessario regulariter. Hoc est contra Aristotelem 1. Priorum.

7. *Ad 1. princ. quæst.* 7. Ad primam rationem dico, quod hæc, *Cæsar est homo*, non prædicatur existens de non existente, sed humana natura concepta, ut dicibilis de pluribus de eadem natura concepta, ut hæc.

Contra hoc. Cæsar est non existens, homo est existens : homo prædicatur existens de Cæsare; ergo prædicatur existens de non existente. Dicendum, quod hic est fallacia Accidentis, quia *homo* secundum quod comparatur ad prædicatum hoc, scilicet prædicari de Cæsare, est extraneum huic prædicato *existens*, et ita *Cæsar* inquantum comparatur ad hoc prædicatum scilicet esse illud de quo *homo* prædicatur, est extraneum huic prædicato *existens*, medio autem comparato sub extraneis rationibus ad extrema, est fallacia Accidentis.

Contra, saltem inconveniens est illud, quod est existens prædicari de eo, quod est non existens, quia illorum non est unio in re ; ergo falsa est oratio significans ea uniri.

Dico quod *homo* secundum quod unitur *Cæsari*, est per accidens, non existens, sicut Cæsar non est existens, quia pro nullo supposito existente attribuitur Cæsari ; natura enim communis, ut salvatur in aliquo supposito, non est verius ens illo supposito.

Contra, aliqua supposita hominis sunt existentia, aliqua non ; ergo *homo* est æquivocum illis, quia enti, et non enti cum sint contradictoria, nihil est univocum commune.

Item, quod *existere et non existere* cum sint extranea naturæ, ut significatur per terminum, non faciunt æquivocationem in termino.

Ad secundum principale dico, quod hic, *Cæsar est homo*, prædicatur esse per accidens, quod quidem intelligitur dupliciter : vel sic, id est, secundum aliquid, extraneum, vel sic, id est secundum aliquid, cujus esse de subjecto non ponit esse simpliciter de subjecto et utroque modo est in proposito, nam esse hominis de Cæsare, extraneum est ei, quod est esse, quando prædicatur secundum. Tamen illud esse quod dicit prædicationem hominis de supposito suo, eodem modo se habet qualicumque transmutatione facta circa esse, quando prædicatur secundum. 8. Ad 2

Similiter secundo modo est secundum accidens, nam esse hominis, ut dicitur de Cæsare, non necessario, nec simpliciter ponit esse.

Contra hoc sequitur, *Cæsar est albus, ergo Cæsar est* ; ergo per locum a majori sequitur, *Cæsar est homo, ergo Cæsar est*. Si enim esse accidentis, quod est minus verum ens, ponit esse simpliciter, multo magis esse substantiæ, quod est verissimum esse, ponit esse simpliciter verum.

Item, *esse*, vel est de essentia, vel necessario consequens essentiam cujuslibet entis ; ergo et hominis, cum homo significet veram essentiam ; sed si utroque modo fuerit, ad hominem sequitur esse.

Item, in principio secundi Poster., text. 6, dicitur, quod si est, est vere scibile, quia est vero quæribile ; ergo est necessarium prædicari esse de quocumque est per se ; ergo sequitur ad quodlibet.

Item in eodem secundo, non contingit scire *quid est*, ignorando si est, sed scimus hominem definitive, vel quod Genus prædicatur de ipso, scil. *quid est* ; ergo oportet præscire *si est* ; ergo sequitur si est animal, quod est.

Ad primum dico, quod secundum tertium intellectum prædicatum prædicatur hic esse secundum accidens, Cæsar est ac- 9.

bus, quia accidens reale, sive per accidens cujusmodi est album, nulli subjecto inest, nisi existenti ; ergo ejus esse de subjecto necessario ponit esse absolute. Cum probatur consequentia, quia esse substantiæ est verius ; verum est, esse substantiæ existentis, sed esse specificatum per substantiam non est verius esse, hoc est, esse existere, quam esse specificatum per accidens ; *esse* enim quando prædicatur tertium, prædicat unionem extremorum, quæ necessaria est substantiæ ad substantiam, sine existentia extremorum, non autem accidentis ad substantiam non existentem.

Ad aliud, major est vera de *esse*, ut scilicet existit, et sic non ponitur prædicari de Cæsare, sed ut intelligitur, et sic ei *existere* extrancatur.

Ad aliud dico, quod *si est*, ut sumitur 2. Post. non est pro existere, sed pro ens, et habens essentiam, ut ens est nomen, oportet scire aliquid essentiam habere priusquam scire essentiam, quia et primum pertinet ad quæstionem *si est ;* secundum ad *quid est.*

Si autem auctoritas intelligitur de existere, hoc non est nisi aptitudinaliter. Nihil enim habet essentiam, nisi quod aptum natum est existere : manifestum est autem, quod potest sciri quid est vox, licet nesciatur aliquam vocem actu existere, puta cum aliquis nihil audit actu.

10. *Ad 3.* Ad tertium principale dico, quod *mortuum*, et *vivum* possunt actualiter sumi, vel aptitudinaliter. Primo modo sunt accidentia essentiæ hominis, significatæ per hoc nomen *homo*, et sic potest concedi, quod Cæsar non est homo vivus, sed mortuus ; quia *mortuum* illo modo non diminuit ab homine, nec infert non hominem ; nam diminutio alicujus per aliud, sicut oppositio inter illa, debet esse ratione significatorum : *homo* autem non includit in suo significato oppositum *mortui* hoc modo sumpti, sed si sumantur hæc aptitudinaliter, forte sic sunt differentiæ in genere Substantiæ, eædem istis *animatum, et inanimatum*, et sic *mortuum* diminuit ab homine, et hæc est falsa, *Cæsar est homo mortuus*, hæc autem vera, *Cæsar est homo vivus*, nec sequitur ; *ergo vivit*, sicut nec sequitur, *est risibilis, ergo ridet.*

Cum probatur quod Cæsar est homo mortuus, quia fuit homo, prout *fuit* dicit actum completum, et terminatum, nego hoc, si *fuit* prædicatur tertium adjacens : non enim terminatum est in eo esse hominem, cum adhuc sit homo. Si autem *fuit* prædicet secundum adjacens, tunc potest concedi, quod ipse fuit homo, quia in eo existere est terminatum, usus tamen est concedi hanc propositionem, *Cæsar fuit homo, et non est*, quia usualiter magis fertur intellectus ad existentiam, quam ad non existentiam. Et de Cæsare non est verum, quod est homo existens, sed fuit, cum *homo* de sui significato non importet hominem existentem, unde in multis significatio sermonis repugnat usui, et e converso.

Ad secundum patet, qualiter sequitur, *est vivus, ergo vivit*, distinctio prædicta patet in simili de bipede, quo frequenter utitur Aristoteles pro differentia essentiali hominis, cum tamen dicat in 5. Topicorum, cap. 1. cap. 15. *Non est omnis homo habens duos pedes :* ergo secundum aptitudinem est differentia hominis, vel ad minus non dicitur de omni homine secundum actum.

Contra hoc, si Cæsar non vivit, et vivere viventibus est esse, 2. de Anima, context. 37. ergo non est, et si non est, ergo non est ens : *esse* enim quando prædicat secundum adjacens, prædicat quod in se est, etsi non est ens ; ergo non est homo, per locum a superiori ad inferius negando.

Ad istud, concedenda est hæc propositio : *Cæsar non vivit*, et hæc similiter, *Cæsar non est*, loquendo de esse existere, et ulterius ; *ergo non est existens*, quia illud ens prædicatur per *esse*, quando prædicat secundum adjacens : sed *ens* sumptum pro existente non est superius ad hominem. Unde solet antiquitus dici, quod *ens* potest esse Participium, vel Nomen ; *Ens* Participium significat idem, quod *existens*, quia tenet significatum verbi, a quo descendit, *Ens potest esse participium, vel nomen.*

ens Nomen forte significat *habens essentiam*, illud dividitur in decem Genera, et sic concedendum est, quod *Cæsar est ens*, loquendo non de ente, quod est Participium.

11. *Ad 4.* Ad quartum, transmutatio non cadit circa rem, nisi secundum quod existit, sic autem non habet rationem suppositi, sed ut concipitur apud intellectum, per modum non dicibilem de pluribus. Vult ergo auctoritas, quod res secundum quod existit in transmutatione substantiali, non habeat formam, quam prius habuit : sed ex hoc non sequitur, quod prius fuerit suppositum alicujus communis, et nunc non esset ejus suppositum, quia circa illud nulla facta est transmutatio substantialis. Intelligitur ergo auctoritas tantum de re, quæ per se transmutatur, quæ est res, ut existens.

Ad 5. Ad quintum, si concedatur omnem minorem in uniformi de contingenti esse impossibilem, nihil contra Aristotelem, quia non eo minus esset forma syllogistica bona, quam docet Aristoteles. Vel si sit aliquod suppositum in potentia ad formam termini, quod non est per se suppositum termini, tale suppositum potest sumi sub, et esset minor vera.

Ad sextum, qualiter illud dictum in lib. Prædicamentorum sit intelligendum, dictum ibi est, q. 4.

12. *Conclusio responsiva ad quæstionem præsentem.* Ad aliam quæstionem concedendæ sunt omnes tales, *Cæsar est Cæsar*, *Homo est homo*, propter rationes prius factas. Ad alteram partem quæstionis, quarum una, scilicet illa, quæ est de syllogismo ex oppositis, potest reduci ad solutionem præcedentis quæstionis, sic scilicet quia in 2. Priorum dicit Aristoteles quod non tantum est syllogismus ex oppositis, ubi aliquid affirmatur, et negatur de eodem simpliciter : sed et ubi aliquid affirmatur de superiori universaliter, et negatur idem ab inferiori, vel e converso : et exemplificat in quarto secundæ sic, *Omnis disciplina est studiosa, non omnis medicina est studiosa* ; similiter in proposito esset hic syllogismus ex oppositis, *Omne animal est album, non omnis homo est albus*, et sequitur, ergo non *omnis homo est animal* ; ergo hæc conclusio impossibilis, etiam homine non existente, quia non est nimis est syllogismus ex oppositis, ergo ejus opposita est necessaria. Si dicitur *secundo* tollere rationem inferioris ab homine respectu animalis, sequitur, quod illa ratio sibi inerat secundum quod existebat, vel ad minus quod dependebat ab existentia rei, et per consequens non erat illa ratio simpliciter ab operatione intellectus : intellectus enim in sua operatione non dependet ab existentia rei, cum et definitiones, et demonstrationes fiant de non existentibus, multo magis non existentibus potest attribuere intentiones secundas, quæ omnino ab intellectu causantur.

Confirmatur illa ratio, quæ fiebat ad primam quæstionem de *per se*, per hoc, quod non existentium sunt definitiones ; ergo nullo homine existente, potest habere homo definitionem, et in illa poneretur animal ; ergo per se prædicatur de homine. Ad minus homo potest habere per se definitionem exprimentem, quid dicitur per nomen, et in illa necessario poneretur animal, cum sit de significato nominis, quia nomen semper significat idem.

Ad primum argumentum dictum est in quæstione præcedenti, qualiter hic prædicatur esse secundum accidens. 13. *Ad argumenta principalia 1æ quæstionis.*

Ad secundum concedantur propositiones, quæ sequuntur, scilicet, *Cæsar est homo*, et consimiles, sicut prius concessæ sunt.

Ad tertium dici potest, quod sicut res se habet ad esse, sic oportet ad veritatem illius propositionis esse unionem in re talem, qualis significatur in sermone. Natura autem significata per hoc, quod est *Cæsar*, est [illegible] compositionem, et ubi est compositio ejusdem existentis apud intellectum [illegible], et talis compositio sufficit ad veritatem, ubi res non est existens, ut patet in talis, scilicet, *Chimæra est Chimæra*. [illegible]

Ad primum argumentum illius quæstionis, quæ est de univocatione termini com- 14. *Ad argumenta 2æ q.*

munis, quod ostendit terminum non esse univocum : patet quod *ens*, ut *ens* est Nomen, non est æquivocum ad illud quod existit, et ad illud quod non existit, licet forte *ens* secundum quod est Participium sit æquivocum ad illa, sed *ens* ut est Participium non est superius ad hominem.

Ad aliud jam concessum est commune prædicari de supposito per hoc verbum *est*.

Ad tertium, enti, et non enti, etc. si intelligatur de istis secundum quod habent rationem contradictoriorum, sic forte nihil est eis univocum. Et si arguatur ulterius, Socrates est existens, Cæsar non est existens : ergo eis non est aliquid univocum, est fallacia Accidentis, quia medium est extraneum uni extremo, inquantum comparatur ad aliud. Quia duobus suppositis, quorum alterum existens est, alterum non, aliquid est eis univocum, inquantum includunt per se aliquid idem, sed accidit uni esse existens, et alteri esse non existens, quia secundum ista accidentia eis non convenit aliquid commune tale. Quod autem forma arguendi nihil valeat, patet in simili, arguendo sic : Albo, et non albo nihil est commune univocum, cum sint contradictoria ; iste homo est albus, et ille non est albus : ergo isti homini, et illi nihil est univocum ; non valet consequentia, quia hoc prædicatum, *non habere aliquid univocum* istis inest ratione affirmationis, et negationis : sicut et hoc quod est, *contradictoria esse*, et non ratione eorum, quæ subsunt formæ, et in minori sumuntur sub illa, quæ subsunt istis formis. Cum ostenditur illa propositio enti, et non enti nihil est univocum, per hoc quod non omnibus entibus est aliquid commune univocum; neganda est consequentia, quia nihil idem conceptum apud intellectum, includitur in conceptu omnium entium, sed aliquid idem conceptum apud intellectum, potest esse de intellectu ejus cui accidit existere, et ejus, cui accidit non existere.

15. *Alia solutio ad quæst. 7.* Aliter potest dici ad tertiam quæstionem illarum trium, sustinendo ea, quæ dicuntur ad præcedentes quæstiones duas ; scilicet quod supposita tam existentia, quam non existentia sint simpliciter supposita termini communis, et univoce. Et adhuc secundum aliquos non oportet concedere commune prædicari de his, et de illis vere, cum hoc verbo *est*, quia simpliciter supposita sunt univoce, quæcumque includunt eamdem rationem termini, secundum quamcumque differentiam temporis; quia significatum termini nullam differentiam temporis sibi determinat. Potest ergo stare cum univocatione, quod *homo* prædicetur de Antichristo cum *fore*, et de Cæsare cum *fuisse*, quia illa non variant significatum termini. Et hoc forte intellexerunt, qui dixerunt illa esse supposita diversæ appellationis, quia non eodem modo appellantur a communi, licet forte participent idem significatum communis.

Ad rationes quæ sunt contra univocationem. Ad primam potest dici, quod suppositum existens, et non existens, univocantur in ente, quia ens secundum unum significatum dicitur de eis, sed non cum hoc verbo *est*. 16. *Ad argumenta quæst. 5.*

Ad secundum conceditur, quod prædicatio communis de quocumque supposito est essentialis, non tamen omnem prædicationem essentialem esse veram cum hoc verbo *est*, sed sufficit cum quocumque verbo cujuscumque differentiæ temporis.

Ad tertium dicatur sicut prius dictum est.

Ad argumenta probantia hanc esse veram, *Cæsar est homo*. Ad primum dicitur, quod hæc consequentia non valet, *Cæsar currit, ergo homo currit*, quia nunc non appellatur *Cæsar* ab homine cum verbo de præsenti, sed sequitur, *Cæsar currit* pro tempore pro quo appellabatur ab homine ; *ergo homo currit*, et pro tempore illo, pro quo appellabatur ab homine cum verbo de præsenti sequebatur, *Cæsar currit, ergo homo currit*, nunc autem non. *Ad argumenta pro parte affirmativa q. 7.*

Ad aliud dictum Aristotelis, est intelligendum de compositione significata per verbum cujuscumque differentiæ temporis.

Ad aliud negatur hæc consequentia *Cæsar est Cæsar, ergo Cæsar est homo*, sequebatur autem quando Cæsar appellabatur ab homine cum verbo de præsenti, etc.

QUÆSTIO IX

Utrum terminus communis suppositus verbo de præsenti, supponat tantum pro præsentibus.

Fonseca *lib.* 8. *cap.* 20. Vide citandos *quæst.* 6. 2 *operis Periher.*

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, quia aliter hæc esset vera, *Album est nigrum*, et ista, *Sedens potest ambulare* in sensu compositionis, quia posset habere hanc causam veritatis, *quod fuit album est nigrum*, si subjectum possit stare pro præterito : et similiter de alio exemplo hæc est possibilis, *Sedens ambulat*, quia sedens qui fuit, ambulat modo illa est falsa, *Album est nigrum*. Tum, quia ex ista, *Album est nigrum*, sequitur, quod album non est album, et contradictoria illius, scilicet *Omne album est album*, est vera, quia idem prædicatur de eodem ; ergo duo contradictoria sunt simul vera. Tum, quia propositiones de prædicatis contrariis essent simul veræ, hæc, scilicet *Album est album*, et *Album est nigrum*. De reliquo dicit Aristoteles, quod sensus compositionis est falsus.

Item, prædicatum in tali propositione restringitur ad standum tantum pro his quæ sunt ; ergo et subjectum. Probatio consequentiæ, quia aliter non posset esse conversio, sive figura dictionis. Probatio antecedentis. Tum sic dicendo, B est : res verbi est prædicatum, apposito autem A. faciet unum cum re verbi, quod idem esset isti, *B est ens A*, ubi prædicatum restringitur per *ens* specificans ipsum. Tum quia aliter non sequeretur, *homo est albus, ergo homo est*. Probatio quia si *album* a parte prædicati posset stare pro eo quod existit, et pro eo quod non existit, indifferenter secundum quod prædicatur ; ergo secundum quod prædicatur indifferenter se habet ad existere, et non existere ; ergo secundum quod prædicatur, contrahitur per *ens* : et pari ratione esset consequentia in omnibus negandis, a conjunctis ad divisa, ut videtur, quia utrobique prædicaretur esse secundum accidens ; ergo frustra doceretur in 2. Perihermenias, in quibus tenet, et in quibus non.

Item, compositio non intelligitur sine extremis, per Aristotelem in fine cap. de Verbo ; ergo pro eodem tempore intelligitur compositio et extrema ; ergo utrumque extremum restringitur ad illud tempus, quod compositio mensurat.

Item, compositio est forma extremorum, forma vero est principium intelligendi aliquid secundum ejus rationem : ergo extrema intelliguntur secundum rationem compositionis.

Ad oppositum, si in illa de præsenti tantum staret pro præsentibus, duo contradictoria essent simul falsa. Probatio consequentiæ, ponatur, nullum hominem esse, hæc est falsa, *Omnis homo est*, et illa, *Aliquis homo non est* si subjectum stet pro existente tantum ; quia significatur aliquis homo, qui est, non esse. 2. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, sequeretur, si subjectum tantum staret pro præsentibus, quod omnes tales essent falsæ, *Domus fit*, *Homo generatur* ; quia sequeretur illud fieri quod est, quod falsum est ; quia fieri est via a non esse ad esse, et per consequens quod nunc est, nunc non fit. Si autem omnes tales falsæ essent, sequeretur, quod omnes tales essent falsæ, *Domus est facta*, *Homo est generatus* ; quia fieri et factum esse sunt eadem, et ita hæc propositio esset vera, *Quod fit, est, vel non factum*.

Item sequitur, *Aut christus currit, ergo homo currit* : quia minor subjicibilis, virtute cujus tenet consequentia, est terminus, sicut dictum est ; ergo homo in consequente potest stare pro Antichristo ; ergo pro eo quod non existit. Item, terminus primo supponit suum significatum in omni propositione, et non pro supposito. Sed

quia suppositum est idem significato, alioquin nulla universalis esset vera ; ergo æqualiter supponit pro suppositis, quæ æqualiter se habent ad significatum communis : sed hujusmodi sunt tam existentia, quam non existentia, sicut prius ostensum est ; ergo pro omnibus fit æqualiter suppositio.

3. Item, quod non arctetur virtute verbi, probatio, tum quia illud, quod distat ab aliquo in oratione, non immutat aliquid reale circa aliud distans, quia omne contrahens reale cadet in idem extremum cum contracto certo, aliter hæc posset esse vera, *Homo est mortuus* : quia si illud quod est a parte prædicati, posset contrahere subjectum realiter ; ergo illud quod est a parte prædicati, posset diminuere subjectum, quoad propositum enim non est differentia de determinatione contrahente, et diminuente : staret ergo *homo* hîc in subjecto pro homine diminuto per *mortuum*, et ita hæc etiam vera, *Homo est mortuus*, ad quam sequitur, per Aristotelem, *ergo homo est non homo*, quia *mortuum* per ipsum 2. Periherm. includit oppositum hominis, ad quod sequitur contradictio ; ergo duo contradictoria absolute sine determinatione, ut significantur per hæc nomina *homo*, et *non homo*, prædicarentur de se invicem. Quod si hæc sunt inconvenientia, sequitur, quod illud quod est a parte unius extremi, non posset contrahere illud, quod est a parte alterius extremi ; sed compositio se tenet ex parte prædicati, ut dicetur post : ergo tempus quod est circa compositionem, non potest restringere subjectum. Tum quia contingit intelligere actum mensuratum tempore præsenti, inesse subjecto pro supposito, quod fuit, vel pro omnibus quæ fuerunt, sunt, et erunt, secundum intellectum, licet sit falsum ; ergo et contingit significare hoc : sed impossibile est significare hoc, si tempus præsens circa prædicatum faceret subjectum tantum stare pro suppositis quæ sunt : ergo illa hypothesis interimit finem sermonis, qui est ut per eum possit omnis intellectus, vel conceptus mentis significari.

QUÆSTIO X

Utrum in propositione de præterito stet subjectum tantum pro illis quæ fuerunt, et de futuro tantum pro illis quæ erunt

Occam 2. *part Log. cap.* 7. Fonseca *lib.* 8. *Instit. cap.* 36. *et* 37. Rodriguez *lib.* 1. *Dial. c.* 10. Doctor *lib.* 1. *Prior. q.* 16.

Quod sic, per illas duas rationes factas ad præcedentem quæstionem de compositione. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item sequitur, *homo qui fuit, fuit* ; *ergo homo fuit,* quia oppositum Consequentis, quod est, *nullus homo fuit*, non potest stare cum Antecedente, cum repugnet implicationi : sed illud Consequens est falsum, *nullus qui fuit, fuit* ; ergo ejus contradictoria vera ; ergo antecedens ex quo sequitur. Eodem modo arguitur de futuro.

Item, nisi subjectum staret in illa de præterito, pro illis quæ fuerunt, hæc propositio, *Homo fuit*, esset falsa, posito, quod omnes nunc existentes essent in primo instanti sui esse, et multi alii præcessissent eos, et si illa esset falsa, tunc hæc esset vera, *Nullus homo fuit* ; ergo sequitur, *nullus homo qui fuit, fuit*, quia oppositum Consequentis non potest stare cum Antecedente : sed istud Consequens est falsum, *nullus homo qui fuit, fuit* ; ergo ejus contradictoria est vera ; ergo et antecedens, ex quo sequitur, ergo contradictoria vera.

Duæ ultimæ rationes tantummodo probant, quod subjectum stet pro præteritis et futuris, non quod tantum pro illis. Et ad idem est secunda ratio facta ad primam partem præcedentis quæstionis.

Ad oppositum, quod non tantum probant duæ ultimæ rationes ad oppositum præcedentis quæstionis. 2. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, si posset stare illa de præterito pro præteritis, illa esset vera, *Album fuit nigrum* : ergo et sua de præsenti aliquando fuisset vera, quod falsum est, cum prædicetur oppositum de opposito.

QUÆSTIO XI

Utrum in omni propositione in qua non additur termino communi aliquid contrahens immediatum, distribuatur terminus communis pro quibuscumque ejus suppositis simpliciter.

1. *Argumenta pro parte negativa.* Quod non videtur, quia tunc majore existente, de inesse ut nunc, et minori de contingenti, esset syllogismus utilis, imo, ut videtur, regulatus; quia pro quocumque supposito acciperetur medium in minori, virtute contingentiæ, pro eodem distribuetur in majori. Consequens est falsum, et contra Aristotelem I. Priorum.

Item, in hac acceptione, *quod est*, aut stat subjectum in illa pro omnibus per se suppositis, et tunc quælibet de contingenti et quælibet de inesse, in qua imponitur, est impossibilis; cum nullus actus possit idem contingenter inesse suppositis cujuscumque differentiæ temporis. Aut tantum pro existentibus, et tunc cum in sua de inesse stet pro omnibus suis suppositis, per positum poterit universalis de contingenti esse vera; et tamen sua de inesse impossibilis.

Item, majore existente de necessario, et minori de contingenti, esset syllogismus regulatus, quia quæcumque sumuntur sub in minori, pro illis fieret distributio in majore.

Item, ad hoc sunt omnes rationes, quæ probant, quod terminus communis stet in aliqua propositione tantum pro suppositis unius differentiæ temporis, qui non distribuitur nisi pro illis, pro quibus supponit.

2. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum, sequitur, *omnis homo currit: ergo Cæsar currit*, similiter sic, *omnis homo curret: ergo Cæsar curret*, et sic de quocumque supposito cujuslibet differentiæ temporis; ergo commune respectu cujuscumque prædicati distribuitur pro quibuscumque suppositis, omnes hæ consequentiæ patent; quia minores de præsenti, per quas illæ consequentiæ reducuntur in syllogismum, sunt necessariæ, ut patet ex prædictis.

Item, universale multi[illegible], signo sibi addito supponitur pro multis: sed terminus communis univocus est ad quæcumque supposita, ut patet ex dictis.

Item, pro omni eo fit distributio in universali, quod potest sumi sub, per *dici de omni*, hujusmodi sunt quæcumque supposita, ut prædictum est; quia omnia sunt similiter supposita termini.

3. *Conclusio responsiva ad 1. et 2. q.* Ad duas primas quæstiones dicendum, quod terminus communis in quacumque propositione, sive de præsenti, sive de præterito, sive de futuro, supponit pro quibuscumque suppositis, sive existentibus, sive non existentibus, sic quando non additur sibi immediate determinatio aliqua contrahens ad supposita unius differentiæ temporis.

Conclusio ad quæst. præsentem. Et juxta hoc consequenter est dicendum ad 3. q. quod terminus pro omnibus distribuitur in quacumque propositione, in qua absolute sumitur, quod patet; quia quodcumque suppositum infert suum commune, respectu cujuscumque prædicati, et infertur ex suo communi distributo; quia utrobique minor intellecta, in qua scilicet commune prædicatur de suo supposito cum hoc verbo *est*, est necessaria; ergo commune pro quocumque supposito supponit, et distribuitur. Causa autem prædicti est, quia commune quando non specificatur per aliquid immediate additum, supponit absolute suum significatum; ergo æqualiter pro omnibus, quæ æqualiter se habent ad suum significatum. Hujusmodi sunt tam existentia, quam non existentia: ergo pro omnibus supponit æqualiter, et per consequens distribuitur, nec aliquod prædicatum ipsum contrahit, ut ostensum est in opponendo, quia contrahens, et contractum, [illegible] in idem extremum; et quia convenit intelligere prædicatum sumptum sub quacumque ratione, [illegible] subjectum, pro suppositis cujuscumque diffe-

ferentiæ temporis, vel pro omnibus simul ; ergo significare : ergo prædicatum nullam rationem supponendi tribuit subjecto.

4. *Ad primum princ. q. 9.* Ad primam rationem primæ quæstionis notandum, quod formæ accidentalis, significatæ in concreto, aliud est suppositum, aliud est subjectum ; quia commune est idem essentialiter suo supposito, sed non suo subjecto : licet ergo concedatur, terminum communem posse stare pro suppositis existentibus, et non existentibus, non tamen hoc conceditur de subjecto, quod aliquando habuit formam, et per consequens hæc non est vera, *Album est nigrum.* Licet enim subjectum quod aliquando fuit album, nunc sit nigrum, non tamen suppositum albi, quod fuit aliquando album, est nigrum ; quia de isto supposito etiam quando non existit, prædicatur suum commune, cum hoc verbo *est,* et per consequens oppositum sui communis pro nullo tempore vere prædicatur de ipso. Per hoc patet ad aliud exemplum. Qui enim dicunt tales propositiones, in quibus subjiciuntur concreta, esse distinguendas secundum compositionem, et divisionem, non intelligunt quod significatum communis, vel ejus per se suppositum, possit accipi pro eodem tempore, vel pro diverso, cum prædicato ; sed hoc intelligunt de subjecto formæ accidentalis, et ita hæc falsa in sensu composito, *Sedens potest ambulare,* pro quocumque supposito per se supponat *sedens,* et similiter pro subjecto, cum intelligitur informari forma possessionis pro illo tempore, pro quo prædicatum sibi unitur.

5. Contra hoc, nigrum, et album, quod fuit, loquendo de supposito præterito albi, possunt dici de eodem subjecto : ergo unum de altero potest prædicari. Antecedens patet, quia verum est dicere de illo quod est album quod fuit, et quod est nigrum. Primum patet, quia sequitur, *si fuit album, ergo est album quod fuit.*

Ad illud dici potest, quod album quod fuit, loquendo de per se supposito albi, non dicitur nunc de illo quod heri fuit album, sed dicitur de eo pro præterito, et ex altera de præterito, et ex altera de præsenti, non sequitur conclusio de præsenti ; ergo non sequitur hæc, quod album præteritum sit nigrum.

Ad probationem negatur hæc consequentia, *Non fuit album ; ergo hoc est album quod fuit.* Non enim sequitur, si suppositum albi dicatur de subjecto cum *fuit,* quod dicatur de eo cum *est* ; illud enim præteritum suppositum non est existens, subjectum est existens : non existens autem non potest prædicari de existente. Si etiam arguitur, *Quod fuit album est nigrum, ergo album est nigrum* : antecedens est distinguendum, quia aut ly *quod,* refert subjectum albi, et tunc consequentia non valet, quia album non stat pro subjecto præterito, sed magis est figura dictionis, commutando *quid* in *quale* ; aut si ly *quod,* referat suppositum albi, tunc consequentia bona est, antecedens autem falsum.

Contra, saltem videtur quod hîc non prædicetur contrarium de contrario, *quod fuit album, est nigrum,* quia album quod fuit, et nigrum quod est, non contrariatur, nec pari ratione unquam possibile erit prædicari contrarium de contrario. 6.

Ad hoc dicitur, quod album quod fuit, loquendo de per se supposito albi, inquantum includit de per se formam sui communis, contrariatur nigro, et sub illa ratione supponitur per suum commune, et tanta est ibi contrarietas, quanta inter album quod est, et nigrum. Similiter ad illam, *Sedens ambulat,* patet quod non est vera, quia suppositum præteritum, vel futurum sessionis nunquam est ambulans : qui autem ponit talem propositionem, *Sedens potest ambulare,* esse distinguendam secundum compositionem, et divisionem, non ponit hoc a parte suppositi, sed subjecti : pro quocumque enim supposito sumantur extrema, est sensus compositus et falsus, quia suppositum cujuscumque temporis ex una parte non potest uniri cuicumque supposito ex alia parte.

Ad secundam potest dici, quod æquali- 7. *Ad 2.*

ter et indifferenter stat prædicatum in propositione, sicut et subjectum, quia consimilis ratio probat utrumque: convenit enim intelligere prædicatum pro quibuscumque suppositis, sive omnibus, sive aliquibus, et attribuitur subjecto, pro quibuscumque suppositis subjecti, sive omnibus, sive pluribus, et hoc mediante quacumque compositione; ergo convenit significare: ergo quæcumque compositio nullam determinationem ponit pro suppositis circa extrema, nec circa prædicatum, nec circa subjectum, cum prædicatur oppositum de opposito.

Dicendum ad primam probationem, quod res verbi, posito quod esset pars prædicati, quando *est* prædicat tertium adjacens, adhuc illa non specificat illud quod subsequitur ipsum, sed e converso, ut hic, *Omnis homo est animal*; si *ens* sit pars prædicati, illud non specificat animal ad standum pro existentibus tantum: sed *animal* specificat illud; quia quando *est* prædicat tertium adjacens, adhuc prædicat quod in alio est; nunc autem *ens* specificatum per *animal*, ita est indifferens ad supposita, sicut *animal*: vel forte (ut videtur post) res verbi non est pars prædicati.

Ad secundam probationem, concesso quod nunquam ab *esse* prædicato tertio, sequatur *esse* prædicatum secundo, saltem quando in antecedente specificatur *esse* per terminum nominalem: non sequitur ex hoc, quod frustra determinet Aristoteles in 2. Periherm. capit. 2. a quibus conjunctis tenet consequentia ad divisa, et a quibus non: quia in aliis conjunctis ab *esse* quandoque sequitur divisim: ut, *Iste est homo currens*: *ergo iste est homo*; in aliis vero non, ut, *Iste est bonus citharœdus*, *ergo est bonus*; et illud est magis ibi ad propositum Aristoteles quam de *esse*, dicitur enim ibi in littera: *Quare in quantiscumque prædicatis neque contrarietas aliqua, aut nulla oppositio inest, si definitiones pro nominibus reddantur, et secundum se prædicantur et non secundum accidens*, id est, non secundum aliquod extraneum suæ rationi propriæ. In his etiam simpliciter verum est dicere, ubi nulla fit mentio specialis de *esse*, et specificatur magis de aliis prædicatis compositis.

Ad tertium concedendum est, quod extrema intelliguntur pro eodem tempore, pro quo compositio; sed ex hoc non sequitur, quod tantum pro suppositis unius temporis. Ad 3.

Ad quartum similiter potest concedi, quod forma est principium intelligendi extrema, quoad aliquem modum circa extrema, sed non de reali acceptione pro suppositis; quia impossibile est intelligere terminum, pro quibuscumque suppositis, sub ratione præsentialitatis, vel præteritionis: et hoc est quod solet dici, quod concedenda est restrictio modalis, et non realis. Ad 4.

Ad primum argumentum in oppositum dicitur, quod positum est impossibile, scilicet nullum hominem esse. Vel aliter quod si subjectum habeat aliqua supposita existentia, tantum stat pro illis; si nullum, tunc stat pro non existentibus, et tunc hæc est vera, *Aliquis homo non est*, nec est sensus, aliquis homo qui est, non est. Ad 1. [illegible]

9. Contra primam responsionem, illud positum si sit impossibile, non est impossibile includens incompossibilia, quia potest concipi sine repugnantia intellectuum; ergo propter illud positum non sequitur, contradictoria esse simul falsa, quia impossibilius non sequitur ex minus impossibili, nec minus impossibile ex falso contingente. Ex eo enim quod potest concipi, non sequitur illud quod non potest concipi sine repugnantia intellectuum; ergo contradictoria esse simul falsa, sequitur ex alio, scilicet quod subjectum ponitur stare tantum pro existentibus.

Item, arguitur idem de singulari, quod possibile est non esse.

Contra secundam responsionem, si homine non existente, sit hæc vera, *Homo non est*, et stat homo pro non existentibus, tunc hæc consequentia est bona, *Homo qui non est, non est*, ergo homo non est; quia [illegible] respectu prædicati [illegible] supposito pro quo supponit respectu prædi-

cati ; ergo eadem consequentia tenebit homine existente, quia idem erit intellectus Antecedentis, et Consequentis : nec intellectus propositionis mutabitur, propter mutationem rei in existentia : et tunc non mutatur eadem oratio a veritate in falsitatem, et e converso, quod est contra Aristotelem in prædicamentis cap. de Substantia.

10. *Ad 5. princ. quæst. 9.* Ad quintam rationem in contrarium respondetur, quod prima probatio tantum probat subjectum non restringi per aliquid circa compositionem, quia distant ; sed non probat quin prædicatum restringatur, quia compositio cadit in idem extremum cum ipso.

Ad secundam probationem dicitur, quod contingit significare prædicatum inesse subjecto, pro omnibus suppositis cujuscumque temporis, per compositionem de præsenti, præterito, et futuro, sic, *Omnis homo qui est, vel fuit, vel erit, est albus*, et sic intelligendo in subjecto totum disjunctum distribuitur, et ita per circumlocutionem dicitur in aliis conceptum esse exprimendum, quando non potest per terminum absolute.

Objectio. Contra, contingit intelligere prædicatum, istud inesse ejus subjecto, pro ejus per se suppositis quibuscumque, inquantum participant formam communis, extra quorum rationem, ut sic intelliguntur, est tempus, et disjunctio, et quodlibet præter intellectum sui communis ; ergo et significare ; sed hæc non significatur per talem circumlocutionem, plus enim significatur in tali disjunctione et a parte temporum, quam intelligebatur.

Objectiones. Item, in tali propositione manet compositio de præsenti, sicut in alia ; si ergo compositio de præsenti semper restringat extrema ad suppositionem pro præsentibus, adhuc hoc totum , *Homo qui est*, etc, sumetur tantum pro præsentibus, et erit sensus, omnis homo qui est, fuit, vel erit, est albus ; nugatio est, et erit processus in infinitum. Prima consequentia patet, quia æqualiter subjectum est indifferens ad *est*, vel *fuit* , vel *erit*, et æqualiter compositio de præsenti.

AD ALIAM quæstionem dicendum consequenter, quod terminus communis in omni propositione, quando non additur aliquod contrahens immediatum, distribuitur pro quibuscumque per se suppositis ; quare quodlibet potest sumi sub, per *dici de omni*, et quodlibet sequitur ad distributum propter rationes præfatas, et sequitur ex solutione quæstionis præcedentis : signum enim additum termino, denotat ipsum sumi universaliter pro omnibus, quibus est commune, ut supponit in indefinita. 11. *Conclusi ad q. præ sentem.*

12. *Ad 1. principale.* Ad primum argumentum in contrarium dico, quod syllogismus est inutilis, quando major est de inesse, ut nunc ; quia tunc pro aliquo tempore unitur medium minori extremitati in minori, quam pro quo major est vera. Minor enim de contingenti potest accipi vera pro futuro, pro quo non oportet majorem esse veram, cum sufficiat eam esse veram pro uno tempore. Sed quando major est de inesse simpliciter, pro quocumque tempore sit minor vera, pro eodem est major vera, quia est semper vera ; ideo necesse est extrema uniri in medio pro eodem tempore, non autem quando major est vera de inesse, ut nunc, et non est defectus propter variationem suppositorum, pro quibus sumitur medium in majori, et minori.

Ad 2. Ad secundum potest dici, quod nullum per se suppositum contingenter comparatur ad illud, cujus est per se suppositum, sed necessarium ; ergo in hac acceptione, *quod est B*, sumitur subjectum pro omnibus per se suppositis, inquantum per se supposita.

Cum dicitur, ergo omnis universalis de contingenti in illa acceptione est falsa, et omnis de inesse ei correspondens est impossibilis. Vel hoc potest concedi, nec propter hæc deficit aliquid de arte syllogizandi, quia syllogismus non dependet ex veritate, vel possibilitate propositionum, sed ex necessaria habitudine præmissarum ad conclusionem. Vel aliter potest dici, quod licet præteritis, in quantum præterita sunt, impossibile sit aliquid contingenter inesse, quia respectu præteriti non est potentia,

tamen quibuscumque suppositis communis, inquantum participant formam communis, non est impossibile aliquid contingenter inesse; quia extranea est eis præteritio, et cæteræ differentiæ temporis, inquantum sunt per se supposita communis: in alia autem acceptione, scilicet, *quod contingit esse B*, non sumitur pro aliis realiter, cum in illa *quod est B*, sumatur pro omnibus; sed in illa, *quod contingit esse B*, sumitur pro aliquibus sub alia ratione. Quæ enim per se sumpta necessario comparantur ad commune, secundum existentiam sumptam contingenter comparantur ad idem, quia existentia accidit per se supposito: et secundum illam rationem forte sumitur pro aliquibus suppositis in hac acceptione, *quod contingit esse B*.

13. Non mirum est autem illud, quod absolute sumptum est per se suppositum communis, si sumatur sub ratione alicujus, quod est ei extraneum, inquantum est suppositum, esse per accidens, et contingenter sub communi: ut, *Iste homo* est per se suppositum hominis necessarium, *Iste homo albus*, est contingens suppositum, ita autem accidit *existere* per se supposito hominis, sicut *album*. Hanc autem acceptionem, *quod est*, ponenda est habere propositionem ex ratione termini in se, qui de se accipitur pro omnibus per se suppositis, sicut sumitur in illa acceptione: aliam autem acceptionem *quod contingit esse*, in qua sumitur pro eisdem, tamen sub alia ratione, habet propositio ex modo contingentiæ, qui modus, licet non possit conferre termino acceptionem pro suppositis aliquibus determinatis, tamen potest conferre ei acceptionem pro illis, pro quibus staret secundum se sumptum: tamen sub alia ratione, quia omnis compositio potest derelinquere modum intelligendi circa extrema, licet non realem arctationem ad supposita. Sic ponendo potest concedi, quod istæ acceptiones sunt antecedentes ad propositionem de contingenti, et de inesse, et disjunctive se habent ad universalem, sicut ad indefinitam. Licet enim unico actu distribuatur terminus pro omnibus per se suppositis, tamen non distribuitur unico actu pro omnibus, inquantum sumuntur sub extranea ratione.

Contra hoc: in ista acceptione, *quod est B*, est contingentia circa compositionem, quia derelinquit modum intelligendi consimilem, circa extrema; ergo si in illa acceptione, scilicet *quod contingit*, non sit nisi modus intelligendi talis circa extrema, sequitur, quod non est differentia inter acceptiones, quia in utraque sumitur terminus pro omnibus per se suppositis, tamen sub ratione intelligendæ contingentiæ. 14.

Item, modus contingentiæ non potest derelinquere circa subjectum acceptionem pro subjecti suppositis sumptis sub extranea ratione. Tum quia tunc pro eisdem sub ratione, sumeretur in illa acceptione, *quod est B*, cum in illa sit contingentia circa compositionem. Tum quia modus compositionis poneret determinationem realem circa extrema; nam supposita per se non sunt per accidens supposita, nisi intelligantur sub aliqua determinatione reali superaddita; compositio autem nihil reale innovat circa extrema, ut prædictum est.

Ideo potest dici, quod hæc acceptio, *quod est*, in qua stat terminus pro quibuscumque suppositis per se, quamvis talis ratio sit circa ipsa, quod etiam intelliguntur esse præsentia compositioni, ut ex virtute sermonis in propositione de contingenti aliter non esse, quod contingit esse, ut ex significatione, nec ut evidens, sed sortitum ex positione nostra; ideo dicitur acceptio hæc est, contingit accipere intellectum propositionis sub tali determinatione. Sic autem potest dici æqualiter acceptio cujuscumque propositionis, nisi quod hic conformior est modo compositionis, quia in aliis propositionibus, tamen sumpta propositione in isto intellectu, tenet formaliter syllogismus. 15.

Ad tertium principale potest dici, quod ad perfectionem syllogismi non sufficit illud, quod est, in minori, per quod fit distributio in majori, sed oportet sub illa ra- 16. Ad 3 princ.

tione illud *sumi sub*, sub qua fit pro eo distributio : sic iste syllogismus non est perfectus, *Omnis homo necessario est animal, iste homo albus est homo ; ergo*, etc. quamvis pro illo homine fiat distributio in majore : sed hoc est, quia pro ipso fit distributio inquantum participat formam hominis, et sumitur sub ratione albi ; ita in proposito, si suppositum, quod est per se, sit idem cum eo quod est contingens, pro eo inquantum est per se suppositum, fit distributio in majore de necessario, et non sumitur *sub*, sic in minori de contingenti, sed sub extranea ratione.

Vel potest dici, quod suppositum contingens non est per se suppositum, quia quodlibet per se suppositum, necessario comparatur ad commune.

Hoc in manuscriptis antiquis non reperitur. *De omnibus quæstionibus sequentibus super lib.* 1. *Perihermenias dictum est alibi.*

QUÆSTIO XII

Utrum hæc sit vera, Cæsar est homo, *Cæsare non existente, supposito quod idem terminus significet, re existente, et non existente univoce, ut supra dictum est*

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Et videtur quod sic, quia dicit Philosophus, in Metaph. lib. 4. context. 10. quod terminus significat *hoc est*, sed *Cæsar* significat hominem ; ergo, etc.

Item, quidquid includitur in prædicato, est verum de eodem de quo ipsum prædicatum ; sed *homo* includitur in *Cæsare*, et est de intellectu ejus, ergo si hæc est vera, *Cæsar est Cæsar*, hæc erit vera, *Cæsar est homo.*

Sed quod hæc sit vera, *Cæsar est Cæsar*, probo, quia hæc est vera, *Chimæra est Chimæra*, similiter *Non ens est non ens. Cæsar autem est ens ; ergo*, etc.

Præterea, nulla prædicatio est verior illa, in qua idem prædicatur de se : sed hic prædicatur idem de se ; ergo.

Item, de Syllogismo ex oppositis sequitur impossibile, sed ex his, *Cæsar est homo, Cæsar non est homo*, sequitur, *Cæsar non est Cæsar* ; sed hoc est impossibile : ergo oppositum est verum.

2. *Argumenta pro parte negativa.* Ad aliam partem, principaliter ubi *est* ponitur ut copula, significat ut nunc, secundum Philosophum; ergo si Cæsar est homo, est nunc homo.

Item, cum hominem necessario concomitetur vivere, intelligere, sentire, si Cæsar est homo, vivit, intelligit, et sentit ; sed hæc omnia sunt falsa et impossibilia, cum Cæsar est corruptus. Respondeo, dicitur, quod prima propositio est falsa, propter rationes positas, nullus enim est homo nisi nunc sit homo, hoc non competit Cæsari.

3. *Ad 1. prin.* Ad argumentum primum dicitur, quod quando dicit Philosophus, quod terminus significat *hoc est*, non est intentio sua dicere, quod quidquid significatur per aliquid, hoc prædicatur de eo in præsenti cum *esse* ; sed volens probare principium, loquitur ibi de contradictoriis, dicens quod illud, quod significatur per unum contradictorium *est*, reliquum non est, cum dividant omne quod est. Vel si forte hoc non dicat, licet verum sit, potest dici, quod tantum velit per illud verbum, illud quod significatur per dictionem *hoc est*, ejus significatum. Vel si forte intendat de hac prædicatione, scilicet quod significat quod hoc prædicatur de illo, verum est, si est in præsenti, sed si fuerit, non prædicatur, nisi per verbum de præterito, et in præterito bene prædicatur homo de Cæsare.

Ad 2. Ad secundum negatur consequentia ; quidam negant consequentiam, quia cum *Cæsar* significet unum suppositum, et ita est quod cum suppositum non est, requiritur quod prædicatum sit non existens ; ergo *Cæsar* in utraque stat pro non existente, *homo* autem cum de se habeat supposita existentia, ideo quando simpliciter profertur in præsenti, stat pro existentibus ; homo autem existens non est de intellectu Cæsaris : et ideo non sequitur, sed bene sequitur sub tempore competenti.

4. Alii dicunt, quod hæc est falsa, *Cæsar*

est Cæsar, sicut ista, *Cæsar est homo*, quod ostendi potest sic : cum enim *Cæsar* significet veram rem, quia univoce significat modo, et prius ; dicere ergo quod *Cæsar est Cæsar*, est dicere quod prius fuit vera res, est modo vera res : quod falsum est.

Potest etiam simili modo ostendi sic, sit hic bos vivus statim mactandus : non est verum dicere, *iste bos cras erit bos*, quia cras erit mortuus per positum : ergo cum venerit illud futurum, et sit præsens, non possum vere dicere, *iste bos est bos*.

Idem judicium est ibi, *Cæsar est Cæsar*, quia singularis est illa, sicut ista.

Item alio modo sic, duplex est mutatio, scilicet substantialis et accidentalis : accidentalis est in qualitate, vel in quantitate, vel loco, talis mutatio non interimit subjectum ; sed transmutatio substantialis interimit subjectum, nec fit nisi per destructionem subjecti : unde in transmutatione substantiali subjectum desinit esse seipsum, si detur oppositum non corrumpetur, quia si non desinit esse seipsum, non desinit esse.

5. *Ad rationes.* Ad rationes, et primo ad primam, quæ adducitur pro consimili, dicendum, quod non est simile, quia illud quod significat *Chimæra*, vel *non ens*, uniformiter se habet ad omne tempus, ideo in omni tempore possunt esse veræ, sed ita non est de Cæsare : illa enim res quam *Cæsar* significat, tunc non est, nec habet suum esse in omni tempore.

Ad aliud, quod nihil non dicitur esse idem sibi. Unde cum Philosophus dicat, quod verior prædicatio est, quando idem de se prædicatur, verum est, quando idem quod est aliquid prædicatur de se, quia nihil non dicitur idem esse sibi : unde quia *Cæsar* est nihil, ideo non dicitur idem sibi.

Ad aliud, quod regula Philosophi de conclusione syllogismi ex oppositis est intelligenda ubi aliquod est actu subjectum termino, quia tunc sequitur quod idem de se negaretur, quod est impossibile.

6. *Ad 3.* Nota quod signum a parte prædicati, cadit in identitatem prædicati, quia non in omni propositione est simpliciter prædicatum, et quod additur est vel ipsius specificatio, et quidquid ipsum specificat prædicatur cum ipso verbo. A parte autem subjecti non est aliquid sic specificandum, ideo non cadit in identitatem cum subjecto. Et si objiciatur, quod omnis propositio una convertitur, et tunc quod est prædicatum, fit subjectum ; si ergo est pars prædicati, erit pars subjecti. Respondetur, quod verum est non in ratione signi, sed ut materialiter teneatur, ut *Omnis homo est omnis homo*, convertitur, *Aliquod [illegible] omnis homo est homo*.

Item nota quod universalis negativa non convertitur per accidens, quia ad veram conversionem requiritur, quod convertens tantum capiat de veritate conversæ, quantum est possibile transpositis terminis ; sed non est ita, si convertatur universalis negativa in particularem negativam, quia in transpositis terminis potest plus capere, tenet tamen consequentia per mediam conversionem simplicem. *Universalis negativa non convertitur per accidens.*

QUÆSTIO XIII

Utrum terminus communis possit restringi

[illegible] lib. I. Dial. cap. 10.

1. *Terminus communis potest restringi.* Dicendum quod sic. Et ratio quorumdam est, quia compositio qua componitur res verbaliter signata cum subjecto, tempore præsenti, mensuratur eadem mensura, qua mensuratur compositio, necessarium est extrema mensurari, et ideo subjectum quod est alterum extremorum, non excedit in [illegible] temporis, qua mensuratur.

[illegible] Contra, quia non se consequuntur ad intelligere, non consequuntur se ad significare ; nunc autem qui intelligit compositionem aliquorum extremorum præsentem, non est necesse quod intelligat extrema illius compositionis esse præsentia ;

possumus enim præsentialiter componere, quæ sunt futura, dicendo, *Antichristus futurus est*, et non tantum dicendo, *Antichristus erit*, ergo præsentia alicujus compositionis ad extrema necessario non refertur.

Item, illud non est principium restrictionis termini, quod non est principium intelligendi ipsius : tunc autem terminus consignificatus non est principium intelligendi subjectum, quia illud quod est principium intelligendi alterius, in idem extremum cadit cum ipso ; quod enim a parte prædicati cadit non restringit subjectum, ut cum dicitur, *Homo est albus*, si enim sic, ista esset vera, *Omnis homo est albus* ; pro eisdem enim supponit terminus in indefinita, et universali.

Item, tempus est accidens absolutum Verbi, ideo non requirit substantiam a parte subjecti, sub conformitate temporis.

Item, si sic, tunc dicendo B potest esse A, restringeretur B ad supponendum pro præsentibus tantum, quod est falsum, non enim sic dicendo restringitur.

2. Alii aliter dicunt, quod causa restrictionis accipitur a parte finis ; sermones enim inventi sunt ad hoc, quod nostros conceptus aliis exprimere possimus. Sed si intelligam hoc præsentialiter huic inesse, hoc alii significare possum, sed non aliter, nisi per verbum præsentis temporis ; ergo est necesse terminum sic restringi.

Contra, cum finis sermonis nihil sit aliud quam ejus significatio ; dicere ergo quod terminus restringitur, quia hoc exigit finis, est dicere quod terminus restringitur, quia hoc significat : sed hoc non significat, nisi quia terminus restringitur, nec restringitur nisi quia hoc significat : ergo terminus restringitur, quia restringitur, et ita petitur, quod manifestari debet.

Item, licet sermones inventi sint, ut aliis conceptus nostros exprimamus, non tamen quemcumque conceptum indifferenter per quemcumque sermonem exprimere possumus, sed determinatum conceptum per determinatum sermonem : sicut licet securis sit inventa ad scindendum, tamen non dicitur frustrari, licet hoc scindere non possit, vel illud, sed si simpliciter scindere non posset, tunc frustraretur : similiter licet terminus suppositus verbo de præsenti, non significet præteritum inesse subjecto, pro his, quæ præsentialiter sunt, a fine suo non frustratur, quia hoc per alium sermonem significari potest.

Item, si propter hanc causam dicitur restringi, ut aliis significemus conceptus nostros, frustratur finis ; quia possum intelligere subjectum, ut abstractum ab omni tempore, et ut sic intellectum volo significare aliquid sibi præsentialiter inesse, sed si restringitur ad supposita præsentia, quod intelligo aliis significare non possum, quia in significando alius constituitur intellectus.

Item, finis sermonis est rei significatæ intellectum constituere ; sed res significata per terminum nominalem nullam differentiam temporis concernit ; ergo talem intellectum constituit.

Ideo dicitur aliter, quod ideo terminus restringitur, quia alia supposita quam præsentia, non sunt sub termino, quia terminus in supponendo non supponit, nisi pro suis suppositis. 3.

Contra, non plus exigitur ad suppositum, quam ad aliud, cujus est suppositum : sed illud, cujus est suppositum, non includit esse, cum abstrahatur ab esse ; ergo de ratione suppositi non erit esse, quia tunc plus includeret suppositum, quam illud, cujus est suppositum. Item, illud quod est, et illud quod non est, sub eadem ratione ad intellectum veniunt ; quia intellectus ab eo, quod nomine Socratis significatur, potest abstrahere rationem hominis, sicut ab eo, quod significatur nomine Cæsaris. Ratio ergo sic abstracta ab utroque cum abstrahatur apud intellectum, est indivisa ; ergo terminus significans hanc rationem, significat commune univoce illis duobus : ergo per eamdem rationem, qua unum erit suppositum, et reliquum.

Secus autem est de non ente repugnante

Hoc non reperitur in antiquis impressionibus et manuscriptis. *ad esse, sicut Chimæra : ab illo enim non ente aliqua ratio communis intelligi, et eadem abstrahi non potest ; quis enim abstrahere rationem animalis ab asino et Chimæra non apparet.*

4. *Responsio ad quæst.* Ideo ad quæstionem videtur aliter adhuc dicendum, quod terminus supponens verbo de præsenti restringitur : et causa restrictionis est actualis inhærentia prædicati ad subjectum. Nam actualitas inhærentiæ exigit terminum supponere pro his, pro quibus hanc actualitatem potest terminare ; tunc autem terminus supponens pro suppositis, actualem inhærentiam pro aliis terminare non potest, nisi pro his quæ sunt. Verbi gratia, calefactibile ut ad calefacientem refertur, terminus calefactionis est solum pro his, in quibus derelinquitur dispositio, quæ per calefacientem generatur : ideo calefactibile ut ad calefacientem refertur, solum pro calefactis supponit. Ideo calefactibile secundum se ad calefacientem non dicitur. Sicut vult Commentator in 5. Metaph. sed actualiter ad calefacientem in actu dicitur pro calefactis, et pro aliis solum potentialiter. Eodem modo ex parte ista, si consideremus subjectum, ut est terminus hujus actualis inhærentiæ, et ut hæc actualis inhærentia sibi adjacet, ita quod sub ratione ejus consideretur, non supponit pro aliis, nisi pro quibus hanc actualem inhærentiam terminare potest. Hoc est satis possibile sic considerare, quia actualis inhærentia a prædicato incipit, et ad subjectum terminatur, et quia possibile est considerare terminum sub ratione illius, quod terminatur ad ipsum, qui si sic consideretur, sub ratione illius acciperetur, et ideo sub termino sic supponente, non convenit accipere aliquid, nisi illud, de quo potest terminus actualiter prædicari ; et talis suppositio subjecti cognoscitur per sumptionem *sub*. Ex quo sumi non potest *sub*, respectu talis inhærentiæ, nisi illud de quo terminus prædicatur actualiter, evidens signum est, quod terminus respectu talis inhærentiæ, pro aliis non supponit, ideo ad hoc respiciens Aristoteles in lib. Priorum, dicit quod Majore existente de inesse non potest sumi *sub* minor de contingenti, et hoc regulariter : nam cum sumo minorem de contingenti, sumo aliquid pro quo non supponit terminus in actuali inhærentia illius de inesse. Et illud potest aliter patere, nam sicut significatur potentialiter aliquid inhærere subjecto, non exigitur subjectum supponere, respectu talis inhærentiæ, pro his quæ actu sunt : et ideo quia istam inhærentiam terminare potest indifferenter, vel pro his, quæ actu sunt, vel pro his, quæ contingunt : et ideo sic dicto B potest esse A, quia hic est potentialis inhærentia alicujus ad aliquid, non actualis, et ideo subjectum hanc inhærentiam terminans, potest æqualiter supponere pro his, quæ sunt, et quæ erunt, ideo B potest esse A, dicitur dupliciter, secundum compositionem, et divisionem.

5. Sed contra hoc, actualis inhærentia dependet ex eo, quod actus inhæret, sed actus inhærens non potest terminum restringere.

Igitur nec ejus actualis inhærentia.

Item, si dicatur, *animal loquitur*, inhærentia hujus actus ad *animal*, restringeret *animal* pro animali loquente, et sic hæc esset vera, *omne animal loquitur*.

Item, actualis compositio extremorum non restringit extrema : ergo per eamdem rationem, nec actualis inhærentia.

Ad primum istorum dicendum, quod actus actualis, sive præsentialis, sine actuali inhærentia, restringere non potest subjectum, nec actualis inhærentia sine illo actu : simul tamen restringitur subjectum per actualem inhærentiam quam per actum cujus est, quia actus cujus est non est illi inhærens subjecto actualiter, sicut actualis inhærentia, quia actualis inhærentia est in subjecto : sicut paternitas in filio : et etiam sicut ignis sine calore calefacere non potest, sic actus actualis alicujus sine actuali inhærentia restringere non potest : et sicut calor sine igne non calefacit, sic actualis inhærentia in termino supponente, sine actu non restringit.

Ad aliud dicendum, quod actualis inhærentia alicujus actus inhærentis. non requirit in termino supponente alia necessario, nisi supposita actu existentia ; et quia sub animali sunt multa supposita, quantum est ex parte actualis inhærentiæ non restringitur animal, nisi ad animalia in actu, et quia animal in actu potest esse indifferenter loquens, et non loquens, ideo non magis restringetur ad loquens, quam ad non loquens, ideo sic dicendo, *Omne animal loquitur*, est oratio falsa.

Ad tertium dicendum, quod actualitas compositionis potest esse sine actualitate extremorum : et hoc quia præsentialitas compositionis ad compositionem refertur, non ad extrema. Potest enim compositio esse præsens, cujus extrema sunt futura ; sed actualis inhærentia non potest esse sine actualitate inhærentis, quia ab ejus esse denominatur inhærentia actualis, vel potentialis, ideo non est simile hinc inde.

6. Adhuc, si objiciatur ad principale, quod terminus supponat pro non existentibus, quia terminus pro illo supponit, ad quod sequitur : sed ad non existens sequitur, quia sequitur, Antichristus currit ; ergo homo currit, Antichristus non est existens.

Dicendum, quod non sequitur, nisi posito, quod Antichristus sit homo : quod patet reducendo illam consequentiam ad formam syllogismi, et tunc per oppositum Antichristus est ens, et ideo homo supponit pro eo, quia non sequitur, nisi sit ens. Vel potest dici, quod si aliquid sequitur ad aliud, ratione illius in se, ut homo ad hominem hunc qui est : sic est major vera : si autem ratione adjuncti, quod tamen adjunctum exigat, quod sit, cum tamen in veritate non sit ; non sequitur quod terminus communis sub eodem prædicato supponat pro illo.

7 Item cum dicitur, si terminus restringeretur a parte subjecti, hæc esset bona consequentia, *Homerus est aliquid ut poeta, ergo Homerus est,* hanc consequentiam negat Philosophus. Dico, quod ad actualem inhærentiam esse alicujus ad aliquid, quod in se esse habet, sequitur actualis existentia ejus, cui inhæret tale esse, ut cum dicitur, *Socrates est*, hîc copulatur esse Socratis, quod quidem esse Socrates in se habet, et non in alio ; ideo requiritur Socratis esse, ut propositio sit vera. Sed quando copulatur esse alicujus inesse, quod quidem esse non habet in se, sed in alio : actualis inhærentia talis esse non exigit quod illud, cui copulatur, præsentialiter sit, sed quod illud sit principaliter, in quo habet tale esse. Unde cum dicitur, pater vivit in filio, non est necesse quod pater sit, sive vivat, sed filius, ad hoc quod oratio sit vera : sic cum dicitur, Homerus est poeta, non intelligitur significari, nisi quod Homerus sit in sua poesi, et ideo sufficit ad veritatem propositionis, quod poesis ejus sit, et hoc, quia *esse* non copulatur Homero pro se, sed pro alio ; quod tamen derelinquitur ab ipso, et ideo illud aliud per actualem inhærentiam hujus verbi *est* exigitur esse.

Item, dicitur, quod significare aliquid alicui inesse præsentialiter, non est significare illud, cui hoc inesse significatur esse præsens, quia si dicatur, *Homo est cursurus*, hîc unitur prædicatum cum subjecto præsentialiter, et tamen non est necesse quod illud, cui unitur, præsens sit, quia potest esse vera pro Antichristo, qui nunc non est.

Dico, quod est differentia inter actualem inhærentiam alicujus actus, et actualem compositionem extremorum ; quia aliquid potest actualiter componi cum aliquo, quod tamen actualiter non inhæret sibi.

Sed cum per propositionem de præsenti non plus significatur, nisi extremum inesse extremo, potest dubitari per quid significatur actualis inhærentia, quæ est causa restrictionis.

QUÆSTIONUM SCOTI SUPER PRIMUM LIBRUM PERIHERMENIAS, FINIS

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

IN SECUNDUM LIBRUM PERIHERMENIAS QUÆSTIONES

Erit autem omnis affirmatio, vel ex Nomine, et Verbo, vel ex infinito nomine, et verbo. Præter verbum autem nulla affirmatio, vel negatio est. Est *enim, vel* fuit, *vel* erit, *vel quæcumque alia hujusmodi verba, ex his sunt, quæ posita sunt, consignificant enim tempus,* etc. Cap. 1.

QUÆSTIO I

An verbum infinitum maneat infinitum in oratione

D. Thom. *hic. cap.* 2. Aphrod. et Boet. *ibid.* Alb. Mag. *de Nomine c.* 5. *et tract. de Verbo cap.* 2. Occam. *lib.* 3. *Perihermen. cap.* 2. Joann. a Magist. *ibid. quæst.* 3. *dub.* 2. Conimbr. *cap.* 6. *de orat. quæst.* 2. *sect. art.* 1.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, quia Aristoteles dicit, quod verbum infinitum similiter dicatur de eo quod est, et de eo quod non est, et non dicitur de aliquo, nisi in oratione.

Item dicit, quod est nota dicendi de altero, et hoc non est nisi in oratione.

Item, verbum infinitum est una dictio, cujus sunt modi significandi, qui sunt principia cognoscendi, et construendi ipsum cum alia dictione: cum ergo habeat per se modos significandi, per quos cum alio in oratione potest construi, potest in oratione manere infinitum.

Item, inconveniens videtur esse, quod dictio propter solam coordinationem ejus in oratione, amittat rationem suam, quod ejus significatum non maneat, sed fiant duæ dictiones, quæ dictiones propter ingressum, vel egressum orationis non mutant suum significatum proprium.

Item, Boetius sic arguit, nisi sic esset, sequeretur, quod unus syllogismus positus a Platone esset ex omnibus negativis, arguit enim Plato syllogistice, et in minori in prima figura, ponitur verbum infinitum quod si teneatur pure negative, esset unus syllogismus habens minorem negativam in prima figura.

Ad oppositum est Boetius hic cap. 1. dicens quod verbum infinitum in oratione positum, non remanet infinitum, sed est pure negativum. Ratio est hæc, qui dicit, *Homo non currit* nihil affirmat de homine, sed magis ab homine aliquid tollit. 2. *Argumenta pro parte negativa.*

Item si sic, idem esset dicere, *Homo non currit,* et *homo est non currens*; sed in secundo sequitur quod *non currens est homo*; ergo illud sequitur ex prima, quod falsum est, quia Antecedens potest esse verum sine Consequente, vel Consequente existente falso: ut posito quod nullus homo sit, tunc hæc est falsa, *non currens est homo*, et hæc vera, quia homo non currit.

Item, ut secundo dicitur, quod præter verbum finitum nulla est affirmatio nec negatio: quia si verbis infinitis esset affirmatio, vel negatio, sequeretur quod oppositiones tot modis possent variari quando *est* prædicat secundum adjacens, et quando prædicat tertium adjacens.

Dicendum quod verbum infinitum in oratione positum, non differt a verbo pure 3. *Conclusio Scoti.*

negativo. Nam, sicut dicit Boetius loco citato, tunc verba infinita sunt infinita, cum sola sunt, cum autem alicui nomini adjuncta sunt, finita sunt; sed tamen cum

* al. compositione.

negatione in tota propositione * intelligitur; quia in oratione affirmativa aliquid affirmatur de aliquo : sed nihil de homine affirmatur, cum dicitur, *Homo non currit.*

Ratio conclusionis.

Ratio dicti est haec, verbum aggregatur ex duobus, scilicet ex re, et compositione, qua significantur aliquid esse, vel non esse; verbum autem infinitum fit per additionem particulæ negativæ, quæ removet verbum secundum se. Cum ergo additur nomini, removet quod significatur per verbum esse de aliquo ; non autem ob aliud est propositio negativa, nisi quia removet aliquid de esse, ad non esse : igitur verbum infinitum est verbum intellectum cum negatione, quod non accidit ex parte nominis ; cum enim dicitur, *non homo currit*, non removetur aliquid esse ab aliquo : sed verbum infinitum extra orationem intelligitur, ut una dictio ; in oratione, non ; quia verba infinita cum sint sola, intelliguntur ut nomina, nec removent aliquid ab aliquo.

Verbum infinitum quomodo dici potest infinitum in oratione.

Si tamen intelligeretur negatio infinitans referri ad rem verbi, conveniens esset dicere quod verbum infinitum in oratione maneret infinitum ; sicut verbum privativum maneret privativum in oratione, ut hic, *iste excommunicatur* ; et hoc, quia in verbis privativis affirmatur compositio, et intelligitur tantum privatio rei.

4. *Verbum quare infinitum.*

Ad primum dictum Aristotelis dico, quod verbum infinitum, ideo est infinitum, quia res designata per verbum simpliciter convenit ei, quod est, et ei, quod non est. Unde ex hoc non sequitur, quod verbum infinitum, inquantum infinitum, est dicibile de aliquo ; sed solum sequitur conceptum verbi infiniti non esse distinctum, et determinatum.

Verbum infinitum quomodo nota dicendi de altero.

Ad aliud dictum Aristotelis dico, quod verbum infinitum est nota dicendi de altero, cum per se accipitur ; sed quando cum alio ponitur, denotatur aliquid removeri ab aliquo ; quia dicendo *non esse* de homine, dico ablationem veram de homine, quia propositio, qua significatur aliquid esse, vel non esse, est de ratione verbi, et non est tantum modus significandi : ideo negatio non tantum refertur ad rem verbi, sed compositionem. Ideo ubi ponitur verbum infinitum in oratione, illa est propositio negativa simpliciter. Unde licet habeat in se notam dicendi de altero, non tamen remanet nota dicendi secundum se in oratione.

Ad aliud, verbi infiniti non sunt modi significandi, quibus ordinari potest cum aliqua dictione in oratione ; ita quod ratio verbi infiniti maneat, quia si sic, jam non significaretur esse alicujus removeri ab aliquo, sed tantum significationem alterius esse de aliquo.

5. *Verbum infinitum est duæ dictiones.*

Ad aliud dico, quod necesse est de verbo infinito extra orationem fieri duas dictiones in oratione ; quia cum verbum significat aliquid esse de aliquo, negativa particula adveniens verbo, inquantum verbum est, removebit esse alicujus de aliquo : et hoc est facere compositionem negativam simpliciter ; ita quod in nullo reali, nec ratione differt propositio negativa a propositione, ubi verbum infinitum ponitur.

Boet. citatus.

Ad aliud dicit Boetius, quod in minore talis syllogismi, si verbum infinitum intelligatur ut una dictio, negatio tantum intelligitur referri ad actum, ut ille sit sensus, *Socrates non currit*, id est, *est non currens*, quod ostendit Boetius, quia idem est dicere, *Socrates currit*, et *Socrates est currens* ; sed negativa particula addita huic verbo *est*, sic dicendo, *Socrates non est currens*, statim facit propositionem negativam. Cum ergo in hoc verbo *currit* primo contineatur verbum, *est*, sic dicendo, *Socrates non currit*, removetur *est currens*, quia totum verbum ; ita quod in toto verbo intelligatur negatio cursus. Hoc etiam dicit Boetius paulo ante, *quia*, inquit, *cum dico*, Socrates non ambulat, *nihil de Socrate affirmo, sed potius tollo ; quia si ssset affirmatio, id est, si verbum esset infinitum, aliquid de aliquo esse affirmaret.* Vult ergo,

quod si esset infinitum, compositio esset affirmativa; et ita non esset verbum infinitum: sed non est sic de verbo infinito, quia, ut dicit Boetius, *qui dicit*, homo non currit, *de homine nihil affirmat, sed magis ab homine aliquid tollit.*

Quando autem est tertium adjacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones: dico autem ut est justus homo, est tertium adjacere nomen, vel verbum in affirmatione. Quare quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem, et negationem sese ***habent secundum consequentiam ut privationes, duæ vero minime***, etc. Cap. eodem.

QUÆSTIO II

An sequatur, hoc non est justum; ergo hoc est non justum

D. Thom. Boet. Alb. Occam *super cap. 2. hujus.* Joan. a Magist. *et* Alb. Parvus *quæst.* 1. *hujus* Conimbr. *cap.* 1. *hujus, quæst. unic. art.* 1.

1. *Argumenta pro parte negativa* Quod non videtur, quia dicit Aristoteles quod quatuor propositionum, duarum de prædicato finito, et duarum de prædicato infinito, duæ affirmativæ se habent ad negativas, quod ex unius affirmatione sequitur alterius negatio; sed duæ negativæ e converso, non sic se habent ad affirmativas.

Dicitur quod Aristoteles intelligit consequentiam non valere in terminis compositis. Contra, sic dicit in littera: *Distinctio autem hoc loco est adjacere justo, et non justo*; *justum*, et *non justum* sunt termini simplices.

Item in lib. Priorum dicit, quod differt construendo, et destruendo *esse non hoc*, et *non esse hoc*. Ibi etiam dicit, quod ex negativa de prædicato finito, non sequitur affirmativa de prædicato infinito, quia *esse non album*, et *non esse album*, sic se habent, sicut *posse non ambulare*, et *non posse ambulare*. Sicut ergo ex secunda istarum non sequitur prior, sic non sequitur, *non est album, ergo est non album*.

Item, hoc verbum est affirmatur hic, *Hoc est non album*; unde significatur, quod hoc est ens quod non est album: sicut hic, *Hoc potest non ambulare*, significatur quod hoc est potens ut non ambulet; sed hic, *Hoc non est album*, negatur ipsum esse album: ergo ex secunda non sequitur prima, quia per primam aliquid ponitur, quod non ponitur per secundam.

Item, negativa potest habere duas causas veritatis, affirmativa unam: ergo ex negativa ad affirmativam est fallacia Consequentis, sicut ex disjunctiva ad alteram ejus partem.

Item Aristoteles dicit, ei, quod est non æquale, aliquid subjacet, sicut inæquale: sed non sequitur, *non est æquale, ergo inæquale*, ergo non sequitur, *hoc est non æquale*.

Ad oppositum, justum, et non justum dicuntur de quolibet: si ergo de isto non dicitur justum, et non justum vere dicitur de eo, vel erunt contradictoria simul vera. 2 *Argumenta pro parte affirmativa*

Item Aristoteles dicit, si verum est interrogatum negare, verum est affirmare prædicatum infinitum, ut quæsito, Socrates estne sapiens, si dicatur non, sequitur, ergo est non sapiens.

Item, dicitur in littera, quod sequitur, *Non omnis homo est non justus, ergo aliquis homo est justus*; similiter, *Nullus homo est justus, ergo omnis homo est non justus*; quare similiter sequitur, *Hoc non est justum; ergo est non justum*, cum similiter se habeat utraque negativa ad utramque affirmativam.

QUÆSTIO III

An istæ consequentiæ teneant in terminis [illegible]

[illegible]

Quod non videtur, quia in Elenchis dicitur, quod non est inconveniens idem esse duplum, et non duplum.

Item, non sequitur, *est inæquale* ; *ergo est non æquale*, nec ulterius in secunda; *ergo non est æquale*.

QUÆSTIO IV

An teneat cum verbo de præterito ; *primo, an sequatur*, fuit non album : ergo non fuit album

Vide citatos *quæstione* 2.

Quod sic videtur, quia propositio de præsenti, et de præterito non differunt, nisi quoad tempora, sed tempus non variat habitudinem, quia consequentia est simplex, et non accidentalis, ut videtur ; ergo sequitur cum verbo de præterito, sicut de præsenti.

Ad oppositum hæc est vera, *Hoc fuit non album, si semel fuit nigrum*, et hæc est fasa, *Non fuisti albus, si semel fuisti albus*, et ex vero, non sequitur falsum.

QUÆSTIO V

An sequatur e contra posita constantia subjecti

Vide citatos *quæst*. 2.

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur : nam sequitur, *Non fuisti albus, et fuisti : ergo fuisti non albus, quia pro quolibet tempore pro quo fuisti, fuisti vel albus, vel non albus.*

Ad oppositum, idem est dicere, *Tu fuisti albus*, et *tu es præteritus albus* ; sed non sequitur, *tu non es præteritus albus, et es : ergo es præteritus non albus* ; sicut non valet, *tu non es album lignum, et es : ergo es non album lignum.*

2. *Conclusio.* Dicendum, quod quatuor existentibus propositionibus, de eodem subjecto prædicatis, variatis secundum finitum, et infinitum, affirmative, et negative, terminis sumptis simplicibus, et compositis, compositione existente de præsenti, sive de præterito, vel futuro ; si duo prædicata propositionum affirmativarum dicantur de quolibet ex negativis, sequitur affirmative, si non, non.

Cujus ratio est, quam ponit Aristoteles 1. Priorum. Accipiantur termini simplices, *Socrates est bonus, Socrates est non bonus, Socrates non est bonus, Socrates non est non bonus*, si esse bonum, et esse non bonum dicantur de quolibet, et de nullo eorum ambo, ex affirmativis sequuntur negative, et e converso convertitur ; quia si non, contradictoria simul stabunt, quia si Socrates non sit bonus, si non sequitur ; ergo est non bonus, et non bonum, et bonum dicuntur de quolibet, per positum Socratis, sic simul erit bonus, et non bonus, et e converso tenet per idem. Item, in terminis compositis tenet eadem ratio, quia si esse album lignum, et esse non album lignum dicantur de quolibet, sequeretur, *Non est album lignum* ; *ergo est non album lignum*, vel contradictoria simul starent. Sed in quibusdam de eodem negatur utrumque prædicatorum compositorum, et non dicuntur de quolibet, ut hîc, *Hoc est album lignum, hoc est non album lignum*, et utrumque est falsum de Socrate, ideo non tenet consequentia.

Sed ulterius est dubitatio an hîc, *hoc est non bonum*, prædicatur ens, et non bonum, ratione cujus prohibetur illatio hujus ex hac negatione, *Hoc non est bonum*, sicut in aliis compositis prædicatis. 3. *Dubium.*

Ad quod dicendum, quod si *est* quando prædicatur tertium adjacens, sit tantum copula, certum est, quod non impedit consequentiam, tunc enim tantum prædicatur non bonum ; et bonum, et non bonum dicuntur de quolibet ; sed si *est* sit pars prædicati secundi, secundum intellectum, per quam impediatur ne *non esse album*, et *esse non album*, dicantur de quolibet, tunc non tenet consequentia, quia diversimode ponendo Antecedens, et diversimode ponendo Consequens, est non inferre Consequens. *Solutio*

Ad primum argumentum patet, quod 4.

Ad 1. et 2. princ. quæst. 3. pro parte affirmativa. *homo*, et *ens non homo*, non dicuntur de quolibet.

Ad aliud, quod quæstiones sunt ordinatæ, ut compositæ præsupponunt simplices, unde qui quærit aliquod adjacens huic verbo, *est*, præsupponit ipsum esse, unde quærendo an Socrates est sapiens, præsupponitur ipsum esse, et si Socrates est et non est sapiens, tunc est ens non sapiens.

Ad 3. Ad tertium communiter supponit Aristoteles in ista illatione hominem esse, sic patet ad rationes ostendentes consequentiam non tenere : si autem dicatur, quod consequentia tenet, dicendum quod *est* non est nisi tantum copula, et *non homo* tantum prædicatum, vel *homo*, et tantum alterum prædicatum dicitur de quolibet, et de nullo eorum ambo, et sic non prædicatur, *ens non homo*.

5. Ad 1. princ. quæst. 3. pro parte negativa. Ad primum argumentum, cum dicitur *duæ vero minime*, etc. dico quod Aristoteles dicit, ex negativis, non licet inferre affirmativas, quia non universaliter inferunt ; sicut e converso, nec quando prædicata affirmativarum, non dicuntur de quolibet, quod non contingit in prædicatis compositis. Et cum arguitur contra hoc quod *est* adjacebit justo et non justo, hoc dicit Aristoteles ad distinguendum prædicata secundum finitum, et infinitum ; quod autem prædicatum simplex sit, aut compositum, hoc accidit.

Et quod dicitur in libro Priorum, dico quod differunt quantum ad modum enunciandi in quibusdam, non tamen differunt realiter, sed quantum ad modum enunciandi differunt, scilicet *Socratem non currere est verum*, et tunc *Socratem currere non est verum*, quia secunda contradicit alicui, non tamen primæ, et tamen quantum ad veritatem non differunt.

Ad aliud dico, quod affirmativa de prædicato infinito tot modis potest verificari, quot modis negativa de prædicato finito, *esse* enim *non hominis* non plus ponit, quam *non esse hominis*, licet esse simpliciter plus ponit.

Si vero unum de pluribus, vel plura de uno affirmare, vel negare si non est unum de pluribus, non est affirmatio, vel negatio una, etc. Cap. 8.

QUÆSTIO VI

An hæc sit una, Socrates est homo albus

Textus [illegible] *de affirm.* [illegible] cap. [illegible] *lib.* 1. [illegible] *cap.* 3.

Quod non videtur, quia dicit Boetius. *Si ex his quæ subjicis, aut prædicas, non fiat unum, non est propositio una*, sed ex homine, et albo non constituitur unum. 1. Argumenta principalia negativa.

Item dicit, *si ex his, quæ subjicis, aut prædicas, non fiat unum, sicut ex substantia animata sensibili fit unum, non est propositio una* ; sed ex homine, et albo non fit unum ita.

Dicitur quod Boetius intelligit, si id sub quo accipitur terminus, non fit unum : ut species una, non erit propositio una, sed id sub quo accipitur terminus, ut album, sic est unum.

Et similiter dicendo, *Homo albus currit*, currere attribuitur albo homini per accidens ; ergo sub ratione albi accipitur homo respectu cursus.

Contra, eadem ratione hæc esset propositio una, *Homo albus ambulans currit* : quia quod processit, posset accipi sub ratione ambulantis, quod negant Aristoteles et Boetius.

Item dicit in littera, quod duorum quæ prædicantur de tertio per accidens, non est ex illis unum de quo ut de uno, possumus affirmare, vel negare ; album autem prædicatur de homine per accidens ; non ergo est propositio una. Item cuilibet affirmationi est una negatio, sed hujus, *Homo albus currit*, non est una negatio, quia si sit aliqua, illa, *Aliquis homo albus non currit*, quod non convenit, quia ambæ sunt falsæ, posito quod nullus homo sit [illegible]

bus, quia in utraque implicatur quod est medium inter hominem, et album, sicut inter exigens et exactum : utraque ergo implicat hominem esse album : ergo utraque falsa est, propter implicationem falsi.

2. Contra hoc, quando de aliquo subjecto, universaliter sumpto, affirmatur aliquid in propositione contradicente idem, sufficit negare totum, quod prius affirmabatur, ab eodem particulariter sumpto : sed hæc, *Omnis homo albus currit*, affirmatur de aliquo, scilicet de hoc subjecto *homo* universaliter ; ergo illud prædicatum negare ab eodem particulariter est contradicere.

Item, hæc est una, *Omne animal rationale currit*, cui contradicit hæc, *aliquod animal rationale non currit*, non obstante implicatione jacente inter *animal*, et *rationale* ; ergo non obstante implicatione inter *hominem*, et *album* illæ contradicunt, *Omnis homo albus currit*, et *aliquis homo albus non currit*.

Dicitur, quod propter accidens non eodem modo respiciens subjectum, et differentiam respicientem genus, non est eadem implicatio, propter quod licet una impediat contradictionem, alia non impedit.

Contra non habetur unde dicatur, quod implicatio cadat media, nisi quia hoc est exigens, hoc exactum ; cum ergo similiter *animal* exigat *rationale* ; vel e converso, sicut *homo, album*, vel e converso, mutata non est ratio de implicatione.

3. *Argumenta pro parte affirmativa.* Ad oppositum, in illa propositione est una veritas ; ergo est una, non enim est idem dicere, *Omnis homo albus currit*, et *omnis homo currit*. Si enim sic, esset propositio plures, *homo* in utraque esset subjectum absolute, et sequeretur, *omnis homo albus currit ; ergo omnis homo currit*, quia *album* est prædicatum in una, et *currere* in alia.

Item Aristoteles inquirens quæ prædicata divisim, ut duo, possint prædicari ut unum, dicit, quod sic est *homo*, et *albus*, et hoc ut unum.

Item dicit Aristoteles hanc esse unam, *Socrates est homo albus*.

QUÆSTIO VII

An hæc sit una, album est musicum

Vide citatos *quæst. antec.*

Quod non videtur ; quia *musicum* prædicatur de *albo* ratione tertii, ut *Socratis*, vel *Platonis* ; idem est ergo, ac si diceretur, *Socrates qui est albus, est musicus* ; sed Aristoteles vult quod hæc sit plures, *Socrates qui est albus, est musicus*, quia dicit in littera : *Quando duo accipiuntur, quorum unum prædicatur de altero per accidens, vel ambo de tertio per accidens, ex his non fit unum.* 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, tot compositiones implicitæ, sunt hæc, *Album est musicum*, sicut hæc, *Socrates est albus musicus* ; sed propter compositiones implicitas hic est propositio plures, *Socrates est albus musicus* ; ergo et hæc erit plures, *Album est musicum*, nam cum dicitur, *Album est musicum*, duæ sunt implicitæ compositiones, *Socrates est albus*, *qui est musicus*, et eædem compositiones sunt implicitæ : hæc, *Socrates est albus musicus*. Assumptum patet : nam cum dico, *album est musicum*, dico illud cui inest musicum esse, album est virtute sermonis.

Ad oppositum, propositio est una, in qua prædicatur unum de uno ; eadem autem unitas extremi sufficit ab subjectum, quæ ad prædicatum : sed hæc est una, *Socrates est musicus*, et hæc similiter, *Socrates est albus* ; ergo hoc album est musicum.

QUÆSTIO VIII

An hæc sit una, Homo albus est homo musicus

Vide citatos *quæst.* 6.

Quod sic videtur, quia hæc est una, *Homo albus currit*, ut ostensum est, unitas ergo hominis albi sufficit ad unitatem extremi, 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

et eadem ratione illud est unum *homo musicus*; ergo et hæc propositio, *Homo est albus homo musicus*, est una, cum utrumque extremum sit unum.

Item ex homine, et albo fit unum, sicut ex actu, et potentia.

Similiter ex homine, et musico eadem ratione; ergo utrumque extremum est unum.

Ad oppositum dicit Aristoteles hic in littera quod eorum quæ subjiciuntur, et prædicantur quæcumque secundo, vel plura dicuntur de tertio per accidens, et alterum de altero per accidens dicitur, ex his non fit unum, nec fit affirmatio, vel negatio una; sic est in proposito, quia *homo*, et *musicus* dicuntur de homine albo per accidens, et alterum de altero per accidens; ergo hic non erit una, sicut nec hæc, *Socrates est homo albus*.

QUÆSTIO IX

Utrum hæc sit una, Homo qui est albus, currit

1. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, quia hoc quod est *qui*, habet naturam arctati subintellectam, propter quod facit subsequens arctare præcedens, unde præcedens accipitur sub ratione subsequentis, ut ad album comparatur; ergo, etc.

Item, unitas subjecti distributionis, sufficit ad unitatem actus subjecti; sed hoc totum, *Homo qui est albus*, est subjectum distributionis, quia ex ista *Omnis homo qui est albus currit*, contingit sic syllogizare, *iste est homo qui est albus, ergo iste currit*; in syllogismo autem, medium est totum illud, quod in utraque propositione accipitur, et in majori ponitur totum ut unum distribuibile, super quod cadit signum.

Item, unitas hujus, quod est, *Homo qui est albus*, sufficit ad unitatem medii syllogistici, ergo et extremi in propositione, quia ex propositione *plures*, non fit syllogismus.

Item eadem unitas non impedit unitatem propositionis, hæc enim est una, *Iste homo albus currit velociter*.

Item, quando est propositio *plures*, necesse est plura esse extrema, quia ad minus quatuor, cum cujuslibet unius sunt duo extrema. Item, accipio aliud quam prædicatum, quia prædicatum, non sequitur subjectum; ergo in hac, *Homo qui est albus currit*, prædicatur *currere* de homine sicut de suo subjecto, et *album* de homine sicut de subjecto suo, non coarctatur homo per ly *album*, ergo sequeretur, *omnis homo qui est albus currit; ergo omnis homo currit*.

2. *Argumenta pro parte negativa.* Ad oppositum, relativum substantiæ refert idem cum suo antecedente, qui est relativum substantiæ; ergo sic dicendo, *Homo qui est albus currit*, denotatur homo replicari, ita quod *homo* semel acceptus videtur subjici actui currendi, et tunc attribuitur ei quod est album, ex *homine* autem iterato respectu diversorum prædicatorum, non potest fieri unum subjectum propositionis.

Item, hic sunt plures compositiones; ergo non est una propositio. Dicitur, quod una propositio est materialis respectu alterius, et ideo non impedit unitatem propositionis.

Contra hoc, licet homo referatur per ly *qui*, tamen ly *qui* semel dictum unit tamen formaliter album cum homine, sicut si diceretur, *Homo qui est albus*; ergo compositio qua unitur *album* cum homine relato, formalis est, et non materialis respectu alicujus.

Item compositio dicitur materialis, quia ipsa secundum se est ut materia respectu alterius; sed compositio quæ importatur per hoc verbum est, est ita simpliciter formalis, sicut compositio importata per hoc verbum, currit.

Item ad principale, propositio una habet unum consequens; sed hæc, *Homo qui est albus currit*, non habet unum 3

contradictionem, quia si sic, esset ista, *Homo qui est albus non currit.*

Dicitur, quod est ista, *Homo non qui est albus currit.*

Contra, per ipsos, propositio est una, cujus subjectum est, *Homo qui est albus*; sed particularis negativa de eodem subjecto, et de eodem prædicato contradicit universali affirmativæ, ideo prior si sit una, contradicit huic, *Homo qui est albus non currit.*

Item intellectus cujuscumque propositionis tacite resolvitur in duos intellectus simplices, sive veros, sive falsos ; sed hæc propositio sic resolvitur, nam sic dicendo, *Homo qui est albus*, sine additione alicujus alterius, sequitur verum, vel falsum ; quare denotatur quod homo est albus, sed quia *homo* refertur, et relatio est ad alium actum, ideo animus suspensus est, donec aliquid aliud addatur de homine, sicut si dicatur, *Homo qui currit*, et verum significatur per ipsam propositionem, sed adhuc dependet animus audientis quid debeat ulterius dici.

Item, negatio adveniens propositioni uni tantum negat compositionem a qua accipiebatur unitas, et veritas propositionis ; si ergo hæc sit una, *Omnis homo qui*, etc. in hac, *Non omnis homo qui*, etc. refertur negatio ad unam compositionem tantum, quod non est possibile, quia ad quamcumque compositionem refertur negatio, erit hæc falsa, *Omnis homo qui*, etc. quia posito quod multi homines sint albi, et aliqui currant, et aliqui non, hæc est falsa, *Omnis homo qui est albus currit*, et hæc similiter, *Non omnis homo*, etc. intelligendo tamen quod negatio refertur ad compositionem materialem ; similiter posito quod nullus homo sit albus, hæc est falsa, *Omnis homo qui est albus currit*; et hæc similiter, *Non omnis homo*, etc. intelligendo compositionem referri ad compositionem principalem, eo quod implicatur, aliquem hominem esse album. Ad nullam ergo compositionem unam potest negatio referri ; si autem esset una, bene posset negatio referri ad unam compositionem.

4. *Conclus aliorum ad quæs. 7.*

Ad primum quæsitum dicitur, quod hîc est plures, *Homo albus currit*, propter auctoritates Boetii adductas, quia duæ compositiones sunt, una implicita, alia explicita, quia *homo*, et *album* se habent sicut exigens, et exactum, inter quæ cadit *qui est* medium.

Contra, tunc hîc esset plures, *Animal rationale currit*, quia inter animal quod est exigens, et rationale quod est exactum, cadit *qui est* medium.

Conclusi Doctoris ad quæs. 7.

Potest dici, quod propositio est una, unde ex homine, et albo fit unum extremum, respectu compositionis, non tamen sunt simpliciter unum. Ad quod sciendum, quod in propositionibus, unitas est proportionalis unitati in rebus : in rebus autem quædam habent unitatem simpliciter, sicut quæ sunt entia simpliciter ; quædam dicuntur unum secundum *quid*, ut quæ ex talibus componuntur, sicut domus. Similiter est in propositionibus. Unde hæc est simpliciter una, *Homo est animal*, ubi simplex prædicatum enunciatur de simplici subjecto ; hæc autem, *Homo albus currit*, non est simpliciter una, sicut prior : quia propositio dicitur una ex unitate extremorum ; sed *currere* non ita affirmatur de uno secundum conceptum, cum dicitur, *Homo albus currit*, sicut cum dicitur, *homo est animal*, est tamen propositio una ; quia sibi competunt conditiones propositionis unæ, quæ sunt oppositio contradictoria et contraria, et dividi per affirmationem et negationem et syllogizationem, et secundum sensum istorum patet quod Aristoteles 1. hujus, non dividit aliquam in affirmationem, et negationem, nisi unam.

Ad primum argumentum dico, quod Boetius intelligit, quod non est propositio simpliciter una, nisi ex prædicato et subjecto fiat unum, quemadmodum species una, et unum ens.

5. *Argumenti pro parte negativa quæst. 3.*

Alio modo tamen potest propositio esse una, licet extremum non sit unum: nam unum fit ex actu, et potentia ; et *albus* quodammodo est actus hominis, licet non simpliciter : tamen dicitur ut actus accidentalis, propter

quod ex homine et albo fit quodammodo unum.

Ad aliud patet idem.

Ad tertium dico, quod hæc est sua contradictoria, *Aliquis homo albus non currit*; et cum dicitur, utraque est falsa, posito quod nullus homo sit albus, dico quod non ; quia hic, *Homo albus non currit*, non ponit hominem esse album. Cum dicitur quod *qui* est medium, dico quod adjectivum conformatur substantivo suo, et sibi unitur, ut actus potentiæ : potentia autem respectu sui actus, rationem habet actus : actualitas autem secundum quod actualitas, rationem habet cujuscumque : similiter cum dicimus ut est actualis in potentia. Similiter cum dicitur, *homo albus*, capiendo *hominem* secundum quod habet rationem potentiæ respectu *albi*, quæ eidem potentia nata est actuari per *album*, unde ut notetur actualitas potentiæ ad suam qualitatem, et ad suum actum, intercipio *ens*, vel *qui est*, quod quidem *ens*, vel *qui est*, non significat aliquid esse, vel non esse : sed designat rationem conformitatis adjectivi ad substantivum, tanquam modus intelligendi, vel prædicandi, propter quod dico, quod *ens*, vel *qui est* sub intellectum in hoc, *Homo albus currit*, non asserit album de homine esse, sed manet adhuc simplex intellectus sine vero, vel falso, et ibi manet ; et sic patet quod hic, *homo albus*, non ponit hominem esse album, sicut et hic, *animal rationale*, non ponit animal esse rationale.

6 Ad 4. Ad aliud, quod non est eadem ratio quare *ambulans* et *album* sunt duo, quorum utrumque accidit alteri, et neutrum est actus respectu alterius, nec potentia : propter quod *homo albus*, est unum subjectum respectu prædicati, unde ex *homine*, et *albo*, et *ambulante* non fit unum, licet ex *homine*, et utraque divisim fiat unum, sed hæc forte est una, *Substantia superficiata alba currit*, quia substantia superficiata est potentia respectu *albi* ; et ideo ex illis fit unum, sicut ex *homine* et *albo*, nam substantiæ adveniunt accidentia secundum ordinem, ita quod unum accidens est sicut dispositio.

Ad aliud, quod quando duo accidentia, quorum utrumque accidit tertio, subjiciuntur illi, vel prædicantur de illo, tunc non dicitur ex illis unum : sic non est in proposito, *homo et album* non accidunt tertio, ut supra, licet accidat album homini.

Ad secundum quæstionem dicendum, quod hæc, *Album est musicum*, est una : tum quia *album* subjicitur, quod per accidens est unum, sicut est hæc, *Homo albus est musicus*, unum enim subjicitur, et unum prædicatur : nisi enim unitas termini sufficeret ad unitatem extremi, propositio una converteretur in propositionem *plures*, quia hæc est una, *Socrates est albus*, quæ convertitur in hanc, *Album est Socrates*. Conclusio ad quæst. 2

7 Ad argumenta pro parte negat. q. 2. Ad primum argumentum dico, quod se tendit extremum propositionis non esse simpliciter unum, tamen est unum per accidens, quod sufficit ad unitatem affirmationis, et negationis, et ut sufficit ad rationem syllogisticam.

Ad secundum cum dicitur, *Album est musicum*, compositio implicata in subjecto est compositio actus, et potentiæ, propter quod ex sumptis in subjecto fit unum : similiter ex sumptis in prædicato fit unum, sed cum dicitur : *Homo est albus musicus*, album, et musicum sunt duo, quorum neutrum est in potentia respectu alterius, sed utrumque est actus, ideo per modum unius non possunt prædicari de eodem, sed cum utrumque sumatur ut prædicatum, necesse est utrumque prædicari, ideo est propositio *plures*, et communiter illa, in qua duo talia accidentia subjiciuntur, vel prædicantur. Ad 2

8 Conclusio ad quæst. 3. Ad tertium dico, quod hæc est una, *Homo albus est homo musicus*, propter rationem dictam, quia *album* se habet ad hominem, sicut actus ad potentiam, et musicum similiter, ideo ex homine et albo fit aliquod unum extremum, et ex homine, et musico fit aliud extremum, ideo prædicatur unum de alio, *ens* autem intelligitur inter adjectivum, et substantivum non designat compositionem esse, vel non esse, sicut compositio affirmativa, vel negativa : sed designat conformitatem quamdam inter adjectivum, et

substantivum, secundum quod hæc habet rationem disponibilis, et illud rationem disponentis : unde magis est modus intelligendi, quam verbalis copula significans aliquid esse.

Ad argumentum in oppositum quæst. 9. Ad illud in contrarium dico, quod quamvis plura prædicantur, quorum utrumque accidit tertio, et alterum alteri accidat, non est propositio *plures*; sed si duo prædicantur, quorum unum accidit alteri, per quoddam tertium, cui insunt, et cujus sunt actus, tunc est propositio *plures*, quia si duo accidentia sibi invicem prædicantur, quia sunt actus ejusdem tertii, ex his non fiet unum, sicut ex actu et potentia, ex aliis autem fieri potest Per hoc patet, quod ratio procedit ab insufficienti, quia amittit aliquam particulam positam.

9 *Conclusio ad quæst. præsentem* Ad quartum quæsitum dicitur, quod hæc est una, *Homo qui est albus currit*, quia est syllogizabilis, et contradictoriam habet, et consimilia, licet secundum idem non potest contradictio salvari competenter in talibus; quia particularis negativa de eodem prædicato deberet contradicere universali affirmativæ. Unde si hæc sit una, *Omnis homo qui est albus currit*, sequitur hanc suam contradictoriam, *Aliquis homo qui est albus non currit*, esse unam, unde erit, *Homo qui est albus*, subjectum idem particulariter sumptum, quod sumebatur universaliter in universali.

10. Ideo dici potest, quod hæc, *Homo qui est albus currit*, est *plures* simpliciter, quia duo actus per duas compositiones formales attribuuntur homini, nam album attribuitur homini per hoc verbum *est* importans formalem compositionem, ita enim formaliter attribuitur album homini, licet per *qui* referatur : sicut si diceretur, *Homo est albus*, quia formalis attributio speciem accipit a propositione verbali; sed hoc, *qui est*, homini relatum, denotat *album* attribui, cui et *currere* attribuitur : nec attribuitur *currere* homini, qui est albus, ita ut hoc totum accipiatur ut unum subjectum : numquam enim respectu tertii accipitur ut unum subjectum, quod de alio significat esse, vel non esse formaliter : hoc autem quod est, *qui est albus*, licet ratione relationis importatæ per ly, *qui*, suspenditur animus audientis, ut *homo* interim ad *album* referatur, tamen aliquid de aliquo significatur esse, alioquin nullo homine existente albo, non esset hæc falsa, *Aliquis homo, qui est albus, non currit*; sicut si dicam, quod tu curris, verum, vel falsum significatur, si tamen intelligatur quod *qui est* intelligatur ut modus quidam intelligendi inter adjectivum, et substantivum, tunc est propositio una, sicut hîc, *Homo albus currit*, et est ejus contradictoria, *Homo qui est albus non currit*.

Ad primum cum dicitur, quod *qui* habet naturam arctati subintellecti, dicendo 11. *Ad 1. principale.* quod hîc *Homo qui est albus currit*, coarctatur *homo* per sequens, quia denotatur quod idem homo subjiciatur cursui, et albedini, ideo sic coarctatur *homo*, quod non stat universaliter pro quolibet ejus : tamen ex hoc non sequitur, quod totum sit unum subjectum, *Homo qui est albus currit*, quia tria denotantur inesse eidem homini, et hîc tria concomitantur se in homine, ideo coarctatur *homo* non ita, ut fiat subjectum respectu prædicati ex ipsis.

Ad secundum dico, quod absolute, et *Ad* 2. primo non attribuitur totum prædicatum huic, *Homo qui est albus*, sed homini per se, tamen in habitudine ad hoc, *qui est albus*, quia *homo* quodammodo accipitur coarctatus, ut ei inest album, et cursus.

Ad tertium dico, quod hoc quod est, *qui* *Ad* 3. *est albus*, per se non est pars medii syllogistici, nec debent tres determinationes addi ad subjecta, sicut nec aliæ determinationes, sicut si syllogizatur, *Omnis homo, et duo homines sunt tres, iste est homo; ergo iste et duo homines sunt tres*; sic debet syllogizari in proposito, *Omnis homo, qui est albus currit, iste est homo; ergo iste, qui est albus, currit.*

Vel potest dici, quod hîc, *Omnis homo qui est albus currit*, simpliciter non est syllogizabilis, quia simpliciter est plures; et cum dicitur quod homo qui est albus, est

unum distribuibile, negandum est. Quarta ratio ostendit hanc esse unam, *homo albus currit*, sed de homine qui est albus currit, non est simile, quia quod additur non est unum extremum, quia significat verum, vel falsum in propositione una.

Ad quintum dico, quod sunt quatuor extrema, homo, et currere, homo albus et album albi denotatum homo, ideo est propositio plures.

QUÆSTIONUM DOCTORIS SUBTILIS, FR. JOANNIS DUNS SCOTI, SUPER 2. LIB. PERIHERMENIAS ARISTOTELIS FINIS

F. JOANNIS

DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

IN DUOS LIBROS PERIHERMENIAS, OPERIS SECUNDI,

QUOD APPELLANT, QUÆSTIONES OCTO

R. P. F. LUCÆ WADDINGI HIBERNI CENSURA

Hæ quæstiones octo, nusquam hactenus impressæ, repertæ sunt in tribus codicibus vetustis MSS. Primus habetur in Bibliotheca Vaticana, pluteo 20. num. 670. Secundus in Bibliotheca Monasterii S. Mariæ de Populo, in Urbe celeberrimi. Tertius in Anicana Collegii Ordinis S. Benedicti. Primus et secundus ita præfigunt. Quæstiones Joannis Scoti super librum primum de Perihermeniis, secundum aliam reportationem. *Tertius codex ita habet, ad finem Commentariorum primi libri, quos præ manibus versamus habemus.* Expliciunt quæstiones primi Operis primi libri Perihermenias Aristotelis. *Deinde subjungit tractatum, et in fine ita subscribit,* Explicit liber primus Perihermenias Aristotelis, et secundi Operis Doctoris Subtilis. *Sane stylus, et methodus reliquis hujus Operis quæstionibus cohærent. Videtur Doctor expleto primo opere, maturius, et dum per otium licuit, obiter occasione opus ponderosius expendendi has quæstiones adjunxisse.*

PROOEMIUM AUCTORIS

1. Sicut dicit Philosophus 3. de Anima, text. com. 21. duplex est operatio intellectus; una quæ dicitur indivisibilium intelligentia, secundum quam dicitur intellectus formare conceptus simplices: alia est operatio intellectus, secundum quam componit, et dividit; et dicitur compositio, vel divisio. Istis duabus operationibus additur tertia, quæ est discurrere ab uno in aliud; ut a notis ad ignota. De illis, quæ cadunt sub prima operatione intellectus est liber Prædicamentorum; quia determinare de illa, est proprium determinantis de anima; quia cujus est determinare de substantia, ejus est determinare de sua operatione: est enim universaliter liber Prædicamentorum de simplicibus conceptibus, vel de conceptibus, quos format, vel quæ sunt intelligibilia, secundum quod sunt dicibilia, et ordinabilia in Genere per se. De illis est, quæ cadunt sub operatione intellectus. De secunda est liber Perihermenias, et non de operatione intellectus, intellectus enim componens, vel dividens, format enuntiationem, de qua in hoc libro intenditur, et non est enuntiatio ipse actus intellectus, sed magis agitur ab intellectu. De istis autem, quæ cadunt sub tertia operatione intellectus, sunt libri Logicæ novæ, in qua docetur quomodo est procedendum a noto ad cognitionem ignoti habendam. Triplex operatio intellectus. Liber Prædicamentorum est de prima operatione. Liber Perihermenias est de secunda operatione; Logica nova est de tertia operatione.

2. Liber iste, qui dicitur Perihermenias, dicitur proprie de interpretatione: nam interpretatio, secundum Boetium in Procem. super principium hujus, est vox significativa per se

aliquid significans esse, vel non esse, si tamen in definitione interpretationis ponatur vox articulata aliquid per se significans;sic est interpretatio quid commune voci complexæ,et incomplexæ;sed quia interpretans vult aliquid exponere,et nihil exponi potest per simplicem dictionem; igitur nomina et verba sunt magis partes interpretationis, quam interpretationes. Et dictiones syncategorematicæ,non habent rationem interpretationis,quia non sunt dictiones per se significantes. Est enim liber iste qui dicitur *Perihermenias*, *de interpretatione*, ut exponat aliquid esse, vel non esse, hoc est, de simplici enuntiatione, non enim exponunt aliæ orationes, esse, vel non esse. Quia ergo illa, quæ cadunt sub prima operatione intellectus, sunt partes illorum, quæ fiunt a secunda operatione intellectus, ideo ad hunc librum ordinatur per se liber Prædicamentorum: illa enim, quæ cadunt sub secunda operatione intellectus, sunt partes illorum, quæ cadunt sub tertia; ideo liber iste ordinatur ad alios libros novæ Logicæ, sed principaliter ad libros Priorum, et mediate ad alios, quia Syllogismus est ex propositionibus. Ex dictis patet, quod est subjectum, et quem ordinem tenet inter libros logicales; et propter quam necessitatem; ut propter necessitatem habendi artem de Syllogismo.

Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ, et ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce. lib. 1. cap. 1.

QUÆSTIO I

An nomen significet rem, an passionem

Arist. *hic, cap.* 1. *et lib. de sensu et sensib. cap.* 1 *et* 4. *Metaph. cap.* 7. D. Thom. 1. *p. q.* 13. *art.* 1. *et q.* 8. *de potentia, art.* 1. *in corpore,et hic lect.* 2. Averroes *in Proœmio hujus.* Boetius *ibid. in edit.* 2. Albert. Magn. *tract.* 2. *c.* 1. Alb. Parvus *q. unic. Proœm.* Occam *in Proœmio hujus.* Anton. Andr. *c.* 1. *hujus.* Joan. a Magist. *q.* 1. *dub.* 1. Gabr. *in* 1. *dist.* 22. *q. unic. art.*3. Fland. 4. *Met. q.* 7. *art.* 1. Bruxellis *q.* 1. *hujus, artic.*1. Conimbr. *hic cap.* 1. *q.* 3. *artic.* 1. 2. 3. *et* 4. Ruvius *ibid. q. unic.* Doctor *q.* 2. *primi operis, et in* 1. *dist.* 27. *q.* 3.

1. *Argumenta principalia.* Videtur quod passionem: quia Aristoteles cap. 1. dicit, quod *voces sunt notæ earum passionum, quæ sunt in anima*, etc.

Item dicit, quod sint similitudines rerum, quarum voces notæ sunt eædem omnibus, sicut et res.

Item Boetius in cap. 1. dicit, quod orationes in voce, sunt notæ orationum, quæ sunt in mente; et sunt verba ejus, quod *oratio in voce est signum orationis, quæ tacita oratione conficitur.*

Item Boetius ibidem dicit post multa narrata, quod Aristoteles non putat nomina, et verba significare ipsas res, sed ipsas passiones. Patet igitur per Aristotelem, et Boetium quod voces sunt signa passionum, et non rerum immediate.

Item dicit Priscianus lib. 2. Grammat. quod pars orationis significat mentis conceptum; sed res non est mentis conceptus: igitur, etc.

Ad oppositum est Aristoteles 4. Metaphysicæ text. 10. dicens, quod nomen significat rem, quam exprimit definitio; sed illa ratio est rerum; ergo, etc. 2. *Argumenta ad oppositum.*

Item, illud significatur per nomen, de quo intendit enuntians aliquid significare; sed cum dicit quis, *homo currit*, intendit primo enuntiare currere, non de intentione, sed de re.

Item, significare sequitur intelligere; quod ergo primo intelligitur primo significatur: sed primo intelligimus rem, non passionem, igitur nomen rem primo significat.

Dicitur propter has rationes, quod nomen significat passionem rei, et rem: sed rem significat posterius, passionem per prius. Illud non valet, nam intellectus componit nomina ad invicem pro primis significatis; si igitur nomina primo significant passiones in anima, sequitur quod significatio cujuslibet realis orationis est falsa; nam sic dicendo, *Homo est animal*, idem est dicere, quod *Hæc passio est illa.* 3. *Opinio Alberti et aliorum. Improbatur.*

Item, sicut istæ passiones extensæ in

aere sunt immediate organa visus, sic species in intellectu : sed illæ non sentiuntur, quia tunc essent primum objectum visus, quod est falsum ; sed sunt medium *quo*.

Item, quæ posterius significantur, non significantur nisi habeant attributionem ad primum significatum : si igitur *homo* non significaret rem, nisi inquantum habet attributionem ad species, non esset hæc vera, *Lapis non est in anima* ; quia quod primo significatur per hoc nomen *lapis*, habet esse in anima.

Item, si nomen significaret primo passionem, hæc esset vera, *Socrates est*, licet non sit extra animam : quia non requiritur esse rei extra animam, quantum ad illud quod primo significatur per nomen.

4. *Opinio Doctoris.* Dicendum sicut dicit Aristoteles hic cap. 1. quod nomen primo significat passiones animæ, id est, conceptiones intellectus. Ad cujus evidentiam sciendum, quod tria se habent secundum ordinem, primum est species intelligibilis, secundum quam est in actu, sicut actus primus in sua propria natura : nam sicut Commentator ait 3. de Anima, text. cap. 3. *Sic se habet intellectus ad species intelligibiles, sicut materia prima ad formas individuales, quas recipit.* Secundum est, quod ratio rei, est quod quid erat esse rei quod objicitur virtuti intellectivæ, inquantum est actus, qui est species intelligibilis, secundum quem actum fertur virtus cognoscens in ipsum *quod quid est esse rei.* Tertium est res particulariter existens, sub conditionibus individuantibus.

5. *Resolutio quæstionis.* Primum non significatur primo per vocem ; quia *quod quid est*, prius intelligitur, quam species rei intelligitur, et quod primo intelligitur primo significatur. Assumptum patet, quia intellectus species intelligibiles non intelligit, nisi per reflexionem, sicut suum actum.

Tertium vero, scilicet, res existentes individualiter per suam rationem propriam, non possunt primo significari, quia intellectus est in actu primo per suum objectum proprium, quod est *quod quid est* rei ; intellectus non intelligit primo singulare, sed *quod quid est*, sine conditionibus materialibus, cum non existit, potest tamen considerare ipsum esse et sicut intelligitur, imponitur ei nomen. Unde nomen significat passionem intellectus, id est, rem ut concipitur : Plato tamen ille de rebus communibus ratione, posuit nomen significare rem, ut existit ; quia dicit rem eo modo existere, qui intelligitur : Aristoteles autem aliter ponit.

6. *Ad argumenta principalia.* Ad omnes auctoritates dico, quod Aristoteles et Boetius intellexerunt per passionem non similitudinem, quæ est in anima, sed rem prout concipitur ab anima, et est illud in cujus notitiam perducitur intellectus per species.

Ad aliud dico, quod primo enuntiatur de re sensibili, ut illa res significatur, hoc est, accipiendo nomen absolute ; verificatur tamen primo per singularia.

Ad argumenta pro parte opposita. Ad quoddam argumentorum contra rationem quamdam analogiæ, dico quod similitudinem convenit attendere dupliciter, vel secundum esse quod habet in anima ; vel secundum quod est ductivum in cognitionem rei : si primo modo consideretur, sic nomen significat similitudinem rei, et rem non solum ipsam univoce significat, sed æquivoce. Si autem consideretur prout ducit in cognitionem rei, tunc non primo significatur, sicut non intelligitur primo ; sed est quo primo intelligibile intelligitur.

Ad aliud cum dicitur, tunc omnis oratio esset falsa, dico quod si affirmaretur primo species de specie apud intellectum, propositio illa affirmativa falsa esset, ut *homo est species*, sed affirmatur quod primo intelligitur per unum terminum de illo, quod primo intelligitur per alium, quæ tamen intelliguntur mediantibus illis speciebus.

Ad aliud eodem modo dico, quod non affirmatur esse de specie, sed de illo, quod intelligitur mediante specie.

7. Si quis velit sustinere quod nomina significant similitudinem rerum, potest ha-

vendi quæstionem et est probabilior apud Doctorem.

tunt in intellectu, dicendum quod nomen mediante specie in anima, quam primo significat, significat posterius rem.

Ad primum argumentum dico, quod quia similitudo rei est naturalis ipsi, ideo significat rem, ex consequenti nomen significat speciem ; hoc enim videtur auctoritas mere sonare : prima est, voces sunt notæ passionum ; similitudinum in anima, et id significat vox quod proferens voce prolata constituit in audiente : sed in cap. de Verbo, dicitur, quod qui profert verbum, constituit in audiente intellectum, unde audiens quiescit. Et ante cap. de Nomine; *Nomina sunt similia intellectui ; quia quandoque est vox sine veritate et falsitate, quandoque cum altero horum, quia scilicet sic est apud intel-*
8. *Quomodo passio sit similitudo rei.*
lectum, et quorum litteræ primorum primo notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt.

Sed sciendum, quod cum *passio* sit similitudo rei, potest dupliciter considerari, vel inquantum est signum rei in mente ; vel inquantum consistit in mente, sicut accidens quoddam in subjecto : sicut hæc statua potest dupliciter considerari, vel inquantum est hoc, quod ei accidit figura ; vel inquantum est similitudo Herculis. Si confideratur primo modo, sic species significatur per nomen. Si secundo modo, non nisi æquivoce : si consideretur primo modo, sic nomen significans speciem est signum rei, sicut litteræ scriptæ sunt signum in intellectu. Sicut enim littera significat vocem primo modo, quia vox est signum spe-
9. ciei, nam littera significat speciem ; sic vox primo modo est signum speciei, et mediate est signum rei.

Sed pro rationibus intelligendum est, quod sicut ordinans dictionem ad invicem scriptas, sicut illas, *Homo est animal,* non dicit hanc vocem *homo* esse vocem animalis; sic nec ordinans hanc vocem, *homo* cum hac dictione *animal,* dicit speciem significativam per unam, esse speciem significativam per aliam. Cujus ratio est, quia non ordinantur hæc ad invicem, ordinando, et affirmando unum de alio, inquantum res sunt ; sed ut signa sunt aliorum : sicut litteræ significant voces inquantum sunt signa specierum; et similiter voces significant species, inquantum sunt signa rerum : et ideo absoluta confirmatio, vel negatio, non est antequam denominatur ad rem, quia ante illud, quodlibet de quolibet enuntiatur ut solum signum de signo. Signum autem inquantum signum, nec verum, nec falsum dicitur, nisi in comparatione ad significatum.

Litteræ significant voces, et voces species, inquantum voces, et species sunt signa rerum.

Ad primum argumentum dico, quod ora- 10.
Ad argumenta primæ opinionis.
tio nec vera, nec falsa dicitur, quantum ad primum significatum ; quia sic dicendo, *Homo est animal,* quantum ad primum significatum, non significat primo hominem in re esse animal : sed est primum signum hujus, quod est hominem esse animal in re, ut ipsius intellectus. Illud autem quod primo significatur, est alterius signum, ideo vox non primo significat speciem hominis esse speciem animalis : sicut patet de scripto, quod non est signum hujus, quod est hanc vocem esse hanc vocem, sed tantum signum hujusmodi significat. Unde sicut hæc scriptura non falsa dicitur, licet hæc vox non sit ista ; sic nec ista, *Homo est animal,* est falsa ; licet hæc species non sit ista.

Ad aliud cum arguitur de analogia, dico, 11.
Nomen analogum significat utrumque analogorum, et quomodo.
quod nomen analogum significat utrumque analogorum ; et in ratione significandi non est prius, et posterius, quia utrumque significat ex impositione; sed prioritas et posterioritas insunt rationibus significatis ; hæc autem prioritas et posterioritas est in actu significandi, non enim significat nomen rem extra animam, nisi quia passio, quæ significatur per vocem, est signum rei extra animam : unde tantum unum significatur per se, aliud significatur, inquantum est signum illius, quod primo significatur. Sic autem non est inconveniens, vocem significare duo, sicut nec scriptura ; sed propter hoc non erit æquivocatio, nisi possit accipi pro utroque tanquam per se significato.

Ad ultimum dico, ad veritatem orationis 12.

Ad veritatem orationis requiritur esse rei extra animam. requiritur esse rei extra animam, quia res ipsa est mensura intellectus. Intellectus enim non dicitur verus, nisi propter sic esse in re; si significaret oratio hoc quod est in intellectu, ut passionem unam esse aliam, procederet ratio: sic autem non significat, quia est esse rei, sed significat immediate signum hujusmodi, quod est, hoc esse hoc; ideo ad veritatem, vel falsitatem sermonis, oportet sic esse, vel non esse in re.

13. Ad quoddam argumentum, *Lapis non est anima*; dico quod hæc est vera, licet hæc vox *lapis* sit signum similitudinis lapidis in anima; quia cum dico, *Lapis non est in anima*, non significo aliquid esse primo, sed primo significo intellectum, qui est signum naturale hujus, *Lapis non est in anima*. Ideo licet hæc oratio, *Lapis non est in anima*, sit extra animam, et vox significet primo intellectum signum hujus esse, non propter hoc hæc est falsa; quia non nego esse ab aliquo, quod est in anima; de specie enim non affirmo esse, nec non esse.

Impositio vocis est ad placitum. Ad aliud, *nomen significat quod primo intelligitur*, dico quod voces fiunt notæ per impositionem; impositio vocis cum sit ad placitum, potest esse ipsi similitudini existenti in anima, secundum quod similitudo est signum rei, sicut potest imponi rei, ut intelligitur: et sic ratio concludit, quod nomen potest significare rem, ut intelligitur.

14. Neutra via est multum necessaria; sed secunda videtur magis consona dictis Aristotelis, et Boetii: sed dicere quod res absolute significatur, est omnino inconveniens.

Deest in cod. Vaticano. [Item, circa compositionem, et divisionem nota, quod non semper requiritur compositio realis extremorum; sed tantum rationis; quia intellectus potest uti uno et eodem, ut duobus, et sic idem sibi componere.

Contra, tunc compositioni veræ in intellectu non corresponderet compositio in re, et compositio est diversorum: ratio autem prædicati et subjecti non faciunt hic unionem factam per est. Vel potest dici, quod compositio non significatur, sed est id, quod tenetur a parte signi; unde hoc non componitur cum illo, sed prædicatum componitur cum subjecto, quia compositio est intentionale; et sic prædicatum, et subjectum sunt duo; non tamen oportet ita esse in fundamento istarum intentionum.]

Quoniam similiter in quolibet est et quod est, et quod non est, etc. Ratio autem ejus est, alia tamen sunt secundum seipsa: quoniam cum est, vel fuit, vel erit, neque verum, neque falsum est, nomen vero semper, ut, Catonis est, vel non est: nondum enim aliquid neque verum dicit, neque falsum. lib. 1 cap. 2.

QUÆSTIO II

Utrum nomen univoce significet rem, re existente, et non existente.

Occam in prooemio primi libri *Periherm. Fonsec. lib. 8. Instit. cap. 28.* Doctor *quæst. 1. et 2. primi operis.*

Quod non videtur; quia res secundum propriam rationem ejus, significatur per nomen, licet non significetur primo; quia passio intellectus est signum rei sub propria ratione; variata igitur re secundum propriam rationem, variatur et significatio nominis. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Item, Averroes in lib. de Substantia orbis c. 3. dicit quod in transmutatione substantiali, res amittit nomen, et definitionem; igitur non nominabit idem nomen rem, quando res est, et quando non est, quia post corruptionem non nominabitur eodem nomine, quo prius. Similiter dicit Aristoteles 1. de partib. animal. c. 1. quod animal mortuum non habet pedes, nec manus, nisi æquivoce; sicut manus abscissa, non est manus nisi æquivoce.

Item illi quod est, et illi quod non est, nihil est commune univocum; ideo ratio

nominis non est eadem in entibus, et non entibus.

2. *Argumenta ad oppositum.* Ad oppositum, ratio rei apud animam est eadem, re existente, et non existente; per hoc autem est significatum vocis idem, quod ratio rei est eadem apud animam, manifestum est in accidentibus, quæ multoties generantur, et corrumpuntur. Si enim dicitur, *Animal currit,* licet non sit aliquis cursus : idem est tamen intellectus per nomen, quod cursu existente esset, aliter non contingeret de non existentibus fieri demonstrationem ; quia sic dicendo, *Socrates est*; si per *Socratem* non intelligitur eadem res, quæ intelligitur ipso existente, tunc continuo mutarentur propositiones ad mutationem rei, quod falsum est. Si autem significat mortuum hominem ; tunc hæc erit vera, quia significat illum hominem esse mortuum. Si autem oratio nihil significaret, nisi quod est, non esset aliqua propositio falsa, ubi enuntiaretur hoc verbum *est;* nam subjectum semper significaret aliquid sub ratione, qua competit sibi esse. Et similiter non esset hæc vera, *Socrates fuit ;* quia significaret, quod illud quod jam existit, fuit, et non est ; quod est impossibile.

Etiam Aristoteles dicit, quod eadem propositio est vera, et falsa ; sed non est eadem, nisi extrema maneant per se eadem; sed extrema non manent per se eadem, nisi per significata maneant eadem.

3. *Solutio quæstionis.* Dicendum, quod nomen significat univoce rem, re manente, vel existente, et non existente. Ad quod sciendum, quod hoc nomen *Socrates* significat *Socratem* secundum quod est in actu ; non tamen significat Socratem existere; sed *Socrates* est ens in actu sua forma ; nam nomen, ut dictum est, primo significat similitudinem rei in anima : illa autem est ejus forma, quod est in actu : ideo nomen significat *Socratem* secundum quod est in actu.

Aliud intelligendum est,quod sive res sit, sive non, similitudines univoce sunt signa illarum. Ex istis sequitur, quod nomen essentialiter significat rem, sive res sit, sive non sit, quia rem repræsentat secundum quod similitudo ejus in anima est, et est signum.

Ad primum argumentum dico,quod res est per se significatum per vocem, ut mediate in immutabili similitudine, ad vocem habet relationem ; cum enim res sub propria ratione significata per vocem, inquantum similitudo rei in anima immutabiliter est signum rei, re existente, et non existente. 4 *Ad 1. argumentum pro parte negativa.*

Ad aliud dico, quod in transmutatione substantiali, substantia rei, quæ corrumpitur, non manet; sicut quando Socrates moritur, substantia Socratis non manet, sed derelinquitur cadaver, quod non habet definitionem illam, quam prius habuit subjectum, nec nomen, nisi æquivoce : sed cum hæc vox *Socrates* idem significat ipso non existente, quod prius significavit ipso existente ; et sub hoc intellectu procedunt omnes auctoritates. *Ad* 2.

Ad aliud, quod ad conceptum hujus, quod est *esse Socratis,* et ad conceptum hujus, quod est *non esse Socratem,* non est aliquis conceptus per se communis univoce ; sed Socrates qui non est, non tamen ut non est esse Joannis, quod nunc est, potest esse conceptus communis ; hoc autem sufficit ad hoc, quod nomen sit commune enti, et non enti. *Ad* 3.

Propter dicta, sciendum, quod nomen significat rem, secundum quod hujus signum est similitudo in animo existens; illa autem similitudo est similitudo ejus quod est, et ejus quod non est : nam ab eo quod est, et ab eo quod non est, participatur æqualiter secundum se, non tamen ab eo, quod non est, ut non est. Unde hoc nomen *homo* a Cæsare non participatur secundum esse, quod nunc habet Cæsar, nec ab Antichristo sub esse possibili participatur hoc nomen *homo;* quia Antichristus intellectus sub esse, quod nunc habet, non est intellectus particularis participans per se intellectum ejus, quod est *homo*; sed est totaliter alius intellectus, ut est particulariter intellectus per se hujus, quod est homo in potentia. Si intelligitur Antichristus sub 5.

ratione, sub qua in intellectu suo includit actum hominis participatum, tunc suppositum univocum cum isto homine participante nunc actualiter formam hominis, ut participat utrumque commune penitus sub ratione divisa. Cujus ratio est, quia nomen per se est signum rei ; quod autem sit signum rei, quæ est, quæ fuit, vel quæ erit, hoc est præter significationem nominis.

6. Item logice loquendo, scilicet de formali ratione communis, et de supposito participante intellectum communis, extra intellectum istius communis, et suppositi ; in participatione nullam prioritatem, vel posterioritatem, vel æquivocationem causant in participatione communis, a supposito per se. Nec tamen ex hoc sequitur, hanc esse veram, vel falsam, *Cæsar est homo* ; sed dico quod univocum suppositum hominis est Antichristus, Cæsar, et Joannes, et intellectus horum nominum.

7. *Deest totum hoc in cod. Vaticano.* [Potest igitur breviter dici ad quæstionem quod illud quod proprie significatur per vocem, est res, non ut existens est, vel non existens ; sed res, ut absolute abstrahit ab istis, et est extraneum ad quodlibet illorum. Et tamem est advertendum propter rationes factas, esse auctoritates, quæ ejusdem significati, scilicet rei, sunt signa ordinata scilicet, *littera*, *vox*, et *conceptus*, seu *passio animæ* ; sicut sunt multi effectus ordinati ejusdem causæ, quorum nulla est causa alterius : sicut de sole illuminante multas partes medii, quarum quælibet illuminatur a sole immediate, sed ordine quodam, quia remotum mediante propinquiori, et ubi est ordo causatorum, absque hoc quod unum sit alterius, ibi est immediatio cujuslibet, respectu ejusdem, excludendo aliud in ratione causæ, ubi effectus immediatorum, et tunc posset dici effectum aliquo modo propinquiorem esse causam remotioris effectus, non proprie, sed propter propinquitatem illam quæ talis effectus ad causam. Ita in proposito potest concedi de multis ordinatis ejusdem significati, quod unum aliquo modo est signum alterius, quia dat intelligere primum propinquum, quod littera est signum vocis, et vox signum passionis, quia remotius non significaretur, nisi prius aliquo modo immediatum significaretur in mediante, et tamen propter hoc unum non est signum alterius ; sicut ex alia parte dictum est de causa, et causatis ; inter quæ causatum est ordo effectus posterioris ad effectum priorem, non autem causæ ad effectum, vel effectus ad causam.]

Ipsa igitur secundum se dicta verba nomina sunt, et significant aliquid : constituit enim qui dicit intellectum, et qui audit, quiescit ; sed si est, vel non est, nondum significat, neque enim signum est rei, esse, vel non esse : nec si hoc ipsum est purum dixeris : ipsum enim nihil est ; consignificat autem compositionem quamdam, quam sine compositis non est intelligere. lib. 1. cap. 3.

QUÆSTIO III

An veritas, vel falsitas sit circa compositionem, et divisionem tantum, sicut tales, quales descripsi nunc.

Arist. 6. *Metaph.* cap. ult. [illegible] et 3. *de Anima*, [illegible] Averroes ibidem. D. Thom. [illegible] Albertus Mag. in 1. de Interpr. [illegible]

Quod non videtur : divisio terminatur ad simplicia, quia est separatio componentorum, sed per simplicia non unita in compositione designatur veritas, vel falsitas. Item, verum aurum, et aurichalcum, falsum esse dicimus. Item ens et verum convertuntur ; nam unumquodque sicut se habet ad esse, sic ad cognosci, id est, sicut se habet ad veritatem. Item, sensus dicitur verus proprii objecti. Item, 3. de Anima, text. 26 dicitur quod intellectus intelligens quod quid est rei, est verus intellectus, et nunquam decipitur : igitur non tantum circa compositionem, et divisionem est veritas, et falsitas. 1. *Argumenta pro parte negativa.*

Ad oppositum est Aristoteles 6. Metaphysicæ text. 8. dicens quod verum et falsum non sunt in rebus, sicut bonum et malum, sed in intellectu, non omni, sed componente, vel dividente.

2. *Solutio quæstionis. Unde res dicitur vera.* Dicendum, quod verum, et falsum, sunt circa compositionem, et divisionem intellectus tantum, sicut in cognoscente. Ad quod notandum, quod verum dicitur unumquodque, ex hoc quod est adæquatum suæ mensuræ; mensura autem cujuslibet rei est intellectus; ideo quælibet res aliquo modo dicitur vera per comparationem ad intellectum.

3. *Duplex intellectus.* Sed sciendum quod *duplex est intellectus*, quidam est mensuratus a rebus, quidam est mensura rerum. Intellectus noster per comparationem ad res naturales, est mensuratus, et dicitur verus, ex hoc quod est conformis rei, quæ est sua mensura: artificialia autem comparantur ad intellectum nostrum, sicut mensurata ad suam mensuram. Igitur artificialia dicuntur vera ex hoc, quod attingunt per suam formam, perfectionem formæ artificis. Domus enim dicitur vera ex hoc, quod secundum formam ejus in materia, assimilatur formæ domus in mente artificis: et dicuntur res naturales veræ per comparationem ad intellectum divinum. Nam quælibet res naturalis secundum suam formam imitatur quodammodo speciem ejus in mente divina: unde vera dicitur secundum quod ad rationem illius speciei attingit. Et secundum hunc modum dicitur unumquodque ens verum, ut aurichalcum, licet dicatur falsum aurum, est tamen verum aurichalcum. Similiter sensus dicitur verus ex hoc, quod est conformis suæ mensuræ, quæ est suum proprium sensibile. Intellectus noster similiter dicitur verus, quia est conformis suæ mensuræ. Unde patet quod unumquodque dicitur verum in conformitate suæ mensuræ: mensura autem cujuslibet est ratio formata ab intellectu aliquo, ideo quælibet res dicitur vera ex comparatione ad aliquem intellectum; sed primo ex comparatione ejus ad suam mensuram. Licet autem sensus dicatur verus, et intellectus similiter, propter conformitatem ad suam mensuram, tamen sensus secundum se non cognoscit conformitatem sui ad id, quod cognoscit; nec cognoscit se conformem suo cognoscibili. Similiter est de intellectu simplici: sed intellectus componens cognoscit illam conformitatem sui ad rem. Unde intellectum componere, vel dividere, non est nisi intellectum judicare ita esse in re, vel ita non esse, sicut res conformatur intellectui. Non enim intellectus componit per hoc, quod dicit unam speciem intelligibilem, esse aliam; sed per hoc, quod judicat ita esse in re, sicut intellectus conformatur rei. Quidquid enim judicat esse, componit ut in re est; et ideo nullus intellectus, nisi componens cognoscit verum. Sed intellectus simplex est verus, licet non cognoscat verum; quia cognoscere verum, est cognoscere conformitatem intellectus ad rem. Intellectus autem hoc non facit, nisi quia judicat ita esse in re, et propter hoc componit, vel dividit; propter quod nullus intellectus præter componentem, vel dividentem, verum cognoscere potest.

Et ideo dicit Aristoteles 6. Metaphys. quod verum, et falsum sunt in mente. Et per hoc dico quod verum, et falsum, sunt in intellectu componente, vel dividente, sicut in cognoscente: non sunt in intellectu componente, vel dividente, sicut in eo, quod est verum, quia intellectus simplex est verus, quia conformis suo intelligibili; et sensus similiter, quia conformis suo sensibili: sed neutrum intelligit verum; et hoc intelligit Aristoteles.

4. *Ad argumenta. Similitudo rei in anima potest dupliciter considerari.* Rationes probant, quod in aliquo alio, quam in compositione, et divisione est verum, ut in eo, quod est verum. Unde ad primam rationem dicendum, quod similitudines, quæ sunt apud animam, possunt dupliciter considerari; vel secundum quod anima unam similitudinem alteri comparat, et sic similitudinum semper est comparatio, vel compositio; sive aliquid velle, et affirmare, vel negare, quod sive sic, sive sic, anima semper comparat similitudi-

nem unius ad alteram. Si autem considerentur similitudines prout referuntur ad res, similitudines distinguuntur sicut res ; sicut si dicam, *Homo non est albus*, profero* similitudinem prout refertur ad rem, distinguendo unum ab alio.

al. comparo.

***Non homo** enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum, unum enim significat aliquo modo, infinitum nomen : quemadmodum et non sanatur, non verbum sed infinitum verbum, cum omnis affirmatio, et negatio vel **ex nomine et verbo, vel ex infinito nomine et verbo**.* lib. 2. cap. 1.

QUÆSTIO IV

Utrum nomen infinitum aliquid ponat, ita quod ad prædicationem ejus de aliquo, requiratur prædicatio entis de eodem.

D. Thom. *hic in expositione cap. 2.* Boetius et Ammonius *ibidem*. Soto *lib. 2. sum. c. 1.* Rubius *in c. 2 hujus q. 3. n. 15.*

1. *Argumentum pro parte affirmativa.* Quod sic videtur, per Aristotelem in fine secundi Priorum, ubi dicit, quod ei, quod est inæquale aliquid subjacet sicut materiale ; sed *inæquale* aliquid ponit ; igitur *non æquale**.

* al. sed non æquale aliquid subjacet, scilicet inæquale.

Item, negatio alicujus est remotio alicujus ab aliquo ; igitur negatio adveniens homini, ab eo aliquid removet ; et si hæc aliquid tollit, aliquid derelinquit ; nam ablatio totius non est ablatio alicujus ab aliquo.

Item, si nihil ponit, sequitur hoc, scilicet, *si homo non est justus ; ergo homo est **non justus***, istam tamen Aristoteles lib. 2. Perihermen. cap. 1. negat. Dicitur, quod est bona consequentia, nec illam negat Aristoteles, nisi in prædicatis compositis ; quia non sequitur : *Non est album lignum, igitur est non album lignum*.

2. Contra illud, Aristoteles negat hanc consequentiam, dicens, quod hoc verbum *est*, *justo* et *non justo* adjacebit. Item si consequentia esset bona tunc minore existente negativa in prima figura, sequitur bonus syllogismus ; quia iste syllogismus est bonus *Omne non animal est non homo ; lapis est non animal ; igitur lapis est non homo*, et tamen minor erit negativa in prima figura*.

* al. Sed quod sequitur ad consequens sequitur ad antecedens ; sed hoc sequitur ad antecedens, ergo ad consequens, ergo si lapis non est animal, sequitur eadem conclusio in prima figura.

Item, ad principale, dicit Boetius in cap. primum libri 2. quod nomen infinitum præsentem speciem privat, et alia infinita relinquit.

3. *Argumentum ad oppositum.* Ad oppositum, quod æqualiter est verum dicere de eo quod est, et de eo quod non est, *nihil ponit* ; sed talis est terminus infinitus, quia æqualiter est *bos non homo*, et *Chimæra*.

Item, in contradictoriis tenet consequentia e contrario ; ergo sicut sequitur, *est homo, igitur est aliquid*, ita sequitur, *est non aliquid ; igitur est non homo* ; sed Consequens nunquam potest determinare oppositum Antecedentis, quia si sic, cum quidquid ponitur per aliud, sequitur ad ipsum : sed ad antecedens sequitur Consequens ; ergo ad oppositum Consequentis, sequitur oppositum Antecedentis. Ergo ad consequens, et oppositum Consequentis sequitur oppositum Antecedentis, quod est impossibile, quia tunc ad idem affirmatum, et negatum, sequeretur idem, contra Aristotelem 2. Prior. cap. 10.

4. Dicitur quod peccat, quia *aliquid* non potest infinitari. Contra, *ens* potest infinitari, et *ens* non est minoris communitatis quam *aliquid* ; dicit enim Aristoteles 1. Physicorum, quod *ex non ente fit aliquid ens*.

Item, ad principale sic arguo, sequitur, *Omnis homo est animal ; igitur lapis est aliquid*. Consequens est falsum, igitur et Antecedens. Probatio consequentiæ, sequitur *Omnis homo est animal*, igitur *omne non animal est non homo* et ulterius, *lapis est non animal ; igitur lapis est non homo* ; igitur *lapis est aliquid*, cum per nomen infinitum aliquid ponatur ; ergo a primo ad ultimum, etc.

Item, terminus infinitus imponitur a negatione formæ sed privata forma alicujus non manet aliquid ejus, quod habet esse per illam formam, igitur, etc.

5. *Prima opinio.* *Terminus infinitus duplex.*

Dicitur ad quæstionem, quod *duplex est terminus infinitus*, quidam substantialis, quidam accidentalis. Terminus substantialis infinitus nihil ponit, quia negativa particula adjuncta termino, per se privat qualitatem : sed in substantialibus significatis privata qualitate, privatur et illud quod habet esse per illam qualitatem ; igitur, etc. Dico autem *terminum substantialem* omnem terminum significantem per modum substantiæ, ut *albedo, homo.* Sed terminus infinitus accidentalis aliquid ponit, quia privata qualitate accidentali, non oportet illud privari, quod est per illam qualitatem ; quia qualitas illa non est principium essendi simpliciter ; propterea sic dicendo, *Socrates est non albus*, ponitur aliquid.

Et per hanc distinctionem dicitur ad argumentum sumptum ab Aristotele 1. Priorum, quoniam ille intendit de termino infinito accidentali, quod aliquid sibi subjacet. Similiter ad dictum Aristotelis in hoc secundo hujus, quod Aristoteles negat consequentiam in terminis accidentalibus, quia in illis terminus infinitus aliquid ponit, sed in terminis substantialibus tenet : *Non est homo, ergo est non homo.*

6. *Prima objectio.*

Sed contra : sicut in termino accidentali est compositio quædam accidentalis cum subjecto ; sic in termino substantiali est compositio formæ cum materia : sicut igitur privata qualitate accidentali potest subjectum manere sub qualitate infinita, et ideo terminus accidentalis aliquid ponit ; sic privata forma substantiali a materia, poterit manere materia sub negatione formæ determinatæ. Cum igitur materia sit aliquid, videtur quod terminus substantialis infinitus aliquid ponat.

7. *Secunda objectio.*

Item, terminus accidentalis non significat subjectum, sed tantum qualitatem ; igitur negatio adveniens termino accidentali solum negat ejus per se significatum, quia non sunt ibi duo, quorum posset alterum privari, et reliquum non ; igitur multo minus potest terminus infinitus substantialis. Nam differentia est inter terminum privativum, et infinitum, sicut inter *cæcum*, et *non videntem ;* quia *cæcus* determinat sibi subjectum, et ponit remotionem formæ determinatæ, et in hoc convenit cum termino infinito ; et omnem illam remotionem formæ significat in determinato subjecto ; et in hoc differt a termino infinito quia non determinat subjectum sibi, de quo dicitur ; tunc sic, si terminus infinitus accidentalis aliquid poneret, quia negatio removet illam qualitatem, et designat remotionem qualitatis a determinato subjecto, tunc terminus infinitus, et privativus non differrent.

8. *Solutio quæstion*

Ad quæstionem dicendum, quod quærere, an terminus infinitus aliquid ponat, et quærere, an de ratione essentiali termini infiniti sit, quod exigat aliquam naturam subjici sibi, ad hoc quod propositio sit vera, in qua subjicitur. Nam hoc quod est, *terminum infinitum aliquid supponere*, potest habere duplicem intellectum ; vel quod de suo intellectu essentiali sit aliquid ei subjectum ; vel quod exigat de natura sua rem, vel naturam. Dico, quod *aliquid* multipliciter sumitur, scilicet pro re et natura, quæ existit, vel pro omni eo quod ponit per vocem significativam.

Termini infinitu aliqui supponε duplicit intellig tur.

9. *Conclusi Doctori*

Dico igitur quod nomen infinitum non ponit aliquid, ita quod in intellectu suo essentiali aliquod ens includatur secundum naturam ; includit tamen aliquid indeterminatum ad ens naturæ, et ens intelligibile: sicut dicendo, *non homo*, quidquid potest intelligi sub negatione hominis, potest dici *non homo* : unde dicit Boëtius quod indifferenter est in quolibet, quod est simpliciter * ; sed ens tantum in opinione, ut *Chimæra est non homo ;* negatio enim adveniens termino infinito, privat formam finitam, significatam per terminum, et relinquit ens indeterminatum ad quodcumque intelligibile, vel apprehensibile, sub ratione qualitatis determinatæ ; et ideo *non homo* convenit cuilibet, cui convenit qualitercumque ens naturæ, vel ens intelligibile, prout intelligitur sub privatione qualitatis finitæ, importatæ per hoc nomen *homo.* Ideo solet dici, et bene, quod *ens* et *aliquid*

* al. quodlib quod es simplici et quo non es simplici

non possunt infinitari ; quia nomen infinitum aliquid ponit, et non privatur per nomen, quod ponitur. Nam hoc nomen *non homo*, significat ens significabile ; quia si *non homo* nihil significaret, prolato *non homo*, non magis quiesceret animus audientis, quam prolata hac voce, *bus*, ex quo patet, quod nomen infinitum aliquid ponit, ut ens significabile, etc.

10. *Ad 1. principale.* Ad primum dico, quod ei quod est non æquale, aliquid ei subjacet, ut *inæquale*, tanquam illud, de quo dicitur ; sed non quod *inæquale* sit positum ex vi significationis per *non æquale*.

Ad 2. Ad secundum dico, quod negatio adveniens termino, relinquit aliquid non privatum, quod est ens intelligibile, et significabile, sed nihil naturaliter non relinquit quod præfuit.

Ad 3. Ad tertium dico, quod verbum non tantum est unio, sive modus uniendi extrema, sed et est res quædam unita, cui apponitur prædicatum : quia in verbo sunt duo, scilicet, compositio, et res ; et ideo non sequitur, *Hoc non est justum ; ergo hoc est non justum*, quia in illa, *hoc est non justum*, affirmatur res verbi ; sed in hac, *hoc non est justum*, negatur res verbi ; et utrobique negatur justitia. Unde sicut ex negatione rei verbi, non sequitur affirmatio ejusdem, sic non sequitur, *hoc non est justum; igitur hoc est non justum* : vel potest dici, quod dubium est, utrum verbum sit tantum copula, vel pro re sua cadit in partem extremi ; quia *justum* dat intelligere subjectum, eo quod est accidens concretive significatum ; quia sic dicendo, *Homo est justus*, significatur, quod *homo* est aliquid, cui inest justitia, ideo prædicatum habet virtutem illorum terminorum. Ideo sicut non sequitur, *Non est album lignum ; igitur est non album lignum* ; sic non sequitur, *non est justus ; igitur est non justus*.

Ad objectionem. Ad primum contra hoc dico, quod dictum Aristotelis in secunda hujus intelligendum est in prædicatis compositis. *Ad Boetium.* Ad litteram Boetii dico, quod illa littera intelligitur sic ; negatio adveniens termino finito, non removet formam termini, sed removendo aliquam formam alterius, ut *non homo*, quia negatio adveniens homini removet speciem hominis, non removendo speciem alii, vel equi, vel asini ; sed derelinquit speciem non remotam. Sed potius Boetius non intelligit, quod nomen infinitum ponit de intellectu suo species illorum, quæ non removentur per negationem advenientem termino.

Præter verbum autem nulla affirmatio, vel negatio est, est enim, vel fuit, vel erit, vel fit, vel quæcumque alia hujusmodi secundum ea, quæ posita sunt, consignificant tempus, etc. Lib. 2. cap. 1.

QUÆSTIO V

Utrum est sit tantum copula prædicati cum subjecto, vel sit prædicatum, vel aliquid prædicati, sic dicendo, homo est albus.

1. *Argumentum principale.* Quod non sit copula probatur, hoc verbum, *est*, idem prædicat, quando prædicat tertium, et quando prædicat secundum, quia non mutat suum significatum propter appositum, sed quando prædicat secundum, tunc res ejus est prædicatum ; igitur similiter quando aliquid sibi apponitur, videtur res verbi specificata per aliud.

Item, quando sic dicitur, *homo est*, intelligitur res hujus verbi *est*, uniri cum supposito, per modum significandi verbalem, qui est compositio ; igitur cum dicitur, *Homo est albus*, intelligitur albus res verbi uniri per eumdem modum, quia appositum per se non mutat per se modum significandi.

Item, Boetius (lib. 2. edit. 2) dicit : propositio categorica dividitur in duas partes tantum, scilicet, in subjectum, et prædicatum ; sequitur igitur quod ly *est*, non est pars per se, cum dico *Homo est albus* ; sed erit aliquid istarum partium, quia est aliquid prædicati, et non est aliquid subjecti ; quia compositio intelligitur se tenere a parte prædicati.

Item, esse est actualitas omnis entis : igitur cum dico, *Homo est animal*, designo hominem esse actu animal, et non tantum enuntio *animal*, sed *animal sub actu*.

Item, dicit Aristoteles lib. 2. c. 1. quod *est* prædicat tertium adjacens ; igitur non est tantum copula.

2. *Argumenta ad oppositum.* Ad oppositum, si esset pars prædicati, nulla propositio converteretur simpliciter in eisdem terminis ; quia sic dicendo, *Homo est albus*, per te, res verbi est pars prædicati ; igitur si debet converti in terminis, oportet rem verbi in conversa, esse partem subjecti, quod falsum est ; et tunc omnis Syllogismus in prima figura esset ex quatuor terminis, quia medium in majore sumitur absolute ; ita quod *esse* non est pars ejus, sed in minore, quando prædicatur *esse* esset pars ejus.

Item, hîc esset nugatio, *Hoc est animal* ; quia si ens prædicatur, et animal, et in animali intelligitur ens ; tunc ex eadem parte orationis idem bis dicitur ut *ens*.

Item, Boetius dicit super 2. hujus, cap. 1. quod *est* ponit tertium adjacens, non tanquam pars quædam propositionis, sed sicut determinatio quædam qualitatis in propositione, demonstrat enim qualis sit propositio, quoniam affirmativa ; et non constituit propositionem tanquam pars ejus ; igitur est tantum copula.

Item, communiter dicitur quod *est* quando prædicat tertium, prædicat quod in alio est ; ita quod non prædicat rem suam secundum se, sed aliud : et Boetius dicit, quod non prædicatur, sed quod adjacet prædicato, etc.

Verbum est *quod consignificat tempus, ut* sanitas *quidem nomen est;* sanatur *vero verbum : consignificat enim nunc esse, et semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota est,* etc. lib. 2. cap. 3.

QUÆSTIO VI

Utrum verbum de præsenti copulet nunc quod instat, vel indifferenter quodlibet præsens

D. Thom. *hîc lect.* 5. *et* 3. *p. quæst.* 60. *art.* 5. *et in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 8. S. Bonaventura *in* 4. 2. *p. art.* 1. *q.* 1. *et* 2. Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 60. Conimbr. *hîc c.* 8. *q. unica, art.* 1. *et cap.* 4. *q.* 2. *sect. art.* 2. Doct. *in* 4. *d.* 8. *q.* 2.

Et quod non *nunc* quod instat, probatur : hæc est vera, *curro, quando curro, licet sedeam ;* si tamen *currere* copularet pro *nunc*, quod instat, falsa esset propositio ; ergo, etc. Item, si copularet pro *nunc* quod instat, hîc esset repugnantia intellectuum, *Socrates semper est :* dicitur quod copulat pro tempore, quod instat cum institerit ut nunc pro illo, quod est nunc, et alias pro alio cum institerit. Exemplum ponitur cum aliqua porta fuerit angusta, ita quod non possit nisi unus transire, et quod quodlibet ens in porta cum fuerit in porta vocetur A, tunc A semper stabit pro ente in porta, sed nunc pro *Joanne*, nunc pro *Socrate*. Similiter, *Hic homo est homo*, copulat pro isto nunc ; et cras cum dico, *Homo est*, copulabit pro isto nunc, quod est tunc, sub ratione præsentialitatis, et non pro hoc singulari nunc : unde sic copulat verbum de præsenti pro quolibet præsenti, quousque habeat rationem præsentis, et non pro instanti significato. Quod sic ostenditur, quia si copularet pro illo nunc tantum, quod instat, significaretur, et notaretur A tunc, dicendo, *Homo est*, sensus est, *Homo est*, in A transeat, et dicitur *Homo est ;* hæc est falsa, quia homo non est in A, cum hoc A non sit : igitur si illa propositio sit vera nunc, ut prius, oportet necessario quod ad instans significatum copuletur nunc ut prius ; vel oportet dicere quod multoties imponeretur hoc verbum *est*, ut significaret sub novo tempore. 1. *Argumenta pro parte negativa*

Contra hoc : nulla determinatio sub qua intelligitur determinabile coarctat determinabile ultra suam formam ; quia sic dicendo, *Homo albus*, albus non coarctat hominem, nisi ut stat pro homine albo, et non arctatur ut stat pro aliquo magis contracto, quam sit albus, virtute albi saltem ; nec ad alia nisi ad album : ubi autem primo intelligitur significatum absolute, prout est quid in se ; et deinde additur ei modus cum tempore de præsenti, per modum dicendi de altero, sub quo intelligitur, et 2. *Objectio.*

modus significandi cum tempore de præsenti, sub quo significatum primum intelligitur: *nunc* autem ratio ejus, quod est tempus præsens, non magis respicit *nunc*, quam *tunc*; sed de præsenti dicitur secundum quod habet rationem præsentis: igitur significatum verbi intellectum sub illa materialitate, ut modus est, non magis intelligitur sub illa præsentialitate existente, quam non existente.

Item, nisi verbum de præsenti copularet hoc præsens determinatum, *Homo currit*, posset esse vera pro homine currente cras; quia virtus sermonis non magis arctatur ad hoc præsens, quam ad aliud.

Item, ad principale, si res quælibet de præsenti esset, esset necessaria simpliciter, quia quod est, vel non est in hoc instanti, necesse est esse, vel non esse in hoc instanti.

3. *Argumenta ad oppositum.* Ad oppositum sic: hæc esset falsa, *Omne quod est, est in hoc instanti*, et ita aliquid esset, et non esset in hoc instanti. Dicitur quod hæc est vera, omne quod est, est in hoc instanti, et copulatur præsens instans quod instat, sed per accidens, scilicet, quia non est aliquid præsens, etc. Contra hoc sophistice ostendo, quod multa sunt simul præsentia, et tunc non oportet hoc copulare, quia nullum aliud est, quia *præsens est, cujus pars præteriit priusquam futura est*; et non est præsens indivisibile, quia tunc non esset tempus: multa ergo sunt partialia præsentia simul, sicut multa præterita.

Item, si non de virtute sermonis contraherentur pro hoc instanti, sed per accidens, non oportet hanc propositionem esse veram, *Omne quod est, est in hoc nunc, vel in hoc instanti*.

4. *Responsio quorumdam ad primam quæstionem.* Ad primam quæstionem dicentes, quod copula sit pars extremi, hi sic ponunt: *esse* est actualitas entis; unde cum dicitur, *hoc est album*, significatur prædicatum primum inesse subjecto sub ratione actus ipsius subjecti; et hoc mediante verbo essendi. Sicut enim sic dicendo, *Socrates est*, significatur actualitas entis in Socrate, sicut cum dicitur, *Socrates est albus*, significatur subjectum esse sub prædicato, sicut sub actu, propter quod esse ponitur pars ejus quod prædicatur; quia *album* non designat per se actum subjecti, et per modum actus.

Ad rationes posset sic dici, ad primam quod contingit considerari in prædicato duo, scilicet, rem quæ prædicatur, et rationem, sub qua prædicatur, et esse potest intelligi esse partem prædicati dupliciter, vel quod sit pars rei, quæ prædicatur, sicut hic, *Animal rationale currit*; rationale est pars ejus, quod subjicitur, vel quod sit ratio sub qua prædicatur res ipsa; esse primo modo non prædicatur, nec est pars prædicati, quia cum re non facit compositionem; quia *esse* et *album* non faciunt compositionem, sicut *homo* et *album*; quia actualitas rei non facit compositionem cum eo, cujus est actualitas. Sed *esse* secundo modo est pars prædicati, quia est ratio rei, inquantum est prædicabilis. 5. *[illegible]*

Ad aliud dicendum, quod *animal* appositum ei, quod est *esse*, non apponitur ei sicut res rei; sed sicut potentia intelligitur apponi actui: *animal* enim accipitur ut potentia, cujus actualitas importatur per *esse*; sed si diceretur, *Homo est ens animal*, esset negatio; quia in essentiali intellectu ejus, quod est *animal*, intelligitur sub eo modo, quo significatur per *ens*. Unde sic dicendo, *Homo est ens animal*, hoc totum *ens animal* accipitur ut res prædicata, cujus actualitas est illud, quod importatur per esse.

Ad dictum Boetii dicendo, quod *est* non sit pars prædicati aliquo modo in propositione, quando prædicatur tertium adjacens, quia nec subjectum, nec prædicatum, potest esse tamen pars partis aliquo modo in propositione. Et cum dicit ipsum esse determinationem qualitatis in propositione, dico quod hoc dicit de ipsa ratione compositionis, quam importat; quodlibet enim verbum duo importat, scilicet rem verbi, quod est de essentiali intellectu verbi, in quantum significat rem, quæ consignificat modo, et importat compositionem, quæ est 6.

ipsius, inquantum verbum. Unde ratione rei, quam importat hoc verbum *est*, cum illa sit actualitas, est ratio sub qua quodlibet prædicatur de aliquo.

7 Ad aliud dicitur, quod quando hoc verbum *est* prædicatur tertium, et alteri adjacens; primo prædicat esse illius, cui adjacet, de tertio; ut sic dicendo : *Homerus est poeta*, prædicatur esse poetæ de Homero, non esse Homeri de Homero. Ideo dicit Boetius in 2. editione quod hic *Homerus est poeta*, duo sunt prædicata, scilicet *poeta* principaliter, et *esse* secundario. Prædicat igitur *esse* quod in alio est, quia prædicat esse quod subjectum non habet secundum se,sed secundum quod aliud : ut *esse* quod convenit Homero secundum quod poeta; sed quando prædicatur per se, tunc prædicat esse simpliciter, ut actuale; et hoc est secundum quod in se est. Est igitur *esse tertium* ratio, secundum quam prædicatur aliquid, et non est pars ejus, inquantum accidit sibi hæc intentio *prædicabile*. Sed rationes rerum distinguuntur per actum et potentiam; sicut enim in composito naturali est unum habens rationem potentiæ,ut materia; aliud habens rationem actus, ut forma; sic est in composito artis, quod est propositio, *subjectum* enim est ut materia, *prædicatum* sicut forma. Unde propter hoc, quod de eo, quod est subjectum, fit prædicatum, ideo requiritur quid aliud a re subjecta, quod notat illud,quod prius fuit subjectum, accipi sub ratione actus, et formæ, et hoc est verbum *est*. Sunt igitur tria, res, cui accidit prædicari, intentio prædicandi; res ut informatur tali intentione; et duobus primis modis non est pars prædicati, sed tertio modo.

8. *Aliorum responsio ad quæstionem.* Aliter dicitur, quod res verbi, et illud quod sequitur rem verbi simul cum compositione integrant unum extremum compositionis, quod est prædicatum; et non est intelligendum, quod compositio sit sicut quoddam medium, et non alterum extremorum; quia ratio prædicati est ratio dicibilis de altero, et ratio dicibilis de altero est ratio dependentis ad alterum. Res autem verbi non inclinatur ex se; sed in verbo sunt duo, res verbi, et compositio, ratione cujus inclinatur : res verbi in altero constituit rationem prædicati, propter quod compositio formaliter constituit prædicatum.

Contra : compositio, de qua est quæstio, est compositio uniens extrema, secundum quod per compositionem significatur verum, vel falsum : hæc autem compositio non est modus significandi verbalis, quæ est principium constituendi suppositum cum apposito, quia hæc compositio est eadem in propositione affirmativa, et negativa; sicut Nominativus casus est idem : sed manifestum est,quod compositio qua significatur aliquid esse, vel non esse, non est eadem in affirmativa, et negativa. Responsio igitur non est ad propositum; quia tantum respondet de compositione, quæ est modus significandi verbalis. 9. *Objectio contra eosdem*

Item quod dicitur, compositionem, et rem verbi, et prædicatum integrare unum prædicatum, non est verum; quia modus non est extremum in propositione,nec pars extremi.

Ideo ad quæstionem, sciendum est, quod hoc verbum *est*, quando prædicat tertium proprie, nec est subjectum, nec est pars, nec prædicatum, nec ejus pars : sed tantum denotat prædicatum esse idem subjecto actualiter, vel secundum actum. Ad quod, sciendum, quod omne intellectivum intelligitur per modum actus; quia quodlibet est intelligibile ex hoc, quod actum habet; actus autem uniuscujusque est idem, secundum quod prædicatur propria ratio ejus; sed hoc modo dicitur ens in potentia esse in actu : nam alia est ratio propria potentiæ, secundum quam distinguitur a non potentia; sic etiam privatio est in actu. Aliud est intelligendum, quod *esse* significat actualitatem entis; ideo cum volumus significare hoc esse actu,dicimus quod *hoc est*; et propter hoc, quod actus non facit compositionem cum eo, cujus est actus; ideo *esse* non facit aliquam compositionem cum eo, quod apponitur sibi,designat enim 10. *Resolutio Doctoris.* *Omne intellectivum est per modum actus.* *Esse significat actualitatem entis.*

id, quod sibi apponitur esse idem alteri secundum actum : ideo sic dicendo, *Homerus est poeta*, significatur quod *poeta* secundum suum actum est idem cum *Homero* ; quia ratio essendi rerum, et res non faciunt compositionem. Unde non intelligitur prædicatum esse compositum ex duobus, scilicet ex apposito, et verbo essendi.

11. *Duplex compositio in verbo.* Unde intelligendum, quod *duplex est compositio*, una quæ est modus significandi in verbo, secundum quam actus inclinatur ad substantiam : et illa compositio communiter est in omni verbo personali ; unde a quibusdam vocatur *personalis*. Alia est compositio, quæ designatur per hoc verbum *est*, et non est modus significandi sed est res verbalis significata, quæ compositio differt a prima ; quia prima non facit compositionem affirmativam, vel negativam ; sed est in omni verbo personali. Secunda vero per hoc quod designat aliquid esse, vel non esse de aliquo, facit propositionem affirmativam, vel negativam ; nam ab hac compositione dicitur propositio affirmativa, vel negativa ; et est alia in affirmativa, et alia in negativa, prima autem non ; et hoc intelligitur de omni verbo, secundum quod est pars propositionis, vel enuntiationis.

12. *Ad argumenta principalia.* Ad primum argumentum dico, quod si huic verbo, *est*, apponatur aliquid per modum, quo apponitur aliquid ei quod est *homo*, cum dico, *Socrates est homo albus*, teneret consequentia, quod hoc verbum *est* esset pars prædicati, quod non est ita ; quia quando per se prædicatur, prædicatur actus essendi simpliciter ; quando autem prædicatur tertium, alterum prædicatur principaliter, et seipsum secundario, inquantum designat alterum, scilicet prædicatum secundum actum ejus de tertio, id est, de subjecto.

13. *Ad 2.* Ad aliud dico, quod quando *est* prædicatur per se, compositio, quæ est modus significandi verbalis, est modus uniendi prædicatum cum subjecto ; sed non est principium significandi verum, et falsum. De ista compositione nihil ad Logicum, sed ad Grammaticum pertinet. Sed compositio, quam importat verbum ex sua significatione verbali, est compositio, quæ significat verum, vel falsum, ita quod ipsa res verbalis apud Grammaticos est ipsa compositio apud Logicos in hoc verbo *est*, quando prædicat tertium adjacens. Unde et Grammatici dicunt, quod exigit Nominativum casum post se ex vi copulæ, vel ex vi significationis ; sed ista compositio non est modus significandi verbalis, sicut ratio supponit. Unde ratio non concludit, nisi quod compositio, quæ est modus significandi a re designata in esse ; et hoc est verum. Ratio ultimæ rationis procedit de modo significandi.

Ad secundum quæsitum dicendum, quod verbum copulat sub tempore præsenti discreto. Ad quod sciendum primo, quod verbum præsens per se acceptum significat præsens : significat autem verbum de præsenti rem suam, non prout est aliquid habens esse in præsenti, vel futuro, sed sub modo essendi præsentialiter rem suam denotat ; quia præteriti nulla pars instat, nec futuri, sed præsens instat, et verbum de præsenti significat rem suam per modum instantis ; et est quodammodo simile de nomine primario [illegible] appellatorum, vel suppositorum, et de verbo præsenti ; quia *homo* significat formam hominis, ut hominem in actu, non hominem in potentia nec hominem, qui fuit sub illis terminis ; sed hominem secundum actum, et formam, et quodlibet ut intelligitur, ut actum habens hominis, intelligitur homo. Sic verbum de præsenti denotat rem suam, prout actum præsentis habet, et quodlibet tempus cum intelligitur, ut actum habens præsentis, consignificatur per verbum de præsenti. Differentia tamen est in hoc, quod quia terminus communis significat sine tempore, nihil prohibet ipsum consignificare simul successive plures, quorum quodlibet intelligitur ut habet actum hominis. Sed de temporibus præteritis, quæ nullo modo [illegible] et successive, non potest intelligi, quod simul sunt simul,

13. Ad 2. quæsitum.

Verbum de præsenti quomodo significat.

quibus conveniat præsens in actu; propter quod dissimile est de nomine ad supposita, et de verbo præsentis temporis.

15. *Quomodo copulat extrema?* Sciendum est secundo quod verbum de præsenti pro eodem tempore copulat extremum extremo, quod consignificat. Unde sicut consignificat præsens tempus, sic discretum, ut distinguitur a præterito, et futuro, pro tali tempore copulat. Unde non potest intelligi, quod copulat pro hoc *nunc* significato, quorum *tunc* transacto, hoc *nunc* significaret verbum præsentis temporis, ut per argumentum dictum est. Nec copulat præsens commune ad præsens, quod fuit, et ad præsens, quod erit, et quod est, prout nomen commune significat: nam tunc ista, *tu eris albus*, posset istam verificare, *tu es albus*: copulat igitur pro quolibet tempore præsenti, cum fuerit actu præsens.

16. *Ad argument. 2. quæstionis.* Ad primum argumentum dico, quod in conditionalibus non prædicatur præsens tempus absolute, nec aliquid præsentis absolute; sed prædicatur præsens unius, sub habitudine ad alterum, ita quod significatur, quod cum habeat hoc esse præsentiale, et illud habebit, unde ibi copulatur præsens confusum, quia sic se habet ad alterum: sed hîc loquitur de verbo copulato aliquid absolute.

Ad 2. Ad secundum dico, quod licet hoc verbum, *est*, copulet tempus, quod instat sub ratione qua instat, non tamen est repugnantia intellectuum, cum dicitur, *semper est*, quia ibi copulatur extremum extremo sub tempore præsenti, prout distinguitur a ratione præteriti, et ratione futuri; nam quod præteritum est, non est, et futurum non est simpliciter, quia ly *semper* est determinativum hujus verbi *est*, cum et non repugnet ei, ut intelligatur distinctum a præterito, et futuro non est repugnantia intellectuum*: sic dicendo, *semper Socrates est*, quia copulatur pro tempore quolibet, ut distinguitur a præterito, et futuro.

* al. et repugnat ei ut intelligatur non distingui a præterito, et futuro, et ideo non est repugnantia.

Ad 3. Ad aliud dico, quod præsens ex sua significatione significat præsens, quod instat, quia alioquin non esset præsens: nam præsens, quod fuit, et quod erit, non est præsens; ideo habet ut ex forma sua significet rem verbi, ut intelligatur sub præsenti, quod instat. Sed licet ex eo, quod nomen posset intelligi habere multa supposita simul, sicut hoc nomen *homo*, tamen ratione formæ rei, quam significat, et sub propria ratione, non potest simul multa supposita habere sub ratione præsentis; ideo res verbi intellecta sub ratione præsentialitatis non intelligitur sub indifferentia ad multa præsentia simul. Unde, *hic homo non currit*, non verificatur, quia hic homo cras curret.

(intellectuum.)

Ad 4. Ad aliud dico, quod si copularet præsens, pro hoc præsenti demonstrato A, hoc esset imposssibile, *Antichristus est*; sic hoc, *Antichristus est in A**; sed quia non sic copulat, sed pro quolibet *nunc* cum institerit: et propositio prolata hodie, non est alia propositio, quam ipsa prolata cras, *Antichristus est;* ideo non est jam propositio impossibilis, licet nunc non posset verificari: sed solum sequitur quod sit impossibilis nunc, et non quod sit impossibilis.

* al. *erit cras in A.*

Ad 5. Ad aliud dico, quod totum tempus, quod intelligitur, ut distinctum a præterito, id est, ratione præteriti; et a futuro, id est, ratione futuri, dicitur tempus præsens: unde quantitas temporis præsentis accipitur secundum comparationem ad actionem; sicut dicimus quod in septimana facit aliquis domum, intelligendo quod in illo toto tempore agit totam actionem, et non quod immediate agit; et comparando partem temporis ad partem actionis, distinguimus idem tempus per præsens, et futurum: quia respectu totius intelligitur forma præsens: et non dicit præteritum, quod præsens tempus est, cujus pars præteriit priusquam futura est; totum tamen accipitur ut unum tempus per comparationem ad opus: et ideo licet unius præsentis sint plures partes, nulla tamen habet rationem præsentis, ut possint dici multa præsentia simul; sed illud dicitur præsens per comparationem ad unum opus, præteritum ad aliud. Est enim tempus accommodatum verbo, ut mensurat actum ejus.

Nam si omnis affirmatio et negatio vera, vel falsa est, et omne necesse est esse, vel non esse: quare si hic dicat futurum esse aliquid, ille vero non futurum dicat hoc ipsum, manifestum est, quoniam necesse est verum dicere alterum ipsorum, si omnis affirmatio, vel negatio vera, vel falsa est; utraque enim non erunt simul in talibus.

QUÆSTIO VII

An propositio de futuro sit determinate vera, vel falsa

D. Thom. *quæst.* 12. *de Veritate, art.* 10. *ad* 7. D. Bon. *in* 1. *d.* 38. *art.* 2. *q.* 1. Aegid. 1. *parte q.* 15. Okam 1. *d.* 38. *art.* [illegible] *q.* [illegible] *et q. propria de hac re edita ab ipso in Logica.* Gabriel 1. *d.* 38. Abulensis 1. *parte defensorii cap.* 28. Cardinalis *lib.* 1. *quæstionarii q.* [illegible] Lichet *in* 1. *d.* 38. *q.* 1. *ad Argumenta principalia.* Major *ibid. q.* 1. *art.* 2. Sotus *in cap.* [illegible] *Epistolæ ad Romanos.* Capreolus *in* 1. *d.* 38. Suarez *opusc. de scientia futurorum contingentium, cap.* 2. Vasquez *tom.* 1. 1. *partis disp.* 67. *cap.* 3. Conimbr. *in cap.* 9. *hujus, q. unica. art.* 3. *et* 4. Rubius *in cap.* 9. *quæst. unica.* Doctor *in* 1. *d.* 39. *quæst. unica.*

1\. *Argumenta pro parte affirmativa.* Quod falsa videtur, quia aliter significat esse quam est in re; igitur. Consequentia patet; quia in eo quod res est præsens, hæ orationes sunt veræ; et in Prædicamentis dicitur: *ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.* Et in littera dicitur, quod *orationes sunt veræ sicut res.* Antecedens patet, quia propositio de futuro significat nunc quod res habebit esse determinatum, quod esse est indeterminatum. Item Boetius super secunda editione Aristotelis in hoc capitulo, quod dicit, quod *navale bellum erit cras,* quasi sit necesse evenire, futurum pronuntiat; sed si evenerit jam, non nunc verum est quod dicit, quia quod contingenter evenit, dicit ex necessitate evenire; unde non in eventu rei est falsitas, sed in prædicationis modo. Item, omnis propositio significat se esse veram. Sic igitur dicendo, *tu curris in A,* significatur te esse cursurum in A, non est verum: hoc autem est determinatum falsum, quia significatur verum esse pro tempore, quod nunc est: igitur et hæc, *tu curris in A,* est determinate vera, vel falsa, quod falsum est.

2\. Ad oppositum est Aristoteles, dicens, quod in his quæ sunt ad utrumlibet, non magis est oratio vera, quam falsa; supposito quod A eveniret postea, quæritur, an nunc sit determinate verum *A erit?* Quod sic videtur: nulla propositio judicatur vera, vel falsa, nisi pro tempore, pro quo prædicatum potest inesse subjecto, ut patet de prædictis propositionibus, quæ non judicantur secundum dispositionem rei, quam habent nunc, sed secundum illam, quam habuerunt; igitur similiter erit in illis de futuro; sic autem dicendo, *Tu eris albus in A,* non significatur aliquid de re nunc esse, vel non esse; sed significatur quod in A erit verum dicere, *tu es albus.* Si ergo sic se habebit res in A, sicut nunc enuntiat propositio se rem habere in A, hæc nunc est determinate vera. Item, similiter propositio simplex de futuro enuntiat rem fore eo modo, quo evenit; nam enuntiat rem fore pro determinato tempore, sic quod posset non esse; ergo, etc. Sed nunc se habet res sic ad esse cras, quod posset non esse; ergo, etc. 4. *Argumentum ad oppositum.*

Dicitur, quod propositio de futuro significat nunc quod determinate ita est in re, sicut tunc erit; ideo non simul stant, quod ista nunc sit determinate vera, et quod possit res non fore cras. Contra: hoc non sequitur, *Homo erit; ergo homo necessario erit,* igitur oppositum stat, hoc potest non fore cras. Ad oppositum est Aristoteles. 5. *Declaratur in contrarium.*

[illegible]

QUÆSTIO VIII

[illegible]

[illegible]

Videtur quod sic; quælibet propositio significat se esse veram: ergo hæc, *Tu eris* 1. *Argumenta pro parte affirmativa.*

albus cras, significat se esse veram. Antecedens patet, quia ad omnem compositionem sequitur suum dictum esse verum: similiter contradictoria affirmative, ut illa, *Tu non es albus*, infert istam, *Te non esse album, est verum;* utrumque ergo contradictorium illis de futuro significat se esse verum determinate; cum igitur neutra sit, sequitur utramque esse falsam. Hoc conceditur, quod utraque pars contradictionis simul sit falsa in futuris, ratione modi essendi, qui in neutra contradictoriarum negatur. Contra hoc sunt rationes Aristotelis; si utraque pars contradictionis sit simul falsa, non de quolibet erit affirmatio, vel negatio, quod est impossibile, quia negatio oppositi est remotio ejusdem, et eodem modo ab eodem: sicut contradictorium hujus, *Omnis homo currit*, est hæc, *Non omnis homo currit*; quia negatio non tantum negat* affirmationem, sed similiter affirmatum;

al. removet.

quo igitur modo hæc, *Tu eris albus in A*, affirmat; eodem modo hæc, *tu non eris albus in A*, negat; et non erit utraque falsa in talibus in littera. Item, si hæc sit falsa determinate; *Tu eris albus in A*, nunc est verum dicere, quod cum A fuerit, non eris albus. Similiter si non sit determinate falsa hæc, *Tu non eris albus in A*, verum est dicere, quod tu eris albus; et patet quod non es albus: igitur in A erunt duo contradictoria vera.

Ad oppositum est Aristoteles in hoc capite de futuris contingentibus.

2. *Resolutio primæ quæstionis*

Ad primum quæsitum dico, quod propositio singularis de futuro contingenti, nec simul est vera, nec falsa, nec determinate vera, nec determinate falsa. Ad quod, sciendum, quod verum significat esse quod est, et falsum significat esse, quod non est, eodem modo. Ex quo sequitur, quod sicut res se habet ad esse, sic ad veritatem. Quod autem est actualiter, et in præsenti, in seipso habet quod sit verum, sic habet esse per se;

Res potest esse in causa tripliciter.

quod autem est futurum, non est in se ipso, sed in causa, quod contingit tripliciter. Uno modo est aliquid in causa, quod necessario eveniet ex illa. Alio modo, ut habet inclinationem ad causam, ut producatur a causa, potest tamen impediri. Tertio modo, quod non magis se habet ad esse, quam ad non esse. Istis tribus modis se habent res in futuro ad esse.

Secundo intelligendum quod orationes sunt veræ, sicut res se habent ad esse; nam oratio enuntians esse de re, secundum quod res se habet ad esse, est vera: aliter autem ennuntians falsa est.

Tertio intelligendum est quod propositio de futuro de suo significato, vel ex modo significandi, æqualiter designat determinate esse de quolibet; quia esse rei non mutat significationem sermonis: quia dictio, et oratio, idem significant re existente, et non existente.

Quarto intelligendum quod propositio de futuro potest intelligi dupliciter significare aliquid de futuro, vel ita quod propositio de futuro aliquid significet nunc verum esse, quod aliquid in futuro verum esse habebit: verbi gratia, quod hæc, *Tu eris albus in A*, significet nunc esse in re; ita quod tu in A tempore eris albus: vel potest intelligi, quod significet nunc, quod tu eris albus tunc: et differt secundum a primo; non quod significet nunc ita esse, quod tunc tu debeas esse albus; sed quod significet nunc quod tunc; quia significare nunc esse, quod tu in A eris albus, hoc est plus significare, quam quod tu eris albus in A. 3.

Dico igitur, quod hæc, *Tu eris albus in A*, absolute enuntiata, si illa significat nunc rem 4.
sic se habere ad esse ut in A tu debeas esse albus: hæc propositio est determinate falsa; quia omnes orationes sunt veræ, et propterea secundum præmissum: res autem talis enuntiata, non sic se habet nunc in sua causa, ut tunc debeat habere esse; quia si nunc se haberet res in sua causa, ut tunc debeat habere esse, hoc jam foret ex necessitate, et esset nunc determinate verum: et sic procedunt duæ primæ rationes, quas facit Aristoteles in textu capituli sexti citati. Sub hoc enim intellectu significat propositio de futuro aliquid esse nunc determi-

natum ad esse pro tempore de futuro, quod non est determinatum.

5. Si autem propositio de futuro non significat, nisi quodcumque futurum pro quo significat, quod si fuerit præsens; quia tunc erit verum dicere, quoniam illud est, quod nunc enuntiatur futurum, propositio de futuro est indeterminate vera, vel falsa. Cujus ratio est, quia propositio de futuro sic enuntians, non enuntiat de eo quod nunc est esse, vel non esse, ut aliquid determinatum; quia secundum illum intellectum non enuntiatur esse, quod habet res in sua causa per propositionem de futuro. Propter quod licet res nunc habeat esse determinatum in sua causa, et enuntiatur esse de re pro aliquo futuro, non dicetur nunc propositio vera, vel falsa, quia non enuntiatur hoc nunc esse determinatum, ut sit pro aliquo futuro: sed enuntiatur nunc quod hoc sic se habebit, et non enuntiatur nunc, rem sic se habere, ut tunc debeat esse. Ideo dicit Aristoteles, quod in illis, quæ sunt ad utrumlibet, non magis est affirmatio vera, quam negatio. Unde non convenit dividentem dicere definitive quod hoc erit, nec definitive, quod hoc non erit; definitive autem dicit hoc fore, quando enuntiat sic esse nunc, ut aliquid habebit esse in futuro. Concluditur igitur ex prædictis quod propositio singularis de futuro contingenti sumpta hoc secundo modo, sicut et Aristoteles accipit, nec simpliciter est vera, nec falsa, nec determinate vera, nec determinate falsa.

6. *Ad argumenta princ. primæ quæstionis.* Ad primum argumentum dico, quod propositio de futuro si significet nunc esse ita, quod res in futuro habebit esse, et tunc significat aliter esse quam est, est falsa, quamvis eveniat res, quæ enuntiatur evenire, non propter eventum rei, sed propter modum enuntiandi; enuntiatur enim res aliter evenire, quam eveniat. Si intelligitur secundo modo, quod enuntiat determinatum esse de re, pro tempore indeterminato futuro, propositio nec erit vera, nec falsa, quia nunc est indeterminatum quod contradictoriorum habebit esse pro illo tempore

Ad aliud dico, quod illud procedit sub uno intellectu propositionis de futuro. *Ad 2.*

Ad tertium dico, quod hæc, *Te fore album est verum*, est distinguendum secundum compositionem, et divisionem: in sensu compositionis propositio est falsa, et significat quod verum insit huic dicto pro præsenti *te fore album*: non sic sequitur ex prima. Alio modo accipitur in sensu divisionis, tunc non significat, nisi te album fore est verum; et est determinate vera, sicut et prima. Aliter tamen dicendum, quod illa propositio, *Te fore album est verum*, in sensu compositionis significat non quod nunc res sic se habeat, ut hoc eveniat*, quod tu eris albus in A, tunc enim significaret falsum determinate: sed verum enuntiatum de dicto intelligitur sicut† vere quædam assertio compositionis in [illegible] per dictum pro tempore pro quo enuntiatum prædicatur dici de subjecto. 7. *Ad 3.*

Ad secundum quæsitum dicendum, quod propositio de futuro non est determinate vera; sicut patet ex prædictis. 8. *Resolutio secundi quæsiti.*

Ad primum argumentum dico, quod propositio de futuro contingenti non enuntiat nunc esse, sicut res se habet ad esse; nec enuntiat nunc non esse aliter, quam res se habet: sed dico, quod pro isto tempore enuntiat determinatum esse rei pro futuro tempore. Propter quod cum pro isto tempore, ut patet, non sit determinatum, propositio nunc enuntians determinatum esse pro isto tempore, nec dicitur determinate falsa, nec determinate vera. *Ad argumenta.*

Ad aliud dico, quod [illegible] hæc nunc sit determinate vera, *Hoc erit*, et hoc potest non fore; quia si hæc nunc sit determinate vera, *Tu eris albus*, [illegible] nunc quod tu es albus nunc, et tu potes nunc esse non albus; [illegible] simul [illegible], quod nunc sit verum, quod eris albus cras, et quod possis cras esse non albus [illegible], quod hæc determinate nunc sit vera, *Tu eris albus* [illegible], et quod cras possis esse non albus; quia non oportet [illegible] albus, quod non possis fore non albus: sed quia fore;

* al. eveniet.

† al. vere quædam assertio compositionis quæ importatur per dictum pro tempore pro quo [illegible] pro tempore, pro quo enuntiatum prædicatur de subjecto.

Tu eris albus cras, non impedit quin cras possis esse non albus; ideo stant simul quod tu eris albus cras, et quod posses esse non albus cras.

9. *Resolutio tertiæ quæstionis* Ad tertium quæsitum dico, quod si propositio de futuro enuntiat nunc esse determinatum, quod res enuntiata de futuro habeat esse; utraque pars contradictionis in illis de futuro est falsa; quia una pars enuntiat esse definitum, quod erit; alia esse definitum, quod non erit; et patet utrumque esse falsum, cum neutrum sit determinatum, sed utrumque est indeterminatum. Sed propositio de futuro enuntiat tantum rem esse pro futuro, et non determinate aliquid de esse, quod habet nunc res in sua causa; utraque pars est indeterminate vera, vel falsa.

10. *Ad argumenta tertiæ quæstionis.* Ad primum argumentum in contrarium dico, quod hæc propositio, *te fore album, est verum*, non est nunc vera determinate, nec falsa; quia per illam propositionem intelligitur fore album affirmari de te, pro aliquo tempore futuro, non pro tempore, quod nunc instat; unde licet nunc sit indeterminatum te fore album in futuro, quia te fore album in sua causa est ad utrumlibet; quia cum non significet te nunc esse album, vel non esse, nec significatur ita esse determinatum in sua causa, ut in futuro habeat hoc esse; ideo hæc propositio, *Tu eris albus*, non est nunc determinate vera, vel falsa. Si tamen propositio significaret nunc esse determinatum, quod nunc enuntiatur de futuro, ut in futuro esse haberet, propositio esset falsa determinate, quia significaret nunc quod est contingens, esse determinatum ad alteram partem, et hoc dato, esset utraque pars contradictionis falsa; quia una pars significaret hoc esse determinatum ad esse, et alia pars significaret hoc esse determinatum ad non esse, et ipsum est contingens.

11. *Alia resolutio quæstionis.* Adhuc potest argui quod propositio de futuro sit determinate vera, quia sequitur, *futurum est futurum*; *igitur futurum erit*. Antecedens est determinate verum; ergo et consequens. Item propositio de futuro secundum nunc dicta, non asserit aliquid nunc determinate esse, sed fore de re enuntiat; sicut non determinando ad esse, vel non esse; igitur sicut propositio de contingenti est nunc determinate vera, quia enuntiat eventum rei, determinate, non tamen determinat aliquid esse, vel non esse; sic propositio de futuro erit vera.

12. *Alia responsio ad argumenta.* Ad propositum, ad primum argumentum est dicendum, quod consequentia deficit penes fallaciam figuræ dictionis, quia commutatur *quid* in *quale*; sic dicendo, *omne futurum est futurum*, hîc prædicat illud, quod futurum est; sed hîc, *futurum erit*, prædicatur esse sub modo de futuro; ergo, etc. Unde, *futurum est futurum*, est de præsenti; sicut hæc, *homo est homo*, hîc non, *futurum erit*: si tamen supponitur, quod hæc sit determinate vera, *futurum erit*, adhuc non sequitur, propter hoc quod propositio de futuro contingenti singularis sit determinate vera. Nam si sic arguitur, *Omne futurum erit*, hæc, *Tu eris Episcopus, est futurum; ergo hæc erit*: est fallacia figuræ dictionis; quia in majori fit distributio pro suppositis, quorum quidditatem dicit distributum: sed in minori prædicatur futurum, ut dicens ejus qualitatem, propter quod mutatur *quid* in *quale*, sicut hîc, *Quod scriptum est, scripsit aliquis: falsum scriptum est: igitur falsum*, etc. Si autem descendatur sic, *omne futurum erit*: *hoc futurum*, tu eris, *est futurum*; *igitur hoc futurum erit*; sequetur e contrario, sed minor implicat falsum.

Ad aliud dico, quod propositio de futuro non asserit nunc aliquid esse, vel non 13 esse de eo, quod est, sed pro tempore futuro; ideo nec est determinate vera, vel falsa. Sed propositio de contingenti nunc asserit determinate aliquid, quia cum dicitur, *hoc contingenter eveniet*, significatur quod eventus hujus est contingens, et ita determinate est, vel non est: ideo illa de contingenti determinate est vera, vel falsa determinate.

Aliter arguitur ad principale; si dicatur, *hoc erit*, idem est dicere, et *hoc est fu-* 14.

turum ; sed secunda propositio est determinate vera, vel falsa : igitur et prima. Dico quod sic, dicendo *hoc erit*, actus copulatus subjecto intelligitur copulari pro tempore futuro, cujus terminus initialis est præsens ; et ideo cum resolvitur *hoc erit*, in hoc, *hoc est futurum*, intelligitur actus mensuratus sub tempore futuro, copulari subjecto sub tempore præsenti, quod est terminus initialis ejusdem futuri, propter quod idem valet, *homo est futurus*, et *homo erit* ; sed quia tunc est indeterminatum in actu futurum, esse habebit, cum tempus mensurans ipsum sit præsens ; ideo hæc, *Hoc est futurum* est indeterminate vera, sicut hæc, *Hoc erit* ; et cum arguitur quod hæc est de præsenti, dico quod non est de præsenti ; quia ad hoc ut sit de præsenti, necesse est actum designatum tempore de præsenti mensurari, et non solum cognitionem : sic non accidit in proposito ; ideo non est de præsenti.

FINIS SECUNDI OPERIS PERIHERMENIAS

INDEX

GRAMMATICÆ SPECULATIVÆ

SUPER UNIVERSALIA

SUPER PRÆDICAMENTA

SUPER LIB. I. PERIHERMENIAS ARISTOTELIS

IN II. LIBRUM PERIHERMENIAS

SECUNDI OPERIS PERIHERMENIAS

ERRATA

Pag. 196 dernière ligne, lire 9-10-11 au lieu de 8.
200 ligne 10 — 17 — 14.
304 — 11 — 17 — 14.